Digitized by Google

1= 3801

Digitized by Google

FLL
6707

20 — 2

Digitized by Google

Digitized by Google

R225240

A. R. P. M.

F. THOMÆ DE LEMOS

23
L45L

PANOPLIA GRATIAE

SEV

De rationalis Creaturæ in finem ſupernaturalem gratuita Divina ſuaui-potente ordinatione, ductu, medijs, liberoque progreſſu.

DISSERTATIONES THEOLOGICÆ

AB AVTHORE IN IV. TOMOS DISTRIBVTAE.

TOMVS SECVNDVS

De Summa DEI Prouidentia, & efficaciſſima Prædeſtinatione Sanctorum.

De la Libreria del Coll.º Imp.l de la Comp.ª de Jhs de M.d
6707

LEODII,
Ex officina Claudij Landas Impreſſoris publici.

M.DC.LXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX.
PRIMÆ PARTIS
TOMI SECVNDI.

TRACTATVS PRIMVS
DE PROVIDENTIA IN COMMUNI.

CAPUT I. De ratione providentiæ in genere. pag. 1.

Partes integrales & potentiales prudentiæ referuntur. Ibidem num. 1. & 2.

Providentia est pars principalis integralis prudentiæ. Ib. n. 4.

Prudentia non est de fine, sed de mediis. Ibid. num. 5.

Prudentia est essentialiter actus rationis practicæ, pag. 2. num. 6.

Providentia est actus intellectus practici, pag. 2. num. 7.

Argumenta in oppositum referuntur Ibid.

Speciali argumento respondetur. Ibid. num. 9.

CAP. II. Quòd providentia sit actus intellectus practici. pag. 2.

Nullus antiquorum Theologorum negavit actum intellectus practici esse superfluum. Ibid. num. 10. & 11.

Ex definitione providentiæ probatur eam esse actum intellectus practici. pag. 3. num. 14. & 15.

Ad argumenta in oppositum respondetur. Ibid. num. 16. & seq.

CAP. III. Quòd præcipuus providentiæ actus sit præcipere sive imperare. pag. 4.

Imperium rationis tria importat. Ibid.

Imperium rationis practicum aliquando vocant doctores judicium practicum.

Actum quo ratio judicat bonum esse quod hoc fiat vocant aliquando Patres & Doctores imperfectum rationis imperium. Ibid.

Ratio, qua moventur recentiores ad negandum imperium traditur. Ibid.

CAP. IV. Quæ actiones voluntatis rationis imperio subdantur. pag. 4.

Omnis voluntatis electio subditur imperio rationis ex Philosopho. pag. 5.

Recentiorum responsio litteræ Philosophi contrariatur. Ibid.

Qui imperium rationis negant, prudentiam tollunt. Ibid.

Ex D. Thoma probatur voluntatem subdi rationis imperio. pag. 6. num 36.

Ad D. Thomæ verba non attendit Suarez. Ibid. num. 37. & 38.

CAP. V. Necessitas imperij ad libertas electiones eliciendas rationibus demonstratur. pag. 6.

Prima ratio expenditur. pag. 7. num. 41. & seq.

Secunda prioris explicativa proponitur. Ibid. num. 45.

Tertia ex convenientibus desumitur. pag. 8. num. 46.

Stante hoc rationis imperio non stat voluntatem non eligere. Ibid. num. 47. & seq.

Huic Doctrinæ non adversatur articulus quidam Parisiensis. Ibid. num. 50.

Licet posito rationis imperio, non stet voluntatem non eligere, liberrimè tamen eligit. pag. 9. num. 51.

Argumento communissimo ex ipsis adversariis satisfit. Ibid. & num. 52.

CAP. VI. Proponuntur argumenta, quibus moventur recentiores ad negandum rationis imperium & præceptum prudentiæ efficax. pag. 9. & 10.

CAP. VII. An voluntas quoad suum primum actum liberum moveatur quoad operis exercitium effective & efficaciter ab aliquo priori judicio rationis, & quomodo declaratur. pag. 10.

Finis universalis & particularis quædam traduntur differentiæ. Ibid. num. 61.

Dupliciter voluntas fertur in finem, absolutè, & ut est ratio volendi media, & duplex est uterque ille actus. Ibid. num. 62. & seq.

Hæc doctrina traditur à D. Thoma. pag. 11. num 66.

Quomodo Deus moveat ad hos actus, & ad quos voluntas non se moveat sed moveatur declaratur. Ibid. num. 67. & seq.

Digitized by Google

Index, primæ partis,

Duplicem admittendam esse finis volitionem rationibus probatur, ibid. num. 72. & pag. 12. num. 73.

CAP. VIII. Quomodo voluntas determinetur ad ultimi finis volitionem. pag. 12.

Voluntas in hoc statu est determinata respectu ultimi finis quoad specificationem, non quoad exercitium: in patria verò quoad utrumque. Ibid. num. 77. & 78.

In quo sensu dicat D. Thomas, Deum se amare liberè, & Spiritum Sanctum producere liberè aperitur. pag. 13. num. 81. 82. & 83.

De qua finis volitione debeat intelligi illud quod communiter dicitur. Voluntas se movet ad volitionem mediorum ex volitione finis. Ibid. num. 84.

CAP. IX. Quòd voluntas quoad finis intentionem movetur efficaciter à Deo. pag. 14.

Deum voluntatem creatam ad primam universalis finis volitionem liberam quoad exercitium movere efficaciter & per judicium practicum & per motionem in ipsa voluntate receptum expresse docent Aristoles & D. Thomas. Ibid. num. 87.

Aristoteles solo lumine naturali ductus agnovit motionem Dei verè activam & efficaciter prævenientem non lædere libertatem. ibid. n. 89.

Expenditur insignis Philosophi locus. ibid. num. 90. & 91.

Ex D. Thoma probatur, voluntatem non se movere ad primam finis universalis volitionem. ibid. num. 92.

Idem ostenditur de volitione finis particularis ante quam nulla præcessit deliberatio. pag. 15. num. 93. & 94.

Judicium illud primum quo Deus movet efficaciter voluntatem ad primam finis volitionem est verè consilium, & prima finis volitio ad illum sequuta deliberata. ibid. num. 96.

Objectio proponitur. ibid. num. 97.

Satisfit objectioni. ibid. num. 98.

Objicitur, hominem non posse velle aliquem finem malum particularem, si voluntas ad finis particularis volitionem non possit se movere. pag. 16. num. 101.

Objectionem solvit D. Thomas. ibid.

Quatuor in hac solutione traduntur à D. Thoma, ibid. num. 102.

Duo priora explicantur. ibid. num. 103.

Tertij variæ adducuntur explicationes. ibid. num. 104. & pag. 17. num. 105.

Prima non est de mente D. Thomæ. ibid. num. 107.

Vera D. Thomæ intelligentia traditur. ib. 108.

Objectio ex D. Thoma desumpta. pag. 18. num. 110.

Solvitur objectio. ibid. num. 111.

Deus non movet ad bonum apparens. ib. n. 112.

CAP. X. Quomodo Deus prædefiniat actionem quæ est in peccato. prg. 18.

Aliquorum Thomistarum opinio particularis refertur. ibid. num. 113.

Argumenta pro hac sententia adducuntur. ibid. num. 114.

Ut unum effugiat hæc sententia inconveniens, in aliud incidit. pag. 19. num. 116.

Deum prædefinire & prædeterminare tum intellectum, tum voluntatem ad actionem, quæ est in pecato, ostenditur, ex difficultate explicandi modum quo Deus attingit entitatem, & non deformitatem. ibid. num. 117.

Responsio adversariorum refertur & impugnatur. ibid. num. 119.

Hæc opinio Thomistarum favet authoribus concursum Dei indifferentem admittentibus. Ibid. num. 120.

Non salvat quòd illius entitatis homo causa prima non sit. ibid. 121.

Quòd posse habeamus ex Deo; ex nobis operari statuit cum Pelagio. pag. 20. num. 122.

A D. Thoma pluribus in locis impugnatur. Ibid. num 123.

Objectionibus ex D. Thoma desumptis satisfit. ib. num. 124. 125. & pag. 21. num. 126.

Deus ex prima sui intentione non prædefinit & prædeterminat directè & per se ad entitatem, quæ est in peccato, sed occasionaliter tantùm, hoc explicatur. ibid. num. 127. 128. & 129.

Plures assignantur differentiæ inter concursum quo Deus movet ad actum bonum, & eum quo concurrit ad entitatem peccati. ibid. num. 130. 131. & pag. 22. num. 132. & 133.

Quare peccatum non tribuitur Deo, etiamsi ut particulare agens moveat ad substantiam actus: tribueretur tamen ipsi, si prima Angeli operatio esset mala, quamvis ad solam ejus substantiam moveret. ibid. num. 135. 136.

Quid dicendum de actionibus indeliberatis. ibid num. 137.

Quædam ad majorem intelligentiam supponuntur. ibid. num. 138.

Declaratur quomodo Deus moveat ad actus indeliberatos. pag. 23. num. 139.

CAP. XI. Adversariorum argumenta diluuntur. pag. 23.

Iudicium effectivè movens voluntatem ad primam volitionem est necessarium tantum ex suppositione. ibid. num. 141.

Argumentum quod adversarij vocant à priori ex doctrina D. Thomæ facilè solvitur. ibid. num. 142.

Veram judicij practici perfecti rationem ab Aristotele & D. Thoma traditam non attingunt adversarij. ibid. num. 143. & 144.

Dirigere & intimare habet imperium ex se, movere ex voluntate. ibid. num. 145.

Quem effectum formalem habeat imperium, declaratur. ibid. num. 146.

Primus voluntatis actus imperio non subditur ex D. Thoma. pag. 24. num. 148.

CAP. XII. Quòd divina voluntas posito objecto omnino indifferenti unum potius eligat, quàm aliud v. g. creare, quàm non creare mundum, unde proveniat, explicatur. pag. 24.

Adducuntur varij modi quibus intellectus divinus objectum proponere potest voluntati Dei. ibid. num. 149.

Diversa authorum placita referuntur. ibid. num. 150. 151. & 152.

Divinam scientiam ut prævenit primum divinæ voluntatis actum esse virtualiter & in actu primo practicam, probatur. ib. num. 153.

Ante primam divinæ voluntatis liberam determinationem, præcesisse in intellectu dictamen, eam efficaciter movens ad volendum, rationibus convincitur. ibid. num. 154. & pag. 25. num. 155. & 156.

Quòd nec ante eandem primâ divinæ voluntatis liberam determinationem præcesserit hoc dictamen, vel hoc, vel illud, erit secundùm prudentiam

Digitized by Google

prudentiam, liberalitatem & justitiam, probatur. ibid. num. 157.

Ratione Scoti, imò ex ipsis adversariis id magis confirmatur. ibid. num. 158.

Argumento Scoti non satisfit. ibid 159. & pag. 26. num. 160. & 161.

Vindicatur Scotus pag. 26. num. 162.

Divinum intellectum, Dei voluntati ante primam ejus liberam determinationem non proposuisse hoc objectum magis conveniens est creare mundum, quàm non creare probatur. ibid. num. 163. & 164.

Intellectus divinus cum omnimoda indifferentia proposuit voluntati mundi creationem. ibid. num. 165.

Id, quod divina voluntas eligit, reddit magis conveniens. ibid.

Ex differentia, quæ intercedit inter voluntatem humanam & divinam & ab inconvenientibus id evincitur. ibid. num. 168.

CAP. XIII. Solvuntur instantiæ contra dicta pag. 27

Opponitur primò ex D. Thoma. ib. nu. 169.

Ex differentia, quam ponit Sanctus Doctor inter voluntatem humanam, & divinam, quòd illa præsupponat bonitatem in objecto; ista illam causet, solvitur objectio. ibid. num. 170.

Opponitur 2. ex eodem Doctore. ib. nu. 171.

Respondetur objectioni & explicatur quomodo divinus intellectus voluntatem determinet. ibid. num. 172. & 173.

Opponitur ex Scriptura. ibid. num. 174.

Solvitur objectio, & explicatur in quo sensu dixerit Scriptura Deum cœlos & terram prudentiâ stabilisse. ibid. 175.

Quare post primum actum liberum divinæ voluntatis, intellectus majorem convenientiam proponat, & non ante eundem actum declaratur. pag. 28. num. 177.

Quomodo divina libertas sit exemplar nostræ differentiæ inter utrumque valdè notandæ. ibid. num. 178. & 179.

CAP. XIV. Quòd in Deo sit providentia. pag. 28.

Dari in Deo propidissimam providentiam non solùm Patres sed & fides docet. ibid. 180.

Providentia divina non est monastica, sed monorchica. ibid. num. 181.

Antiquorum Philosophorum, & Patrum de divina providentia definitiones. pag. 29. num. 183. 184. & 185.

Providentia divina est causa exemplaris & efficiens creatæ providentiæ, ordinisque cujuscumque qui est in rebus respectu finis. ibid. num. 188.

CAP. XV. Quòd omnia subdantur divinæ providentiæ, etiam electiones humanæ. pag. 29.

Omnia divinæ providentiæ subdi docent omnes Patres & Doctores. ibid. num. 189. & pag. 30. num. 190. 191. 192.

Sex rationes, quibus probat D. Thomas, electiones humanas subdi divinæ providentiæ, deducuntur. ibid. num. 193. 194. 195. 196. 197. & pag. 31. num. 198.

Oppositum non docuerunt Gregor. Nyssenus & Damascenus. ibid. num. 199. & 200.

Idem omnino est apud Patres græcos & latinos providentia, & providentia prædeterminans: duplexque est ex D. Thoma imò ex Damasceno prædeterminatio, una necessitatem imponens; alia libertatem servans. ibid. num. 201. 202. 203. & 204. & pag. 32. num. 205. & 206.

In quo sensu neget Damascenus Deum opera nostra prædeterminare manifestatur ex D. Thoma, & quam sinistrè divi Thomæ doctrinam interpretentur adversarij, aperitur. pag. 32. num. 207. 208. 209 & 210.

CAP. XVI. Quòd ordo divinæ providentiæ sit certus. pag. 32.

Ordinem divinæ providentiæ esse certum, communis est SS. Patrum consensus. ib. nu. 211.

Id ratione probatur. ibid. num. 212.

Divinæ providentiæ ordinem, esse infallibilem, non inevitabilem admittunt recentiores. ibid. num. 213.

Sicut ordo divinæ providentiæ est infallibilis ut subsistat divinæ cognitioni, ita est inevitabilis ex suppositione, ut subsistat divinæ causalitati. ibid. num. 214.

Id probatur ex D. Thoma. pag. 33. num. 215.

Carpitur Caïetanus. ibid. num. 218.

Vindicatur, & ejus modestia laudatur. ibid. num. 218.

CAP. XVII. Quòd ordo divinæ providentiæ certus sit & infallibilis ex Deo ipso, & ex vi ipsius ordinis secluſa præscientia conditionata seu media, probatur, potissimè authoritate D. Thomæ, & Scolasticorum. pag. 33.

Quid sentiant recentiores declaratur. ibid. num. 220. & 221.

Firmiter tenendum cum S. Doctoribus ordinem divinæ providentiæ esse certum & immobilem ex vi mediorum. ibid. num. 222. & pag. 34. num. 223. & 224.

Probatur ex Boëtio. ibid. & nu. 225. & 226.

Id ipsum ex Gregorio Nyssen. & Patribus Græcis demonstratur. ibid. num. 227. 228. & pag. 35. num. 229.

Augustinus pluribus in locis eandem veritatem tuetur ibid. num. 230.

D. Thomas in hac doctrina est perpetuus. num. 231. & pag. 36. num. 232. 233. 234. 235.

Omnia ex D. Thoma sunt à divina providentia prædeterminata & præordinata. ibid. num. 236. & pag. 37. num. 237.

Providere apud D. Thomam est prædeterminare. pag. 37. num. 238.

Idem docent antiqui Scholastici. ibid. num. 239. & 240.

Insignis Academiæ parisiensis circa hoc decretum. pag. 38. num. 241.

Bellarmini sententia refutatur. ibid.

Mariana D. Thomæ imponit, Damascenum non intelligit, ex Augustino efficaciter impugnatur. ibid. num. 242.

Ex triplici capite, convincuntur recentiores negare divinam providentiam. ibid. num. 244.

CAP. XVIII. Ordinem divinæ providentiæ certum esse & infallibilem ex Deo ipso & rationibus demonstratur. pag. 38.

Inconvenientia ex opinione recentiorum deducuntur. ibid. num. 247.

Sola voce providentiam admittunt. pag. 39. num. 248.

Deum in confuso & non in singulari actiones humanas in finem dirigere coguntur fateri cum Molina. ibid. num. 249.

Si ordo divinæ providentiæ esset certus ex scientia media daretur aliquid à divina providentia non productum. ibid. num. 251. & 252.

Eodem utuntur fundamento recentiores ac

Digitized by Google

Index, primæ partis,

Cicero. 40. num. 253.

Omnia recentiorum argumenta esse à D. Thoma præoccupata & soluta ostenditur. ibid. & num. 254. 255. & 256.

Egregia circa hanc materiam divi Augustini verba, ibid. num. 257.

Immerito Bannem carpunt adversarij, quòd ab ipsis in hac materia fidem exigat, id prius Cajetanus, Driedo imo Augustinus exigunt. ibid. num. 258.

Driedonis ad principale adversariorum argumentum verè Catholica responsio. ibid.

Necesse est ex suppositione id evenire, quòd divina ordinavit providentia, & qui id negant cum Pelagio & Calvino conveniunt. ibid. num. 259. & pag. 41. num. 260.

CAP. XIX. Quòd divina providentia sit certa quoad effectus consecutionem. pag. 41.

Notanda differentia inter aliquos Thomistas & recentiores, cùm dicunt, de ratione providentiæ non esse semper finis assecutionem. ibid. num. 262. & 263.

Duplex in Deo distinguenda est providentia sicut & voluntas. ibid. num. 265.

Providentia divina absoluta & efficax suum semper consequitur effectum. pag. 42. nu. 226.

Veritas ista probatur ex D. Thoma. ibid. num. 268. 269. 270. & 271.

Responsiones adversariorum adducuntur. ibid. num. 272. & 273.

Litteræ D. Thomæ contrarias esse has solutiones probatur. ibid. num. 274.

CAP. XX. Quod divina providentia sit certa quoad effectus consecutionem in particulari. pag. 43.

Divinam providentiam certam esse quoad finis assecutionem in particulari manifestum est ex D. Thoma. ibid. num. 275.

Si providentia non esset certa quoad finis assecutionem, eam non negaret Cicero. ibid. num. 276.

Divina providentia generalis & inefficax non est certa quoad effectus consecutionem. ibid. 278. & 279.

De hac loqui S. Thomam in aliquibus locis manifestatur. ibid. num. 280. & pag. 44. 281.

Duplex ex Damasceno & D. Thoma providentia, concessionis una, approbationis altera. pag. 44. 282.

Quædam ex dictis deducuntur corollaria. ibid. num. 283. 284. 285. & 286.

CAP. XXI. Quòd divina providentia omnia quæ rationem entis habent in universum prædefiniat. pag. 44.

Omnia esse à divina providentia prædefinita probatur ex Patribus & ratione. ibid. num. 290. & 291. & pag. 45. num. 291. & 292.

Id in doctrina D. Thomæ esse evidentissimum declaratur. pag. 45. num. 292. 293. 294. & 295.

Sibi ipsi contradicere in hac materia recentiorem, ostenditur. ibid. num. 296.

Prædefinitionem divinæ providentiæ adscribit expressè Chrysostomus. ibid. num. 297.

CAP. XXII. Quòd omnia fortuita, quæ verè habent entis rationem sint à divina providentia præparata. pag. 46.

Omnes effectus fortuitos non esse à divina providentia præparatos tenent recentiores. ibid. num. 298. & 299.

Contraria sententia probatur authoritatibus Scripturæ. ibid. num. 301. 302. & 303.

Clarissimis Augustini testimoniis confutatur. ibid. num. 304. & pag. 47. num 305. & 306.

Omnium aliorum Patrum authoritate præcipue Chrysostomi falsitatis convincitur. ibid. num. 307.

Cum arrianis quos refutat Cyrillus conveniunt in hoc recentiores. ibid. num. 308.

Hanc recentiorum sententiam male de divina providentia sentire & ex duplici capite negare demonstratur ex D. Thoma pag. 48. num. 309. & 310.

Mala pœnæ non sunt propriè à Deo intenta, licet volita, & à divina providentia præordinata. ibid. num. 312.

Effectus pœnales quinque modis ex D. Augustino & D. Thoma contingere possunt & secundum hos sunt efficaciter volita & præordinati. ibid.

Rationi adversariorum respondetur & nullam esse probatur. pag. 49. num. 314.

Nihil potest esse casuale respectu Dei. ibid. num. 315.

Ex recentiorum opinione convincitur plura evenire casualiter & præter ordinem divinæ providentiæ. ibid. num. 316. & 317.

Primo Lessij argumento respondetur ex D. Thoma pag. 50. num. 318.

Secundum diluitur & declaratur qua voluntate velit Deus peccatorem convertere, cum eum movet inspirationibus quibus resistit. ibid. num. 320.

CAP. XXIII. Quòd omnia fortuita sint à divina providentia præparata amplius demonstratur. pag 50.

Interfectiones suffocationes in aquis & similia, quæ recentiores dicunt non esse à divina providentia intenta, à Deo esse verè volita & præordinata probatur. ibid. num. 321. & pag. 51. 322.

Recentiorum evasiones præcluduntur. pag. 51. num. 323.

Ex Scriptura, ex Patribus convincitur mala pœnæ esse non tantum permissa, sed verè volita & ordinata. ibid. num. 323.

Opponit Lessius ex Augustino. ib. nu. 324.

Vera Augustini intelligentia traditur. ibid. num. 325.

Objectiones adversariorũ solvuntur & ostenditur actum contritionis verè esse à Deo volitum & præordinatum. pag. 52. num. 327. 328. & 329.

CAP. XXIV. Quòd peccatum non sit à divina providentia præordinatum, aut prædefinitum. pag. 53.

Qui Deum authorem peccati constituunt, referuntur. ibid. num. 332. 333. & 334.

Non distinguentes Calvinistæ & Pelagiani inter peccatum & actionem peccati in duos extremos errores inciderunt; illi contendentes Deum movere ad entitatem & malitiam; isti negantes entitatem attingere. ibid. & pag. 54. num. 336. & 337.

Qui opponunt, Deum non posse movere ad actionem nisi & ad malitiam moveat, nihil dicunt, quod Catholicis modò à Calvinistis; vel Patribus antiquitus à Pelagianis non sit oppositum. ibid. num 338.

Quatuor circa peccatum distinguenda. ibid. num. 340.

Permissio peccati bona est & ex illa præstantissima

Digitized by Google

tissima bona educit Deus. ibid. nu. 341. & 342.
Nec peccatum formaliter sumptum, nec actus substantia ut habens annexam malitiam sunt à Deo volita, vel à divina providentia ordinata. ibid. num. 343. & 344.
Triplici ratione hoc probatur. pag. 55. num. 346. 347. & 348.
CAP. XXV. Nonnulla argumenta contraria dissolvuntur. pag. 55.
Quædam argumenta ex D. Augustini & D. Thomæ authoritate deprompta solvuntur, & vera horum Patrum intelligentia traditur. pag. 55. num. 350. 351. 352. & pag. 56. nu. 353.
Non debet concedi quòd peccata cadant sub divina providentia, quòd ab ipsa ordinentur, nec quòd Deus illorum habeat providentiam. pag. 56. num. 354.
Peccator non est omnino extra divinam providentiam. ibid. num. 357.
CAP. XXVI. Quòd Deus non prædefiniat materiale peccati si propriè loquendum sit. pag. 56.
Actiones, quibus inest malitia, sunt in triplici differentia. pag. 56. num. 359.
Aliud importat materiale peccati, & aliud substantia actus quæ est in peccato. pag. 57 num. 361.
Tripliciter potest Deus movere hominis voluntatem ad aliquam actionem. ibid. num. 362.
Deus nec prædefinit, nec vult quòd materiale peccati ab homine fiat, nec ad id prædeterminat. ibid. num. 362.
Numquam invenitur in sancto Thoma, quòd Deus vult materiale peccati, aut illius est causa. ibid. num. 365.
CAP. XXVII. Quòd non prædefiniat Deus movere moraliter hominis voluntatem ad actionem peccati, etiam quatenus actio est. pag. 58.
Triplici ratione id probatur. ibid. num. 367. & 368.
Attentè legendus Caïetanus, dum ait Deum posse præcipere malas actiones, & Christum præcepisse Judæ proditionis accelerationem. ib. num 369.
Proponitur objectio, & solvitur. ib. nn. 370
Potest Deus movere moraliter ad actum bonum ex objecto, licet aliqua mala circonstantia vitiatum. pag. 59. num. 371. & 372.
Quomodo sub bona finis intentione & Dei bona excitatione tum Morali, tum Physica contingat hominem peccare, traditur. ibid. nu. 374. & 375.
CAP. XXVIII. Quòd actio quæ in peccato, ut actio & entitas est sit verè à Deo prædefinita secundum sanctum Augustinum. pag. 60.
Conciliantur diversa Augustini exemplaria, quæ contradictoriè concludunt. ibid. num. 379.
CAP. XXIX. Variæ intelligentiæ, quæ his divi Augustini testimoniis à recentioribus adhiberi solent, adducuntur & refelluntur. pag. 61.
Multa operatur Deus bona, ex quorum occasione homines sæpius peccant. ibid. num. 384. & pag. 62. num. 385.
Prima recentiorum responsio militat contra Augustinum. pag. 62. num. 387.
Quòd Deus inclinet voluntates hominum in minus peccatum formaliter, nec est de mente Augustini, nec sustinendum. ibid. num. 388. 389. & 390.
Constituunt recentiores Deum peccati authorem. pag. 63. num. 391.
Quomodo debeat intelligi commune illud effatum, licet consulere minus malum, ut evitetur majus. pag 63. num. 393.
Tripliciter ex Magistro Cano dicitur Deus aliquos indurare, aut excæcare. ibid. num. 394.
CAP. XXX. Quòd secundùm Augustinum actio, quæ est in peccato quatenus actio, est à Deo volita atque prædefinita, amplius ostenditur. pag. 63.
Responsionem recentiorum ad divi Augustini testimonia præoccupavit ipse Sanctissimus Doctor & refutavit. pag. 64. num. 397.
CAP. XXXI. Ex SS. Anselmo & Thoma probatur, Deum prædefinire actionem, quæ est in peccato, quatenus actio & entitas est. pag. 65.
Evidentissimis verbis docet Anselmus Deum causare actionẽ quæ est in peccato. ib. nu. 399.
Deum non causare actionem, quæ est in peccato; pauci temporibus D. Thomæ tenebant; estque ex eodem Doctore duplici errori propinquissima opinio illa. ib. nu. 400. & 402.
Asserere actionem, quæ est in peccato non esse à Deo, est rationi & fidei contrarium ex D. Thoma. ibid. num. 402.
Deum movere prævie ad actionem quæ est in peccato docet evidenter D. Thomas, argumentaque recentiorum diluit. pag. 66. num. 403. & 404.
Quomodo Deus operetur effectivé entitatem & non peccatum ipsum declaratur. ib. nu. 405.
Responsio adversariorum refutatur. pag. 67. num. 407.
CAP. XXXII. Actionem, quæ est in peccato, quatenus actio & entitas est, à Deo prædefiniri rationibus demonstratur. pag. 67.
Prima ratio deducitur ex principiis adversariorum. ibid. num. 408.
Secunda ratio in hoc fundatur, quòd omne ens est à Deo, & in peccato est vera actio. ibid. num. 409.
Tertia in hoc consistit, quòd omnis actio reducitur in Deum ut primum agens. ibid. num. 410.
Actionem peccati defundi in Deum ut primam causam negant recentiores. pag. 67. num. 411.
Alicujus recentioris sententia examinatur, & contraria haberi probatur. ibid. num. 412. 413. 414. & 415.
CAP. XXXIII. Aliæ rationes inducuntur ad ostendendum actionem quæ est in peccato, quatenus actio & entitas est à Deo prædefiniri. pag. 68.
Ex eo quòd recentiores fateantur, Deum concurrere ad entitatem peccati simultaneè, convincitur à fortiori concurrere prævie. ibid. num. 416.
Hoc argumento convicti recentiores concedunt Deum esse aliquo modo causam peccati. pag. 69. num. 417.
Immerito improperant recentiores Thomistis, quòd Deum constituant authorem peccati, ex eo quod dicant concurrere prævie ad actionem: cum ipsi ultro fateantur Deum esse causam universalem peccatorum. ibid. num. 418.
Cum ex D. Thoma Deus causet differentiam specificam mali moralis, à fortiori convincitur causare actionem naturalem quæ est in peccato. ibid. num 419
Ex eo quod voluntas sit in potentia ad eliciendam substantiam actus mali, ostenditur, Deum

Digitized by Google

Index, primæ partis,

debere movere voluntatem ad illam. ib. nu. 420.

Ex eo, quòd ex permissione peccati homo infallibiliter peccet, probatur Deum prædefinire actionem peccati. pag. 70. num. 421.

Ex indifferentia voluntatis & ex eo quòd ipsa non sit primum liberum, idem demonstratur. ibid. num. 422. & 423.

Ex peccato originali id amplius confirmatur. ibid. num. 425.

Entitatem illam fore casualem, si ad illam Deus non moveret explicatur. ibid. num. 426.

CAP. XXXIV. Contra hujusmodi prædefinitionem divinam, respectu actionis quæ est in peccato, recentiorum argumenta proponuntur ex testimoniis Sanctorum desumpta. pag. 70.

Opponunt 1. authoritatem Scripturæ. ibid. num. 427.

Secundo Concilium Aurausicanum 2. & Valentinum. pag. 71. num. 428.

Tertio SS. Leonem, Augustinum, Prosperum & Fulgentium. ibid. num. 429. 430. 431. 432. & 433.

CAP. XXXV. Adversariorum ad idem rationes proponuntur. pag. 71.

Prima, Deus non prædestinat entitatem peccati: ergo nec prædefinit. ibid. num. 434.

Secunda, non solùm permittit peccatum, sed ipsum vult, ibid. num. 435.

Tertia, Deus prohibet actum malum etiam pro materiali. ibid. num. 436.

Quarta, illud objectum est turpe. pag. 72. num. 437.

CAP. XXXVI. Solvuntur argumenta ab authoritatibus Sanctorum petita & proposita supra. pag. 72.

Duplex ex fide statuitur fundamentum, quo omnia recentiorum argumenta exsufflantur. Primum, contra Calvinistas, Deum non causare peccatum: secundum contra Pelagianos, Deum esse causam omnis entitatis. ibid. num. 438.

Qua ratione respondet Augustinus Pelagianis, qui putabant nuptias damnari, quia libido, quæ eas comitatur, reprehendebatur: hac eadem respondetur recentioribus, qui non distingunt inter entitatem & malitiam. ibid.

Generali solutione ad omnia recentiorum argumenta respondetur. ibid. num. 439. & 440.

Ad singula in particulari respondetur. ibid. num. 441. & pag. 73. num. 442. & 443.

Quod olim imponebant Pelagiani Augustino, hoc recentiores imponunt Thomistis. ib. num. 442.

CAP. XXXVII. Argumenta à ratione desumpta diluuntur. pag. 73.

Secundum universam rationem vult Deus entitatem peccati, & illam non vult. ib. nu. 445.

Ex illis Caiphæ verbis, expedit vobis, &c. convincitur manifestè, Deum posse movere ad actionem, quæ ut sit ab homine est mala, licet prout est à Deo bona sit & in bonum finem ordinata. ibid. num. 446.

Sicut defectibilitas, quam habet homo, ex hoc quod sit ex nihilo, Dei actioni creantis non tribuitur, sic nec defectus qui est in actu peccaminoso Deo tribui potest, quamvis entitas ex Deo sit. pag. 74. num. 447.

Aliter prædefinit Deus actionem moraliter bonam, & entitatem peccati ibid num. 448.

CAP. XXXVIII. Quòd peccatum, in quantum pœna est, sit à Deo prædefinitum. pag. 74.

Unum peccatum posse esse alterius pœnam docent unanimiter Patres Theologi. ibid. 452.

Peccatum ut egreditur præcise ab agente, non potest esse pœna alterius. ibid. num. 453.

Tripliciter potest peccatum esse causa per accidens alterius peccati. ibid. num. 454.

Status difficultatis proponitur & Doctorum placita referuntur. pag. 75. num. 455.

Ex SS. Augustino & Thoma actus ut deformis potest esse pœna peccati. ibid. num. 456.

Peccatum esse à Deo effectivè, quando ratione inordinationis est pœna sui, vel alterius defendunt viri Doctissimi. ibid. num 459.

CAP. XXXIX. Quòd deformitas culpæ, quæ est pœna, sit tantùm à Deo permissa, seu peccatum sit tantum permissum. pag. 76.

Cum deformitas non possit esse bona, sub nulla ratione potest esse effectivè à Deo. ibid. num. 462.

Respondent dupliciter adversarij. ib. nu. 463.

Utraque responsio confutatur & evidentius ostenditur etiam ex D. Thoma deformitatem nullam habere posse rationem boni. ibid. num. 464. & 465.

Peccatum ipsum, seu inordinatum, etiam prout est pœna peccati, esse solum à Deo docet D. Thomas formalibus verbis. ibid. num. 466.

Argumenta in oppositum solvuntur ex D. Thoma. ibid. num. 467. & pag. 468. & sequ.

Digitized by Google

Index, primæ partis,

TRACTATVS SECVNDVS,

DE DILECTIONE DEI ÆTERNA, QVA homines ad regnum vocavit, & ad gloriam elegit.

CAPVT I. Proponitur locus insignis Apostoli ad Romans. cap. 9. pag. 78.

Doctrina divi Augustini in materia prædestinationis & gratiæ, est Ecclesiæ doctrina. ibid. num. 2.

Prædictum Apostoli Testimonium egregiè expendit Augustinus & universam de gratia & prædestinatione materiam unico loco in compendium redigit. ibid. num. 3.

Qui adulterinis explicationibus locum Apostoli invertere conati sunt, recensentur. pag. 79. num. 4. & 5.

Alicujus recentioris ad prædictum Apostoli locum inter disputandum adhibita responsio, meritò ceu temeraria & blasphema reprehenditur. ibid. num. 6.

CAP. II. Opponunt recentiores, quòd Apostolus in prædicto Testimonio & capite non loquatur ad literam de electione prædestinatorum & malorum reprobatione. pag. 80.

Rationes recentiorum, quibus probare nituntur Apostolum non loqui de prædestinatione Jacob, & reprobatione Esaü, sed de amore & odio circa temporalia, vel de prædestinatione populi gentilitij, & reprobatione Judaïci, adducuntur. ibid. num. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. & 17.

De vocatione ad fidem intelligendum esse Apostolum, sentit Cardinalis Toletus. ibid. num. 19.

Id confirmari potest ex Augustino. pag. 81. num. 21.

CAP. III. Præsupponuntur, ac præconstituuntur quædam fundamenta pro dicendis necessaria. pag. 81.

Contra Augustinum & Chrysostomum se Apostolum interpretari, fatentur recentiores. ibid. num. 22.

Loca Scripturæ non habent unum sensum literalem in lege antiqua, alium in nova. ibid. num. 23.

Testimonia veteris legis, non semper à Christo & Evangelistis in sensu litterali adduci, licet id frequenter eveniat, probatur variis Scripturæ & Patrum authoritatibus. ibid. num. 25.

Ex testimonio spirituali veteris legis inducto in nova à Christo vel Apostolis efficacissimum desumitur argumentum. ibid. num. 25.

Sensus spiritualis in veteri testamento est nobilior literali & à Spiritu Sancto principaliter intentus. ibid. num. 26. & pag. 82. num. 27.

Quatuor esse Scripturæ sensus, & quid significent explicatur. ibid. num. 28.

CAP. IV. Vera illius loci intelligentia declaratur. *Major serviet minori.* pag. 82.

Intelligendum esse de Jacob, & Esaü centsent Patres & Doctores. ibid. num. 29.

Quomodo Esaü servierit Jacob, traditur. ibid. num. 31.

Quòd etiam prædictus locus ad literam intelligatur de Idumæis & Israëlitis, in allegorico sensu de Judæis & Gentilibus: in Tropologico de reprobis & electis declaratur. ibid. num. 34. 35. & 36.

Quomodo mali serviant bonis; Judæi Christianis egregiè explicat Augustinus. ibid. num. 35. & 36.

CAP. V. Adhibetur explanatio illius loci *Iacob dilexi, Esaü autem odio habui.* pag. 83.

Quòd de prædestinatione Jacob, & reprobatione Esaü loquatur Apostolus ex eodem Apostolo manifestè convincitur. ibid. num. 39.

Id ipsum sentit, & probat Augustinus. ibid. num. 40. & 41.

Augustino consentit D. Thomas. pag. 84. nu. 42

Ex utroque Doctore objicitur, illum locum intelligi figurativè. ibid. num. 43. & 44.

Diluitur argumentum, & ex scriptura ostenditur, non esse necesse, quòd res significentur per voces in propria significatione, sed sufficere significationem impropriam & translativam. ibid. num. 45. & 46.

CAP. VI. Quòd Apostolus *cap. 9. ad Romanos*, ad litteram loquatur de electorum prædestinatione, & malorum reprobatione. pag. 84.

Legitimas Patrum Græcorum & Latinorum interpretationes rejiciunt recentiores, & adulterinis authorum nullius nominis adhærentes, obliti præcepti Concilij Tridentini & Alexandri primi. ibid. num. 47. 48. & 49.

Innumeris in locis prædictum Apostoli testimonium de prædestinatione & reprobatione explicat Augustinus. ibid. num. 50. & pag. 85. num. 51.

Doctrina Augustini in materia de prædestinatione & gratia est ipsa fides Ecclesiæ. ibid.

Multis in locis D. Thomas, Magister cum Schola interpretantur & dicunt Apostolũ loqui de prædestinatione & reprobatione. ib. nu. 53.

Id expressiùs affirmat Concilium Valentinum sub Lothario. ibid. num. 54.

CAP. VII. Ex contextu ipso manifestatur Apostolum loqui de electorum prædestinatione & malorum reprobatione. pag. 85. & 86.

Quatuor his testimoniis Apostoli adhibitæ à Lessio explicationes, vel ab hæreticis desumptæ, vel literæ manifestæ sunt contrariæ. pag. 87. num. 60. & 62.

Primam gratiam & totam prædestinationem ex operibus ponit idem Lessius. ibid. num. 64.

Excusatio ab ipso prætensa ex ipso refellitur. ibid num. 65.

CAP.

Digitized by Google

Index, primæ partis,

CAP. VIII. Solvuntur argumenta in contrarium adducta, p.87.

Quòd Ismaël non fuerit reprobatus sentiunt aliqui, eorum rationes proponuntur, pag.88. num.68.

Contrarium tenet Hieronymus, indicant Augustinus & Gregorius, & expressè asserit D.Thomas, ibid.n.69.70. & 71.

Ad argumenta in contrarium respondetur, ibid.72. & 73.

CAP.IX. Alia solvuntur argumenta,p.88.

Ineptè dicit recentior quidam, Apostolum non potuisse asserere Ismaëlem fuisse reprobatum; quia hoc ex scriptura non habetur, ibid. n.74.

Explicationem, quam adhibet idem ad illa verba Pauli *Iacob dilexi,&c.* desumpsit ex Fausto Semipelagiano, p.89.n.75.

Argumentum, quod ex D. Hieronymo opponit, duplici solutione diluitur, ibid.n.78.

Partem pro toto sæpe sumit scriptura, ibid. num. 80.

CAP. X. De duplici Dei voluntate, antecedente & consequente, p.89.

Distinctio de voluntate,antecedente & consequente antiqua est & traditur à D.Damasceno,ibid.n.84.

Insinuatur à D.Anselmo, p.90.n.85.

Tribuitur Chrysostomo, ibid.n.86.

Hanc non obscurè tradit Augustinus, ibid. num. 87.

Hanc sanctus Thomas & Scholastici omnes unanimiter admittunt,ibid.n.88.

Quinque dicunt recentiores circa hanc distinctionem, ibid. n.89. & seq.

CAP.XI. De vera intelligentia voluntatis Dei antecedentis & consequentis secundùm sanctum Damascenum & divum Thomam p.90.

Vtraque hæc voluntas est verè & propriè in Deo & beneplaciti,ibid.n.94.

Præter has duas voluntates alia non est admittenda,p.91.n.96. & 97.

Eodem modo intellexit hanc distinctionem D.Thomas ac sanctus Damascenus ut etiam testatur Molina, ibid.n.98.

Ex D. Thoma voluntas antecedens & consequens non distinguntur per hoc quod illa antecedat arbitrij nostri cooperationem, hæc consequatur, ibid.n.99.

Vera differentia voluntatis antecedentis & consequentis assignatur pag.92. n.100.

Voluntas consequens abstrahit ab hoc, quòd antecedat, vel sequatur actum voluntatis nostræ,ibid. & n.101.

D.Thomam deserit Suarez, nec S. Damascenum tenet, ibid. n.102.

CAP. XII. Explicatur magis quæ sit voluntas Dei antecedens, quæ verò consequens, p.92.

Voluntas consequens ex Damasceno non est tantùm voluntas puniendi etiam ex Vasquez & Suare, ibid.n.103.& 104.

Id ipsum in doctrina Divi Thomæ est apertissimum, ibid.n.105.

Voluntas Dei consequens & absoluta idem sunt, & convertuntur, ibid.n.106.

Voluntas Dei antecedens, præcisè ut antecedens & absque voluntate consequente adjuncta nunquam impletur, p.93.n.107.

Sententia Suaris sustinentis Deum voluisse antecedenter electis & reprobis fœlicitatem & perseverantiam,& ex vi illius voluntatis electos fuisse salutem consecutos,efficaciter impugnatur,ibid. n.108.

Sicut duplex ex D. Augustino est vocatio, una omnibus communis, alia electis particularis: ita alia voluntate vult Deus omnes salvare, aliâ prædestinare, ibid.

Voluntatem antecedentem secundùm D. Thomam esse semper inefficacem fatentur recentiores, ibid.

In hoc potissimo fundamentò, à quo tota prædestinationis & gratiæ materia dependet cum D. Thoma non conveniunt,ibid.

Quædam contra dicta opponuntur ex Damasceno & D.Thoma,ibid.n.109. & 110.

Opposita solvuntur ex doctrina Divi Thomæ, ibid.n.112. & p.94. n.113.

CAP.XIII. De intelligentia illius Apostolici testimonij 1 ad Timoth.2.*Qui vult, omnes homines salvos fieri*, p.94.

Illud Apostoli testimonium sic intelligunt recentiores; ut velit Deus omnes homines salvos fieri, si tamen ipsi voluerint, ibid.n.114.

Actus ille, quo Deus vult omnes homines salvos fieri,est liber, ibid. n.115.

Nullus Patrum illum Apostoli locum intellexit sicut recentiores, ibid. n.116.

Hac explicatione usos fuisse Pelagianos testatur Academia Lovanienſis, ibid.

Tandem explicationem multis in locis damnat Augustinus & exemplo parvulorum falsam esse convincit, ibid. num.117. & pag.95. num.118.

Pelagianis & Semipelagianis traditam fuisse, docent SS. Prosper & Hilarius, pag. 95. num.120.

Illam explodit Fulgentius, ibid. n.121.

Ex hac explicatione sequitur unum hominem ab alio se discernere gratiam in sua efficacia ab homine pendere, Deum dare tantùm posse, & operari ex nobis esse, pag.96.n.123. & 124.

Hanc tradidisse aliquos sanctos Patres, contendunt recentiores, ibid. n.125.

In sensu valde diverso ab illo recentiorum locutos fuisse sanctos Patres præsertim Ambrosium,ostenditur, n.126.

Legitimam illius Apostolici testimonij interpretationem tradit & quid sit voluntas antecedens & consequens optimè explicat, ibid. num. 127.

Hæc propositio, Deus vult omnes homines salvos fieri, duplicem habet sensum pag.97. num.128.

Voluntas antecedens nunquam impletur, hocque exemplis, quæ, ad illam explicandam, adducuntur,demonstratur, ibid.num.129.130. & 131.

Cum ex Divo Thoma voluntas antecedens sit solùm velleitas, ex vi illius non dantur omnibus auxilia sufficientia, idque fatetur Suarez sibi minus constans, ibid. n.132.

Si ex parte hominis non esset impedimentum ex vi illius voluntatis antecedentis daret Deus omnibus auxilia sufficientia, pag. 98. num. 134.

CAP. XIV. De aliis veris intelligentiis prædicti Apostolici testimonij, *Qui vult omnes homines salvos fieri*, p.98.

Secunda hujus Apostolici dicti intelligentia,

Digitized by Google

secundum Patres qui contra Pelagianos scripserunt est, quòd Deus vult salvos fieri omnes, qui salvantur, ibid. n. 135.

Tertia, quam tradunt SS. Augustinus & Thomas, est, quòd cujuscumque status vult Deus aliquos salvos fieri, pag. 99. n. 136.

Quarta, quam adhibet Augustinus, est, quòd Deus facit, nos velle omnes homines salvos fieri ibid. n. 137.

Quintam addunt D. Thomas & Caïetanus docentes, locum illum intelligendum esse de voluntate signi, non beneplaciti, ibid.

Qui tres prædictas explicationes rejiciunt, nihil de novo opponunt, quod à Pelagianis non fuerit Patribus objectum, ibid. num. 138. & 139.

Ex ipsis Apostoli verbis & ex pluribus aliis scripturæ locis probatur, has explicationes esse legitimas, ibid. n. 140. & 141.

CAP. XV. Proponuntur recentiorum argumenta contra prædictas S. Augustini interpretationes pag. 100.

Primum recentiorum argumentum est ab injuriis in D. Augustinum, ibid. n. 142.

Secundum, quia alias non ordinaret Deus omnes homines in vitam æternam, ibidem num. 143.

Tertium, quia pro omnibus debemus orare, ibid. n. 144.

Quartum, quia illa voluntas est beneplaciti, ibid. n. 145.

Quintum, quia aliàs invitationes ad pœnitentiam essent fictiones ibid. n. 146.

Ad primum egregiè respondet S. Prosper, ibid. n. 147.

Cur prædictas Augustini interpretationes oppugnent recentiores, manifestant Academiæ Duarensis & Lovanienses, ibid.

Eas cum illa, quæ adhibetur de voluntate antecedenti sanè intellecta, optimè cohærere, probatur, pag. 101. n. 148.

Ad secundum argumentum respondet D. Thomas, ibid. n. 150.

Tertium concludere contra Apostoli litteram, probatur, ibid. n. 151.

Ad ultimum ex Pelagianis desumptum respondetur ex Prospero & Hylario, pag. 102. num. 153.

Anselmi interpretationes ad illud: Qui vult omnes homines salvos fieri, ibid. n. 154.

CAP. XVI. Qui dixerint electionem ad gloriam fieri ex prævisione meritorum, p. 102.

Dilectio Dei præsupponitur ad electionem, ibid. n. 155.

Catharini singularis opinio refertur, ibid. num. 156.

Quid in hac materia senserint alij declaratur, 103. n. 157. 158. & 159.

In quo conveniant & differant prædictæ opiniones, explicatur, p. 104. n. 160.

CAP. XVII. Confutatur prima sententia Catharini circa electionem ad gloriam, p. 104.

Ab his, quos efficaciter electos ponit Catherinis libertatem aufert, ibid. n. 161.

Errare Catherinum, in eo quod dicit, omnes qui saluantur, non esse prædestinatos & electos manifestè probatur, ibid. n. 162. 163. 164. 165. & p. 105. n. 166.

Erasse etiam, negando prædestinatorum numerum esse certum, ostenditur, pag. 105. num. 167.

Catherini argumento frivola esse, convincitur, ibid. n. 171. 172. & 173.

CAP. XVIII. impugnatur secunda sententia in eo, in quo rectè non procedere dignoscitur, pag. 106.

CAP. XIX. Refutatur tertia sententia in eo, quod negat voluntatem dandi gloriam esse post meritorum prævisionem, p. 106.

Hæc sententia quatenus ponit, voluntatem dandi gloriam non esse posteriorem voluntate dandi gratiam, est intelligibilis & scripturæ minus conformis, ibid. n. 177.

Ex ipsis adversariis convincitur falsitas hujus opinionis, ibid. num. 178. & pag. 107. num. 179.

Fundamentum illorum nullum esse, probatur, p. 107. n. 180.

CAP. XX. De diversitate opinionum hujusmodi recentiorum circa electionem efficacem ad gloriam, p. 107.

Cardinalis Bellarm. & Suar. ab aliis recedétes tenent voluntatem dandi gloriam priorem esse prævisione meritorum, & contrariam sententiam non esse scripturis conformem dicunt, ibidem n. 183.

Graviter damnat Lessius constituentes prædestinationem post scientiam mediam pag. 108. num. 184.

Hos omnes auctores in substantiali doctrina convenire, & electionem ad gloriam pendentem à libertate humana constituere, ostenditur, n. 186. & 187.

Consequentius aliis philosophantur Molina & Vasquez, ibid. n. 188. & 190.

Cardinalem Bellarminum & Suarem voce tantùm admittere electionem gratuitam ad gloriam, & cum Molina convenire, probatur. pag. 109. n. 192. & 193.

Differentiam, quam inter Molinam & se ponunt, nullam esse & destruere totum, quod scientia media supponit, optimè probat Lessius, ibid. n. 194.

Absolutam electionem ad gloriam & scientiam mediam opponi ampliùs ostenditur, pag. 110. n. 195.

CAP. XXI. Semipelagiani & potissimè Massilienses non dixerunt, electionem ad gloriam fieri ex prævisione operum merè naturalium, & aliqua omni gratia, p. 110.

In multiplici sensu posse corripi, fieri electionem ad gloriam post prævisionem operum, declaratur, ibid.

Tres priores sensus Pelagianorum & Semipelagianorum continere errores & quartum in illos incidere aperitur, ibidem num. 197. & 198.

Quintum ab errore Pelagianorum immunem esse, contra tamen rationem procedere probatur, ibid. n. 199. & 200.

Semipelagiani non dixerunt, electionem ad gloriam fieri ex prævisione operum merè naturalium sine omni gratia, p. 111. n. 101.

Evasiones, quibus conantur recentiores à Semipelagianis recedere, præcluduntur, ibid. num. 203. 204. 205. & 206. & p. 112. n. 207.

CAP. XXII. Error Pelagianorum fuit, quod efficax electio ad gloriam fit ex prævisione creatæ libertatis benè ex se utentis adjutorio gratiæ, pag. 112.

Electionem ad gloriam fieri ex prævisione

Digitized by Google

innatæ libertatis bene utentis adintorio gratiæ, fuisse Semipelagianorum errorem fundamentalem, ex verbis Divi Prosperi demonstratur. Ibid num. 210. 211. & 212.

Ex Augustino quæstio inter Catholicos & Pelagianos fuit, an post præscientiam operum vel ante illam fieret electio ad gloriam, pag. 113. num. 213.

Ex verbis Fausti Semipelagiani id evincitur. Ibid. num. 214. & 215.

Gratuitam prædestinationem dicit Fulgentius. Ibid. num. 217.

Prædestinationem fieri ex præscientia bonorum operum, etiam quæ facit gratia, ex Augustino negant Academiæ Lovanienſis & Duacensis, imò & D. Thomas. ibidem.

Semipelagianorum errorem potissimum fuisse, negare efficacem electionem ad gloriam ante operum prævisionem, convincenti ratione probatur. ibid. num. 218. & pag. 114. nu. 219.

Tria, quæ dicebant Semipelagiani, notanda, pag. 114. num. 220.

CAP. XXIII. Quòd idem omnino dicant recentiores, pag. 114.

Cum Pelagianis, in eo quòd dicebant, Deum non eligere ad gloriam efficaciter; quòd talis electio tolleret libertatem, & quòd erat constituenda dependenter à voluntate creata, convenire Molinam ostenditur. ibid. num. 221. 222. 223. & 224. & pag. 115. num. 225.

CAP. XXIV. Ex divina Scriptura ostenditur, quòd detur efficax & immediata electio ad gloriam meré gratuitè ante prævisionem operum faciendorum cum gratia, pag. 115.

CAP. XXV. Supradictorum Scripturæ sacræ Testimoniorũ falsæ interpretationes pręcluduntur, pag. 116.

Quatuor explicationes ad illa verba Apostoli *non ex operibus*, adhibet Lessius. ibid nu. 240.

Prima, quæ dicit Apostolum negare opera facta, non prævisa, Pelagiana est, & à D. Augustino efficaciter impugnata, pag. 117. num. 241.

Secunda, quæ habet, Apostolum loqui de electione ad gloriam justificantem, ubique rejicitur ab Augustino, & reprobatur à D. Thoma, ibid. num. 242.

Vocationem ad fidem & gratiam justificantem esse operibus naturalibus dabitam ex Lessij doctrina probatur. ibid. num. 244.

Tertia, explicatio, quæ dicit, Apostolum loqui de bonis hujus vitæ sive temporalibus sive spiritualibus contra Patres & Concilium Valantinum procedit, pag. 118. num. 247.

Quarta fuit Fausti Pelagiani, ibid. nu. 248.

Pluribus rationibus contendit Lessius, Apostolum non loqui ad Ephesios cap. 1. de prædestinatione: hisque ita convincitur, ut dicat, neminem de hoc posse dubitare, ibid. nu. 251.

Prædictum Apostoli locum interpretantur Patres prædestinatione; quos vel non vidit, vel non legit Lessius, pag. 119. num. 252.

Quæ opponit prædictus author contra quartum Scripturæ testimonium inductum facili negotio diluuntur, ibid. num. 254. & 255.

Contra quintum Scripturæ testimonium sophisma proponit Lessius, pag. 120. nu. 256.

Dissolvitur, ibid. num 257.

Quæ tandem objicit contra ultimum Scripturæ testimonium adductum, solvuntur, ibid. num. 259.

CAP. XXVI. Quòd efficax electio ad gloriam absque prævisis operibus fiat, ex D. Augustino ostenditur, pag. 120.

Pluribus Augustini testimoniis probatur, electionem fieri absque prævisis operibus, ibid. num. 261.

Ex liberis, quos exorta hæresi Pelagiana scripsit Augustinus, testimonia pro sua sententia non inducunt recentiores, pag. 121. num. 262.

Ex mera voluntate divina, certam & firmam esse electionem ex Apostolo probat S. Augustinus. ibid. num. 263. & pag. 122. num. 264. & 265.

Insigne Augustini adducitur testimonium, quo probatur electionem ad gloriam fieri ante prævisa merita, pag. 122. num. 267.

CAP. XXVII. Falsæ explicationes ac siniſtræ interpretationes suptadictorum S. P. Augustini Testimoniorum refelluntur, pag. 123.

Prædicta Augustini testimonia esse difficilia & favere electioni gratuitæ fatetur Lessius. ibid. num. 268.

Quis fuerit Augustini Scopus contra Pelagianos & Semipelagianos, aperitur, ibip num. 270.

Aliter initium fidei, aliter perseverantiam, ex nobis ponebant Semipelagiani, ibid num. 271.

Ut probet Augustinus, initium fidei & perseverantiam esse Dei dona, hoc ponit fundamentum, Deum ex perditionis massa gratuito prædestinatos elegisse, ibid. num. 272.

Semipelagiani, ut initium fidei & perseverantiam ex nobis esse, defenderent gratuitam & efficacem electionem negarunt, ib. nu. 273.

Hanc inter Augustinum & Semipelagianos esse differentiam manifestam, probatur, ibid. num. 274.

Inter Augustinum & Semipelagianos quæstionem fuisse de electione immediata ad gloriam, & hanc Doctorem Sanctum posuisse ante opera prævisa, Semipelagianos post, ex Prospero manifestè convincitur, ib. nu. 276.

Errarunt Semipelagiani, quia initium fidei & perseverantiam ex nobis posuerunt, & electionem ex horum prævisione fieri, pag. 124 nu. 278.

In quo sensu rectè posset dici, prædestinatos gratis eligi ad gloriam ex operibus factis ex gratia, ibid. num 282.

Nedum de initio fidei; sed & de perseverantia quam volebant Semipelagiani esse ex liberó arbitrio faciente ut secum gratia perseveraret, inter ipsos & Augustinum erat quæstio, pag. 125. num. 284.

præcedunt opera bona justificationem sed ex efficaci auxilio gratiæ facta, non ex arbitrio gratiam determinante ut vult Lessius, ibid. num. 186.

In tribus errabant Semipelagiani initium fidei seu primum donum gratiæ naturæ tribuentes; gratia usui arbitrij subdentes: & Deum efficere quòd perseverarent, negantes, ibid. num. 289.

Primum Semipelagianorum errorem refert Lessius, alios duos tacet: de quibus à SS. Augustino & Prospero convincuntur, ibid. num. 290.

Monet Lessius, aliquos sensum Augustini non fuisse effectus: sed horum primus est ipse, pag. 126. num. 291.

Puerile

Digitized by Google

Index, primæ partis,

Puerile Leſſij argmentum ex Auguſtino exſufflatur, ibid. num. 293.

Cur puer unus baptizetur alter non, plures rationes reddit Leſſius quæ veræ, vel à Semipelagianis priùs adductæ ſint, aperitur. ibid. num. 295.

CAP. XXVIII. Efficacem & immediatam electionem ad gloriam fieri abſque præviſione meritorum ex SS. Proſpero atque Fulgentio manifeſtatur, pag. 127.

Electionem ad gloriam eſſe ſecundum Dei propoſitum & purè gratuitam, docet in terminis D. Proſper, ibid. num. 297.

Argumenta quædam contra electionem gratuitam opponit Proſpet & ſoluit, luce clarius ſtatuens electionem omnia bona opera prævenire & illorum eſſe cauſam, ibid. num. 289.

In hoc ſolùm erraſſe Semipelagianos, quòd initium fidei, ipſumque credendi effectum ex nobis eſſe dixerint, ex Proſpero contendit Leſſius, pag. 128. num. 300.

Oppoſitum ſenſerunt SS. Auguſtinus & Proſper, ibid. num. 301.

Electionem ad gloriam purè gratuitam defendit Fulgentius, ibid. num. 302.

CAP. XXIX. Efficacem immediatamque electionem ad gloriam fieri abſque præviſione meritorum, ex D. Thoma apertiſſimè oſtenditur, pag. 128.

Electionem ad gloriam præcedere omnia opera, horumque præviſionem, docet expreſſe D. Thomas, ibid. num. 303. & pag. 129. num. 304.

Contra apertam D. Thomæ literam pugnare recentiorum reſponſionem, oſtenditur, ibid. num. 305. & 306.

Duplex ex D. Thoma diſtinguenda eſt prædeſtinatio, una, quæ præcedit merita, alia, quæ datur meritis, ibid. num. 309.

Contra ſententiam Chriſti Domini eſſe, ponere electionem non eſſe omnino gratuitam, docet D. Thomas, pag. 120. num. 311.

CAP. XXX. Electionem efficacem & immediatam ad gloriam fieri abſque præviſione meritorum, rationibus oſtenditur, pag. 130.

Ex eo quod intentio finis præſupponatur ad volitionem mediorum, deducunt evidenter D. Thomas & Scotus, electionem ad gloriam præcedere meritorum præviſionem, ibid. num. 312.

Eodem utuntur fundamento Driedo & Ruardus Tapert, ibid. 313.

Idem ſentit Bernardus cum Auguſtino, qui id ex ſcriptura deducit.

Reſpondent recentiores voluntatem Beatitudinis antecedentem præviſionem operum eſſe inefficacem, pag. 131. num. 314.

De hac inefficaci Beatitudinis volitione non loquuntur Patres & Theologi, ibid. num. 315.

Præter illam debere dari efficacem probatur, ibid. 316.

Hanc Beatitudinis volitionem efficacem non negarunt Semipelagiani, ibid. num. 317.

Electio dici non poteſt, ibid.

Rationem hanc fundamentalem nimis probare, contendit Leſſius adverſus Scotum, ibid. 318.

Defenditur Scotus, ibid. 319.

Quomodo poſſet Deus ordinatè procedendo, priùs velle media quam finem, aperitur, ibid. num. 320.

Duplici ratione voluit Deus gloriam electis communicare, ibid. num. 321.

Explicatur exemplo, ibid. num. 322.

Deum ante præviſa merita intendere dare gloriam in confuſo dicit Leſſius, ibid. num. 323.

Hoc eſſe abſurdum probatur, ibid.

Ex alia recentiorum ſolutione probatur, electionem ad gloriam priorem eſſe præſcientia meritorum, pag. 132. num. 325.

CAP. XXXI. Electionem efficacem ad gloriam non fieri ex præviſione meritorum, aliis rationibus confirmatur, pag. 132.

Ex electione Beatiſſimæ Virginis ad Maternitatem Dei, & Diſcipulorum ad Apoſtolatum probatur, electionem ad gloriam in omnibus fuiſſe gratuitam, ibid. num. 329.

Velit, nolit tenetur fateri Leſſius, vel Beatiſſimam Virginem non fuiſſe liberam in perfectiſſimis operibus: vel ex abſoluta Dei electione ante præviſa opera non lædi libertatem, pag. 133. num 330. & 331.

Ex hoc, quod è duobus parvulis unus moriatur baptizatus, alius non, probatur electionem eſſe pure gratuitam, ibid. num. 335.

Idem probatur ex hoc, quòd totus ſalvandorum numerus electus fuit ut eſſet una Chriſti ſponſa, ibid. num. 336. & 337.

Angelos non pertinere ad Chriſti ſponſam. Leſſius, ibid. num. 338.

Hanc Leſſij doctrinam ſuſpectam eſſe, probatur, pag. 134. num. 339. 340. & 341.

Objectionibus Leſſij reſpondetur, ibid. nu. 342.

Ex Dei omnipotentia oſtenditur electionem fieri ante præviſionem operum, ibid num. 343.

Idem convincitur. Primo, quid non poteſt eſſe in Deo prior voluntate dandi gratiam, iſtid. num. 344.

Secundò, quia ex homine, & non ex Deo penderet efficacia ſalutis; homo illam inchoaret; nec electio eſſet ſecundum Dei propoſitum, pag. 135. num. 346. 347. & 348.

Tertiò, quia bona opera ſunt dona Dei, & priùs eſt, Deum illa velle dare, quàm prævidere, ibid. 350.

Ad ultimam rationem reſpondent recentiores determinatione voluntatis, ratione priorem eſſe opere completo, & in illud priùs quodam modo influere arbitrium, quàm gratiam, ibid. num. 351.

Per hanc reſponſionem convenire recentiores in pluribus cum Semipelagianis oſtenditur, pag. 136. num. 353. 354. & 355.

Si electio non ſit omnino gratuita, probatur eſſe impoſſibilem, ibid. num. 356.

Nihil magis deberent Deo electi, quàm reprobi, ſi gratis non eligerentur, ibid nu. 357.

Ante meritorum præviſionem nihil magis velle Deum electis, quàm reprobis fatetur Leſſius, ibid. num. 358.

Ex hac Leſſij doctrina ſequi, Deum non magis elegiſſe Petrum quàm Judam; hominem priùs Deum eligere & ab alio ſe diſcernere, demonſtratur. ibid. nu. 359. & pag. 137. nu. 360.

In hac Leſſij, vel potius Caſſiani doctrina expugnanda, totus eſt Auguſtinus, pag. 137. num. 361.

Differentiam electi à reprobo referre in hominem contra ſcripturam & Sanctus eſſe, expreſſe docet D. Thomas, ibid. num. 362.

Digitized by Google

Index, primæ partis,

CAP. XXXII. Solvitur contrarium argumentum, quod à recentioribus opponitur ex Concilio Tridentino sess. 6. can. 20. p. 138.

Ex eo quòd promissiones æternæ vitæ ex concilio sint conditionatæ, conantur deducere recentiores, electionem ad gloriam esse conditionatam. ibid. n. 365.

Verbis, & non re dixerunt recentiores coram Clemente VIII. decretum eligendi ad gloriam esse absolutum, ibid. n. 367.

Ipsorum doctrina, illud decretum esse conditionatum, manifestè clamat. ibid. n. 369. & p. 139. n. 369.

Suam æquivocatione occultant in hac materia doctrinam. ibid. n. 370.

Argumentum à recentioribus ex concilio sumptum efficaciter contra ipsos retorquetur, & convincitur vel illos cum Calvino convenire, vel propositum eligendi ad gloriam esse absolutum, ibid. n. 371.

Decretum prædestinationis in multis differre à promissionibus, de quibus loquitur concilium, & hæc duo confundere recentiores, ostenditur, ibid. n. 372.

Damnatur Calvinus à Concilio, non ex eo quod decretum ad gloriam dixerit absolutum; sed quia præceptorum observationem negavit esse conditionatam, ibid. n. 373.

Sine fundamento contra decretum ad gloriam absolutum inducitur Concilium Tridentinum. pag. 140. n. 374.

CAP. XXXIII. Explicatur ampliùs vera intelligentia Concilij Tridentini in prædicto Canone 20. sess. 6. de justific. p. 140.

Damnatur Calvinus à Concilio, quia electionem ad gloriam auferentem humana merita statuit, ibid. n. 375.

Veritas Catholica contra Pelagianos tenet, prædestinationem non dicere ordinem ad merita sicut ad causam: contra Calvinistas affirmat, dicere ordinem ad illa sicut ad effectus, ibid. num. 376.

Cum Calvino potius conveniunt recentiores, quàm Thomistæ, ibid. n. 377.

Quid in Calvino damnet Concilium, aperitur, ibid. n. 378.

Promittit Deus hominibus gloriam, si servent mandata; sed quòd ea impleant, operatur efficaciter ejus gratia ex Aug. ib. n. 379. & 380.

Promissiones non solùm sub conditione hominibus factas tradit scriptura, sed & absolutas, firmas, & non ex hominis libertate, sed ex Dei gratia certas & implendas. p. 141. n. 381.

CAP. XXXIV. Solvuntur argumenta contraria, quæ ex S. P. Augustino inducuntur; & quod duplex sit electio ad gloriam ostenditur.

Distinctionem electionis ad gloriam quoad intentionem, & quoad executionem tradiderunt S. Augustinus & S. Thomas. pag. 142. num. 385. & 386.

Sententiam, quam tradidit Augustinus in libris ad Simplicianum, mutavit in libris contra Pelagianos. ibid. n. 388.

Plura accumulant recentiores ex Augustino, quæ contra ipsos militant, ibid. n. 389.

Falsò inducitur Augustinus ex lib. de prædest. sanct. pag. 143. n. 392.

Verbum *quia* non semper sumitur in sensu causali; sed aliquando in sensu allativo, ib. n. 393.

Duplex ex D. Thoma est Dei electio, æterna, qua prædestinamur; temporalis, qua vocamur. ibid. n. 395.

Truncatur Augustinus à recentioribus. ibid. num. 397.

Quod aliquis sit dignus, ut vocetur, non habet ex se, sed ex gratia secundum SS. Augustinum & Thomam. ibid.

CAP. XXXV. Alia argumenta ex ratione procedentia dissolvuntur. pag. 144.

CAP. XXXVI. Homines eligi ad certum gradum gloriæ ante prævisa merita. pag. 145.

Electionem ad determinatum gloriæ gradum tenent omnes, qui fatentur electionem fieri ante prævisa merita. ibid. n. 411.

Talis ad certum gloriæ gradum electio consentanea est Dei perfectioni, nec gratiæ, aut justitiæ, vel libertati repugnat. ibid. n. 412.

Certa & determinata media in ordine ad talem gloriæ gradum assequendum non possunt esse talia nisi ex efficaci intentione finis in tali quantitate. ibid. n. 413.

Ad hanc gloriam fuit electus homo, quam meritis obtinet. ibid. n. 414.

Electionem ad certum gloriæ gradum tradunt Augustinus & Bernardus. ibid. n. 415.

CAP. XXXVII. Quod Pater æternus absoluta voluntate vult, ut omnes quos ipse dat filio, absolutè salventur. pag. 147.

Non esse voluntatem Patris æterni, ut omnes salventur, quos dedit filio, defensarunt recentiores Lovanij. ibid. n. 421.

Eandem doctrinam tenet Molina, licet verbis eam occultare conetur. p. 148. n. 422.

Quod dati Christo à Patre salventur, non ex eo quod Pater velit, sed ex hoc, quòd homo liberè velit, procedere dicit Molina. ibid. n. 423.

Idem fatetur Suares, ibid. n. 424.

Non omnes esse à Patre Christo datos probatur. pag. 149. n. 426.

Nullam inter datos Christo à Patre, & non datos admittunt recentiores differentiam ex parte Dei, sed ex parte usus liberi arbitrij ibid. num. 427.

Pelagiani non negarunt, majorem esse Dei gratiam, dare auxilia eo tempore quo quis prævidetur perseveraturus, quàm alio: & tamen sunt damnati. ibid. n. 428.

Judas non fuit datus Christo à Patre. ibid. num. 429.

Nullum eorum, qui fuerunt dati Christo, periisse aut perire, clamat scriptura, testantur Augustinus & Prosper; & contra socios affirmat Molina. ibid.

Soli prædestinati dati sunt Christo. p. 150. num. 430.

CAP. XXXVIII. Patrem æternum absoluta voluntate velle, ut omnes, quos ipse dat filio, absolutè salventur, magis explicatur & confirmatur. pag. 150.

Negare, propositum salvandi esse absolutum ex parte Dei, & illud statuere conditionatum & ab humana voluntate dependens, Pelagianorum fuit principale fundamentum. ibid. num. 432.

Ex Concilio Arausicano convincitur, decretum prædestinationis esse independens ab hominum voluntate. ibid. num. 433. & p. 151. num. 434.

Evasiones recentiorum ad Concilij verba præcluduntur. ibid. num. 435.

Rationes,

Digitized by Google

Rationes, quibus probant recentiores, decretum salvandi esse absolutum, licet conditionatorum præsupponat præscientiam, adducuntur. ibid. num. 436. & seq.

CAP. XXXIX. Prædicta veritas magis explicatur; & argumenta opposita contra illam diluuntur. pag. 152.

Parùm sibi constare recentiores, ostenditur. ibid. num. 443.

Decretum Dei supponens præscientiam alicujus conditionis pendentis ab ipso est absolutum, conditionatum, si conditio pendeat à voluntate humana. ibid.

Quæ, in sui favorem adducunt recentiores ex Scriptura, & SS. Augustino & Thoma, ad rem non faciunt: cum de decreto conditionato non procedant. ibid. & n. 445.

In quo sensu dixerit Augustinus, prædestinationem esse præscientiam: & quomodo hoc contra recentiores militet, ostenditur. ibid. num. 446.

Quandonam decretum præsupponens aliquam conditionem sit absolutum; & quando conditionatum exemplis illustratur, pag. 153. num. 449.

Non est inconveniens admittere, decretum prædestinationis præsupponere aliquam conditionem, modò in sui efficacia ab hominis voluntate non dependeat, ibidem numero 449.

TRACTATVS TERTIVS,
DE PRÆDESTINATIONE.

CAPUT I. De nomine prædestinationis, & variis ejus significationibus, pag. 154.

Homo, gratia, & gloria dicuntur propriè prædestinata: solus homo propriè electus & dilectus, ibid. num. 2.

Quid destinare; quid dictio *præ* importent, ostenditur. ibid. num. 4. & 5.

Illud propriè destinatur in finem, quod non habet ex se, ut in illum tendat. pag. 155. num. 7. & 8.

Deus prædestinat ad æternam pœnam. ibid. num. 9.

Non prædestinat ad culpam. ibid. n. 10.

Prædestinatio ad æternam pœnam præsupponit præscientiam culpæ. ibid. & n. 11.

Prædestinatum dicitur illud, quod aliquod supernaturale præordinatur. ibid. n. 12.

Omnis prædestinationis effectus dicitur prædestinatus. ibid. num. 13.

Prædestinatio strictè sumpta dicit præordinationem creaturæ intellectualis in gloriam per certa & determinata media. pag. 156. n. 14.

Plures prædestinationis strictè sumptæ tradit definitiones Augustinus. ibid. num. 15.

Quam tradit D. Thomas, non discordat ab aliis Augustini. ibid. num. 16.

Gratiam & gloriam includit prædestinatio. ibid. & num. 17.

CAP. II. Unicam, & non multiplicem esse prædestinationem ad gratiam & gloriam, ostenditur. pag. 157.

Ex prædestinationis definitione demonstratur, illam esse unicam. ibid. num. 20.

Fundamenta Cornelij à Lapide tres admittentis prædestinationes adducuntur. ibid. n. 21.

Unam esse prædestinationem ex Apostolo, Augustino & D. Thoma probatur. ibid. n. 22.

Etsi Deus ordinaverit dare gratiam aliquam reprobis, propterea non sunt dicendi prædestinati ad gratiam. ibid.

Argumenta Cornelij à Lapide solvuntur, & ex ipso, nihil concludere, probatur. ibid. n. 23. & pag. 158. num. 24. & 25.

CAP. III. Quomodo se habeat prædestinatio ad gratiam. pag. 158.

Gratia ex Augustino est effectus prædestinationis; & prædestinatio gratiæ præparatio. ibid. num. 29.

Idem sentit D. Thomas. ibid. num. 30.

Gratia multipliciter dicitur sumpta pro amore & benevolentia Dei non est prædestinationis effectus. ibid. num. 31.

Nedum gratia justificans & Dei auxilia, sed & orationes, Evangelij prædicatio, & similia sunt prædestinationis effectus. pag. 159. n. 32.

Spiritus Sanctus nobis cum charitate datus; essentia divina unita intellectui beatorum ad effectus prædestinationis pertinent. ibid. n. 34.

Gratia unionis hypostaticæ prædestinationis causa est, non effectus. ibid. num. 35.

CAP. IV. De libro vitæ aliqua prænotantur. pag. 159.

De libro vel libris vitæ in multis scripturæ locis fit mentio. ibid. num. 37. & 38.

Per libros, certa & firma aliquorum notitia designatur. pag. 160. num. 40.

Per libros intelligit Beda vetus & novum testamentum, Augustinus electos & sanctos. ibid.

Augustini interpretatio defenditur contra recentiores. ibid. num. 41. & 42.

Non incongruè per libros intelligitur uniuscujusque judicandi conscientia, vel Dei firma notitia, qua in mente divina cujuscumque opera quasi scripta manent. ibid. num. 43. & 45.

Probabilius est non esse in Deo librum mortis. ibid. num. 49.

Ratio, quare in Deo non sit liber mortis, adducitur. pag. 161. num. 50.

In libro vitæ nedum electorum personæ,

Digitized by Google

Index, primæ partis,

ſed & omnia illorum opera ſcribuntur. ibid num. 53.

Quid per libros, qui præter librum vitæ, in Apocalypſi aperiendi dicuntur, intelligatur, explicatur. pag. 162. num. 56. 57. 58. & 59.

Qua ratione Chriſtus dicatur liber Dei explicat D. Thomas. num. 60.

CAP. V. De comparatione prædeſtinationis ad librum vitæ. pag. 163.

Cur liber vitæ, liber agni, viventium, Dei dicatur, explicatur. ibid. num 61.

Vox illa *vitæ* nedum æternam vitam, ſed & eſſentiam divinam poteſt ſignificare. ibid. numero 62.

Liber vitæ abſolutè ſumptus actus eſt ſpeculativus divini intellectus. ibid. num. 63. & 64.

Liber ad prædeſtinationem immediatè ſequitur. ibid. num. 65.

Nec magis nec minùs latè patet liber vitæ ſtrictè ſumptus, quàm prædeſtinatio. pag. 164. num. 66.

Quomodo ſtet, Dei notitiam, quæ dicitur liber vitæ, eſſe firmam; & aliquos dici deberi de libro vitæ. pag 165 num. 70. & 71.

CAP. VI. Quòd prædeſtinatio ſit certa, pag. 165.

Reſpectu quarum præcognitio poſſit dici certa, ibid num. 77.

Certitudo attendi poteſt in prædeſtinatione vel ex parte ſolius cognitionis, vel ex parte cauſalitatis & ordinis, ibid. num. 78.

Pelagiani & Semipelagiani prædeſtinationem certam eſſe certitudine cognitionis, non ordinis, dixerunt, ibid. num. 79.

Prædeſtinatorum numerum certum eſſe formaliter, non materialiter poſuerunt aliqui, ibid.

Numerum prædeſtinatorum certum eſſe non ſolùm formaliter, ſed etiam materialiter, probat D. Thomas ratione demonſtrativa, pag. 166. num. 81.

Quomodo unus dicatur accipere coronam alterius; explicatur, pag. 167. num. 84.

CAP. VII. Quòd prædeſtinatio ſit ſemper cum præſcientia conjuncta, pag. 167.

Quòd cum prædeſtinatione conjungatur præſcientia; tenent Catholici & Pelagiani, ibid. num. 85. & 86.

Inter Catholicos & Pelagianos magna fuit quæſtio, quæ præſcientia cum prædeſtinatione conjungeretur, ibid. num. 88.

Ad prædeſtinationis negotium neceſſariò præſupponitur aliqua ſcientia, & ſimplicis intelligentiæ, pag. 168. num. 89. & 90.

Nomine præſcientiæ, quæ ſemper cum prædeſtinatione conjungitur, non venit intelligenda ſimplicis intelligentiæ ſcientia, ibid. nu. 19.

Præſcientia multipliciter ſumi poteſt, ibid. num. 92.

Quid ſit præſcientia latè & generaliter ſumpta explicatur, ibid. num. 93. & 94.

Notitia præſcientiæ propriè dictæ traditur: & oſtenditur præſcientiam rei præſupponi ſaltem in genere cauſæ materialis ad prædeſtinationem: iſtam verò priorem eſſe in genere cauſæ finalis, ibid. num. 95. & pag. 160. nu 96.

In nullo genere cauſæ præſupponitur prædeſtinatio Chriſti ad eſſe ipſius, ibid. num. 67.

Aliæ præſcientiæ propriè dicto notiones traduntur, ibid. num. 99. & 100.

CAP. VIII. Quænam illa præſcientia ſit, quæ cum prædeſtinatione conjungitur, pag. 169.

De præſcientia, qua priùs cognoſcuntur homines; quam eligantur: vel de ea, quæ dilectionem & electionem præſupponit, & prædeſtinationem antecedit; loquuntur Patres, cùm præſcientiam, cum prædeſtinatione conjungunt, ibid. num. 102. & pag. 170. num. 103.

Tria circa Suaris opinionem conſiderenda, pag. 170. num. 105.

Præſcientiam abſolutam boni uſus futuri præſupponere prædeſtinationem docet Auguſtinus, & tradit Concilium Valentinum, ibid. num. 106. & pag. 171. num. 107.

Præſcientiam boni uſus conſtituit ſemper Auguſtinus poſt firmum divinæ voluntatis propoſitum, iibid. num. 109. 110. 111. 112.

Duplici prædeſtinationis decreto duplex præſcientia correſpondet, pag. 172. num. 113.

CAP. IX. Quòd prædeſtinatio non ſit primò & originaliter certa ſecundùm præſcientiam boni uſus, pag. 172.

Quinque modis, prædeſtinationem fieri poſſe ex prævisione meritorum, explicatur, ibid. num. 116.

Quoque ex his modis fiat prædeſtinatio, ponitur, merita eſſe cauſam, non effectum prædeſtinationis, ibid. 117.

Ponere merita prævisa eſſe rationem prædeſtinationis, eſt ponere ſecundùm D. Thomam gratiam dari ex meritis, & principium bonorum operum eſſe ex nobis, conſummationem ex Deo, ibid. num. 118. & pag. 173. num. 119. & 128.

De quolibet modo in particulari, quo prædeſtinatio ponitur, fieri ex meritis, oſtenditur gratiam dari ex meritis, ibid. num. 122. & ſequ.

CAP. X. Quòd prædeſtinatio non fiat ſecundùm boni uſus futuri præſcientiam, pag. 174.

Prædeſtinationem certam eſſe ex præſcientia, non ex divino propoſito, tenent omnes recentiores, ibid. num. 128.

Quatuor circa prædeſtinationem docent recentiores, ibid num. 129. 130. 131. & 132.

Hæc quatuor prius ſtatuiſſe Semipelagianos, probatur, pag. 175. num. 133. 134. 155. & 136.

Ex hoc ipſo, quòd ſuam ide prædeſtinatione ſententiam dixit Molina novam, & à ſe inventam, à Scholis eſſe eliminandam, probatur, ib. num. 137. & pag. 176. num. 138.

Quæ injuriosè in S. Auguſtinum protulit Molina, referuntur, ibid. num. 139.

Singula Molinæ verba expenduntur, ibid. nu. 140. 141. 142. 143. & pag. 177. num. 144.

SS. Auguſtinum & Thomam docuiſſe prædeſtinationem ſecundum propoſitum, & non ſecundùm præſcientiam fatetur Molina, pag. 177. num. 145.

Ex verbis Bellarmini & Molinæ convincitur, prædeſtinationem ſecundùm propoſitum eſſe fidem Eccleſiæ, ibid. num. 146.

Quam authoritatem habeat D. Auguſtinus in materia prædeſtinationis, aperitur, ibid. num. 147.

Hac ſuâ novâ doctrinâ, Molinam Pelagianorum, Lutheranorum & Calviniſtarum ſtabiliſſe dogmata, advertit Academia Lovanienſis, & probatur, ibid.

Recentiorum ſententiam coincidere cum Semipelagianis oſtenditur, pag. 178. num 148.

Diſcrimen

Digitized by Google

Index, primæ partis,

Discrimen à recentioribus assignatum esse nullum probatur, ibid. num. 150. 151. 152. & pag. 179. num. 153. & sequ.

Prædestinationem certam esse ex proposito, non ex præscientia ex Apostolo probatur, pag. 180. num. 162.

Duplex est certitudo, una cognitionis, alia ordinis, ibid. uum. 164.

CAP. XI. Quòd si prædestinatio est primò & originaliter certa ex præscientia boni quilibet usus; ille bonus usus præscitus est prædestinatio- pag. 181.

Idem est secundùm S. Prosperum prædestinationem fieri secundùm præscientiam, & propter præscientiam, ibid. num. 167. & 168.

Insigne D. Thomæ testimonium, quo in universum recentiorum doctrina eradicatur, expenditur, ibid. num. 169. & pag. 182. num. nis causa, 170. & sequ.

In sententiam, quam meritò damnat Suares, impingit ipse, pag. 185. num. 175.

Argumentum, quo prætendit Suares rationes Thomistarum in ipsos retorquere, & debilissimum & nullum esse, evidenter convincitur, ibid num. 177.

Lessij evasio præcluditur, & quod inaniter dicit, esse scripturæ & Patribus conforme, probatur illis esse contrarium. ibid. n. 179. & pag. 184. n. 180. & 181.

CAP. XII. Quod si prædestinatio fiat certa secundum boni usus præscientiam; ipsa non fiat per liberam electionem prædestinantis. pag. 184.

Ex recentiorum dictis convincitur, prædestinationem formaliter sumptam esse in Deo necessariam, non liberam. ibid. num. 182. & 183.

Idem ex sententia Suares sequi probatur. pag. 185. num. 184.

D. Thomas siniſtrè interpretatur. ibid. num. 186.

Vera D. Thomæ intelligentia traditur à Suare. ibid n. 187.

CAP. XIII. Quod talis præscientia boni usus sit causa meritoria saltem de congruo, & secundum pietatem ipsius prædestinationis. pag. 186.

Si detur causa prædestinationis, convincitur manifestè illam esse prædestinationis meritoriam. ibid. n. 189.

CAP. XIV. Quod ille bonus usus non solum sit conditio; sed vera causa meritoria aliquo modo prædestinationis ponatur. pag. 187.

Sententiam negantem omnem causam, omne meritum, & conditionem ex parte hominis, dixit Bellarminus docuisse Patres & pertinere ad fidem. ibid. n. 195.

Ex verbis Molinæ convincitur ipsum nedum conditionem, sed veram rationem & causam prædestinationis posuisse ex parte hominis. pag. 188. num. 196.

Liberum arbitrium causam esse per se efficacitatis gratiæ tenet Vasques, & suos hoc negantes reprehendit. ibid. num. 197.

Rationibus probatur quod bonum usum præviſum ponunt recentiores causam gratiæ. ibid. num. 198. & 199.

Argumentum recentiorum diluitur. p. 189. num. 201.

Becani sententia meritò exsibilatur. ibid. num. 203.

CAP. XV. Quod ille bonus usus præviſus non solùm conditio, sed vera causa prædestinationis meritoria aliquo modo ponatur. pag. 189.

Particularis modus Suaris, quo Molinam nititur excusare, refertur. ibid. num. 204.

Verbis, & non re negare Suarem, dari ex parte hominis causam prædestinationis, aperte monstratur. pag. 190. n. 205. & 206.

Tria quæ ponit Suares efficaciter contra ipsum retorquentur. ibid. num. 207.

Auxilium excitantis gratiæ esse in sententia recentiorum efficax à cooperatione arbitrij sicut à causa probatur. pag. 191. num. 208. 209. & 210.

Non resistentiam vocationi non posse esse causam, vel conditionem prædestinationis, ostenditur. ibid. n. 211. & seq.

CAP. XVI. Hoc ipsum magis explicatur, & quod non resistentia vocationi non sit ratio prædestinationis, ostenditur. pag. 193.

Notanda recentiorum assertio refertur. ibid. num. 217.

Tria circa illam consideranda ibid. n. 318.

Falso imponunt Doctoribus recentiores. ibid. n. 319.

Nedum prædestinationis, sed & quod homo constituatur in tali rerum ordine in quo prævidetur operaturus, dari ex parte hominis causam, ponere recentiores, demonstratur. ibid. num. 321. & pag. 194. num. 322. & 323.

Omnes electos debere dici in sententia Molinæ prædestinatos ex bono usu arbitrij præviso probatur. pag. 195. n. 324.

CAP. XVIII. Hoc ipsum ex aliis hujus sententiæ defensoribus aperitur. pag. 196.

Singularis Suaris opinio, qua sociorum temperat doctrinam & Semipelagianorum putat vitare errores refertur & explicatur. ibid. n. 326. 327. 328. & 330.

Semipelagianorum est damnata sententia, prædestinationem fieri propter bonum usum arbitrij præviſum benè ex se utentis adjutorio gratiæ. pag. 197. n. 331.

CAP. XIX. Bonum usum sub conditione præviſum non solùm finem, sed reipsa meritum constituti prædestinationis à recentioribus. pag 197.

Conclusio probatur authoritate Patrum. pag. 198. n. 335. & seq.

Si minimum quid ex parte hominis præviſum admisissent Patres, intentum habuissent Semipelagiani. ibid. n. 342.

Per modum dicendi Suaris omnia Patrum argumenta contra Semipelagianos facta enervantur. ibid. n. 443.

Bonum usum præviſum nedum causam finalem, sed & meritoriam constitui probatur. pag. 199. n. 344.

Id ad hominem magis ostenditur. ibid. num. 345.

Exemplis illustratur. ibid. n. 346.

Meritum de congruo in bono illo usu præviso ponit Molina. ibid.

Id ex sententia recentiorum sequi argumento D. Thomæ & rationibus ostenditur. ibid. n. 347. 348. & 349.

Omne genus causæ prædestinationis ex parte hominis negant concilia & Patres. ibid. num. 350.

Dato quod bonus usus esset solum finis, hoc non posse sustineri, probatur. p. 200. n. 351.

CAP. XX.

Digitized by Google

Index, primæ partis,

CAP. XX. Oppoſita argumenta ſolvuntur. pag. 206.

In prædeſtinatione alius eſt finis ex parte Dei, alius ex parte hominis, ibid. num. 313.

Numquam Scriptura aut Patres dixerunt, dari ex parte hominis cauſam prædeſtinationis, ibid. num. 354.

Hæc duplicis finis diſtinctio colligitur ex D. Thoma. ibid. num. 355.

Oppoſitum illius, quod ex Apoſtolo prætendit Suares, haberi ex verbis Apoſtoli cum Auguſtino probatur. pag. 101. num. 356.

Siniſtrè citat Auguſtinum prædictus author. ibid. num. 357.

Decipitur, dum in ſua ac Thomiſtarum ſententia, idem dicendum eſſe, affirmat. ibid. num. 358.

CAP. XXI. Alia ex prædeſtinatione ſecundùm præſcientiam deducuntur inconvenientia. pag. 202.

Sententiam recentiorum, quæ bonum uſum arbitrij præſcitum, & non prædeſtinati tantùm ponit poſt Concilia & Patres damnat D. Thomas. ibid. num. 359. & 360.

Ex recentiorum opinione ſequi tolli libertatem, vel contra Apoſtolum unum ſe ab alio diſcernere, probatur. ibid. num. 361. & pag. 203. num. 362. & 363.

Ex prædeſtinatione ſecundùm præſcientiam, Deum prædeſtinare ad culpam inferunt PP. Auguſtinus, Proſper & Fulgentius. pag. 103. num. 365. 366. & 397.

Sanctorum illatio ratione probatur. ibid nu. 368. & pag. 204. num. 369. 370. 371.

Impoſſibilem eſſe prædeſtinationem in ſententia recentiorum, oſtenditur. ibid. nu. 372.

CAP. XXII. Quòd prædeſtinatio ſecundùm iſtam præſcientiam non ponatur ab his authoribus neceſſaria, ut quis abſolutè juſtificetur, atque ſalvetur. pag. 204.

Poſſe hominem abſolutè ſalvari & juſtificari, etiam ſi nulla eſſet in Deo prædeſtinatio, fatentur Suares & Molina. ibid. num. 373. & 205. num. 374. 375. & 376.

Suarem ſibi non conſtare, oſtenditur. num. 377.

Neceſſariam omnino eſſe prædeſtinationem tenent Patres, & convincitur ex Auguſtino. ibid. num. 38. & ſeq.

CAP. XXIII. Eadem ſententia concedens ſine prædeſtinatione evenire poſſe abſolutè & ſimpliciter totum effectum prædeſtinationis ſecundùm ſe ſpectatum, ampliùs confutatur. pag. 207.

Neceſſariam eſſe prædeſtinationem, ut quis ſalvetur, probat D. Thomas. ibid. num. 386. 387. & 388.

Idem rationibus convincitur. num. 379. 390 & 391. & pag. 208. num. 392. & ſeq.

Quam cenſuram mereatur hæc recentiorum opinio, prudenti Theologorum judicio relinquitur. pag. 209. num. 401.

CAP. XXIV. Si prædeſtinatio fiat ſecundùm boni uſus præſcientiam, fiet ſecundum propoſitum hominis non Dei. pag. 209

Idem omnino eſſe, prædeſtinationem fieri ſecundùm præſcientiam & ſecundum propoſitum hominis, aperitur. ibid. num. 403.

Prædeſtinationem fieri ſecundùm hominis propoſitum, qui expreſſis verbis aſſerant, referuntur. ibid. num. 404. & 405.

Hæc ſententia fuit ex fauſto Semipelagiano deſumpta, cujus doctrinam publicè Lovanij legerunt quidam recentiores. ibid. num. 406.

CAP. XXV. Quòd electorum prædeſtinatio fiat ſecundùm firmum propoſitum Dei probatur tum ex Apoſtolo, tum ex S. P. Auguſtino. pag. 210.

Evidentibus Apoſtoli & D. Auguſtini teſtimoniis probatur aſſertum. ibid. num. 407. & ſeq.

CAP. XXVI. Quòd electorum prædeſtinatio fiat ſecundùm propoſitum Dei probatur tum ex aliis Patribus, tum ex rationibus Theologiis. pag. 211.

Qui, ex antiquis & modernis tenent prædeſtinationem fieri ſecundùm firmum Dei propoſitum referuntur. ibid. num. 412. 413.

Petri Diaconi & Sociorum fidei confeſſio id probat. pag. 212. num. 414

Triplici ratione ex Auguſtino deſumpta idem efficaciter convincitur. ibid. num. 416. 417. & 418.

CAP. XXVII. Præcluditur quædam evaſio contra rationes prædictas, earumque efficaciam excogitata. pag. 212.

Ponere prædeſtinationem pendere à præſcientia ſive tanquam à cauſa, ſivè tanquam à conditione, idem eſt error. pag. 213. nu. 420.

Qui præſcientiam boni uſus cauſam, vel conditionem prædeſtinationis admittunt, inter ſe non differunt. ibid. num. 421.

CAP. XXVIII. Proponuntur recentiorum argumenta, pro ſuadenda prædeſtinatione ſecundùm præſcientiam, ex ſacris literis. pag. 213.

Prima & ſecunda eâdem ſolutione diluuntur. ibid. num. 424. & 426.

Ad illud Apoſtoli, *Quos præſcivit & prædeſtinavit, &c.* Duas falſas adhibent interpretationes Pelagiani & Semipelagiani. pag. 214. num. 428.

Nullo modo prædictum teſtimonium favere recentioribus, oſtenditur. ibid.

Prima hujus loci intelligentia Catholica à D. Thoma. ibid. num. 429.

Secunda à S. Fulgentio. ibid. num. 430.

Tertia à SS. Auguſtino, Fulgentio & Anſelmo. ibid. num. 431.

Quarta à SS. Fulgentio & Thoma. pag. 215. num. 432.

Alterius Apoſtolici teſtimonij vera intelligentia traditur. ibid. num. 434.

CAP. XXIX. Proponuntur argumenta ex authoritatibus SS. Patrum deſumpta ad ſtabiliendam prædeſtinationem ſecundùm illam præſcientiam boni uſus. pag. 215.

Præmittitur, quinam libri falsò Patribus adſcribantur. ibid. num. 438.

Scholia in Epiſtolas Pauli, Hieronymo, & Epiſtolam ad Rom. Ambroſio falsò attribuuntur. ibid. & pag. 216. num. 439. & 440.

Auguſtino Epiſtola ad Demetridem, liber de Eccleſiaſticis dogmatibus, de prædeſtinatione & gratia, & de prædeſtinatione Dei. ibid. num. 441. & 443. & pag. 217. num. 447. & 450.

Proſpero carmem de providentia. pag. 217. num. 453.

CAP. XXX. Authores adducuntur, qui in hac materia admittendi non ſunt. pag. 217.

Fauſtus, quem immerito inter Patres nominant

Digitized by Google

nant recentiores, à Summis Pontificibus damnatur. ibid.n.456.

Pelagij doctrinam, Origenis ramusculum vocat Hieronymus. pag.218.n.457.

Theodoretus Theophylactus & Oëcumenius in hac materia non sunt audiendi. ibid. num.458. 459. & 460.

CAP.XXXI. Quòd sancti Patres antiqui non constituant prædestinationem secundùm præscientiam boni usus. pag.218.

Clemens Romanus ad propositum non adducitur à recentioribus. ibid.n.463.

Sinistrè etiam inducunt D. Dionysium, & ex illo consequentias nullas deducunt. pag.219. n.467. & 469.

Irenæus magis Thomistis quàm recentioribus favet. ibid.n.470.

Quæ ex Cyrillo opponunt nihil probant. pag.220. n.471.

Vera Damasceni intelligentia traditur à D. Thoma. ibid.n.474.& 475.

Difficultas quæ ex explicatione quam adhibet D.Thomas Damasceno, insurgit, ex eodem D. Thoma resoluitur & Augustinus & Hieronymus conciliantur. pag.221.n.476.

CAP.XXXIII. Opponunt recentiores ex Chrysostomo pro stabilienda prædestinatione secundum præscientiam boni usus. pag. 221.

Omnia D.Chrysostomi ad tres classes reducuntur: & quæ primò ex ipso adducuntur absque ratione adduci, probatur. ibid.n.479.

Chrysostomum Pelagianorum errores tenuisse, temerè affirmant aliqui. ibid.n.480.

Expenduntur Chrysostomi testimonia, quæ prædestinationem secundum præscientiam videntur apertè constituere. ibid. num. 481. & seq.

CAP.XXXIV. Quòd S. Chrysostomus non teneat prædestinationem secundùm hujusmodi boni usus præscientiam. p.222.

Cautè legendos esse Patres græcos monet Jansenius in concordia, & alij. ibid. n.484.

Generali solutione ad omnia ex Patribus græcis desumpta argumenta respondet D. Augustinus. ibid.n.485.

Quatuor circa D. Augustini solutionem considerare debent recentiores. ibid. n.486.

Quod Thomistis opponunt recentiores ex Patribus græcis, fuit olim à Massilienſibus D. Augustino objectum. ibid.

Prætextu doctrinæ aliorum Patrum non licet à sententia D.Augustini in materia prædestinationis recedere. pag.223. num.487.

Alia Patribus græcis adhibetur à S. Augustino solutio. ibid.488.

Veram Patrum græcorum intelligentiam tradidisse Augustinum, probat epistola Episcoporum Ægyptiorum in Synodo congregatorum; in qua præscientiam sequi ad prædestinationem affirmant. ibid.n.489.

Duæ aliæ Patribus græcis adhibentur solutiones. ibid.n.490. & 491.

CAP. XXXV. In particulari dicta S. Chrysostomi enucleantur, ac declarantur. pag.224.

Explicationem Thomistarum ad Chrysostomum tradit Cardinalis Toletus. ibid.n.495.

Quatuor circa Chrysostomi testimonium notanda. ibid.n.496.

CAP.XXXVI. Quòd S.Hieronymus non faveat prædestinationi secundùm præscientiam boni usus. pag. 225.

Doctrinæ recentiorum omni ex parte adversatur Hieronymus. ibid. n.497.& 498.

Præcipuum & fundamentale recentiorum argumentum soluit Hieronymus & bonum usum arbitrij esse ex efficacia gratiæ perpetuò docet. ibid.n.499.

Quæ opponunt recentiores ex Hieronymo in epist.ad Rom.& ad Gal.D.Hieronymi sunt. ibid. n.501.

In hoc eodem loco, quem recentiores opponunt ex libris contra Pelagianos, prædestinationem secundùm propositum tradit Hieronymus. pag.226.n.502.& 503.

Alia duo ex Hieronymo opposita nihil probant. ibid.n.505. & 506.

Quæ ex Hieronymo videntur quamdam præ se ferre difficultatem, explicantur. pag. 227. num.508. 509. & 511.

CAP.XXXVII. Quòd nec S.Ambrosius, nec S.Anselmus prædestinationem constituant secundùm hujusmodi præscientiam boni usus. pag. 227.

Ad primum Ambrosij testimonium respondetur illa commentaria non esse D. Ambrosij. ibid.num.514.

Respondetur secundò triplici responsione unâ ex D.Thoma desumpta aliâ ex ratione, altera ex D. Augustino. ibid. & pag.228. num. 515.

Secundi Ambrosij testimonij vera intelligentia traditur. ibid.num.518. & 519.

Divum Anselmum stare pro prædestinatione secundum propositum ex ejus verbis manifestè probatur. pag.229.num.523.& seq.

CAP. XXXVIII. Quod S. Augustinus nullo modo constituat prædestinationem secundùm præscientiam boni usus. pag.230.

Definitionem prædestinationis ab Augustino traditam contra S. Doctoris mentem interpretari recentiores fatetur Lessius & ex Augustino manifestè convincitur. ibid.num.537. & pag.231.num.538.cur præscientiam in definitione prædestinationis apposuerit Augustinus, aperitur. ibid.num.540.& 541.

Præscientiam non esse essentialiter prædestinationem sed ad illam sequi tradit Augustinus. pag.232. num.542.

Cur priùs præscientiam apposuerit Augustinus, quàm præparationem beneficiorum Dei ex ipso Augustino declaratur. ibid.n.543. 544. & 545.

Alia quæ ex Augustino objiciuntur ex ipsius doctrina solutionem habere monstratur. ibid. num.548. & seq.

Recentiorum Magister Molina discipulis syncerius loquens fatetur, prædestinationem esse mente S.Augustini secundùm Dei propositum. pag.234.num.558.

CAP.XXXIX. Quod nec S. Prosper, nec S.Fulgentius, aut D. Hilarius faveant prædestinationi secundum præscientiam boni usus. pag.234.

D. Prosperum docuisse prædestinationem secundum propositum luce clarius demonstratur. ibid.n.560.

Rogat Augustinum, ut ostendat quantùm periculi sit in sententia quæ prædestinationem secundùm præscientiam ponit. ibid.

Prædestinationis secundum propositum impugnatores, elationis Pelagianæ adjutores dicit. ibid.

Digitized by Google

Index, primæ partis,

Quod ex ipso opponun- recentiores illis minime favere ex S. Doctore probatur. pag. 235. num. 565.

Qui Dei prædestinationem gratuitam non admittunt, ad numerum electorum nos non pertinere, dicit Fulgentius. pag. 236. nu. 568.

CAP. XL. Quòd S. Thomas nunquam docuit prædestinationem fieri secundùm illam boni usus præscientiam. pag. 236.

Plura, quæ ex D. Thoma opponunt recentiores, vel ad propositum non facere, vel ex falsa ejus intelligentia procedere, ostenditur. ibid. num. 570. & seq.

Argumentum, quo gloriantur recentiores, ex D. Thoma evidenter inferre prædestinationem secundum præscientiam, frivolum esse probatur. pag. 237. num. 581. & seq.

CAP. XLI. Quòd Scholastici non doceant prædestinationem secundùm illam boni usus præscientiam. pag. 239.

Authores pro prædestinatione secundum præscientiam citant, quos nec nominare debebant. ibid. num. 586. 587. 588. 589. 590. 591. 592. & pag. 240. num. 595.

Joannes Major falsò citatur. pag. 239. num. 593.

Nec Driedo nec Taper recentioribus favere probatur. pag. 240. num. 598. & 599.

D. Bonaventuram non docuisse prædestinationem secundù præscientiam ostenditur. ibid. num. 600.

Quatuor dictis Scholasticorum adhibentur explicationes. ibid. num. 601. & pag. 241. num. 602.

Hisdem & quidem egregiis verbis, quibus Patrum testimonia explicat D. Augustinus, Scholasticorum opiniones enucleantur. ibid. num. 603.

Falsò citatur Alexander Alensis. ibid. num 602.

Albertus Magnus gratiam ex se efficacem defendit. ibid. num. 605.

CAP. XLII. Rationes proponuntur induci solitæ à defendentibus prædestinationem secundùm illam mediam præscientiam. pag. 241.

Omnia recentiorum argumenta pro prædestinatione secundùm præscientiam ad sex capita reducuntur. ibid. num. 608.

Ultimum argumentum de ablatione libertatis urget Suares. pag. 242. num. 609. & seq.

CAP. XLIII. Prædictæ rationes militantes pro prædestinatione secundùm præscientiam boni usus, in suos authores retorquentur. pag. 242.

Primum à recentioribus deductum inconveniens, quòd Dei bonitate sit indignum ante prævisionem alios prædestinare, alios reprobare contra ipsos efficaciùs urget. ibid. num. 612.

Alia ab ipsis deducta inconvenientia contra illos æque militare, manifeste convincitur. pag. 243. nu. 613. 614. 615. 616. 617. & 618.

Omnia contra prædestinationem secundùm propositum argumenta in suos retorquet authores Augustinus. ibid. num. 618.

Prædestinationem secundùm scientiam mediam reprobat Lessius. ibid. num. 619.

Duriorem dicit predestinationem secundùm scientiam mediam, quàm secundum propositum. pag. 244. num. 621. & seq.

CAP. XLIV. Quòd argumenta prædicta, pro stabilienda prædestinatione secundùm illam boni usus præscientiam fuerunt prius à Pelagianis & Semipelagianis constructa. pag. 245.

Omnia recentiorum argumenta quæ contra prædestinationem secundùm propositum opponunt ex Pelagianorum officina prodire ex Augustino manifestè probatur. ibid. num. 624. & seq.

Ad hæc debabant attendere recentiores. ibid. num. 629

CAP. XLV. Prædictæ rationes refelluntur. pag. 246.

Ad primam, qua putant, per prædestinationem secundùm propositum Deum constitui crudelem, respondet Augustinus, & exemplo parvulorum nullam esse demonstrat. ibid. num. 632.

Divina judicia non esse curiosè perscrutanda monet & egregiè probat Chrysostomus. ibid. num. 633.

Cur in Deo non sit crudelitas, quòd absque prævisis meritis, alium prædestinet, alterum reprobet, ratio redditur. ibid. num. 634.

Hoc recentiorum argumentum contra SS. Augustinum, Thomam, imo & contra Apostolum procedere, probatur. pag. 247. nu. 635.

CAP. XLVI. Aliæ recentiorum objectiones contra prædestinationem ex firmo Dei proposito dissolvuntur, præsertim illa, quæ procedit ex injusta Dei querela. pag. 247.

Hominem justè corripi, quòd non bene agat, probat Augustinus. ibid. num. 637.

Qua ratione conqueratur Deus de reprobo, qui salutem amittit, explicatur ex D. Thoma. pag. 248. num. 639.

Prædestinationem secundum propositum non tollere exhortationes & incitationes, sed illas statuere, probant Augustinus & Prosper. ibid. num. 643.

Ex immutabilitate divini propositi deducere, peccatores non esse hortandos, vel non esse orandum, idem est, ac dicere, non esse comedendum ut nutriamur, ait D. Thomas. ibid. num. 644.

Ex prædestinatione secundùm præscientiam, tolli orationis necessitatem, probatur. pag. 249 num. 645.

Ex prædestinatione secundùm propositum, non præberi hominibus occasionem corporis, sed potius operandi salutem cum tremore, ex Apostolo probatur. pag. 249. num. 646.

Qui prædestinationem secundùm præscientiam constituunt, infirmitati suæ, quàm firmitati promissionis Dei malle se comittere; & spem suam in seipsis, non in Deo ponere, dicit S. Augustinus. ibid. num. 647.

Qvòd nullus possit conqueri, quod ex prædestinatione non acceperit ut bene operaretur, probatur. ibid. num. 648.

Sicut qui ex incommutabili divinæ providentiæ ordine absurdè quis inferret non esse arandum, studendum, &c. Vita non minus absurdè ex prædestinatione secundùm propositum deducunt recentiores non esse de salute curandum. pag. 250. num. 649.

CAP. XLVII. Argumentum illud tristissimum de ablatione libertatis expositione formæ prædestinationis secundùm Dei propositum, ex doctrina Patrum diluitur. pag. 250.

Pluribus ostendit Hieronymus argumentum illud frivolum esse. ibid. num. 650.

Per

Digitized by Google

Index, primæ partis.

Per Dei gratiam non tolli liberum arbitrium, se in meliùs mutari & in Deo sicut in petra stabili firmari, docet Augustinus. p. 251. num. 651.

Argumentum illud, superbientium ineptam quærimoniam vocat D. Prosper. ibid.

CAP. XLVIII. Scholasticè prædictum argumentum de ablatione libertatis dissoluitur. pag. 251.

Ex hoc, quòd homo non habeat in suâ potestate prædestinationem, & quod eâ posità non possit aliter operari inferre quòd non habeat libertatem argumentum fuit à Pelagianis interminis factum. pag. 252. n. 657.

Non posse efficacius liberum arbitrium tolli, quam negando ipsum efficaciter à Deo moveri probatur. ibid. num. 660.

CAP. XLIX. Quòd ex adultis purè viatoribus nullus sine sua libertate salutem fuerit consecutus. pag. 253.

Refertur sententia Valentiæ dicentis aliquos sine libertate fuisse salutem consecutos. ibid. num. 664.

Confirmatos in gratia potentiam ad peccandum non habere tenet Valentia in hoc Molinæ & consortibus contrarius. pag. 254. num. 665.

Quid sit, & in quo sita sit in gratia confirmatio, explicatur. ibid. num. 669.

Valentiæ sententiam contradictionem involuere probatur. pag. 255. num. 671. 672. & 673.

Dato quod confirmati in gratia potentiam ad peccandum non habuerin, malè intulisse Valentiam, eos salutem sinet libertate consecutos fuisse, probatur. ibid. num. 674. & pag. 256. num. 675.

Confirmatio in gratia non cadit sub merito. ibid. num. 677.

TRACTATVS QVARTVS,

DE REPROBATIONE.

CAPUT I. Refertur prima sententia circa materiam reprobationis. pag. 257.

Calvinistarum & Pelagianorum errores in hac materia referuntur. ibid. num. 3.

Quid sentiat Scotus, refertur. ibid. num. 4. & 5.

Per negativam reprobationem non minus Angelos & homines excludi à gloria, quàm per actum positivum, probatur contra Scotum. pag. 258. num. 8.

Semipelagiani sententiam, quæ reprobationem ante operum prævisionem statuit, primi ut impiam & hæreticam damnarunt. ibid. num. 10.

His adhærent recentiores. ibid. num. 11.

Eorum fundamenta adducuntur. ibid. n. 12. & pag. 259. num. 13. & 14.

CAP. II. Secunda de reprobatione sententia recensetur. pag. 259.

Recensentur qui nullam ex parte reprobi causam demeritoriam dari sustinent. ibid. num. 15.

Ex D. Thoma id probant primò. ibid. & n. 16. & 17.

Secundò ex Apostolo. n. 19.

Tertiò quia id exigit manifestatio divinæ justitiæ. ibid. n. 10.

Quartò quia omnium effectuum reprobationis ex parte reprobi non datur causa. pag. 260. num. 21.

Quintò quia Angeli ex sola Dei voluntate faciunt reprobati. ibid. num. 23.

Reprobationem fieri propter peccatum originale docet Augustinus. ibid. num. 24.

CAP. III. Propria reprobationis ratio explicatur. pag. 260.

Totius reprobationis processus explicatur. ibid. num. 29.

Reprobatio nedum præscientiam, sed & causalitatem importat. pag. 261. num. 30.

Reprobatio non dicit meram negationem. ibid. num. 31.

Quatuor circa reprobum consideranda permissio peccati, peccatum, derelictio in ipso, & æterna damnatio: hæc excepto peccato sunt reprobationis effectus, ibid. n. 32.

Reprobationis definitio traditur. pag. 262. num. 37.

Status quæstionis aperitur & ad hoc devoluitur an ex parte hominis permissionis peccati detur causa. ibid. n. 39. & 40.

Peccati permissio multiplex assignatur. ibid. num. 41.

CAP. IV. Quod permissio in originale peccatum non sit effectus reprobationis. pag. 262.

Ex D. Thomæ doctrina probatur permissionem peccati non fuisse reprobationis effectum. ibid. n. 44.

Id omnes D. Thomæ discipulos fateri debere, convincitur. pag. 263. n. 45.

Ad hominem idem ostenditur. ibid. n. 46.

Ex adversariorum sententia probatur, sequi Adam & genus humanum in illo fuisse reprobatum. ibid. n. 47.

Certius est, permissionem originalis peccati non esse reprobationis effectum, quàm primam gratiam Adæ collatam effectum prædestinationis Christi non fuisse. pag. 264. n. 49.

Digitized by Google

Index, primæ partis,

Aliquorum discipulorum D. Thomæ distinctio de duplici permissione peccati originalis adducitur & explicatur. ibid. num. 51. 52. & 53.

Impossibilitas duplicis illius permissionis probatur, & sub nulla ratione peccati originalis permissionem posteriorem esse Christi prædestinatione, ostenditur. ibid. num. 55. & pag. 265, num. 56. & 57.

Ante Christi prædestinationem nedum prævidebat Deus peccatum originale ut delendum sed etiam ut causa demeritoria. pag. 265. num. 58.

Permissionem actualis peccati, non originalis effectum esse reprobationis probatur. ibid. nu. 59. & 60. & pag. 266. num. 61. & 62.

Argumentum, quo putant adversarij convinci, permissionem originalis peccati esse reprobationis effectum, probatur nullum esse. ibid. num. 63.

Oppositio ex D. Thoma diluitur; & quis tam in adultis, quàm in parvulis, fidelibus sit primus reprobationis effectus, aperitur. ibid. num. 65. & seq.

CAP. V. Quòd permisso passiva actualis peccati, propter quod qui damnatur, sit effectus reprobationis. pag. 267.

In omni adultorum reprobationes, tres, in parvulorum duo solùm sunt reprobationis effectus. ibid. num. 70.

Probatur in particulari, permissionem peccati actualis esse reprobationis effectum. ibid. num. 71. 72. & 73.

Objectio contra prædicta soluitur; & qualem inter se ordinem causalitatis habeant permissio peccati, derelictio in ipso, & propter ipsum punitio, aperitur. pag. 268. num. 76.

CAP. VI. Quòd actuale peccatum præviſum non sit reprobationis causa. pag. 268.

Conclusionem ex Apostolo probat efficaciter Augustinus. ibid. num. 77. 78. & pag. 269. num. 79.

Recentiorum quædam evasio ad Apostoli testimonium, priùs in Pelagianis impugnavit Augustinus. ibid. num. 81.

Idem ex D. Thoma probatur. pag. 270 nu. 85. & 86.

Oppositio quædam ex D. Thoma diluitur ibid. num. 89.

Hujus quòd est, aliquos in particulari esse prædestinatos, alios reprobos, nullam dari causam nisi divinam voluntatem, affirmat D. Thomas. ibid. num. 90.

Actuale peccatum præviſum non esse reprobationis causam, ratione probatur. pag. 271. num. 92.

CAP. VII. Quòd peccatum actuale præviſum non sit reprobationis causa, amplius ostenditur, præsertim ratione desumpta ex S. P. Augustino. pag. 271.

Ex reprobatione facta ex præscientia mali usus arbitrij, infert Augustinus prædestinationem fieri ex bono usu arbitrij præviſio. ibid. num. 93.

Hanc S. P. Augustini illationem optimam esse probatur contra aliquos Thomistas. ibid. num. 94. & sq.

CAP. VIII. Solvuntur argumenta contraria superius inducta ad probandum peccatum actuale præviſum esse reprobationis causam. pag. 272.

Sententiam mutavit Magister Soto. pag. 273.

CAP. IX. Quòd splendor divinæ justitiæ sufficiens causa fuerit reprobationis malorum. pag 283.

Multos in malorum reprobatione fines potuit habere Deus, sed præcipuus fuit divinæ justitiæ manifestatio. ibid. num. 109.

Ex divinæ justitiæ in reprobis manifestatio, in prædestinatis magi, splendet misericordia. ibid. num. 110.

Æterna punitio non est finis per se primò intentus à divina voluntate. pag. 274. num. 111.

Reprobatio hîc non sumitur pro punitione æterna, sed pro exclusione à regno.

Divinæ justitiæ manifestationem posse esse sufficientem reprobationis causam, rationibus probatur. ibid. num. 113. 116. 117. & 118.

Ratio, quare Reipublicæ moderator teneatur, si possit omnia peccata impedire, Deus verò non, redditur. ibid. num. 121.

Deum, & si reprobet, ut justitiam suam manifestet, non creare homines, ut damnentur, ostenditur. pag. 275. num. 123.

Sicut in aliquibus Angelis divina misericordia, in aliis justitia divina manifesta fuit; sic in hominibus debere fieri, aperitur, ibid. num. 125.

Ex reprobatione facta secundùm Dei voluntatem, non sequitur reprobis non dari auxilia sufficientia. ibid. num. 126.

CAP. X. Quòd Deus æternam filiorum damnationem non permittit propter peccata parentum. pag. 275.

Crudelius esse, Deum propter peccatum parentum filios damnare, quàm reprobare ad justitiæ suæ manifestationem, contra recentiores probatur. ibid. num. 128. & 129.

Crudelitatem, quam à Deo conantur auferre recentiores, ipsi attribuunt. ibid.

Deum propter parentum peccata non permittere filiorum peccata, nec illorum æternam damnationem, ex scriptura probatur. pag. 276. num. 130.

Recentiorum responsio, ex scriptura confutatur. ibid. num. 131.

Neminem in spiritualibus sive in futuro sæculo puniri propter alterius peccatum, docet D. Thomas. ibid. num. 132. & 133.

Parentum peccata filiis non imputari, nec propter ipsa posse damnari, docent Patres. ib. num. 134.

Prohibetur, ne filius propter Patris peccatum cui non communicavit, excommunicetur. ibid.

Ex eo quòd filius non sit aliquid Patris secundùm animam, probat D. Thomas, non posse filios propter parentum peccata in spiritualibus puniri. ibid. num 135.

Unum propter peccatum alterius puniri pœna temporali, docent Patres. pag. 277.

Id tribus modis posse evenire docet D. Thomas. ibid. num. 139.

Peccatis filiorum punit aliquando Deus peccata parentum, ibid. num. 139.

CAP. XI. Quòd peccatum originale fuerit ex parte reproborum, reprobationis causa demeritoria, ex S. P. Augustino probatur. pag. 277.

Status quæstionis explicatur. ibid. nu. 141.

Dari ex parte hominum reprobationis causam meritoriam, non prædestinationis: & Deum sola voluntare alios elegisse, alios reprobasse, constans est Augustini sententia. ibid. num. 142.

Digitized by Google

Index, primæ partis,

Pluribus evidentibus S. Auguſtini teſtimoniis probatur, originale peccatum cauſam eſſe reprobationis. ibid. num. 144. 145. & pag. 279. num. 146.

Aliqua circa hæc Auguſtini teſtimonia notanda. ibid. num. 147. 148. 149. & 150.

Duplicem ad prædicta D. Auguſtini teſtimonia adhibent quidam Thomiſtæ explicationem. ibid. num. 152. & pag. 280. n. 153.

D. Auguſtinum tenuiſſe peccatum originale cauſam eſſe reprobationis, dixit D. Thomas. ibid. n. 155.

Secundam explicationem, primam impugnare, probatur. ibid. n. 156. & 157.

In materia reprobationis ab Auguſtini doctrina recedere non eſt tutum. pag. 281. n. 158. & 159.

Propter rerum difficultates, veritatem non eſſe deſerendam monet S. P. Auguſtinus. ibid. num. 160.

Peccatum originale cauſam eſſe reprobationis, probatur ex Apoſtolo. ibid. num. 161. & pag. 282. n. 162. 163. & 164.

Idem docuiſſe Gregorium & Gelaſium oſtenditur. pag. 283. n. 167. & 168.

CAP. XII. Quòd peccatum originale fuerit cauſa reprobationis, probatur ex S. Thoma. pag. 283.

Et peccatum originale, & rationem indebitæ gratiæ ad reprobationem concurriſſe, docet D. Thomas. ibid. num. 169.

Sex D. Thomæ teſtimonia expenduntur, quibus probatur, Doctorem ſanctum tenuiſſe, peccatum originale cauſam fuiſſe reprobationis. ibid. num. 170. & pag. 284. num. 171. 173. 174. 175. & pag. 285. num. 176.

Reprehenduntur aliqui S. Thomæ diſcipuli, qui volunt Doctorem ſanctum in hac materia D. Auguſtino eſſe contrarium. pag. 285. num. 177.

CAP. XIII. Explicatur mens S. Thomæ 1. part. quæſt. 23. art. 5. ſolutione ad 3. circa cauſam reprobationis. pag. 285.

Ex prædicto loco, in quo putant aliqui diſcipuli D. Thomæ, illum negaſſe, peccatum eſſe cauſam reprobationis, oppoſitum convincitur. pag. 286. num. 181. 182. 183. 184. & pag. 187. n. 185. & 187.

Oppoſitio ex D. Thoma deducitur. ibid. num. 180.

Quid intendat D. Thomas, aperitur. ibid. num. 190. & 191.

Retorquetur argumentum. pag. 288. n. 192. & 193.

Objectioni reſpondetur ex ipſo D. Thoma ibid. num. 194. 195. & pag. 289. num. 196. & 198.

Deum non prius intendere, manifeſtare juſtitiam vindicativam, quàm peccatum permittere, oſtenditur. pag. 290. n. 206. & pag. 291. n. 207. & 208.

Permiſſio originalis peccati non fuit à Deo intenta, ad manifeſtandam juſtitiam vindicativam. ibid. n. 209.

CAP. XIV. Rationibus probatur, originale peccatum fuiſſe cauſam reprobationis. pag. 291.

Ex hoc, quòd originale peccatum fuerit ante reprobationem prævisum, probatur, ipſum eſſe reprobationis cauſam. ibid. n. 210.

Prima hujus argumenti ſolutio negans peccatum originale eſſe prævisum ante reprobationem, efficaciter impugnatur. pag. 292. num. 211.

Secunda dicens, reprobationem in aliquo genere cauſæ eſſe priorem prædeſtinatione Chriſti, pariter rejicitur, & non eſſe de mente D. Thomæ, & Apoſtolo contrariam, probatur. ibid. n. 212. 213.

Tertia ſuſtinens, peccatum originale ſolùm fuiſſe prævisum ante Chriſti prædeſtinationem & hominum reprobationem, ut id in cujus remedium Chriſtus prædeſtinabatur, nulla eſt & D. Thomæ & Apoſtolo contraria. ibid. 217. & pag. 293. n. 218.

Quarta, quòd peccatum originale fuerit ſufficiens cauſa reprobationis, non fuerit tamen de facto cauſa ob quam Deus reprobavit, effugium potius eſt quàm ſolutio. ibid. pag. 219.

A pari probatur peccatum originale eſſe reprobationis cauſam. ibid. n. 220.

Particularis quorumdam Thomiſtarum opinio aſſerentium peccatum originale fuiſſe reprobationis cauſam horum, quibus non eſt dimiſſum, & non aliorum, refutatur. ibid. n. 222. & pag. 294. n. 223. 224 & 225.

CAP. XV. Solvuntur rationes in oppoſitum. pag. 294.

Permiſſio in originale peccatum ſecundùm D. Thomam non eſt effectus reprobationis. ibid. n. 228.

Quomodo reprobatio fiat propter peccatum originale, & ſit ſimul ſecundùm D. Thomam actus divinæ providentiæ, explicatur. ibid. num. 229. & pag. 295. num. 230 & 231.

Per permiſſionem cadendi in culpam, nedum intelligere D. Thomam quod verba ſonant, ſed etiam derelictionem in ipſa oſtenditur. ibid. num. 232. & 233.

Peccata actualia non fuiſſe ante Chriſti prædeſtinationem prævisa ratio probat, & tenent SS. Auguſtinus & Thomas. ibid. n. 235. & pag. 296. n. 236.

CAP. XVI. Difficile ſolvitur argumentum, & materia hæc ampliùs elucidatur. pag. 296.

Inſolubile, ut putant aliqui, proponitur argumentum, nempe quòd horum quibus dimiſſum eſt peccatum originale, ipſum non ſit reprobationis cauſa. ibid. num. 237. & 238.

Tria ad argumenti reſponſionem præmittuntur primò baptizati remiſſum eſſe originale quoad culpam, & quoad reatum pœnæ æternæ. ibid. num. 239.

Secundò remanere in baptizatis effectum peccati originalis. ibid. num. 240.

Tertiò peccatum originale in baptizatis reprobis non eſſe proximam & immediatam cauſam damnationis. ibid. num. 241.

Prima ad Argumentum reſponſio. ibid. num. 242.

Secunda traditur & quomodo peccatum originale etiam in baptizatis fuerit prima & radicalis cauſa reprobationis ipſorum, explicatur pag. 297. num. 2493. 245. & 246.

Doctrina tradita exemplis illuſtratur. pag. 298. num. 247. & 248.

In quo ſenſu verum ſit axioma illud *quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſati*, traditur. ibid. num. 250.

Quòd voluerit Deus omnes reprobos excludere à gloria; & tamen in exercitio omnes

Digitized by Google

propter tale peccatum non excludantur, ostenditur, pag. 299. num. 252. 253. & 254.

Sub qua ratione peccatum originale fuerit eodem modo, & quoad omnes ratio exclusionis à gloria, aperitur. pag. 300. num. 255.

Quòd peccatum originale fuerit prima causa, & prima radix reprobationis omnium, amplius manifestatur. ibid. num. 256.

Permissionis in actuale peccatum causam esse in Baptizatis peccatum originale, non in se, sed in suo effectu, probatur ex SS. Gregorio, Augustino, & Thoma. ibid. num. 257.

Nihil damnationis remanere in baptizato, etiam si propter originale peccatum dimissum, permittatur cadere in peccatum actuale, probatur, & ex contraria sententia convincitur. pag. 301. num. 258.

Nullam fore damnandum primo parente non peccante tradunt SS. Augustinus, Gregorius, & approbat D. Thomas. ibid. num. 260.

Ex hoc convincitur, peccatum originale causam esse reprobationis. ibid. num. 261.

Argumenta contra prædictam SS Doctrinam diluuntur. pag. 302. num. 263. & seq

CAP. XVII. De parvulorum prædestinatione & reprobatione. pag. 302.

In parvulorum prædestinatione agi solùm de donis gratuitis acquirendis vel amittendis: ipsos præter Dei intentionem & casu perire: omnes habere sufficiens remedium contra peccatum: ipsorum prædestinationem non esse certam ex vi mediorum, tradunt recentiores. ibid. num. 267.

Argumenta, quibus hæc sibi persuadent, adducuntur. ibid. num. 269. & 270.

His quatuor recentiorum assertionibus quatuor opponuntur veræ conclusiones. ibid. num. 272. & pag. 303. num. 273. 274. & 275.

Ex hoc solùm principio, quòd peccatum originale sit vera culpa, probantur prædictæ conclusiones. ibid. num. 276.

Primam recentiorum assertionem tollere peccatum originale, probatur. ibid. num. 277 & 279.

Secundam impossibilia continere, recentiorum verba manifestant. ibid. num. 280.

Plures parvulos perire, Deo nolente illos salvare, pluriès repetit Augustinus. ibid. num. 281. & 282.

CAP. XVIII. Quòd S. P. Augustinus argumento desumpto ex parvulorum prædestinatione semper de Pelagianis triumphaverit. pag. 303.

Expenditur, quomodo D. Augustinus hoc argumento ex parvulis desumpto evidenter convincat, inconvenientia à Pelagianis ex prædestinatione secundùm propositum & gratia efficaci deducta esse nulla. pag. 304. num. 284. & 285.

CAP. XIX. Quòd illud argumentum de parvulis numquam fuerit à Pelagianis solutum. pag. 304

Primam Pelagianorum responsionem, qua dicebant aliam esse rationem de adultis & parvulis, absurditatis convincit Augustinus. ibid. num. 287.

Secundam, qua asserebant aliquos parvulos non ex Dei voluntate, sed à casu, dementiæ accusat idem S. Pater. 205. num. 289.

Tertiam, qua baptismum vel ejus negationem in parentum merita, vel demerita reducebant, pluribus probat Augustinus, esse evidenter falsam. ibid. num. 291.

Quartam, qua affirmabant, parvulos alios esse prædestinatos, alios non ex præscientia bonorum, vel malorum operum si diutiùs vixissent pudet refellere, ait Augustinus. ibid. num. 294.

Origo, unde in tot absurda inciderint Pelagiani, aperitur. ibid.

CAP. XX. Quòd nec modo à recentioribus illud argumentum de parvulis aliqua ratione solvatur. pag. 305.

Primam & secundam Pelagianorum responsionem admittunt recentiores. ibid. num. 295.

Unde deducant recentiores, parvulos aliquos præter Dei voluntatem perire, ostenditur. pag. 306. num. 297. & 298.

Refertur in particulari Molinæ sententia, in qua fatetur se ab Augustino recedere, & ejus argumento conatur respondere. ibid. 299.

Molinæ verba expenduntur. ibid. num. 300 & 301. & pag. 307. num. 302. & 303.

Recentiorum sententiam inducere fatum vel fortunam probatur ex Augustino. ibid. num. 304.

Evasio recentiorum ad hoc argumentum præcluditur. ibid. num. 305

Parvulos non baptizari, quia id Deus non vult, dicit Augustinus. ibid. num. 306.

Idem ex scriptura probatur. ibid. num. 307.

Cum Fausto Semipelagiano convenire recentiores, vel debere admittere ex Dei voluntate baptismum parvulis negari, convincitur. pag. 308 num. 308.

CAP. XXI. Quòd parvulis sine baptismo decedentibus nullum sufficiens remedium salutis vult Deus applicare. pag. 308.

Deum velle, omnibus Baptismum applicari, triplici ratione probant recentiores. Primò, quia Christus est omnium Redemptor. ibid. num. 310.

Secundò quia præcepit, ut omnes baptizentur. ibid. num. 311.

Tertiò quia vult omnes homines salvos fieri. ibid. num. 312.

In omni lege fuisse remedium aliquod contra peccatum originale docent communiter Doctores cum D. Thoma. ibid. num. 313.

Quid nomine auxilij sufficientis intelligant recentiores, explicatur. ibid. num. 314.

Pro omnibus parvulis sufficiens institutum esse remedium probatur. ibid num. 316.

An Deus velit omnibus parvulis quantùm est ex se Baptisma conferri & quomodo hoc sit intelligendum explicatur. ibid. num. 317. & pag. 309. num. 318.

Deum nolle quod omnibus parvulis applicetur Baptismus rationibus & authoritate D. Augustini probatur. ibid. num. 319. & 320.

In quo sensu dixerit S. Prosper parvulos sine baptismo morientes posse per parentes juvari, si eo remedio bene uterentur, explicatur. ibid. num. 322.

CAP. XXII. Contrariorum Argumenta dissolvuntur. pag. 310.

Ex eo quòd multis Christi Redemptio non applicetur, malè intulisse Massilienses, ipsum non esse generaliter omnium Redemptorem, probat D. Prosper. ibid. 323.

Ut Christus dicatur omnium Redemptor quoad sufficientiam, non esse, quòd omnibus de facto

Digitized by Google

de facto sufficientia remedia applicentur. ibid. num. 325.

Ea ratione, dicit D. Thomas, Christum esse generaliter omnium Redemptorem; quia sufficientia pro omnibus instituit salutis remedia. ibid. n. 326.

Sufficientia Redemptionis Christi in sanguine ipsius, non in auxilio sufficienti omnibus collato, consistit. ibid. n. 327.

Vt Christus dicatur omnium Redemptor quoad sufficientiam, sat est ut omnibus possit dare auxilia. ibid. n. 328.

Cum generali impositione præcepti baptizandi omnes, stare quòd Deus nolit efficaciter aliquos baptizari, apertè constat ex scriptura. pag. 311. n. 329.

His quibus denegatur Evangelij prædicatio, non dari auxilium supernaturale ad salutem credibile est. ibid. n. 330.

Numquam mittit Deus prædicatores in Provinciam, vel civitates, in quibus non sint aliqui prædestinati. ibid.

Effectus voluntatis antecedentis qua Deus vult omnes salvos fieri, non est auxilium sufficiens, sed secundùm D. Thomam natura Beatitudinis capax, vel quæ generaliter sunt pro omnibus instituta, ut præcepta, consilia, Sacramenta. ibid. n. 331.

Auxilium perfectè sufficiens importat id quod sine alio fieri potest, ut quis de facto salutem consequatur. ibid.

TRACTATVS QVINTVS.

DE CHRISTI DOMINI PRÆDESTINATIONE.

CAPUT I. Quædam circa Christi Domini prædestinationem præsupponuntur 312.

Cognitionem omnium futurorum præcessisse Christi prædestinationem; ejus mortem & crucem non fuisse æterna Dei voluntate præordinatam, sed præscitam tantùm & permissam: nec Christum fuisse prædestinationis nostræ quoad integrum effectum causam, tenent recentiores. ibid. n. 10.

Ad horum examen quædam supponuntur primò Christum ut Deum non fuisse prædestinatum. ibid. n. 2.

Secundò Christum ut hominem fuisse prædestinatum. ibid. n. 3. & 4.

Tertiò, Christum ut hominem non fuisse prædestinatum, ut esset filius Dei adoptivus; esseque periculosum in fide duas in ipso admittere filiationes. pag. 313. n. 5.

Quartò, Christum non esse primò & per se ad gloriam & gratiam, sed ad unionem hypostaticam. ibid. n. 6.

Quintò, Christum esse caput omnium prædestinatorum; ejusque prædestinationem priorem esse prædestinatione hominum & Angelorum. ibid. n. 7.

Sextò, peccato non existente Christum non esse venturum. ibid. n. 8.

CAP. II. Quod conditionata seu media scientia non antecesserit Christi Domini prædestinationem in divina mente. pag. 315.

Absolutam peccati originalis præscientiam priorem esse in aliquo genere causæ Christi Domini prædestinatione, negant recentiores. ibid. num. 9.

Præcessisse scientiam mediam Christi Domini prædestinationem omnes fatentur. ibid.

Vltimum probant ratione. ibid. num. 11.

Secundò authoritate D. Thomæ. pag. 314. num. 12.

Rationes quibus scientia media impugnatur, sub maxima brevitate tanguntur. ibid. num. 14.

CAP. III. Explicatur vera sancti Thomæ intelligentia 3. p. quæst. artic. 3. solut. ad quartum. pag. 314.

Verba D. Thomæ, quibus putant recentiores, ex ejus mente probare scientiam mediam, adducuntur. ibid. n. 15.

Ex D. Thomæ verbis oppositum illius, quod prætendunt recentiores, manifestè deduci, convincitur. ibid. n. 16. & pag. 315. n. 17.

Nec D. Thomæ, nec suam recentiores salvare doctrinam, probatur. ibid. n. 18.

Vera D. Thomæ intelligentia traditur, & objectioni recentiorum satisfit. n. 19.

Mens D. Thomæ ampliùs explicatur. ibid. num. 21.

CAP. IV. Quòd Christi prædestinatio ex absoluta peccati originalis prævisione sit facta. pag. 316.

Christum Dominum non esse venturum in carne passibili, nec ut Redemptorem peccato non existente, fatentur omnes. ibid. n. 23.

Sententia Suaris, in qua quandam contradictionem invenit Salazar refertur. ibid. n. 24.

Christum fuisse prædestinatum ante peccati originalis prævisionem probant primò ex scriptura. ibid. n. 25. & pag. 317. n. 26. & 27.

Secundò quia gloria & gratia Christi fuit nostræ causa finalis. ibid. n. 28. & 30.

Tertiò, quia alias incarnatio esset bonum occasionatum. ibid. n. 31.

Quartò authoritate SS. Anselmi & Augustini.

Digitized by Google

Rini.ibid.n.32.& 33.

Verbum non fore incarnandum ex vi decreti quod Deus habuit peccato non existente, evidentissimis D.Thomæ testimoniis ostenditur,pag.318.n.37.

In citandis D. Thomæ testimoniis meritò fides exigitur à Suare.ibid.

D. Thomæ priùs apertè docuit Augustinus. ibid. num.38.

CAP.V. Idem ex Patribus confirmatur.pag.319.

Verbum non fore incarnandum non existente peccato tenent ferè omnes SS. Patres. ibid.n.41.

Aliqua SS.Patrum dicta expenduntur, & ad illa recentiorum evasio præcluditur. ibid. num. 43.

Ratio D. Thomæ deducitur. ibid. num. 43.

Anthoritatibus Scripturæ id ostenditur. ibid. num. 44.

Distinctio de adventu Christi in carne passibili vel impassibili impugnatur, & quæ in ejus defensionem adducuntur, in proprios authores retorquentur. pag. 320. num. 46.47. 48.& 49.

Ex hoc quòd Christus sit finis & caput omnium, male inferre recentiores, quòd veniret non existente peccato, probatur ex Patribus. ibid. num. 51. & pag. 321. num. 52.

CAP. VI. Quòd Christus fuerit prædestinatus suppositâ absolutâ præscientia peccati originalis, ratio Theologia proponit. pag. 321.

Christum non fuisse prædestinatum abstrahendo à carne passibili vel impassibili, probatur. ibid. num. 54.

Responsio adversariorum impugnatur, & exempla quibus eam fundant, contra ipsos retorpuentur. ibid. num. 57.& pag. 322.nu.58.

Congruentiis ostenditur, verbum non fore incarnandum, peccato non axistente. pag. 323 num. 60.

Quòd Deus in nullo signo decreverit prædestinare animam Christi sine carne, probatur. ibid. num. 61.

CAP. VII. Primum fundamentale argumentum oppositum diluitur. pag. 323.

Exemplo materiæ & formæ declaratur, Deum in nullo signo rationis prius voluisse Christum quàm permissionem peccati, vel econtra. ibid. num. 62.

Independenter à Redemptione, & peccati prævisione non fuit prædestinatus Christus ut caput & finis omnium. ibid. num. 63.

Hoc non obscurè tradi in Scriptura Sacra, probatur. pag. 324. num. 65.

Christum ex prævisione peccati prædestinatum fuisse caput & finem omnium docet expresè Cyrillus. ibid. num. 66. & nnm. 67.

CAP. VIII. Alia solvuntur argumenta: & quòd homines fuerint prædestinati post prævisionem peccati originalis, ostenditur.pag.325.

Contradictoria habere Suarem, probatur. ibid. num. 69.

Electionem hominum factam fuisse post prævisum peccatum originale millies repetit Augustinus. ibid.num. 70.

Ex eodem D.Thomæ loco contradictoria deducit Suarez. pag. 326. num. 71.

Cum D. Augustino convenire D.Thomam, ostenditur manifestè. ibid. num.72.73.& 74.

Oppositum ejus, quod ex D.Thoma deducit Suares, haberi in S.Doctore, convincitur.ibid. num.75. & seq.

CAP. IX. Alia argumenta diluuntur. pag. 328.

Angeli non sunt prædestinati ante peccati Adæ prævisionem. ibid. num. 81.

Ordine intentionis in eodem signo prædestinati sunt Angeli homines. ibid.num.82.

Plura citat Suares D.Augustini loca, in quibus nihil habet S.Doctor illius, quod prætendit Author ille. ibid. num.83.

Gratiam Adamo in statu innocentiæ collatam non fuisse ex meritis Christi, tradit Augustinus. ibid. num. 84.

Meruisse Christum aliquibus gratiam, & pro ipsis non fuisse mortuum, inauditum est apud Patres. pag. 329. num. 86.

Priùs ordine intentionis voluit Deus permittere peccatum Adæ, quàm gratiam illi conferre ibid.

Diminutè citatur Augustinus à Suare, ipsique contraria imputat. ibid. num. 88.

Malè à recentioribus interpretatur Augustinus. ibid. num. 89.

Adamo in statu innocentiæ revelata fuit incarnatio, sed non ejus causa secundùm D. Thomam. ibid.

Rationes, quibus aliqui Thomistæ conantur probare, gratiam Angelis & primo homini in statu innocentiæ collatam esse secundum D. Thomam ex meritis Christi, adducuntur. pag. 330. num. 91.

Oppositum ex mente D.Thomæ convincitur. ibid. à num. 92. usque ad 97.

CAP. X. Quod anima Christi non sit assumpta à verbo, quia prævidebatur bene usura suo arbitrio, si assumeretur. pag. 331.

Quædam Molinæ dicta expenduntur: & in omnibus prædestinatis constituisse meritum de congruo ex innata hominis voluntate proveniens, facile probatur. ibid. à num. 98. usque ad 107.

Ut creatæ voluntatis libertatem saluet Molina & Deum ab acceptione personarum liberet, aliquid boni usus semper vult prævideri in illo, qui eligitur præ alio. pag. 333. num. 108.

Numquam magis deprimit gratiam, quàm ubi laudat animas Christi & Sanctissimæ Virginis; quæ sine dubio laudandæ sunt.ibid.num. 109.

Animam Christi non fuisse à verbo assumptam, quia prævidebatur melius cæteris usura arbitrio, docet in terminis Augustinus. ibid. num. 110.

Oppositum illius, quod assumit Augustinus ut Pelagianos expugnet, assumit Molina ut suam cudat sententiam. pag. 334. nnm. 111.

Priùs Molina asseruit Arrius, animam Christi ad tantam dignitatem fuisse electam, quia prævisa fuit meliùs cæteris usura arbitrio. num. 112.

CAP. XI. Magis explicatur prædicta veritas, & aliquibus objectionibus respondetur.pag.334.

D. Augustinum, nedum omnem bonum usum antecedentem unionem hypostaticam, sed & subsequentem negasse, convincitur. ibid num. 114.

Non esse de fide Christum non meruisse unionem cum verbo, contra expressam D. Augustini sententiam, dicit Suarez. ibid. num. 114.

Nec

Digitized by Google

Nec Christum operibus prævisis meruisse unionem; nec iisdem humanam naturam meteri vel fidem, vel prima dona gratiæ de fide certum, tenet Augustinus. pag. 335. num. 115. & 116.

CAP. XII. Refertur & refutatur prima sententia circa Christi Domini libertatem & meritum. pag. 335.

Ex valentiæ doctrina deducitur, Christum nec gloriam sui corporis, nec salutem nostram meruisse. ibid. num. 118.

Tantò major est libertas ex Augustino, quanto magis peccato servire, non potest, ibid. num. 115.

Cujusdam loci D. Thomæ, in quo videtur, meritum sine libertate statuere, vera ex ipso D. Thoma intelligentia traditur. pag. 336. n. 121. & seq.

CAP. XIII. Secunda sententia non rectè loquens de Christi merito refertur & impugnatur. pag. 337.

Triplici ratione probatur, sententiam, quæ negat meritum in Christi morte quoad substantiam, parum esse tutam in fide. ibid. n. 126. 127. & 128.

Patrem præcepisse Christo mortem quoad substantiam & circumstantias & ex vi illius præcepti hæc impleviſse Christum, ostenditur. ibid. n. 129. & pag. 338. n. 130.

Vera SS. Chrysostomi & Thomæ, qui his videntur habere aliqua contraria, intelligentia traditur. ibid. & n. 131.

Sententiam, quæ ponit, Patrem imposuisse Christo præceptum ea conditione. Si ipse vellet, sustineri non posse; & per eam Christi meritum & obedientiam tolli, convincitur. ibid. n. 132. & seq.

CAP. XIV. Tertia sententia non rectè sentiens de merito Christi refertur & impugnatur. pag. 340.

Ex sententia Molinæ & Suarez ostenditur, vel Christum potuisse peccare, vel cum prædestinatione stare libertatem humanam. ibid. num. 139.

Nedum mortem, sed & omnia motiva, quibus illam Christus acceptavit, fuisse à Patre Christo præcepta, probatur contra Becanum ibid. n. 142.

CAP. XV. Traditur vera sententia circa Christi Domini meritum & libertatem. pag. 341.

Potentiam ad peccandum non esse de ratione libertatis; & Christum Dominum esse impeccabilem, ostenditur. ibid. n. 143.

Posse dissentire Dei motioni in his quæ præcipit, ad essentiam libertatis non pertinet. ibid.

Definitionis Concilij Tridentini, quæ huic doctrinæ apponi videtur, vera intelligentia traditur. ibid. n. 145. & 146.

Difficile proponitur argumentum, quo probatur, vel Christum fuisse peccabilem, vel non habuisse libertatem. ibid. n. 147.

Quid libero arbitrio est sic, Dei Christi, Beatorum, & omnium aliorum competat, explicatur. pag. 342. n. 149.

Quid sit libertas, quoad specificationem, quid quoad exercitium, ostenditur. ibid. n. 150.

Ex legitima libertatis definitione probatur, Christum liberè mortem acceptasse. ibid. num. 152.

In Christo fuit libertas quoad specificationem, & quoad exercitium. ibid. n. 153.

Non est idem, posse absolutè facere oppositum illius, quod præcipitur, & posse transgredi præceptum. pag. 343. n. 154.

Essentialia voluntati Christi, adveniente Patris præcepto remanserunt in ipso. ibid. num. 155.

Quatuor in voluntate Christi admittenda. ibid. n. 156.

Argumentum, quo Christi libertas impugnatur, diluitur; & ostenditur quod licet potentiam non habuerit ad obediendum, vel inobediendum, liberè tamen obedivit. ibid. num. 157.

Sicut Christi voluntas absolutè liberam potentiam habebat ad acceptandam mortem, vel non acceptandam; eandem adveniente Patris præceptio, retinuit. ibid. n. 158.

Ex alio proveniebat, quod Christus Patris præcepto non posset inobedire, & ex alio, quod eidem præcepto liberè obediret. pag. 344. num. 160.

Exemplo Angelorum convincitur, & Christum, & ipsos liberè operari, quod Deus præcipit; licet inobedire non possint. ibid. n. 161. 162. & 163.

Nec in Christo nec in Angelis consistit libertas in hoc, quod possint; non acceptare id, quod est præceptum à Deo secundùm quod est præceptum. ibid. n. 165.

Quod efficax Dei motio ponit, vel facit in voluntate mota; hoc præstat proportionaliter in Christo & Angelis præcepti divini impositio. pag. 345. n. 166.

Cum voluntate efficaci acceptandi mortem potuit habere Christus voluntatem inefficacem nolendi mortem ut naturæ nocivam. ibid. num. 168.

Aperitur fallacia, qua à sensu diviso arguitur ad sensum compositum. ibid. n. 170.

Posse inobedire, posse peccare important semper sensum compositum. pag. 346. num. 171.

Quomodo Christus ut viator fuerit liber in ordine ad diligendum Deum, explicatur. ibid num. 174. & seq.

CAP. XVI. Quid sibi Christus meruit; & quid sibi mereri non potuit, explicatur. pag. 347.

CAP. XVII. Quod Christus etiam de potentia Dei absoluta suam incarnationem mereri non potuit. pag. 347.

Ex hoc probatur Christum de potentia Dei absoluta non potuisse mereri incarnationem per opera ipsam subsequentia, quia illa ut meritoria effectus sunt incarnationis. ibid. num. 183.

Bonus usus liberi arbitrij Christi etiam prævisus non potuit non esse effectus incarnationis. ibid. n. 184.

Ex hoc, quod principium meriti non cadat sub merito, ostenditur ampliùs, Christum non potuisse mereri suam incarnationem. pag. 348. n. 185. & seq.

CAP. XVIII. Benè Christus de absoluta Dei potentia mereri potuit, sed non de facto meruit gratiam & gloriam animæ suæ. pag. 345.

Duplici modo potuisse Christum, mereri gloriam & gratiam, explicatur. ibid. n. 188.

Supposito quod Christus in primo suæ in-

Digitized by Google

carnationis instanti gratiam & gloriam habuerit, non fuit possibile, quod illa etiam de potentia absoluta meruerit. ibid. num. 190. & seq.

CAP. XIX. Quid sibi Christus de facto meruit, pag. 349.

Meruit primo sibi Christus gloriam & immortalitatem corporis, non tamen humanitatis vitam, vel conservationem, ibid. n. 196.

Secundò omnem honorem, quem sive à Deo, sive ab Angelis sive ab hominibus in vita fuit assecutus. ibid. n. 198.

Tertiò regiam dignitatem, summum Sacerdotium potestatem judiciariam. pag. 350. num. 199.

CAP. XX. Meruit nobis Christus omnem nostræ prædestinationis effectum. pag. 350.

Christum nobis non meruisse omnem nostræ prædestinationis effectum, tradit Molina cum aliis ibid. n. 201.

Semel admisso, aliqua naturalia esse effectus prædestinationis nostræ, ea nobis Christum meruisse, convincitur. ibid. n. 203.

Creationem temperamentum & non esse prædestinationis effectus authoritate & rationibus probatur, pag. 351. num. 204. 205, & 206.

Idem ostenditur de creatione eorum, qui precibus à Deo impetrantur. ibid. num. 207. & 208.

Quædam naturalia, quatenus conducunt ad salutem effectus esse prædestinationis nostræ, & ea nobis meruisse Christum, probatur. pag. 352. n. 209.

Bonam indolem, propensionem ad virtutem prædestinationis non esse effectus expressè tradit Augustinus. ibid. n. 210.

Cum Christi Domini Incarnatio prædestinationis nostræ sit causa, illius effectum esse non posse monstratur. ibid. n. 211.

Christi incarnationem non fuisse prædestinationis nostræ medium, nec in nostram salutem ut finem proximam ordinatam fuisse contra aliquos Thomistas probatur. ibid. & num. 212.

In quo peccet assertio Molinæ, qua, ex hoc quod Christus non meruerit incarnationem, infert non meruisse omnem nostræ prædestinationis effectum, aperitur. pag. 353. num. 213.

Quid nobis Christus meruerit, magis in particulari aperitur. ibid. n. 214.

Aliquorum Theologorum particularis opinio negantium Christum meruisse nobis fidem &c. & auxilia prævenientia impugnatur & eam non esse ad mentem Apostoli, Patrum, & conciliorum, ostenditur. ibid. num. 215. 216. 217.

CAP. XXI. Quod Christus meruerit nobis prædestinationem nostram. pag. 354.

Sententia D. Thomæ statuitur. ibid. num. 219.

Quædam ad illius intelligentiam præsupponuntur. ibid. n. 220. & 221.

Nec entitatis actus prædestinationis, vel electionis secundum se, nec prout terminatur ad Christum & ad nos, non potuit Christi prædestinatio esse vera causa. ibid. num. 222. & 223.

Propter Christi merita tanquam propter causam meritoriam Deum nos prædestinasse ex Apostolo probatur. ibid. n. 224.

CAP. XXII. Meruit nobis Christus, quod Pater æternus nos diligeret, atque ad gloriam eligeret. pag. 355.

Conclusio probatur authoritate Apostoli. ibid. num. 226.

Ratione confirmatur. ibid. n. 227.

Quomodo Christus meruerit nobis electionem Patris; & tamen Pater gratuito elegerit, declaratur. pag. 356. n. 230.

Argumenta eorum qui dicunt, Christum meruisse, ut aliqui in genere eligerentur, non isti in particulari deducuntur. ibid. à num. 231, usque ad 236.

Nedum in genere, sed omnibus in particulari meruisse Christum, ut à Patre eligerentur, authoritate scripturæ & ratione probatur. pag. 357. num. 238.

CAP. XXIII. Meruisse nobis Christum, quod æternus Pater nos diligeret, & ad gloriam eligeret, ampliùs ostenditur. pag. 358.

Conclusio ex Apostolo & S. Ambrosio probatur. ibid. num. 239. & 240.

Quomodo homines gratuito fuerint à Deo electi & tamen ex meritis Christi, amplius declaratur. ibid n. 242. & seq.

CAP. XXIV. Christi passio & crux ab æterno fuit à Dei voluntate dispositа, atque præparata, pag. 359.

Quod nec sanctorum Martyria, nec Christi Domini passionem absolutè Deus ordinaverit & dispositurit dicunt recentiores; & in ipsis damnavit Academia Lovaniensis. ibid. num. 246.

In hac assertione conveniunt cum Fausto Semipelagiano. ibid. n. 248.

Calvini errores vitare credentes statuunt, & fundant. ibid. n. 249. & pag. 360. n. 250.

Formatur argumentum, quo & Calvinistarum, & Pelagianorum in hac materia errores, expugnantur. ibid. n. 251.

CAP. XXV. Quod Christi Domini passio fuerit à Deo absolutè volita, probatur ex Patribus. pag. 360.

Pluribus ex Patribus omissis conclusionem expressè tradunt Leo Magnus & D. Augustinus. ibid. n. 252. & 253.

Idem ex D. Thoma convincitur. ibid. num. 254.

In adducendis D. Thomæ testimoniis merito fidelitas à recentioribus exigitur. pag. 361, num. 255.

Quæ ex D. Thoma opponunt ipsi esse contraria, manifestatur. ibid. n. 256.

Tribus modis Patrem tradidisse Christum morti docet D. Thomas ibid. num. 258.

CAP. XXVI. Christi passionem fuisse à Deo absolutè volitam, rationibus ostenditur. pag. 361.

Insignis pro hac veritate, scripturæ locus deducitur. ibid. n. 259.

Nisi Christi passio fuerit à divina voluntate absolutè præordinata, ostenditur, Patrem noluisse absolutè per filij mortem genus humanum, & scripturæ loca in proprio sensu non salvari. ibid. n. 260. & 261.

Præcipuum recentiorum argumentum contra ipsos retorquetur. pag. 362. n. 262.

Exemplo Joseph à fratribus venditi illustratur conclusio; & quod de Christi passione asseritur, de Sanctorum tormentis dicendum esse,

Digitized by Google

esse, aperitur. ibid. num. 263.

CAP. XXVII. Respondetur argumentis in oppositum. pag. 362.

Recentiorum argumentum, quo convincuntur, passionem inseparabilem à mala actione non posse esse bonam, esse purum Sophisma, ex D. Leone & S. Thoma manifestè probatur. ibid. num. 265.

Solutio Sanctorum amplius explicatur. ibid. num. 268.

Ex admissis à recentioribus optimam esse solutionem, demonstratur. ibid. n. 269.

Prædicta amplius illustrantur. pag. 363. num. 270.

Eadem numero actio, quæ prout erat à Judæis fuit mala, prout à Deo procedebat, fuit sancta & justa. ibid. n. 272.

CAP. XXVIII. Quod etiam si aliquibus auxilia sufficientia non darentur, salvatur tamen quod Christus sit omnium in universum Redemptor. pag. 363.

Ex hoc quod aliquibus denegetur auxilium sufficiens, malè infertur, Christum non esse omnium Redemptorem. ibid. n. 274.

Hæc illatio fuit Semipelagianorum, & ab ipsis contra Augustinum objecta. pag. 364. num. 275.

Objectioni respondet D. Prosper; & non omnibus dari auxilia gratiæ tradit. ibid.

Ea ratione dicit D. Thomas Christum pro omnibus esse mortuum, quia exhibuit, quod sufficit ad omnium peccatorum deletionem. ibid. num. 276.

Vt Christus dicatur quoad sufficientiam verè omnium Redemptor, sat est, quod pro omnibus, nullo excepto, salutis remedia instituerit. ibid. n. 277.

Timendum cum SS. Augustino & Prospero, ne dum prætextu pietatis contenditur, omnibus dari divinæ gratiæ auxilia, ipsa naturæ debita ponantur. ibid.

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA,
SIC CORRIGE.

PAgina 1. num. 5. lin. 1. providentia lege prudentia. pag. 2. num. 6. lin. 6. providentia lege prudentia. pag. 4. lin. 13. exercitiam lege exercitium. pag. 8. num. 47. lin. 23. unaniter lege unanimiter. eadem pag. num. 49. lin. 3. ſi ſecundum det (quòd) lege ſi ſecundum (quod) pag. 9. num. 51. lin. 14. actus quæ leg. actus qui. pag. 10. num. 61. lin. 28. proportionabiliter lege proportionaliter. pag. 15. num. 96. lin. 11. virtuali lege virtualiter. pag. 16. num. 103. lin. 7. ſe ſon lege ſe non. pag. 18. num. 114. lin. 33. operationis lege operationes. pag. 20. lin. 16. proportionabiliter lege proportionaliter. pag. 22. num. 133. lin. 11. mane lege manet. pag. 23. num. 144. lin. 6. autem practum lege autem practicum, & lin. 18. indeterminatem lege indeterminatum. pag. 24. num. 153. lin. 36. quod lege quid. pag. 27. lin. 12. reſpondi, lege reſpondendi. pag. 28. num. 177. lin. 5. ex naturæ, lege ex natura. pag. 29. lin. 3. monorchia lege monarchica. pag. 30. col. 1. lin. 1. ſtatuant lege ſtatuam, & lin. 16. particularè providenti lege particularem providentiam; & eadem pag. num. 191. lin. 32. ſententia lege ſententiam, & lin. 33. providentia lege providentiam, & lin. 45. clibeneum lege clibanum. pag. 31. num. 199. lin. 8. earum quæ lege eorum quæ, & ibidem autem earum lege autem eorum, & num. 204. lin. 4. reſpectu cunctor, conſtituit ut ipſe apertè clamant, lege reſpectu cunctorum eſt, ut ipſa apertè clamat, & pag. 32. num. 207. lin. 6. compellit virtutem, lege compellit ad virtutem, & eadem. pag. num. 209. lin. 21. definiret lege prædefiniret. pag. 35. num. 231. lin. 13. qua ipſe lege quia ipſe. pag. 37. num 238. lin. 24. determinans lege determinatis. pag. 38. num. 242. lin. 35. ego ſui lege ego fui. pag. 40. num. 258. lin. 9. ſi in lege ſi id. pag. 46. num. 302. lin. 8. cauſalia lege caſualia, & pag. 47. 307. lin. 46. has eadem lege has eaſdem. pag. 52. num. 327. lin. 1. præmittentiæ lege pœnitentiæ. pag. 55. num. 350. lin. 26. bono lege bonus. pag. 56. col. 1. lin. 3. eodem lege eâdem & eadem pag. num. 353. lin. 18. ementioribus lege emendatioribus. pag. 57. num. 366. lin. 27. ſubſtantiam tuam, quod. lege ſubſtantiam, quod. pag. 58. num. 368. lin. 23. illam lege illum & lin. 24. illum lege illam. pag. 60. num. 379. codicis lege codices. pag. 63. col. 1. lin. ipſa lege ipſe. pag. 66. num. 403. lin. 3. affirmant lege affirmat & ibid. lin. 20. de lege ad pag. 70. num. 426. lin. 13. illa lege illam. pag. 71. num. 432. lin. 20. divinam lege divina. pag. 72. num. 438. lin. 57. affirmabant lege affirmabat. pag. 73. num. 441. lin. 11. ſcriptura lege ſcripturæ. pag. 76. num. 466. lin. 40. Thomæ lege Thoma. pag. 77. num. 468. lin. 5. aliquando qui lege aliqui. pag. 80. num. 13. lin. 1. prædictus lege prædicto. pag. 82. num. 31. lin. 3. videtur lege videlicet. pag. 91. col. 1. lin. 6. ſententiam lege ſententia. pag. 93. num. 112. lin. 11. ordinantur lege ordinatur. pag. 97. num. 132. lin. 22. denominantur lege denominatur. pag. 99. num. 139. lin. 28. limita lege limata, & eadem pag. num. 140. lin. 31. vocatione lege vocationi. pag. 101. col. 1. lin. 11. reprehenduntur, lege reprehenditur, & ibid. lin. 26. doctrina lege doctrinam. pag. 204. num. 165. lin. 5. tenet lege tene, & pag. 105. num. 172. lin. 6. totuis lege totus. pag. 107. num. 179. lin. 7. & ſic ut priori, lege & ut ſic prior. pag. 110. num. 197. lin. 27. merita tanum de, lege merita de. & eadem. pag. num. 199. lin. 1. petendat lege prætendat. pag. 113. num. 215. lin. 13. Pater lege Patrem & eadem pag. num. 217. lin. 5. conducit lege concludit. pag. 114. num. 223. lin. 13. coginta illam lege cognita per illam. pag. 117. num. 242. lin. 38. Sanctos, lege Sanctorum, & lin. 39. illum lege illud. pag. 120. num. 258. lin. 7. Sancto lege Sanctæ & eadem. pag. num. 259. lin. 5. illum lege illud. pag. 122. num. 267. lin. 27. miſericordiam lege miſericordia. pag. 125. num. 283. lin. 6. ex operibus lege de operibus. pag. 129. num. 305. lin. 17. prudentiæ lege providentiæ & lin. 18. prudentia lege providentia & eadem pag. num. 307. lin. 22. ex lege eſt. pag. 130. num. 312. lin. 39. conveniunt lege convenit. pag. 133. num. 330. lin. 20. intentam lege intentum, & eadem. pag. num. 334. lin. 7. præparantur lege præpararur. pag. 134. num. 342. lin. 32. Chriſtis lege Chriſtus. pag. 135. num. 351. lin. 29. quòd lege quàm. pag. 136. num. 358. lin. 13. fiet lege fieri. pag. 140. num. 376. lin. 5. vitandas lege vitandos. pag. 145. num. 405. lin. 22. aliquid lege aliquis. pag. 150. num. 433. lin. 4. illum lege illud. pag. 153. num. 446. lin. 11. utentis ex ſua jurata lege utatur ſua innata & eadem pag. num. 450. lin. 1. vobis lege nobis & lin. 3. ſi lege ſit. pag. 160. num. 41. lin. 9. hæc. lege Nec. pag. 165. num. 70. lin. 11. ha lege hac. pag. 167. num. 86. lin. 23. celebrato lege celebratum. pag. 168. num. 95. lin. 12. contraria lege contrariæ. pag. 173. num. 121. lin. 7. hæc lege hanc. pag. 174. num. 131. lin. 11. menime lege minimè & lin. 12. Auguſtinos lege Auguſtinus. pag. 191. num. 212. lin. 4. domit lege dormit. pag. 198. num. 335. lin. 17. poneret lege ponerent. pag. 203. lin. 11. malè operaturus lege benè operaturus: ergo præſcire hominem malè operaturum. pag. 210. num. 408. lin. 26. facere lege faceret. pag. 215. num. 438. lin. 27. Mannianus lege Marianus. pag. 231. num. 540. lin. 18. dici lege dicit. pag. 238. nu. 583. lin. penul. prævenientem lege provenientem. pag. 239. num. 584. lin. 21. poſſo lege paſſo & nu. 590. lin. 6. præſcientiam lege præſentiam. pag. 240. num. 600. lin. penult. explicatione lege explicationes & num. 601. cæteris lege cæteri. pag. 244. num. 621. lin. 50. damnato lege damnatio. pag. 252. num. 660. lin. 2. prædeſtinationibus lege prædefinitionibus. pag. 276. num. 136. lin. 15. zelores lege zelotes. pag. 286. num. 181. lin. 56. quem lege quam. pag. 304. num. 285. lin. 39. materia lege merita. pag. 311. num. 331. lin. 24. alium lege aliud. pag. 321. num. 54. lin. 5. abſtrando a capite carne, lege abſtrahendo à carne & lin. 6. hoc enim lege nec enim, & lic. 10. paſſibili lege paſſibilis & lin. 18. intetiones lege intentionis & eadem pag. num. 55. lin. penult. Dei, lege Deo & eadem pag. num. 56. lin. 1. reſpondet lege reſpondent, & lin. 3.

Digitized by Google

hoc lege hac. pag. 322. num. 58 lin. 91. vocato lege citato & eadem pag. num. 59. lin. penult. Ancipiti lege antiqui. pag. 323. num. 60. lin. 14. quam lege quem, & eadem pag. num. 61. lin. 4. impoſſibili lege impaſſibili & pag. 324. num. 66. lin. 40 creaturam lege creaturarum, & lin. 63. ordinis intentione lege ordine intentionis. pag. 327. num. 78. lin. 17. præſcivi lege præſciri, & eadem pag. num. 80. lin. 1. minoriam lege minori cum, & lin. 11. retractabatur lege tractabatur, & lin. 20. titulum lege titulo, & pag. 328. nu. 81. lin. 17. reprobationem lege probationem, & lin. 32. prædeſtinatis lege prædeſtinatio, & eadem pag. num. 82. lin. 7. rationis Angeli lege rationis ſicut Angeli, & lin. ult. modo lege ordo, & eadem pag. num. 84. lin. 6. conditores lege conditoris. pag. 329. num. 88. lin. 3. iſti lege iſte. pag. 330. num. 95. lin. 11. caput primum &, lege caput. Primum eſt. pag. 331. num. 96. lin. 8. quod docet eſt ſecundum, lege ſecundum, quod docet, eſt, & lin. 15. hoc lege citato, & lin. 18. hoc lege loco, & eadem pag. num. 99. lin. 11. ut ſui lege uſus. pag. 332. num. 100. lin. 15. nec illo lege nec in illo, & eadem pag. num. 102. lin. 1. reperiſſe lege reſpexiſſe, & num. 103. lin. 9. quali lege quibus. pag. 333. num. 106. lin. 5. eſſet lege eſt & lin. 28. recidere lege recedere, & lin. 37. fuere Eccleſiam lege fuere per Eccleſiam, & num. 107. lin. 12. quam lege quem, & num. 110. lin. 37. Chriſtianis lege Chriſtiani. pag. 334. num. 112. lin. 13. Patres lege peſtes, & lin. 18. excita lege exuta, & num. 114. lin. 10. Doctori lege Doctoris. pag. 335. num. 118. lin. 5. dederunt lege deduxerunt, & lin. 23. dicta lege dictum. pag. 336. num. 120. lin. 11. erit lege erat, & num. 123. lin. 22. dominum lege dominium, & num. 124. lin. 19. inſpiratione lege in ſpiratione. pag. 337. num. 125. lin. 2. Angelorum lege Anglorum, & num. 128. lin. 5. intentione lege intenſione, & num. 129. lin. 11. intentione lege intenſione, & lin. 14. intentione lege intenſione, & lin. 17. intentionem lege intenſionem. pag. 338. num. 150. lin. 32. contrarium lege contrariam, & lin. 35. voluiſſet lege voluiſſe, & num. 32. lin. 23. & lege eſt, & lin. 32. obedientiæ lege obedientia. pag. 339. num. 135. lin. 26. adverſatur, lege adverſantur & nu. 137. lin. 25. neceſſarium præcepiſſe lege neceſſariam actionem præcepiſſe. pag. 340. num. 139. lin. 25. imponetur lege imponeretur, & lin. 27. libere, lege liber, & nu. 140. lin. 24. facere lege faceret, & num. 142. lin. 15. volo non ſecundùm, lege volo ſecundùm, & lin. 20. qua lege quia. pag. 341. num. 143. lin. 15. hæc lege nec, & num. 145. lin. 6. quia id arbitrio lege quia arbitrio, & num. 146. lin. 42. repugnat lege repugnet, & lin. 45. proxima parte lege pro prima parte, & num. 147. lin. 18. potentiæ lege potentia, & lin. 21. ad inobediendum, quia non habet, lege ad inobediendum, non habet. pag. 342. num. 149. lin. 11. generalis lege generales, lin. 343. num. 155. lin. 15. permanent lege permanet. pag. 344. num. 162. lin. 6. quia lege qua. pag. 345. num. 170. lin. 24. ergo lege ego. pag. 346. num. 174. lin. 5. ergo lege erga, & lin. 6. dilectio quatenus quomodo, lege dilectio quomodo. pag. 347. num. 177. lin. ult. publicarent lege publicarentur, & num. 178. lin. 13. humanitatis lege humanitas, & num. 179. lin. 9. conſentana lege conſentanea, & num. 181. lin. 4. exiſteri lege extiterit, & num. 182. lin. 8. relatis lege relata, & lin. 9. ſine lege ſive, & num. 183. lin. 5. abſoluta, lege abſoluta per opera ipſam antecedentia, & lin. 6. incarnationem, lege incarnationem per opera ipſam antecedentia, & lin. 23. ſuam, lege ſuam mereretur, & num. 184. lin. 7. oſtendentes lege oſtendimus, & lin. 17. utrumque lege utcumque. pag. 348. nu. 189. lin. penult. quaſi, lege quas ſi, & num. 190. lin. 19. reputaret lege reputant. pag. 349. num. 192. lin. 9. ſupponitur lege ut ſupponitur, & num. 193. lin. 3. connaturaliter lege connaturali. pag. 350. num. 199. lin. 12. potuerint, lege potuerunt, & lin. 13. proſens præcedit, lege præſens procedit, & num. 201. lin. 2. recentiorum aſſertionem *ſupra*, lege *ſupra*, & lin. 3. recentiorum. lege recentiorum adductas, & lin. 5. & utraque modò venit examinanda, lege examinandas ſuſcipimus. pag. 351. num. 204. lin. 33 quantum lege quamtamen, & lin. 36. nequaquam, lege negativam, & num. 205. lin. 27. anno lege numero. pag. 352. num. 210. lin. 17. homines lege tales, & lin. 33. natum, lege nactum, & num. 211. lin. 16. ordinatum, lege ordinata. pag. 353. num. 213. lin. 21. predeſtinationem, lege prædictus, & lin. 27. Chriſtus non meruit, ex hoc tantum, lege Chriſtus hanc non meruerit, ex hoc tamen, & num. 214. lin. 8. extrinſecæ prædeſtinationis, lege extrinſeca prædeſtinationi, & lin. 9. meruerit, & num. 215. lin. 5. Iapert, lege Taper, Merita lege meritis. pag. 354. num. 224. lin. 23. qua lege quæ, & lin. 36. non lege nos. pag. 356. num. 230. lin. 37. monebatur lege movebatur, & num. 231. lin. 21. ſi lege ſic, & num. 232. lin. 12. quòd prædeſtinati, lege prædeſtinati. pag. 359. num. 247. lin. 12. hæc lege nec, & num. 248. lin. 3. male lege malle, & num. 249. lin. 11. hæc lege nec. pag. 360. num. 250. lin. loquntur lege ſequuntur, & num. 254. lin 11. provenientes lege prævenientes, & pag. 361. num. 256. lin. 10. ponam lege pono eam, & num. 258. lin. 22. ſumpta lege ſumptæ. pag. 362. num. 263. lin. 12. ſpecialis lege ſpeciales, & num. 265. lin. 24. favendum lege faciendum, & num. 264. lin. 5. ſeparabiliter lege inſeparabiliter, & num. 265. lin. 24. favendum lege faciendum, pag. 364. num. 275. lin. 45. paſſionis lege paſſio, & num. 278. lin. 1. perſolvitur, lege perſolvimus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATVS PRIMVS DE PROVIDENTIA IN COMMVNI.

CAPUT I.

De ratione providentiæ in genere.

1. PROVIDENTIA pars prudentiæ est, ut communis est tum Philosophorum, tum Scholasticorum sententia. Pars quidem integralis, inter illas octo integrales partes prudentiæ, quæ à S. Thoma enumerantur 2. 2. *quæst.* 48. *art. unico* principaliorem obtinens locum. Sunt autem integrales istæ partes, memoria, ratio, intellectus, docilitas, solertia, providentia, circumspectio, & cautio. Quæ octo ad tres tantum reducuntur ab eodem S. Thoma 1. *p. quæst.* 22. *art.* 1. videlicet ad memoriam præteritorum, intelligentiam præsentium, & providentiam futurorum. Illæ enim octo in istis tribus comprehenduntur, ut facillimum est deducere. Inter autem illas octo, sivè tres istas, principalior est providentia, aliæ duæ priores, scilicet memoria præteriorum & intelligentia præsentium ad providentiam ordinantur, prout ex præteritis memoratis, & præsentibus intellectis, de futuris providendis conjectamur. Est igitur providentia principalior pars integralis prudentiæ.

2. Quia tamen non solum habet prudentia integrales partes, sed etiam subjectivas, & potentiales (ut probat idem S. Thomas 22. ubi supra) & subjectivæ partes ad præsens nihil conducunt, ideò omissis illis, partes prudentiæ potentiales sunt modò referendæ: eubulia scilicet, synesis, & prudentia. Eubulia consiliativa est, synesis judicativa, prudentia autem præceptiva. Prudentia ergo particulariter sumpta secundùm videlicet quod est tertium hujus distinctionis membrum continetur sub prudentia generaliter sumpta, prout se extendit ad omnes alias partes; sicut alteratio propriè dicta sub alteratione generaliter sumpta collocatur: & dispositio specialiter capta, sub dispositione sumpta generice, qua generalitate habitum & dispositionem comprehendit. Nec quartam potentialem partem numeramus, scilicet gnome; quia illa est judicativa per altiorem causam, videlicet perspicacitatem judicis; synesis verò est bene judicativa per communes causas, & rationes ut docet S. Thomas 2. 2. *quæst.* 15. *art. ultimo.*

3. Rursus eubulia, & synesis, quæ sunt priores duæ potentiales partes prudentiæ, quarum prima consiliatur, secunda judicat, ad speculativam pertinent rationem, sicut & actus proprius ipsarum, videlicet consiliari, & judicare, rationis speculativæ actus sunt. Tertia verò pars, videlicet prudentia specialiter sumpta, sicut & illius proprius actus qui est præcipere, ad practicam pertinet rationem, ut idem S. Thomas affirmat 2. 2. *ubi supra.* Sed multo clarius & expressius 1. 2. *quæst.* 57. *art.* 6. cujus, & verba sunt. *Circa agibilia autem humana tres actus rationis inveniuntur, quorum primus est consiliari, secundus judicare, tertius est præcipere, primi autem duo respondent actibus intellectus speculativi, qui sunt inquirere, & judicare, nam consilium inquisitio quædam est, tertius actus est propriè practici intellectus in quantum est operativus.* Igitur sola prudentia in quantum est præceptiva ad practicam rationem pertinet.

4. Providentia ergo, ut diximus, est pars principalis integralis prudentiæ, secundùm quod prudentia præceptiva & practica est, sicut memoria præteritorum, & intelligentia præsentium ad ipsam prudentiam spectant, secundùm quod cognoscitiva, sive speculativa est, ut etiam apertè docet S. Thomas *citato art. ex* 2. 2. sic dicens de illis octo integralibus partibus. *Quorum octo, quinque pertinent ad prudentiam secundùm id quod est cognoscitiva scilicet memoria, ratio, intellectus, docilitas, & solertia; tria vero alia pertinent ad eam secundùm quod est præceptiva, applicando cognitionem ad opus; scilicet, providentia, circunspectio, & cautio.* Igitur providentia est integralis pars prudentiæ, & principalior pars inter omnes integrantes, pertinetque ad prudentiam, quatenus præceptiva & practica est.

5. Præterea cum providentia non sit de fine, sed de mediis, qua ratione dicit Philosophus, quod prudens est bene consiliativus (nam consilium de mediis est, non de fine) fit manifestum quod prudentia finem præsupponens, media per præceptum in ipsum ordinat. Qua etiam

Digitized by Google

etiam ratione à S. Thoma dicitur, quod prudentia non præstituit finem virtutibus moralibus, sed ipsum finem præstitutum præsuponit. Et hoc ipsum propria definitio prudentiæ apertè declarat, qua dicitur, quod prudentia est recta ratio agibilium, id est recta ratio agibilia ordinans ad finis consecutionem. Præsupponit verò prudentia finem, non solùm præsupponendo ejus cognitionem, sed etiam ipsius finis volitionem, sivè intentionem. Qua ratione dixit Philosophus *ubi supra* prudentem debere esse virtuosum & bene dispositum circa fines per virtutes morales: Diximus, præsupponere finis volitionem, seu intentionem: quia simplicis finis volitionem non tantùm præsupponit (hæc enim voluntatem non movet ad mediorum volitionem) intentionem finis debet præsupponere, ex qua voluntas movetur ad mediorum electionem.

6. Præterea hæc recta ratio agibilium finem præsupponens (quæ & prudentia est, ut verba ipsa declarant) actus rationis est essentialiter, & actus rationis practicæ ordinantis per præceptum agibilia ad consecutionem finis prævoliti, & præconcepti. Undè essentialiter ad practicum pertinet intellectum præsupponentem finis intentionem, quod S. Thomas manifestat *ubi supra* quæ omnia ad præsens de providentia oportet præsupponere.

7. Ex dictis sequitur providentiam ad rationem pertinere, & ad rationem practicam, quæ proinde præsupponit finis intentionem; esseque essentialiter in practico intellectu constituendam, quod & diffinitio ipsius clariùs ostendit, qua dicitur, *providentia est ratio ordinis rerum in finem*, ut S. Thomas definit 1. *p. quæst.* 22. *art* 1. quod hic esset magis præsupponendum, quam disputandum, tum ex communi Philosophorum, ac Scholasticorum sententia nisi singularis recentiorum sententia nos compelleret in in hoc aliquantulum immorari. Dicit enim quidam ex recentioribus primò, sententiam esse S. Bonaventuræ, Scoti, Gregorij Arimine. Ac S. Damasceni, imò communem: providentiam non esse rationis actum, sed voluntatis. Secundò affirmat superfluum omnino esse istum actum intellectus practici constituere. Ac tandem tertiò ait, quod dato, requireretur in nobis actus ille rationis practicæ, tamen in Deo inveniri non potest. Quæ ita probat: quia actus ille dicitur studium, vel cura rerum gerendarum, non autem dicitur providentia. Præterea, quia talis actus practici intellectus in nobis superfluit: ergo nec in nobis circa virtutum opera invenitur. Antecedens probatur, quia si requireretur actus ille practici intellectus, esset ut inclinaret imperium voluntatis respectu aliarum potentiarum exequentium; sed ad hoc superfluit: nam ut potentia exequens suo tempore operetur, sufficit quod affectus in voluntate sequatur judicium; nam ad illum affectum voluntatis sequitur operatio alterius potentiæ exequentis. Tertiò dato quod in nobis ille actus practici intellectus præsupponens voluntatem requireretur, in Deo tamen inveniri non potest. Nam in nobis ideò requiritur, ut imperium voluntatis intimatione quadam deferat facultatibus exequentibus; at in Deo nulla talis facultas exequens constituenda est distincta à voluntate: frustra ergo in Deo talis actus constituitur. Imò quamvis in Deo poneretur facultas illa exequens distincta à voluntate, tamen illa insinuatione voluntatis Deus non diceretur imperare creaturis, quas facturus erat, quia illæ talis imperij capaces non sunt.

8. Hæc sunt argumenta, quibus prædictus Author sibi persuasit nec providentiam, nec prædestinationem esse intellectus actum, sed voluntatis volentis aliquem in finem destinare. Et quidem quantum ad illud primum, quo ait providentiam esse actum voluntatis, sic illius sententiam possumus confirmare: providentia respicit rerum futuritionem certam, & infallibilem, loquendo de divina providentia: ergo consistit in actu voluntatis: patet consequentia, quia res habent, quod sint formaliter futuræ à divina voluntate, & non à divino intellectu.

9. Sed ad hoc argumentum statim est respondendum, ut post modum liceat supradicti authoris sententiam, quantum ad ea in quibus singularis est accuratius examinare. Dicendum ergo concessa majori ad minorem, quod res habent, quod certò futuræ sint à divinæ voluntatis efficacia sicut à prima radice: quia efficacia divinæ voluntatis est prima radix, & prima ratio talis contingentiæ: sed prima, & immediata causa certæ contingentiæ est ipse ordo causarum secundarum, vel ipsa ratio ordinis rerum in finem, quæ est divina providentia; & sic divina providentia proximiùs, & immediatiùs, quam divina voluntas respicit certam rerum futuritionem, præsupponendo efficaciam divinæ voluntatis, sicut primam, & originalem radicem à qua originaliter omnis certa rerum futuritio provenit, sed ad dicti authoris singularem sententiam accedamus.

CAPUT II.

Quod providentia sit actus intellectus practici.

10. Sed mirandum est satis, quam inefficacibus argumentis prædictus author à communi tum Philosophorum, tum Theologorum recedat sententia. Non enim solum negat providentiam esse actum practici intellectus (quod aliquam posset habere probabilitatem) sed quod magis est, affirmat illum actum practici intellectus esse tum in Deo, tum in nobis omninò superfluum; quod nec sanctus Damascenus, sed nec sanctus Bonaventura, Scotus, & Gabriël affirmarunt. Nam Sanctus Bonaventura, & Scotus nullo modo dicunt actum intellectus practici, qui sequitur finis volitionem, esse superfluum; sed tantùm affirmant, quod tam providentia, quàm prædestinatio magis principaliter & essentialiter sint voluntatis actus, & quod propriè pro actu voluntatis supponunt; asserunt tamen quod minùs principaliter connotant actum intellectus practici: non ergo dixerunt illum actum practici intellectus esse superfluum, imò planè totum contrarium docuerunt.

11. Præterea, communis Scholasticorum sententia cum Magistro *in eodem* 1. est, quod providentia includit actum utriusque potentiæ intellectus scilicet, & voluntatis: licet in modo quo illos includat, sit differentia Scoti cum Sancto Thoma & Magistro affirmante providentiam esse essentialiter actum intellectus, & præsupponere actum voluntatis; Scoto autem asserente, quod essentialiter est actus voluntatis, connotando tamen actum intellectus practici, quod & videtur sanctus Damascenus magis affirmare.

12. Ergo hujus recentioris sententia affirmantis illum actum intellectus practici esse superfluum contra communem Scholasticorum sententiam procedit, & contra S. Bonaventuram, Scotum, & alios.

13. Præterea omnium Philosophorum rectè sentientium doctrina est, & potissimè Arist. *in 6. Ethi.* quod providentia sit pars principalis prudentiæ. Quod ex eodem Philosopho docuit S. Thomas *locis citatis*; sed prudentia est in intellectu practico, ut ipse Philosophus ubi supra, & S. Thomas perpetuo docuerunt: ergo & providentia est actus intellectus practici.

Præterea

Digitized by Google

14. Præterea providentia est ratio ordinis in finẽ, (ut apertè ejus definitio demonstrat supra ex S. Thoma relata) imò omnes providentiæ definitiones quæ infra recensebuntur, tum à Philosophis, tum à Theologis traditæ (una excepta Damasceni) providentiam definiunt per rationem, & per actum intellectus. Contra communem ergo tum Philosophorum, tum Theologorum sententiam procedit, affirmare intellectus actum ad hoc superfluum omninò esse, ita quod providentia nullo modo illum actum practici intellectus includat, nec principaliter, nec concomitanter.

15. Postremò, propriũ munus providentiæ est ordinare media in finem; ordinatio autem actus rationis practicæ est: ergo reipsa providentiam negat, qui dicit illam nullo modo, nec essentialiter, nec concomitanter ad rationem pertinere: & multò magis qui asserit superfluum esse actum intellectus & rationis practicæ ad hoc constituere, nec in hoc videtur ampliùs immorandum; sed solum ad argumenta hujus authoris respondendum

16. Ad primum de mente Scoti, & Bonaventuræ ex modò dictis patet. Ad secundum ergo dicendum, providentiam rectissimè ad rationem sive ad intellectum practicum pertinere; nec illum actum practici intellectus, qui immediatè sequitur ad finis volitionem, seu intentionem, esse dicendum studium, vel curam rerum gerendarum, sed semper à Philosophis, & Theologis fuisse providentiam nuncupatum, & ita esse nuncupandum. Quis enim modò introducit in his materiis nova (studium, seu gerendarum cura rerum) ut usitata, & antiqua vocabula, quibus, & Philosophi, & Theologi utuntur, de medio auferat? Actus ergo ille practici intellectus, qui immediatè sequitur finis intentionem, providentia est, & providentia est appellanda: providentia nominanda: & providentia defendenda. Ista autem nomina, studium, vel cura rerum, quia singularia & Peregrina in hac materia, sunt penitus rejicienda. Dixi actum illum practici intellectus, qui immediatè sequitur finis intentionem, providentiæ actum esse nominandum: quia actus practici intellectus, qui mediatè sequitur eandem finis intentionem vocatur gubernatio; qui actus est executivus providentiæ, & ad actum practici intellectus qui providentia est, immediatè sequitur, & mediante ipso sequitur ad intentionem finis.

17. Ad tertiũ, patet ex dictis, quomodo videlicet nec in nobis, nec in Deo est superfluus ille actus practici intellectus præsupponentis finis intentionem; sicut nec in Deo, nec in nobis superfluus est providentiæ actus, qui in illo actu essentialiter consistit, ut S. Thomas docet, vel saltim concomitanter, ut alia opinio defendit. Et ad probationem dicendum quod providentia non ordinatur immediatè ad intimandum aliis facultatibus à voluntate, ipsius voluntatis imperium, sed principaliter habet ordinare res in finem, prius volitum practica ordinatione. Quamvis enim voluntas ex se finem appetat, non tamen ipsa potest per se ipsam consiliari de mediis, de ipsis judicare, vel illa ordinare per imperium sivè præceptum ad illius voliti finis consecutionem. Unde necesse est, quod voluntas finem volendo, moveat quoad exercitium intellectum practicum ad consiliandum, & judicandum de mediis, & ad præcipiendum ipsi voluntati talem, vel talem mediorum electionem. Et istum ordinem tollere inter voluntatem, & practicum intellectum, nihil est aliud, quam ordinem rationalis naturæ in suis actibus evertere. Ecce quomodo non superfluit ille actus practici intellectus præsupponentis finis volitionem, in quo & consistit providentiæ actus, sed omnino est necessarius. Verum est, quod actus ille non solum ordinat, sed intimando præcipit; quia hoc præceptum sivè imperium principalis est actus prudentiæ, ut dictum est supra. Quia prudentia sivè providentia præceptiva est, & hoc præceptum, sivè imperium (quod debebat advertere prædictus author) non intimatur immediatè aliis facultatibus, & potentiis à voluntate, quæ & dicuntur exequentes. Notissimum est enim, quod aliæ facultates à voluntate capaces nullo modo sunt ad recipiendum immediate illam intellectus intimationem, sed immediatè voluntati intimatur, ad quam habet intellectus immediatum ordinem, & voluntate acceptante, suo efficaci actu cæteras exequentes potentias movendo applicat ad operandum, & exequendum.

Sed opponere possunt, quod nunquam est defectus in præcipiendo nisi sit aliquis defectus in judicando, saltim in particulari operabili: si ergo synesis ponitur virtus ad bene judicandum, videtur quod non sit necessaria alia virtus ad bene præcipiendum: & sic prudentia erit superflua superfluumque ejus imperium.

18. Ad hoc argumentũ quod S. Thomas opponit 2. 2. *quæst.* 31. *art.* 3. ipse S. Doctor respõdet sub his verbis. *Ad tertium dicendum quod contingit quandoque id, quod bene judicatum est differri vel negligenter agi aut inordinatè: & ideò post virtutem, quæ est bene judicativa, necessaria est finalis virtus principalis quæ est benè præceptiva, scilicet prudentia.* Et sic ratione eadem post bonum judicium est imperium efficaciter voluntatem ad actionem movens.

Tota ista doctrina est in terminis S. Thomæ 1. *p.* *quæst.* 23. *art.* 4. *in corp. ubi sic* habet: *Prædestinatio (ut dictum est) est pars providentiæ. Providentia autem sicut, & prudentia est ratio in intellectu existens præceptiva ordinationis aliquorum in finem, ut supra dictum est. Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente finis &c.* Quibus apertè totam tradictam à nobis doctrinam tenet ac docet, ut videat author iste, qua ratione dicere potuerit superfluum esse istum providentiæ actum.

19. Et per hoc patet ad aliud. Licet enim in Deo potẽtia exequens non distinguatur ab intellectu & voluntate secundum rem; tamen ad nostrum intelligendi modum cum fundamento in re distinguimus ratione in Deo executivam potentiam illius actus practici divini dirigentis res in finem, quæ providentia est, ut S. Thomas docet 1. *p.* *quæst.* 25. *art.* 1. *ad* 4. *in prima parte solutionis.* Vel cum ipso Doctore Sancto dicatur, *in secunda illius solutionis parte*, quod ne ratione distinguitur potentia exequens à scientia Dei practica formaliter. Sed quid quid de hoc sit, parum ad præsens retulerit.

20. Ad aliud dicendum, quod licet imperium propriè sit respectu inferiorum: in divino intellectu comparatione voluntatis divinæ, adhuc tamen illa practica directio, & ordinatio divini intellectus habet se ad modum imperij, inquantum intimando movet divinam voluntatem, ut acceptet illam mediorum ordinationem, quam intimat divinus intellectus practicus in virtute prioris intentionis finis. Et quidem, si hoc argumentum vires haberet, etiam probaret, quod divinus intellectus non dirigat voluntatem: qui enim alium dirigit, superioritatem super eum in hoc videtur habere. Nec voluntas ipsa Dei posset movere divinum intellectum quoad actus exercitium: quia sic movens præstantius est moto aliquo modo. Igitur omnia ista sunt in Deo cum summâ æqualitate, & perfectione ablatis imperfectionibus illis inferioritatis, & superioritatis, quæ in creaturis solent inveniri.

Digitized by Google

CAPUT III.

Quod præcipuus Providentiæ actus sit præcipere sive imperare.

EX dictis constat satis, præcipuum providentiæ actum esse præceptum sive rationis imperium. Imperium autè est essentialiter rationis actus, quo aliquis movetur ad aliquid agendum per modum intimationis, & denuntiationis atque motionis, qui & præsupponit priorem actum voluntatis, ut ibi docet S. Doctor. Unde imperiū rationis tria importat, videlicet ordinationem, intimationē, & motionem, quoad operis exercitium. Duo priora, scilicet, ordinationem, & intimationem habet ratio ipsa ex se, & ex sibi propriis absque dependentia à voluntate, quia rationis proprium est intimare, & ordinare; motionem autem, qua quoad operis exercitiam movet, participat ratio à voluntate, & in ipsius virtute sic movet. Qua ratione aliquando S. Thomas, & Doctores alij voluntati tribuunt imperare potentiis aliis, propterea quod motio quoad exercitium, quæ potissima est in imperio rationis, ex voluntate participatur, sicut à prima radice, & à primo movente, licet imperare formaliter actus rationis sit.

Rursus illa duo priora, quæ sunt in rationis imperio, videlicet ordinare & intimare, congruè significantur per verbum indicativi modi, quo dicitur, hoc est faciendum; quod idem sonat, ac si dicatur, bonum, & conveniens est ut hoc fiat; vel dignum est ut hoc fiat. Illud autem tertium potissimum quod est in imperio, videlicet movere quoad exercitium exprimitur per verbum imperativi modi dicendo, fac hoc, vel aliis similibus æquivalentibus verbis motionem, & applicationem quoad exercitium actus significantibus. Verum est, ut omnis æquivocatio tollatur, & Doctores in sensu quo loquuntur intelligantur, quod interdum loquentes de imperio illud exprimunt per hæc verba, hoc est faciendum: sed non intelligunt, quod hoc dictamen (hoc est faciendum) absolutè prolatum per modum indicativi (ut verba sonare videntur) sit proprium rationis imperium. Imò intelligunt dictamen illud esse propriè imperium imperativè sumptum, & tunc est sensus, hoc attentis omnibus circumstantiis hîc & nunc in exercitio faciendum est. Unde ut sic æquivalet huic (fac hoc) idem enim reipsa est, quod superior dicat subdito, hoc hîc & nunc à te est faciendum, ac si dicat; fac hoc.

Deinde illud etiam oportet advertere, quod Doctores aliquando imperium rationis practicum solent vocare iudicium practicum, perfectum videlicet; quia revera iudicium practicum perfectum illud imperium impulsivum includit, quod est præceptum prudentiæ. Nam iudicium quod habetur per synesim non solent vocare iudicium practicum, cum ad speculationem pertineat. Ad quod si attenderent aliqui non fallerentur, cum audiunt aliquos authores secundùm sententiam sancti Thomæ, & Aristotelis asserere, sufficere iudicium practicum ad electionem: per iudicium enim practicum intelligunt iudicium practicum perfectum, quod re ipsa idem est quod impulsivum imperium.

Præterea (quod est observandum) aliquando sancti Patres & Doctores iudicium rationis practicę, per modum indicandi sumptum & expressum, solent vocare imperfectum rationis imperium; in quantum nempe sic proponens: bonum est & conveniens quod hoc fiat, imperfectè voluntatem movet: vel ut formalior, & proprior sit sermo; objectivè tantùm; & ex parte objecti solum voluntatem inclinat ad operandum. Qua ratione loquitur S.P. Augustinus *lib.8. confess. cap.9.* cum ait: *Imperat animus ut velit animus, nec tamen facit.* Quem locum explicans S. Thomas 1.2.q.17. *art.5.ad 1.* dicit esse intelligendum de animo imperante imperfectè, & propterea non facit quod imperat, sic enim habet; *Ad primum dicendum quod sicut Augustinus ibidem dicit animus quando perfectè imperat sibi ut velit, tunc jam vult, sed quod aliquando imperet, & non velit, hoc contingit ex hoc quod non perfectè imperat. Imperfectum autem imperium contingit ex hoc quod ratio ex diversis partibus movetur ad imperandum, unde fluctuat inter duo, & non perfectè imperat.* Sic ergo quando proponit, bonum vel conveniens est hoc, nec sequitur perfectum imperium non ideo est, quia illud bonum proponit perfectè, sed quasi fluctuando inter duo, licet magis inclinet ad id quod proponit. Si enim omnibus consideratis proponeret omni ex parte hoc esse bonum hîc & nunc, illud perfecte intimatione præciperet, & semper voluntas id vellet. Quam etiam explicationem sibi ipsi adhibet Sanctus Augustinus *eodem loco*: Et ad hoc etiam aptari potest illud ejusdem Sancti Patris. *Prævolat intellectus, sequitur tardus aut nullus affectus.* Quo fit, ut quoties præsuponitur proprium imperium; sive perfectum perfectione illa sua essentiali (quæ ut dictum est, in ordinatione præceptiva, sive in intimatione quoad exercitium consistit) semper voluntas operatur id, ad quod sic imperativè movetur. Nec stat tali præsuppositio imperio voluntatem reluctari, sed semper liberè consentit. Hæc veritas à Philosophis, & Theologis communiter recepta potiùs supponenda, quam probanda esset modò, nisi recentiores illam penitus negarent. Et quia ista materia, potissimè temporibus istis, utpote fundamentalis, valdè est necessaria, coarctamur ad præsens illam paulò diffusius examinare, & fundamenta contraria diluere: huc enim tendunt, ut & prudentiam, & providentiam negent reipsa negando illius propriissimum actum, ut per hoc omnem motionem efficacem antecedentem liberam voluntatem de medio tollant.

CAPUT IV.

Quæ actiones voluntatis rationis imperio subdantur.

UT ergo veritas clarior appareat, primò referendi sunt actus omnes, de quibus potest dubitari, an imperio rationis subdantur, determinando qui subdantur tali imperio, & qui non. Deinde secundò, utrum hoc imperium sit necessarium ad liberam voluntatis actionem, erit aperiendum. Ac præterea tertiò quod ipso posito voluntas infallibiliter semper operetur, liberè tamen, ac plenè liberè, erit manifestum. Et tandem argumentis recentiorum, quibus hoc imperium conantur auferre fiet satis.

Circa primum: Omnes actus voluntatis de quibus quæri potest, an imperio rationis subdantur sunt volitio & intentio universalis & ultimi finis in via, volitio & intentio finis particularis, volitio & intentio finis in patria, motus primò primi, & electiones omnes humanæ. Et quidem quod motus primò primi, quos voluntas habet in via, imperio rationis non subdantur manifestum est, cum deliberationem rationis omnem antevertant; sicut etiam potentiæ vegetativæ actus à ratione non regulantur, de quo S. Thomas 1. 2. *quæst.* 17. Dixi motus primò primos qui antevertunt omnem deliberationem rationis; nam cum omnem deliberationem non antecedunt,

Digitized by Google

cedunt, pro illa parte, qua rationem ſupponunt, ei ſubdi poſſunt. Unde iſti motus, qui dicuntur primò primi, nec abſolutè poſſunt comparari cum actibus potentiæ vegetativæ: iſtæ enim nullo modo rationi ſubdi poſſunt. Similiter volitio ultimi finis in patria, cum ſit actus neceſſarius etiam quoad exercitium, & quoad ſpecificationem (ut Sanctus Thomas docet 1.2.q.5.& 1.p.q.82.& q.22.*de verit.* imperio rationis non ſubditur, nec ab illo movetur, vel imperatur, ſed ex altiori cauſa procedit, ut idem dicit Sanctus Thomas 1.2.q.17.*art.5. ad tertium*, ubi ait, *quod primus actus voluntatis imperio rationis non ſubditur:* quod potiſſimè habet verum de illo primo actu, ac nobiliſſimo voluntatis in patria, in quo voluntas quoad exercitium movetur à Deo creante ipſam animam, & illam movente, ut ſuæ naturæ pondere in beatificum bonum ſicut in ſuæ fœlicitatis centrum feratur.

Quod ad præſens præſupponimus ex his quæ à Sancto Thoma, & ejus diſcipulis tradi ſolent, tum 1.p.q.12. tum 1.2.q.5.*citata*, & q.10.*art.*2. De aliis ergo actibus intentionis, ſive electionis, in quibus libertas reperitur; ſivè quoad exercitium tantum, ſive quoad ſpecificationem, & exercitium ſimul, præſens procedit quæſtio, an ab efficaci rationis imperio moveatur voluntas ad illos. Primò autem à clarioribus incipiendo, de actu electionis erit agendum, deinde de actu intentionis. Supponimus tamen quæ à Sancto Thoma dicuntur 12.q.17.*art.3. in corp. & ſeq.* Quòd videlicet uſus aliquando præcedat imperium, ipſique proinde non ſubdatur: & quòd ad imperium aliquando ſequatur ipſique ſubditus ſit. Similiter quomodo actus rationis imperetur: imo quomodo actus appetitus ſenſitivi imperio rationis ſubdantur, omnia enim iſta non tractamus ſed ſupponimus.

Dicendum eſt igitur, & ſine dubitatione tenendum, quod voluntas in omni ſuo electionis actu pendet non ſolùm à judicio rationis, ſed etiam ab imperio proprio rationis practicæ efficaciter quoad exercitium movente voluntatem ipſam ad omnem ſuam liberam electionem.

Veritas iſta, tum in Philoſophorum rectè ſentientium ſchola, tùm etiam Theologorum, fuit antiquitùs ſinè contradictione recepta, & illam Philoſophus latè proſequitur; numerans enim illos tres actus prudentiæ neceſſarios, videlicet conſultationem, judicium, & præceptum, in hoc ultimo prudentiæ actu, in quo eſſentialiter, & præcipuè prudentiam affirmavit conſiſtere, collocavit imperium. Præceptum enim rationis ſivè imperium rationis idem omnino ſunt. Quo enim prudentia habet præcipere, habet & imperere. Qua ergo certitudine tenetur virtutem prudentiæ in hominibus inveniri, eadem videtur tenendum certitudine, quod datur præceptum, ſive rationis imperium, quod eſt præcipuus actus prudentiæ, ut ſupra eſt declaratum.

Sed dicunt ij authores cum quibus diſputamus, hos tres numeratos actus aſſignari à Philoſopho pro prudentia œconomica, ſeu politica, non autem pro monaſtica. Itaque judicant prudentiam, qua quis ſuos proprios ordinat actus in finem, ſolùm conſulere, & judicare, non autem præcipere, ſivè imperare modo ſupra explicato. Ita Gabriel Vaſquez 1.p.q.22.*diſp.* 167. *cap.* 2. Molina *in Concord. q.*23. *art.*1. & 2. *diſp.*2. §. *Hæc tamen ſententia*, & 1.p. Suarez tum. *alibi*, tum. *lib.*1. *de eſſent. prædeſtinat. cap.*16.

Sed iſta explicatio, aperta deſtructio litteræ eſt. Nam ipſe Philoſophus *lib.*2. *Politic. cap.* 3. declarat manifeſtè, quomodo ratio imperat corpori impetio ſervili, appetitui autem imperio politico ſivè civili. Igitur Philoſophus omni ſeclusa dubitatione in prudentia particulari, qua quis ſuos ordinat actus in finem, tradit ejus præcipuum actum, qui eſt imperare appetitui. Imò ſecundum ipſum, & Philoſophos cæteros, in hoc virtus conſiſtit quòd appetitus obediat rationi. Ubi autem conſtituunt obedientiam appetitus reſpectu rationis, ibi fatentur rationis præceptum ſivè imperium, quia obedientia reſpectu ſuperioris præcipientis eſt. Manifeſtus eſt inter alia, citatus ex Sancto Thoma locus *ſupra cap.*2. in quo manifeſtè probat, *quod prædeſtinatio ſit pars providentiæ, & providentia ſicut & prudentia eſt ratio in intellectu exiſtens præceptiva ordinationis aliquorum in finem, non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, niſi præexiſtente voluntate finis &c.* Ubi apertiſſimè docet in prudentia monaſtica eſſe rationem practicam præceptivam ordinationis in finem præſuppoſita voluntate finis, & ex hoc in Deo concludit prædeſtinationem. Sicut igitur ſecundùm S. Thomam optimè à priori concluditur in Deo prædeſtinatio ex præcepto providentiæ, ſeu prudentiæ ordinantis res in finem. Ita hoc prudentiæ ſeu providentiæ præcepto de medio ſublato, aufertur in Deo prædeſtinatio. Quomodo ergo poſſunt novi iſti Theologi præceptum prudentiæ negare.

Alia via ſecundò hanc veriſſimam, & antiquiſſimam Philoſophiam de prudentia traditam, & receptam intendunt hi authores explicando evertere, & infirmare, dicentes, quod voluntas obedit rationi proponenti per prudentiam, & rationis judicium, non autem per præceptum ſivè imperium propriè dictum. Sed iſte ſecundus explicandi modus, qui non multùm diſtat à primo nunc confutato, eadem facilitate præcluditur. Imò uterque efficacius nunc expugnatur. Nam illud judicium practicum proponens objecti convenientiam non eſt præceptum, ſivè rationis imperium, (ut etiam ij authores fatentur) ergo reſpectu illius non dicitur propriè appetitus obedire; obedientia enim ſolùm eſt in ordine ad præceptum. Improprijſſimè ergo ad minùs cœteri Philoſophi teſtantur in hoc eſſe ſitam virtutem, quod appetitus rectæ rationi obediat; imò non ſolùm impropriè, ſed falsò id affirmarent. Quod ſic explicatur in eiſdem Philoſophis, & philoſophicis principiis. Eubulia, & ſyneſis non ſunt eſſentialiter ipſa prudentia, ſed virtutes illi annexæ, & ad ipſam præſuppoſitæ, ut ex Philoſopho 6. *Ethic cap.*5. patet, & *ex Sancto Thoma* 22.q.48.*art. unico*; ſed ſicut Eubulia habet conſiliari, & ſyneſis bene judicare; ita & prudentia habet præcipere, ut prædictis locis oſtendunt Philoſophus, & S.Thomas: ergo ſecundùm S.Thomam, & Philoſophum, qui à prudentia auferunt præceptum, ſivè imperium rationis ſuperadditum ipſi conſilio, & judicio rationis, auferunt, & prudentiam ipſam, & ſolùm relinquunt Eubuliam, & Syneſim: alteram ad conſiliandum, alteram, ad judicandum.

Hoc argumentum ita convincit, ut qui Ethica Ariſtotelis novit, & materiam virtutum traditam à Sancto Thoma apprehendit, prorſus, quid ſufficienter ab his Recentioribus reſponderi poſſit, ignoret. An reſpondebunt, non tolli prudentiam, cum ejus præceptum ſivè imperium verè maneat in prudentia œconomica, ſivè politica, licet non maneat in monaſtica? Hæc enim ſolutio quid aliud intendit; niſi negare prudentiam monaſticam, & particularem, admittendo ſolùm prudentiam reſpectu multitudinis, videlicet œconomicam, ſivè politicam? Jam ergo ſecundùm hos Recentiores monaſtica prudentia de medio auferetur. Et cum hæc prudentia monaſtica, quæ & particularis eſt reſpectu ſui ipſius, ſit maximè prudentia comparatione œconomicæ, & politicæ (ut Ariſt. ubi ſupra declarat apertè) ſit conſequens ut illa

Digitized by Google

prudentia, quæ maximè est prudentia, de medio tollatur, cum ejus præcipuus, & essentialis actus auferatur. Imo impossibilis redditur, sicut ejus proprius actus qui est præcipere, impossibilis ab his authoribus judicatur.

34. Ex quo & illud secundò sequitur, nullum mortalium comparatione suarum humanarum operationum verè posse esse prudentem, nec veram habere posse prudentiæ virtutem, sed solùm providentiam habere respectu suorum subditorum.

35. Imò illud plane sequitur, quod nec in homine comparatione suarum operationum sit eubulia, aut synesis, & multò minus gnome. Hæc enim duæ ad prudentiam præceptivam, & imperantem ordinantur sicut ad finem, & sicut ad ipsarum proprium complementum, ut Arist. *ibi* declarat, & Sanctus Thomas *lect.* 9. Ablato autem fine, necesse est cessare media, quæ ad ipsum ordinantur. Unde & S. Thomas ibi sic dicit. *Ratio practica non stat in consilio, & judicio, quæ habentur per Eubuliam, & synesim, sed ulterius procedit ad agendum, & ideo necessarium est tertium opus quasi finale & completivum, scilicet præcipere, quo procedatur ad actum: & hoc propriè pertinet ad prudentiam.* Ubi S. Doctor apertè dicit, quod eubulia, & synesis ordinatur ad prudentiam sicut ad completivum & finem. Secundò dicit, quod sine prudentia non proceditur ad opus, etiam si per impossibile eubulia & synesis solæ ponerentur. Verum est ergo, quod ablata in homine prudentia propriè dicta respectu suarum actionum, etiam auferatur in illo eubulia, & synesis, ut S. Thomas deducit, dicendo quod cum ipsis, & sine prudentia, non proceditur ad opus. Erunt ergo illæ duæ superfluæ, & ex consequenti nec à natura tribuuntur.

36. Secundum fundamentum ad idem ex authoritate Sancti Thomæ desumitur, cujus est perpetua doctrina ista modò ex Philosopho declarata, quam sicut principium in Philosophia morali notissimum sæpius manifestat, & manifestando præsupponit 6. *Ethic ubi supra* 1.2.*q.*9. *art.*2.*q.*13. *art.*6. *&* *q.*17. *per totam:* & *q.*47. potissimè *art.*6. & 22. *q.*47. *q.*3. *de malo art.* 3. *ad quintum,* & alibi sæpissimè. In quibus locis manifestat S. Doctor quid requiratur, ut voluntas suam producat electionem: & in loco illo secundæ secundæ dicit, quod primò requiritur ut intellectus practicus moveat voluntatem per judicium rationis practicæ, & in *quæstione citata de malo* declarans, quale est illud judicium rationis practicæ movens voluntatem, ait, quod post consultationem unum debet determinatè proponere voluntati, & quod determinatè ad unam partem debet illam inclinare. Quod autem tale determinatum judicium rationis practicæ (quod revera est præceptum, sivè rationis imperium) habeat efficaciter movere voluntatem, docet 1. 2. *q.* 13. *cit.* affirmans, quod licet voluntas non necessitetur ad eligendum, sed absolutè libera maneat; cæterum supposito quod voluntas vult intellectum determinatè proponere unum, & illum ad id movere, illud necessariò voluntas vult, necessitate videlicet ex suppositione, quam optimè cum libertate nostra stare non semel dictum est supra lib. 1. Et *q.*17. *art.*5. dicit apertè quod actus voluntatis imperatur, & in *art.* 1. illius quæstionis præmiserat, quod imperium respectu voluntatis efficaciter ipsam movet, ut constat ex *corp. illius articuli*, & clariùs ex solut. ad tertium & *opusc.* 11. *art.*3. ait. *Ipsa autem conceptio intellectus secundùm quod habet efficaciam aliquid transmutandi, imperium nominatur.* Ergo manifestum est in doctrina Sancti Thomæ quod ad electionem liberam voluntatis prærequiritur rationis imperium, ipsam efficiter quoad exercitium movens. Nec hanc esse Sancti Thomæ notissimam sententiam possunt ij Authores ignorare, vel sua dicta ei aliquo modo aptare. Unde necesse est quod expresè illam negent, si sua placita volunt defendere.

37 Unde ad ista tã manifesta in Sancto Thoma minùs attendit Suarez, cùm in *primo libro de essentia prædestinationis cap.* 16. *n.*6. §. *Posterior modus*, inquit, quod Thomistæ qui ad electionem ponunt imperium distinctum à judicio, ut efficaciter determinet voluntatem ad electionem unius medij præ aliis, D. Thomæ apertè contradicunt, ut in *citata q.*17. videri potest, & aliquid ponunt superfluum, quod explicari non potest, vel etiam libertatem voluntatis tollunt.

38. Quod enim necessariũ, & non superfluum sit hoc rationis imperium ostensum est modò, tanta enim necessitate est necessarium, qua prudentiam in hominibus admittere, ut ex Philosopho & Sancto Thoma 6. *Ethic lect.* 9. probatum est, quam si hic author legisset, nec hoc aliquando diceret. Quod autem tale imperium libertatem non auferat voluntatis in electionibus suis S. Thomas in tota *q.*17. 1. 2. & signanter *in q. citata de malo* clariùs demonstrat, & nos infra copiosè probaturi sumus. Ad præsens illud miramur, quod iste author asserat Thomistas, qui tale imperium affirmant, loqui contra S. Thomam *q.*17. ex 1. 2. cum in ipsa nihil aliud intendat & verbis patentissimis exponat, nisi hoc rationis imperium. Cum autem tam apertam litteram & multiplicata clarissima verba pro imperio rationis, velint ij authores ad suam sententiam retorquere nihil poterit in Sancto Thoma clarum esse quod per contrarium non exponant. Et fortè supradictus author vim facit in hoc quod imperium non sit actus realiter à judicio distinctus: sed fallitur, quia imperium reipsa actus distinctus est à judicio ut sic; cum judicium sit actus intellectus speculativi; imperium verò sit actus intellectus practici: seu, cum judicium sit opus rationis, imperium verò ordinetur ad opus ad extra, quæ fine, seu reipsa distinguuntur. Unde S. Thomas 2.2. *q.*51. *art.*2. ad probandum eubuliam distinctam esse à prudentia assumit: quia actus rationis ordinati ad opus sunt diversi, nec habent eamdem rationem bonitatis: igitur imperium actus diversus est ab actu consilij, seu judicij, habetque distinctam rationem bonitatis ab utroque, sicut prudentia distincta est ab eubulia, & synesi.

39. Dictum est voluntatẽ ab imperio rationis moveri in omni electionis actu, quod universaliter verum habet, tam de electione qua de novo aliquod bonum eligit, quàm de ea qua in bono jam adepto quiescit, quod contra Ferrariensem *lib.* 1. *contra gentes cap.* 102. videtur esse tenendum. Hic enim author sentit voluntatem non moveri à judicio practicæ rationis sivè ab imperio, ut in bono adepto quiescat; bene tamen illud admittit ad bonum de novo appetendum, & consequendum. Contra cujus tamen sententiam dicendum universaliter requiri practicæ rationis imperium ad quiescendum in bono jam adepto. Quæ sententia communiter defenditur à discipulis S. Thomæ 1.2.*q.*9. *art.*2.*q.*17. ubi & argumentis Ferrariensis respondent, videndi ibi.

CAPUT V.

Necessitas imperij ad liberas electiones eliciendas rationibus demonstratur.

40. Sit prima ratio ad probandum necessitatẽ imperij rationis pro liberis electionibus. Electio sequitur ad judiciũ rationis practicæ (quod ij authores nec negant nec negare possunt) ergo sequitur ad præceptum & imperium rationis practicæ: ergo sine tali imperio rationis non erit electio.

Prima

Digitized by Google

41. Prima consequentia patet: quia iudicium rationis practicæ est præceptū sivè imperium habitum per prudentiam: nam judicium habitum per synesim ad rationem speculativam pertinet, non ad practicam; inquirere enim, vel consulere, speculari est. Idem est ergo iudicium rationis practicæ & & præceptum habitum per prudentiam: ergo qui admittunt necessarium esse iudicium rationis practicæ, si vocem attendant, reipsa admittunt præceptum sivè imperium, hoc enim solum ad rationem practicam spectat, ut dictum est. Vt autem hoc in exercitio clariùs constet formandus erit sylogismus rationis practicæ hoc modo: temperatè est comedendum; sed temperata comestio consistit hîc & nunc, & omnibus attentis circumstantiis in tanta quantitate, & non in majori: ergo tanta quantitas est sumenda, & non major. In hoc syllogismo major habetur per synderesim, quæ est habitus primorum practicorum principiorum. Minor autem per eubuliam, & synesim, quæ inquirunt media & de ipsis iudicium formant, quæ (ut diximus) ad speculationem pertinent: conclusio autem habetur per prudentiam; quæ cum essentialiter sit præceptiva, præcipit hanc esse in exercitio operis comedendam quantitatem, & non majorem. Quod præceptum seu rationis imperium efficaciam habet ad movendum voluntatem quoad exercitium in virtute prioris actus voluntatis, videlicet intentionis finis, quæ sequitur post majorem illam signatam, & ante minorem. Sic enim completivè ordinatur prædictus discursus: primò proponit intellectus hoc principium practicum, temperatè est comedendum; secundò voluntas illud efficaciter intendit, quod ut obtineat, eadem finis intentione efficaci movet intellectum ut determinet, & præcipiat medium, quo id debet obtinere. Intellectus autem sic quoad exercitium motus à voluntate per eubuliam consiliatur de quantitate cibi quæ requiritur ad temperatam comestionem, & per synesim attentis omnibus determinat hanc cibi quantitatem; & sic post majorem submministrat minorem illam appositam. Ac tertiò prudentia per suum præceptum sine imperium infert conclusionem practicam, imperando, hoc hîc & nunc comedat non ampliùs, vel ista quantitas hic, & nunc à te est comedenda ad obtinendam temperatam comestionem. Quare tota efficacia, & activa motio illius præcepti prudentialis ex illo priori actu intentionis habetur, in cujus virtute prudentia per suum imperium efficaciter voluntatem movet quoad operis exercitium.

42. Vbi simul advertendum, quod sicut synesis in illa minori signata speculativè determinat hanc signatam quantitatem requiri ad temperatam comestionem; ita conclusio habita per prudentiam practicè præcepit hanc determinatam comestionem. Rursus sicut Eubulia in sua consultatione indeterminationem habet; ita synesis per suum iudicium quod est determinativum consilij; speculativè determinat in hac quantitate non in majori consistere determinatè temperatam comestionem. Quare asserere iudicium ordinatum ad practicam rationem habitam per synesim esse indeterminatum, est non velle attendere ad propriam naturam, & rationem iudicij, quod absque dubio determinatum est, in hoc enim ejus quidditas consistit. Eubulia enim sola est, quæ sua consultatione indeterminationem habet in consiliando; terminus autem consultationis, quod est iudicium, essentialiter determinationem importat. Et hoc iudicium determinatum prudentia practica proponit, & præcipit, ut dictum est. Et idem omnino dicendum de quolibet alio syllogismo rationis practicæ.

43. Ex quo etiam apparet quod prædicta conclusio habita per prudentiam, & illata ex illis principiis non tantùm proponit in actu signato, debitum est quod hoc fiat, vel dignum & expediens est quod hoc eligatur; vel conformè est rationi rectè sic operari, vel comedere: non, inquam, hoc proponit ut recentiores arbitrantur, sed practico præcepto hîc & nunc in exercitio imperat, hoc comedere, & non ampliùs; vel hoc à te comedendum est & non ampliùs. Clariùs hanc doctrinam tradit S. Thomas *in secundo Sent. dist. 24. quæst 2. art. 4.* dicens: *Sciendum est igitur quod sicut in 7. ethic Philosophus dicit, ratio in eligendis, & fugiendis, quibusdam syllogismis utitur. In syllogismo autem est triplex consideratio secundum tres propositiones, ex quarum duabus tertia concluditur. Ita etiam contingit in proposito dum ratio in operandis ex universalibus principiis circa particularia iudicium assumit. Et quia universalia principia iuris ad synderesim pertinent, rationes autem magis appropiatæ ad opus pertinent ad habitus, quibus ratio superior & inferior distinguuntur, synderesis in hoc syllogismo quasi majorem ministrat cujus consideratio est actus synderesis, sed minorem ministrat ratio superior vel inferior, & ejus consideratio est ipsius actus, sed consideratio conclusionis electæ, est consideratio conscientiæ v. g. synderesis hanc proponit omne malum est vitandum, ratio superior hanc assumit, adulterium est malum, quia lege Dei prohibitum, sive ratio inferior assumeret illam, quia est malum, quia injustum sive in honestū. Conclusio autem quæ est, adulterium hoc esse vitandum, ad conscientiam pertinet.* Hæc S. Thomas. Vbi nomine conscientiæ ad quam dicit pertinere conclusionem, intelligit prudentiam: prudentia enim est, quæ sic concludit.

44. Ubi illud est notandum, quod ad synderesim non solùm pertinet cognitio principiorū practicorum universalium, sed etiam cognitio principiorum practicorum particularium, principia enim particularia practica possunt ut principia proponi per synderesim (ut in nostra argumentatione posuimus) & possunt ut conclusiones deduci ex universalioribus principiis practicis, ut S. Thomas in hac argumentatione deducit.

45. Secunda ratio magis explicativa prioris. Voluntas in illo priori syllogismo rationis practicæ efficaciter vult illum finem hîc & nunc obtinere, videlicet temperatè commedere: ergo efficaciter hîc & nunc vult media ad illum consequendum: ergo efficaciter movet intellectum, ut illud medium inquirat, & sibi proponat: ergo intellectus practicus proponens medium, id facit in virtute intentionis illius finis: etgo sic proponendo efficaciter movet voluntatem ad illud acceptandum: ergo præcipit & imperat efficaciter ut acceptetur. Patet hæc ultima consequentia: quia, ut dictum est nihil aliud est imperium quam iudicium illud rationis practicæ movens voluntatem efficaciter ad exercitium operis in virtute prioris actus voluntatis; ut docet apertè S. Thomas *1.2. quæst. 17. citata.*

46. Totus autem iste discursus infallibilis est, totusque fundatur in illo communissimo, & receptissimo principio morali; quod videlicet qui vult efficaciter finem, etiam & medium quod iudicatur necessarium ad obtinendum finem, vult eadem efficacitate. Hîc autem & nunc nullum aliud voluntati proponitur medium nisi illud determinatum per synesim, & præceptum sive imperatum per prudentiam. Igitur voluntas volens efficaciter priorem finem, etiam efficaciter vult illud quod efficaciter præceptum rationis imperat. Quod autem illa sit efficax intentio finis, patet: Quia ex inefficaci fi-

nis

Digitized by Google

nis intentione nec movetur, nec applicatur, vel intellectus, vel quælibet alia potentia ad operandum, ut compertissimum est. Cum ergo (ut constat intellectus moveatur de facto ad consiliandum, iudicandum, & præcipiendum, dubitare non licet ad id moveri quoad operis exercitium ex primo movente quoad exercitium efficaci; videlicet ex voluntate efficaciter intendente finem. Unde cum communiter dicitur à Philosophis, & Theologis, quod prudentia rectam intentionem finis præsupponit, de efficaci intentione finis fit sermo, nam inefficax non movet.

46. Vltimò: actus proprius virtutis moralis, est electio, habitus enim virtutis moralis electiuus est; sed electio supponit consilium, sententiam, seu iudicium, ut communis est doctrina tradita à Sancto Thoma 1.2.*quæst.*13.*art.secundo ad secundum.* & ex consequenti sequitur actum prudentiæ præcepientis illud determinatum iudicium: ergo electio præsupponit illud præceptum, sive imperium prudentiale rationis practicæ, & ad illud immediatè consequitur: ergo de medio sublato hoc determinato iudicio per prudentiam præcepto sive imperato, necesse est quod prudentia deficiat, quæ in illo essentialiter consistit. Ablata autem prudentia & partes illi annexæ, eubulia & synesis tolluntur, ut supra ex Sancto Thoma declaratum manet: sublata autem prudentia, omnes aliæ virtutes morales formaliter consideratæ in ratione virtutis auferuntur, & sic omnes virtutum electiones pereunt. Attendant ergo obsecramus, quæ inconvedientia sequuntur ex negatione præcepti, sive imperij prudentialis; omnia enim ista sunt inter sese ordinata, & ad invicem dependentia. Unde uno sublato, & reliqua corruunt, non minùs quam si ab uno horologio rota una deficiat; propter dependentiam enim earum inter se, omnes necesse est immobiles permanere. De connexione autem virtutum moralium cum prudentia, & quomodo sine ipsa nulla illarum remanet in ratione formali virtutis, videatur S. Thom. 1.2. *q.*65. *art.* 1.

47. Ex dictis constat apertè quod stante hoc rationis imperio non stat voluntatem non eligere, quia non stat simul velle, & non velle; dum autem durat imperium movens in virtute voluntatis, voluntas ipsa vult consequi finem per medium propositum, & imperatum ab intellectu: ergo non stat illud medium sic propositum non velle; aliàs si proposito imperio staret voluntatem non velle, & non obedire, jam staret quod voluntas efficaciter vellet finem consequi, & non vellet consequi ipsum, quod repugnat. Primum patet, quia durante imperio durat intentio efficax de finis consecutione. Secundum constat, quòd non obediendo rationis imperio rejiceret medium quo intellectus propositione practica proponit esse finem obtinendum: & sic illud rejiciendo non vellet finem obtinere; nec enim sibi practicè aliud proponitur medium ad illum finem consequendum. Quæ doctrina manifesta est Sancti Thomæ in multis suæ doctrinæ locis, quibus docet, quod quando animus imperat perfectè, semper vult animus: & quod si aliquando non vult, est quia animus minùs perfectè imperat. Cum Sancto Doctore unamiter consentiunt omnes ejus discipuli. Consentit & Cardinalis Bellarminus.

48. Præteaea: causa efficax applicata ad agendum semper operatur nisi impediatur; sed posito imperio efficaci ex parte intellectus, nullum potest esse impedimentum: ergo semper voluntas vult quod sibi imperatur. Minor patet, quia ex parte intellectus præcipientis manifestum est nullum esse impedimentum, quod autem non sit ex parte voluntatis, jam modò est declaratum; quia non solùm voluntas sua libertate non vult impedimentum apponere, quin potiùs vult consentire, ut probatum est.

49. Præterea, supposito illo imperio, vel voluntas semper eligit quod sibi præcipitur, vel non eligit? Si primum, habetur intentum. Si secundum det (quod videlicet, vel vult contrarium, vel suspendit actum) tunc convincitur quod voluntas velit aliquid, quod tamen non sibi proponitur per intellectum practica propositione. Quod sic ostenditur: voluntati nihil aliud proponitur practica propositione nisi conclusio, hoc fac, & non aliud: ergo si contrarium vult, vel actum suspendit, quidquid horum faciat, vult aliquid quod sibi ab intellectu practicè non proponitur, quod est penitus impossibile. Antecedens patet, quia licet Eubulia consilietur circa plurimorum mediorum indifferentiam; tamen synesis hoc consilium determinat per determinatum iudicium, quo determinat in istà quantitate v.g. & non in majori consistere temperatam comestionem, & hoc determinatum iudicium sive sententiam prudentia practicè proponendo imperat: ergo nihil aliud tunc in illo discursu rationis proponitur voluntati practicè nisi solùm illa conclusio, qua v. g. dicitur: hanc quantitatem hîc & nunc comede: si ergo voluntas contrarium vult, manifestè appetit aliquid, quod tamen sibi tunc nulla ratione proponitur practicè; unde ferretur voluntas in aliquid non apprehensum practica apprehensione. Imò etiam convincitur eadem ratione, quod tunc voluntas feratur in aliquid, & non sub ratione boni, vel convenientis, quod ipsi omnibus modis repugnat. Manifestatur: quia intellectus nullum bonum hîc & nunc proponit voluntati, nisi id quod imperio suo præcipit, ut in allato exemplo, & discursu fit manifestum. Imò proponit saltem implicitè non eligere tunc id, quod percipit esse malum & disconveniens. Si ergo voluntas aliud vult, ferretur in rem sibi propositam ut disconvenientem. Et idem prorsus fit argumentum, si voluntas tunc suspendat actum. Etenim illa suspensio non proponitur per intellectum practicè voluntati; imò virtualiter & implicité proponitur ut disconveniens, posteaquam actus positivè illi oppositus, ut conveniens hîc & nunc proponitur, & approbatur. Quod totum uno verbo docet S. Thomas *locis supra relatis*, cum ait, *quod eubulia consilians, & synesis iudicans pertinent ad intellectum speculatium, & sola prudentia præcipiens pertinet ad rationem practicam.* His enim verbis docet, quod voluntas non movetur ad eligendum, vel à consilio, vel à iudicio, sed solùm à præcepto prudentiali practico.

50. Ex quo sequitur quod articulus parisiensis damnans sententiam, quæ asserit non posse esse peccatum in voluntate stante recta scientia in intellectu contra modo dicta nulla ratione procedit. Nec enim intendit, aut intendere potest, quod posita in intellectu recta scientia per actuale imperium practicum efficax, possibile sit stare peccatum in voluntate, sed tantum loquitur de scientia in universali, vel de scientia particulari in habitu tantum existente; sive enim una, sive altera rectè posita in intellectu stare optimè potest, quod voluntas peccet, & contrarium asserentes, erroris ille articulus parisiensis rectè damnat. Quæ doctrina est expressa Sancti Thomæ 1.2. *quæst.*77. *art.* 2. *&* 3. *contra gent. cap.* 165. Potest etiam procedere articulus ille de actuali iudicio rationis, sed imperfecto (ut supra ex Sanctis Patre Augustino, & Thoma diximus)

posita

Digitized by Google

posita enim actuali illa scientia imperfecta recta in intellectu, potest esse in voluntate peccatum.

51. Ex dictis etiam illud fit manifestum, quod voluntas sic infallibiliter imperio rationis consentiens, maximè liberè vult, & perfectissimè ejus salvatur libertas in exercitio illius actionis (quam etiam esse liberam quoad specificationem supponimus modò.) Si enim voluntas electionem suam, quæ essentialiter (ut nomen significat) libera est habere non potest nisi prævio illo rationis imperio, & ipso posito semper eligit, fit consequens, quod semper liberrimè eligat. Item nomen electionis hoc in sua ratione importat, quod videlicet unum præ alio liberè eligatur, vel acceptetur; est enim actus liberi albitrij procedens à libera potentia, quæ liberè unum præ alio accipit. Item est actus quæ præsupponit indifferentiam rationis, & indeterminationem consilij, ex qua sicut ex prima radice liberum procedit arbitrium.

Quod si in contrarium fiat communè argumentum; quod videlicet, supposito illo imperio rationis efficaci sive perfecto non stat voluntatem, non consentire: ergo non liberè; sed necessariò consentit. Ad hoc breviter dicendum, quod consentit necessitate ex priori suppositione suæ liberæ voluntatis: quæ suppositio, etiam secundùm hos authores contra quos disputamus, nullo modo libertatem impedit in actu secuto infallibiliter ad talem priorem liberam suppositionem. Hac enim ratione dicunt, quod quamvis dum voluntas vult, necesse sit velle: ita quod ex suppositione non possit non velle; quia tamen in prioritate naturæ se advolendum liberè applicuit, ideo illa necessitas sive suppositio libera est; & actus qui in secundo naturæ instanti ita fit quod potest, non fieri, in virtute illius prioris libertatis liber omnino manet. In hac ergo sua propria doctrina vident, quomodo, licet posito rationis imperio efficaci voluntas necessariò ex suppositione velit, ita quod non stet ipsam non velle, quia tamen illud imperium ex priori actu liberæ voluntatis dependet, actus electionis qui ineffallibiliter ad ipsum sequitur liber omnino manet, saltem (ut ipsi dicunt) per illam priorem voluntatis libertatem, qua sibi illo modo voluit intellectum imperare.

52. Ad hominem ergo contra ipsos formetur argumentum. Nulla necessitas ex suppositione prioris actus liberi voluntatis tollit ejus libertatem; sed voluntas mota aliquo rationis imperio, necessariò vult ex suppositione priori actus liberi suæ voluntatis: ergo talis suppositio sive necessitas libertatem non lædit. Major est eorum sæpius repetita sententia. Minor ab omnibus admitti debet, qui quod quid est imperij rationis penetraverint: ergo vel ipsi contra se ipsos conclusionem inferant.

53. Ex quo fit falsissimè dixisse Suarez quod per tale efficax imperium tollitur libertas, aut superfluum quid ponatur. Quod enim superfluum quidpiam non sit, sed omnino necessarium, dictum est supra. Quod autem per illud libertas auferatur, nec ab eo dici potest, qui ibi etiam manifestè admittit, liberam esse electionem secutam ineffallibiliter ex efficaci imperio, quia libera est in priori ejusdem voluntatis actu jam explicato. Sed recurrit ad primum actum voluntatis, ad quem si requiritur imperium, erit processus in infinitum; si non requiritur: ergo sicut ille, ita & alius poterit sine imperio à voluntate produci. Circa quod admittant nobis illud primum, nihil videlicet obstare libertati, quod electiones omnes ex efficaci imperio voluntatis infallibiliter consequantur; & de primo actu intentionis solum quæstio erit, quomodo videlicet illa sit libera quoad exercitium, cum moveatur ab intellectu efficaciter & non in virtute prioris suæ libertatis; de qua quæstione quia gravis est satis, & cognitione digna, statim agemus, & commodiùs, si priùs illorum argumenta, quibus negant rationis imperium objiciamus; occasione enim eorum, & illam quæstionem de prima intentione finis tractabimus, clarius explicantes à quo voluntas ad illam moveatur.

CAPUT VI.

Proponuntur argumenta, quibus moventur recentiores ad negandum rationis imperium, & præceptum prudentiæ efficax.

54. ARGVVNT primò: illud iudicium primum antecedens omnem nostram libertatem, vel efficaciter illam movet ad primum actum liberum, ita quod illo posito non stat voluntatem non consentire; vel non movet sic efficaciter? Si detur hoc secundum: ergo solum est iudicium practicum dictans objecti convenientiam, ut ipsa voluntas eligat, vel non eligat, prout sibi placuerit: & sic illud iudicium non erit imperium, nec admodum imperij efficaciter voluntatem movebit. Si autem primum concedatur; ergo illud iudicium erit necessarium simpliciter & absolutè; & ex consequenti tollet libertatem à voluntate in illo actu quem infallibiliter ipsa producit, posito tali efficaci iudicio. Vnde actus ille primus voluntatis secutus ad tale iudicium etiam quoad exercitium liber non erit; siquidem absolutè necessariò, & efficaciter movet iudicium illud, & voluntatem secum rapit ad illum actum primum producendum motione ita potenti, cui voluntas nequit resistere. Consequentiam probant, quia actus voluntatis qui sequitur ad iudicium simpliciter necessarium, etiam est necessarius simpliciter. Quod autem illud iudicium sit necessarium probant, quia provenit à causa necessaria & antecedente omnem usum nostræ voluntatis: omnis autem necessitas antecedens tollit eius libertatem. Nec (ut ajunt) valet respondere quod illud iudicium sit radicaliter liberum: nam esse liberum radicaliter solùm est quædam objectiva indifferentia, qua posita voluntas eligit quod vult: si ergo illud iudicium antecedens omnem libertatem movet efficaciter voluntatem quoad ad exercitium ad unam partem, licet aliàs sit liberum objectivè, voluntas tamen libera non permanebit.

55. Præterea: iudicium intellectus non movet voluntatem nisi medio objecto quod voluntati proponit practicè; sed objectum propositum non infert necessitatem voluntati cum determinatione ad unam partem: ergo illa determinatio iudicij non est necessaria, imò nec possibilis: ergo imperium rationis impossibile est omnino. Minor patet, quia objectum ex se, & in ratione objecti, non habet efficaciam ad movendam effectivè voluntatem: non ergo illi iudicio rationis illa efficax motio convenit. Et hoc argumentum reputant à priori probare non requiri tale imperium.

56. Præterea: imperium practicum intellectus nihil est aliud quam iudicium practicum & perfectum ipsius intellectus, nec unquam Aristoteles aut Sanctus Thomas aliter explicarunt imperium rationis quàm per modum iudicij. Cum ergo iudicium ex se solùm moveat ex parte objecti, & sine effi-

Digitized by Google

cacia, nullo modo concedendum est imperium illud efficax.

57. Explicatur magis, & confirmatur: quia intellectus essentialiter, & adæquatè est potentia cognoscitiva, & ideo nullum actum habere potest qui non sit cognitio, apprehensio scilicet, vel iudicium. Item quia ille actus est immanens: ergo aliquem effectum formalem habere debet in ipso intellectu: quis autem ille est nisi cognitio?

58. Ad hæc; quod non detur tale imperium constat, quia si voluntas vellet ab electione desistere, imperium redderetur inefficax: ergo nullum datur imperium efficax, quo posito infallibiliter voluntas consentiat.

59. Præterea si est de ratione voluntatis, quod in suis actibus moveatur ab imperio rationis: ergo etiam in primo omnium voluntatis actu movebitur ab imperio rationis; sed ad primum actum non potest voluntas moveri à tali imperio: ergo nec ad alios cæteros actus movetur ab imperio illo. Minor patet, quia rationis imperium præsupponit priorem actum voluntatis, in cujus virtute efficaciam habeat ad movendum voluntatem, ut supra declaratum est: ergo ante primum actum voluntatis non datur imperium rationis, sed solùm datur iudicium practicum proponens objectum, circa quod voluntas eliciat primum actum suum: ergo etiam sufficiet ad cæteros actus liberos eliciendos absque alio præceptivo imperio.

60. Vltimò: voluntas divina, ut determinatè velit aliquid liberè, respectu videlicet creaturarum, non fuit mota ab imperio rationis proposito per divinum intellectum: ergo nec etiam in voluntate creata dabitur tale imperium. Consequentia patet, quia divina voluntas, cum sit primum ac perfectissimum liberum, est illustre exemplar nostræ libertatis, per quam & nostra libertas pensanda & regulanda est. Antecedens autem manifestatur: quia in divina voluntate solum est unicus actus liber, & una libera determinatio respectu omnium quæ circa creaturas liberè voluit, ut supponimus; sed ante illam suam liberam determinationem æternam non præcessit imperium rationis sic efficaciter divinam movens voluntatem; quia si tale imperium in mente divina præfuisset, esset falsum, & ejus divinam libertatem impediret. Falsum quidem, quia dictaret creatum objectum extra Deum esse aliquo modo divinæ voluntati necessarium. Libertatem autem impediret divinam, quia illo præsupposito imperio, voluntas non posset non obedire. Imò nec ante liberam divinam determinationem circa creaturas potuit antecedere in Deo iudicium determinatum, & determinatè proponens v.g. mundum esse creandum; vel quod hîc & nunc conveniens erat creare: ergo solùm antecessit ante omnem liberam determinationem voluntatis divinæ iudicium indifferens, & proponens objecti indifferentiam, ut voluntas divina eligeret quam vellet partem circa creaturarum productionem, vel non productionem.

His argumentis ij authores rationis imperium, & præceptum efficax prudentiæ conantur infrinfere, de quo videatur *lib. 1. de essentia prædestinationis cap. 16.* tum *alibi*, P. Suarez.

CAPUT VII.

An voluntas quoad suum primum actum liberum moveatur quoad operis exercitium effectivè & efficaciter ab aliquo priori iudicio rationis, & quomodo, declaratur.

61. PRIMVM argumentum oppositum illam tangit difficultatem, an voluntas quoad primum suum actum liberum, qui alius non est, nisi ille quo liberè acceptare vult finem per priorem indeliberatam volitionem volitum, moveatur quoad operis exercitium effectivè, & efficaciter ab aliquo priori iudicio rationis practicæ, & à quo habeat iudicium illud sic movere voluntatem effectivè, & efficaciter quoad vsum seu operis exercitium. Vbi non solum agendum erit de universalis finis volitione, sed etiam de illa quæ circa finem particularem versatur, quamvis de illa volitione universalis finis priùs, de alia vero volitione finis particularis posteriùs. Vniversalis, seu omnium primus finis est bonum ut sic, seu universale bonum, ut docet Sanctus Thomas cum communi sententia *1.2. quæst. 9. art. 6. ad tertium.* Finis particularis, seu proximus est bonum in aliquo genere, ut finis à voluntate volitus; sicut medicus vult sanitatem infirmi. Finis universalis & primus, sicut primò ita ultimò habet terminare. Particularis autem & proximus, proximè terminat, & in aliquo genere, ut de sanitate est dictum. Item particularis seu proximus finis aliquando consideratur ut medium respectu ulterioris finis, & tunc non se habet ut finis etiam proximus, nec proximè actionem terminat; sed est verè medium ad ulteriorem alium finem ordinatum; sicut proportionabiliter in causis efficientibus, prima causa primò causat, proxima proximè agit, secunda autem quæ secundariò operatur. Parique ratione, quia sic se habet finis in operabilibus sicut principium in speculabilibus; Primum principium illud est, quod primò continet conclusionem; proximum principium, quod proximè seu immediatè conclusionem infert; secundarium autem principium ut secundarium quod secundariò, & cum dependentia à primo conclusionem præhabet. Quod est primò etiam in hac materia supponendum.

62. Illud etiam secundò ex Sancto Thoma *prima secundæ quæst. 8. art. 3.* supponatur: quod cum finis sit secundum se volitus, quod mediis non convenit cum propter finem appetantur, potest voluntas in ipsum finem absolutè & secundùm se ferri absque eo quod media appetat propter ipsum. Dupliciter enim voluntas fertur in finem. Vno modo absolutè, & secundum se ut dictum est modò. Alio modo in ipsum fertur, sicut in rationem volendi ea quæ sunt ad finem.

63. Verùm ille actus quo voluntas fertur absolutè in finem, duplex est, & duplex distingui debet. Sicut etiam ille alius quo fertur in ipsum, ut in rationem volendi media, etiam est duplex.

64. Primus actus volendi finem secundùm se & absolutè est indeliberata quædam ipsius finis voluntas, qua voluntas non ut libera, sed ut natura in ipsum fertur. Secnndus est libera volitio quoad exercitium ipsius finis, quo actu libero quoad exertitium absolutè, & secundùm se finis appetitur; (ut infra clarius explicabimus:) parique ratione actus quo voluntas fertur in finem, ut in rationem eorum quæ sunt ad finem, etiam ut diximus;

Digitized by Google

ximus, duplex est, nimirum intentio, & electio: in utroque enim fertur voluntas in finem non absolutè & secundum se, sed ut in rationem volendi ea quæ sunt ad finem, ut ex propria natura utriusque istius actus in propria materia intentionis, & electionis communiter dici solet. Quod si aliquando in istis nostris operibus illam indeliberatam finis volitionem, seu aliam liberam quoad exercitium, appellamus intentionem, intelligimus non proprie, & verè intentionem esse, sed largo modo, & impropriè: in quantum per illam ulteriùs procedit voluntas ad aliud volendum. Intentio enim propria, & vera illa est, quæ unico actu per media tendit in finem: Igitur illa utraque prior volitio, simplex finis volitio est.

65. Diximus duplicem esse actum quo voluntas absolutè fertur in finem, nempe indeliberatum primum; & alterum liberum quoad operis exercitium: quia in hac secunda finis volitione includimus, & intelligimus ipsius fruitionem, qua voluntas in fine liberè quiescit: quod si quis triplicem voluerit distinguere; nempe indeliberatam volitionem, liberam quoad exercitium, & fruitionem nec contradicimus.

66. Has verò finis volitiones S. Thomas tradit, & distinguit in 2. *sent de* 14. *quæst.* 3. *art.* 1. sic dicens. *Appetitus rationis est qui sequitur apprehensionem rationis, & hic dicitur motus rationis qui est actus voluntatis. Sed rationis apprehensio duplex accipi potest, una simplex & absoluta, quando scilicet statim sine discutione apprehensum dijudicat, & talem apprehensionem sequitur voluntas quæ dicitur indeliberata. Alia est inquisitiva quando scilicet ratiocinando, bonum vel malum, conveniens vel nocivum investigat, & talem apprehensionem sequitur voluntas deliberata.* Ubi, sicut per voluntatem indeliberatam primam finis volitionem indeliberatam intelligit, nominando illum primum actum nomine suæ potentiæ; ita per actum deliberatum intelligit illum primum liberum quoad operis exercitium, & etiam omnem actum liberum, quicunque ille sit, sive sit fruitio, sive intentio, sive electio; omnis enim talis sequitur ad rationem ratiocinantem, discutientem, sive consiliantem, licet diverso modo; ut jam nostro primo libro ex parte tetigimus, & etiam infra dicemus.

67. Tertiò supponendum, quod sicut Deus movet intellectum ad illam primam simplicem apprehensionem sine discussione: ita efficaciter ex parte subjecti movet voluntatem ut naturam, ut illam indeliberatam finis volitionem eliciat. Rursus per voluntatem sic actuatam indeliberata illa finis intentione, movet & applicat intellectum ad discutiendum an ille finis indeliberate volitus, sit liberè volendus, & appetendus, ac per tale judicium rationis practicæ seu imperium rationis movet Deus ipse voluntatem ut liberè quoad operis exercitium velit finem illum prius indeliberatè volitum; parique ratione ipsam voluntatem, quam prius præmoverat ad illam indeliberatam volitionem, postea movet ad illam liberam quoad exercitium, finis volitionem. Ita quod in toto isto processu, qui incipit in illa simplici intellectus apprehensione, & terminatur in illa libera volitione finis; libera, inquam, quoad exercitium & usum, voluntas se ad illum duplicem actum indeliberatum, & liberum se ipsam non movet, sed movetur à Deo: licet efficaciter utrumque actum, & indeliberatum, & liberum quoad exercitium eliciat, ut planè S. Thomas docet 1. 2. *quæst.* 9. *art.* 3. & *quæst.* 109. *art.* 2. *ad* 1. quod ibi ex Philosopho probat. Idem habet pro operationibus supernaturalibus 1. 2. *quæst.* 3. *art.* 2. tradendo proprium effectum gratiæ operantis, in quo voluntas non se movet, sed movetur à Deo. Et ratio est manifesta, quia sicut intellectus non aliter movet se ipsum nisi per hoc quod cognoscendo principium reducit se de potentia in actum, quantum ad cognitionem conclusionis: ita voluntas se non movet, nisi per hoc, quod volendo finem movet seipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem. Unde ante liberam illam signatam volitionem finis seipsam ad illam non movet, sed movetur à Deo, ut dictum est.

68. An verò semper, & in omni actione, qua de novo homo incipit aliquid velle, sit simpliciter necessarium, quod Deus moveat supradicto explicato processu, movendo priùs ad illam indeliberatam volitionem ita ut fieri non possit, quod sine illa indeliberatione immediatè se moveat ad actum illum secundum liberum quoad exercitium: licet sint qui dicant: id tamen semper necessarium non videtur quin possit Deus immediatè movere intellectum, ut cum discussione voluntati proponat volendum finem liberè quoad operis exercitium: ita ut ipsa voluntas immediatè etiam illam liberam finis volitionem quoad exercitium eliciat: imò forte in repentinis conversionibus id factum est: de quo tamen copiosius in nostro quarto operis libro tractabimus.

69. Advertendum tamen, illud omnium primum consilium à Deo immissum post illam priorem indeliberatam finis volitionem non esse de fine etiamsi particularis finis sit; quia de fine nullum est consilium, an videlicet hic & nunc sit habendus actus in exercitio circa finem ipsum liberè in exercitio volendum, quod actus exercitium quodammodo se habet, ut medium respectu illius finis. Dicimus, quod se habet quodammodo ut medium, quia propriè medium non est: propriè enim medium non solum supponit indeliberatam finis volitionem, sed etiam liberam volitionem finis, ut infra dicemus.

70. Dicet quis forte, quare cum à principio mediâ illâ indeliberata volitione finis moveat Deus voluntatem, ut per consilium inquirat, & voluntati practicè proponat, non poterit statim ad aliud quodcunque medium movere, sed necessariò movet ad primum consilium de acceptanda, vel non acceptanda quoad operis exercitium illa finis volitione, & quare illud primum consilium oportet esse non de medio alio, sed de exercitio illius intentionis.

71. Ad hoc dicendum hujus primam rationem esse, quia proportione servata sicut in suo naturali ordine se habet finis intentio, ita se habet supernaturalis finis à Deo indeliberata inspiratio, sive excitatio, quod nullus negabit. Supernaturalis autem indeliberata excitatio seu inspiratio secundum sacrum Tridentinum Concilium *sess. 6. de justif. cap.* 5. immediatè movet ut homo liberè eam recipiat, & acceptet, illique consentiat, qui est primus actus liber voluntatis, quo inspirationem talem recipit, & acceptat: ergo similiter in indeliberata naturalis finis intentione proportionaliter dicendum est.

72. Secundò quia communis est sententia, illaque verissima volitionem finis etiam universalis pro hoc statu liberam esse quoad exercitium; sed hoc de prima illa volitione finis quæ sequitur ad simplicem boni per intellectus apprehensionem intelligi nequit, cum illa, ut dictum & probatum est, sit omninò indeliberata: ergo ut id verificetur, ponenda est sine dubio illa alia finis volitio continuata, quæ post consilium deliberans de exercitio illius libera est quoad idem operis exercitium, ut sic omnia consonent, & doctrina S. Thomæ superius explicata, & communis illa Theologorum sententia nunc inducta stet.

73. Tertiò: quia vix intelligi potest quomodo voluntas velit plena sua libertate alia media ad consecutionem finis, & se moveat ad illa eligenda nisi prius

Digitized by Google

liberè velit saltem quoad exercitium ipsum finem, cum enim voluntas se liberè debeat movere ad illa, per priorem volitionem finis & priùs consilium, ut ex Aristotele S. Thomas semper expressit, necesse est quod illud prius consilium sequatur ad primam liberam finis volitionem quoad exercitium, in virtute cujus se liberè moveat ad alia media. Nam illud prius consilium per quod se movet voluntas ad media, non potest esse illud omnium primum secutum ad indeliberatam volitionem finis: ergo debet esse aliud secundum, quod sequitur ad liberam volitionem finis quoad exercitium. Probatur antecedens, quia illud omnium primum consilium nobis à Deo imprimitur, unde per illud non se movet voluntas, sed à Deo movetur, ut statim aperiemus. Igitur illud consilium, & deliberatio illa per quam homo se movet ad media, debet esse talis, quod ex libera finis volitione quoad exercitium procedat, de quo videatur S. Thomas 1. 2. *quæst.* 9. *art.* 4. & *quæst.* 109. *art.* 2. *ad primum.* Ex ipso enim modò supponimus, quod ad mediorum volitionem homo seipsum movet per volitionem finis & per consilium, quod proinde consilium ex se debet habere & non solùm in illo debet tantùm à Deo moveri. Advertendum tamen illud primum consilium de exercitio illius finis, seu de acceptanda, vel non acceptanda illa indeliberata finis volitione à Deo esse nobis immissum, qui sicut voluntati impressit illam indeliberatam, & subitam finis volitionem; ita mediâ illâ efficaciter voluntatem applicat, ut per intellectum de tali exercitio illius finis consideret.

74. Advertendum præterea illum primum nostrum actum liberum, quo fini indeliberatè à principio volito liberè consentire volumus ipsum recipiendo & liberè acceptando, vocari nostrum primum velle, quo indeliberatæ finis volitioni consentimus, vocarique à S. Thoma 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 2. actum interiorem voluntatis: Interiorem quidem, quia est circa finem, & quia est tantum elicitus, & nullo modo ab alio priori imperatus: imperati enim ab eodem S. Thoma vocantur actus exteriores. Unde ad illum interiorem actum dicit consequenter loquendo quod voluntas non se movet, sed à Deo per illam priorem finis indeliberatam volitionem & consilium moveri. Et respectu actionum supernaturalium illud primum nostrum velle fit à Deo per gratiam operantem. Sed de hoc *lib.* 4.

Nec aliquem moveat, quomodo cum illa omnium prima finis volitio à sui principio omninò indeliberata sit, possit esse causa, ut in virtute illius consilium moveat voluntatem ad primum illum actum liberum quoad exercitium, quia ex actu omnino necessario immediatè libertas non sequitur.

75. Ad hoc enim dicendum, quod actus ille nostræ libertatis seu nostræ voluntatis liber quoad exercitium sequitur immediatè ad consilium, quod est radix libertatis; unde non potest non esse liber: consilium enim, seu rationis indifferentia radix libertatis est, à quocunque talis rationis indifferentia intellectui imprimatur; sivè à voluntate se ad illud consilium movente per aliud primum: sive à Deo media illa indeliberata finis volitione. Unde illud primum consilium à Deo ipso habet movere voluntatem ad subsequentem actum liberum quoad exercitium. A duobus itaque habet libertatem quoad exercitium volitio finis sequens immediatè ac proximè, à consilio rationis, ad quod immediatè sequitur, primò autem originaliter & principaliter à Deo qui est omnium prima causa libera, & vult quod homo sic consilietur, & liberè cosentiat tali consilio, & ad id applicat secundam causam liberam, nempè voluntatem volentè liberè quoad exercitium illi indeliberatæ finis intentioni priori consentire.

76. Quamvis autem hic interveniat illa prima indeliberata finis volitio nihil obstat, imò id est necessarium, ut ab illa incipiat, & consilium & actus subsequens liber. Etenim processus rationis liberæ, & indifferentis ab aliqua determinatione debet primò originari: sicut conclusiones à principiis determinatis procedunt, & in ipsam tandem resolvuntur. Quæ est sæpius ex Philosopho repetita D. Thomæ sententia: Potissimè *quæst.* 22. *de veritate art.* 6. *in corpore*, ubi sic habet. *Et quia omne mobile reducitur ad immobile, & indeterminatum ad determinatum sicut ad principium ideò oportet quod id ad quod voluntas est determinata sit principium appetendi ea ad quæ non est determinata, & hoc est finis ultimus ut dictum est.*

CAPUT VIII.

Quomodo voluntas determinetur ad ultimi finis volitionem.

77 QUOMODO autem voluntas sit determinata ad ultimum finem, oportet clarius explicare, & qualiter cum hac determinatione ad ultimum finem libertatis consistat ratio. Ad quod dicendum voluntatem esse determinatam respectu ultimi finis nempè fælicitatis quoad specificationem tantum pro isto statu: ita quod si vult, fælicitatem debet velle, nec oppositum velle potest: hoc enim est esse determinatam quoad spæcificationem. Non verò pro hoc statu est determinata quoad actus exercitium; quia quoad exercitium operis voluntas determinata non est: sed indifferens, & libera: potest enim ab illo actu cessare: sicut communiter fit, nec enim homo semper in actu vult fælicitatem cum sæpe cesset ab hujusmodi actu. Vnde S. Thomas 1. 2. *quæst.* 10. *post quam in* 1. *art.* docuit voluntatem naturaliter ferri in bonum in communi; in sequenti *art.* 2. docet quod licet voluntas de necessitate quoad specificationem moveatur ab obiecto, quoad exercitium. *Tamen à nullo objecto ex necessitate movetur, potest enim*, inquit, *aliquis de quocunque objecto non considerare, & per consequens nec actu velle illud.*

78. Diximus pro hoc statu, quia in patria etiam quoad exercitium est voluntas cujuscunque beati determinata ita quod ab actu quo vult fælicitatem, cessare nequit. Unde, & amor beatificus necessarius est, & quoad exercitium, & quoad specificationem, & respectu utriusque est voluntas cujuscunque beati determinata cum qua omnimoda determinatione, nec est libertas quoad specificationem, nec quoad exercitium; & per consequens nulla respectu talis actus est libertas; omnis enim voluntatis libertas vel est quoad specificationem, vel quoad exercitium, cui opponitur omnimoda determinatio, & quoad specificationem, & quoad exercitium. Igitur in citato Testimonio loquitur S. Thomas de determinatione respectu finis ultimi quoad specificationem, cum qua optimè consistit libertas voluntatis quoad exercitium respectu illius finis, ut sæpè dictum est.

79. De hac voluntatis determinatione quoad specificationem respectu ultimi finis, seu fælicitatis loquitur idem sanctissimus Doctor, *quæst* 10. *de potentia art.* 2. *ad* 4. cum docet, *quod nihil prohibet à voluntate aliquid naturaliter procedere: voluntas enim naturaliter tendit in ultimum finem, sicut & quælibet alia potentia naturalis operatur ad suum objectum; & inde est quod naturaliter appetit fælicitatem*: Determinationem itaque voluntatis quoad specificationem respectu fælicitatis vocat esse à voluntate naturaliter volitam. Et tandem *solutione ad* 5. *ejusdem art.* appellat *naturalem necessitatem, secundum quam voluntas aliquid de necessitate*

Digitized by Google

necessitate velle dicitur, ut felicitatem, quæ libertati voluntatis non repugnat; (quæ sunt etiam illius ibi propria verba) & quidem quod libertati non repugnet, ex eo constat, quia cum illa optimè consistit libertas quoad exercitium, qua fælicitatem actu potest velle, & ab hoc actu cessare, ut notum est.

80. Quia tamen *ibi* S. Doctor subjungit *quod libertas voluntatis, violentiæ vel coactioni opponitur; non est autem violentia inquit quod aliquid secundum ordinem suæ naturæ moveatur, sed magis in hoc quod naturalis motus impediatur; sicut cum impeditur grave, ne descendat ad medium. Vnde voluntas liberè appetit fœlicitatem, licet necessariò appetat illam.* Sic autem subdit, *& Deus sua voluntate liberè amat seipsum, licet de necessitate amet seipsum: liberè ergo* concludit *Spiritus Sanctus procedit à Patre non tamen possibiliter, sed ex necessitate.* Quia, inquam, hæc verba subjungit S. Thomas ex illis difficultas non contemnenda consurgit: quemodo dicat Deum se amare liberè, licet ex necessitate; & Spiritum Sanctum liberè procedere à Patre; non tamen possibiliter, sed ex necessitate. Quod enim liberè procedit à voluntate, possibiliter ab ea procedit, cum libertas ad utrumlibet sit, & possibiliter utrumlibet possit à voluntate procedere.

81. Ad hoc dicendum Doctorem Sanctum non sumere *ibi* verbum, *liberè*, propriè & in stricta significatione, pro eo nempe quod verè, & propriè liberum est: hoc enim non est nisi cum possibilitate ad utrumque, ut sæpiùs ipse Sanctissimus Præceptor exposuit, signanter 1. *p. q.* 41. *art.* 2. hanc eandem tractans materiam; sed sumit verbum, *liberè*, in lata significatione, provt idem est quod spontaneum seù voluntarium: licet sit cum omnimoda determinatione, & naturali necessitate ad unum. Et quod ista sit illius mens, constat, primò quia agit de libero cui opponitur coactio, & violentia: hoc autem liberum non solùm est liberum propriè, & ad utrumque; sed etiam est spontaneum, & voluntarium, licet sit sine indifferentia cum omnimoda determinatione ad unum. Amor enim quo beatus in patria Deum amat, opponitur absque dubio violentiæ, & coactioni: cum sit tantùm spontaneus, & voluntarius: non autem verè, & propriè liber cum indifferentia ad utrumque. Constat secundò ex exemplo de igne allato, quod ad id quod est propriè liberum & cum indifferentia ad utrumque aptari minus potest. Patet tertiò ex verbis adhibitis de Deo seipsum amante, qui propriè, liberè, & cum possibilitate ad seipsum amandum, vel non amandum, non amat: sed omnimoda necessitate determinante naturaliter ad se amandum. Parique ratione *id* constat ex illis aliis inductis verbis, quibus *dicit liberè Spiritum Sanctum à Patre procedere* qui tamen cum libertate propriè dicta non procedit, ut Catholica veritas habet: sed omninò necessariò, & cum omnimoda determinatione ad unum. Quod tandem idem Sanctissimus Præceptor apertiùs ibi significavit consultò illa verba apponens, *liberè procedit à Patre, non tamen possibiliter, sed ex necessitate.* Dicendo etenim non tamen possibiliter manifestè declarat se de vera ac propria libertate quæ nempe est cum possibilitate ad utrumque, & cum indifferentia ad illud, loquutum non fuisse; sed de spontaneo seu voluntario producto à voluntate ut natura est.

82. Quod verò adhibet exemplum de hominis voluntate appetente liberè beatitudinem seu fœlicitatem, movere non debet; quia illud exemplum tenet in uno, non autem est simile in omnibus. Sensus enim est, quod sicut hominis voluntas est determinata ad volendam fælicitatem necessariò quoad specificationem, ita Deus se amat necessariò quoad specificationem, sed insuper se amat necessariò quoad exercitium, & sine libertate, & indifferentia aliqua; quod tamen non convenit hominis voluntati appetenti fælicitatem pro hoc statu, ut manet expositum.

83. Eodem etiam modo sumit liberè in lata significatione pro spontaneo nimirum, & voluntario *q.* 23. *de veritate art.* 4. *in corpore.* Cum docet quod Deus amat se ex necessitate, quæ necessitas non repugnat libertati, id est non repugnat voluntati seu voluntario. Vnde propriùs, & formaliùs loquitur 1. *p. quæst.* 41. *art.* 2. Vbi agens de Spiritus Sancti Processione illam non vocat liberam sed voluntariam in solutione ad tertium inquiens. *Ad tertium dicendum quod etiam voluntas in quantum est natura quædam aliquid naturaliter vult. Sicut voluntas hominis naturaliter tendit ad beatitudinem, & similiter Deus naturaliter vult, & amat seipsum,* & post pauca: *Spiritus autem Sanctus procedit ut amor in quantum Deus amat seipsum: Vnde naturaliter procedit, quamvis per modum voluntatis procedat, & in corp. art.* exponit clariùs quod voluntas ut libera, non est determinata ad unum, sed ut natura talem habet determinationem; ut libera autem est principium eorum quæ possunt sic vel aliter esse. Verum hæc pauca sufficiant pro intelligentia S. Thomæ in utroque illo testimonio ex quæstionibus de veritate citato: non enim ab omnibus in vera intelligentia accipitur.

84. Non semel diximus, Deum per illam indeliberatam finis volitionem movere, & applicare voluntatem ad consiliandum per intellectum, & ad primum actum liberum quoad exercitium, quia voluntas habens illam indeliberatam finis volitionem, nisi Deus ulterius illam moveret ad consiliandum per intellectum, & ad eliciendum illum liberum actum quoad exercitium, movere non posset vel intellectum ad consiliandum, vel quod multò minus posset, aliqua ratione elicere illum primum actum liberum sæpiùs explicatum. Quod enim communiter, & verè dicitur, quod nimirum voluntas per volitionem finis movet se ad mediorum volitionem, in primis de illa indeliberata volitione finis non dicitur, sed de illa libera volitione finis quantum ad exercitium; Præterea nec dicitur quod per illam finis quoad exercitium liberam volitionem tantum se moveat: sed quod præsupposita illa finis volitione per deliberationem se movet ad volitionem mediorum ut sæpè S. Thomas exponit: & quando docet quod voluntas per hoc quod vult finem movet seipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem: non intelligit quod per illam solam volitionem finis se moveat: sed per illam, & subsequentem ad ipsam deliberationem: tandem, cum dicitur voluntatem per finis volitionem se movere ad volitionem mediorum, supponitur semper quod Deus sua motione illam moveat ad volitionem illam mediorum: aliàs quantumvis ipsa volitionem finis habeat, si Deus eam ad volitionem mediorum non ulteriùs moveat; nec ipsa se movebit. Quod verissimum est, universaliter loquendo, sive in naturalibus, sive in supernaturalibus actionibus, & hoc modò supponendum est contra Thomistas aliquos, qui in sola illa indeliberata finis intentione, sive in illis actibus, seù motibus indeliberatis constituunt efficaciam prævenientis gratiæ respectu actus subsequentis liberi. Quorum sententia, si ipsi secludant divinam motionem moventem voluntatem actuatam illa indeliberata finis intentione, omninò falsa est; & rejicienda: quia veram Dei efficacem motionem pro naturalibus, & veram efficaciam auxilij divinæ gratiæ pro supernaturalibus, tantùm verbis admittit: non autem reipsa, ut copiosiùs in nostro quarto libro agentes de excitante, & adjuvante gratia dabimus manifestum.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Quod voluntas quoad finis intentionem movetur efficaciter à Deo.

85. His ergo suppositis non erit difficile veritatem ulteriùs stabilire, & clariùs proponere. Unde dicendum est primò. Quod voluntas quoad illam indeliberatam finis volitionem secuta ad simplicem intellectus apprehensionem, se non movet, sed movetur à Deo, qui sicut intellectui impressit illam simplicem apprehensionem, ita voluntatem ut natura est, efficaciter movet ad talem indeliberatam finis volitionem: quam propterea Deus in nobis sine nobis liberè concurrentibus efficit, nos ad illam efficaciter movendo.

86. Dicendum secundò. Voluntatem sic actuatam illa indeliberata finis intentione movet Deus efficaciter, ut applicet intellectum, & simul Deus talem intellectum applicat ad judicandum per rationis judicium, an illi indeliberatæ volitioni finis sit liberè consentiendum, vel non, & an ulteriùs prosequenda sit liberè quoad exercitium illa finis volitio, quæ priùs indeliberata fuit. Hæc patent ex superiùs dictis, & explicatis, nec alia indiget probatione.

87. Dicendum tertiò quod voluntas creata (de hac enim conclusio procedit, nam quid dicendum sit de Divina declarabitur solutione ad ultimum argumentum superiùs propositum) circa omnium primam universalis finis volitionem moveatur, (quæ ut dicimus est libera quoad exercitium,) provenit ab efficaci judicio rationis practicæ efficaciter movente in virtute alterius causæ videlicet Dei. Non tamen dicimus, quod per illud solum judicium efficaciter Deus voluntatem moveat absque motione immediata recepta in ipsa voluntate qua illam efficaciter moveat, & applicet, quia sine dubio utraque ista motio necessaria est, ut sæpiùs venit ostendendum. Hæc expressa sententia Aristotelis est, & Sancti Thomæ. Aristoteles enim *in libr. de bona fortuna, & in Ethic. ad Eudemium* sic habet. *Hujus quod aliquis intelligat, consilietur, eligat, & velit. Oportet aliquid esse causam, cum omne novum oporteat quod causam habeat. Si autem causa ejus est aliud consilium, & alia voluntas præcedens: cum in his non sit procedere in infinitum, oportet devenire ad aliquod primum. Hujus autem primum oportet quod sit melius ratione. Nihil autem est melius intellectu, & ratione, nisi primum ens.* Sententiam hanc Aristot. non semel Sanctus Thom. refert nempè 1. 2. *q.* 109. *art.* 2. *ad primum* videatur *sup.* 2. *Epist. ad Corinth. cap.* 2. *lect.* 1. *circa finem.* Igitur illud est primum principium nostrorum consiliorum, & voluntatum: quibus verbis Philosophus ad primam liberam hominis volitionem ascendendo, & ad primum consilium, & investigans causam activè moventem, tum intellectum ad formandum illud primum consilium, tum voluntatem ad primam liberam volitionem, dicit talem causam esse ipsum primum ens. Et loquitur expressè Aristoteles de primo movente, quoad operis exercitium; nam loquitur de motione primi entis, ad quam sequitur quod de facto, tum intellectus tum voluntas ad suos actus applicentur, & moveantur; & ex consequenti loquitur de vera propria, & effectiva motione, seu efficaci, ad quam sequitur effectus: & docet expressè primum ens esse causam, & principium movens, tum intellectum ad primum judicium, tum voluntatem ad primam finis liberam volitionem. Igitur aperta sententia Philosophi est, quod licet intellectus vitaliter eliciat primum consilium, licetque voluntas liberè quoad exercitium producat primam finis volitionem, ut est notissimum; tamen quòd intellectus, & voluntas ad id moveantur, & applicentur, habent ex primo ente, sicut ex prima causa potentias illas movente per veram causalitatem ad suos actus eliciendos. Et ne aliquis opinaretur non manere voluntatem liberam in illa prima volitione, ad quam primum ens movebat, & applicabat voluntatem: consultò illam primam volitionem vocavit volitionem, & electionem, id est liberam volitionem saltem quoad exercitium, ut dicemus statim, & dictum est supra.

88. Movet autem Deus ad hoc primum consilium, & primam liberam finis volitionem mediâ illâ indeliberatâ priori volitione finis. Cum enim illud sit consilium, debet præsupponere in consiliante volitionem finis. Rursus cum sit consilium primum, ad quod propterea homo se movere non potest per priorem deliberationem, debet ad illud à Deo moveri media supradicta efficaci indeliberata finis volitione, quam meritò ipse imprimit, & hoc totum Philosophus docet verbis relatis.

89. Ex isto loco convincitur Aristotelem ipsum solo lumine rationis ductum per veram Philosophiam cognovisse, quod modo Theologi multi, etiam fide supernaturali illustrati nolunt percipere; quod videlicet antecedens Dei motio verè activa, & efficax præveniens nostram libertatem, ejus libertatem non lædit. Ecce enim Aristoteles, planè, cum aliàs in suis dictis, & sententiis sit obscurissimus, ita tamen clarè, & distinctè in hac parte (ut supra relata ejus verba demonstrant) docet primum ens movere ut verè principium & causam intellectum ad primum judicium, & voluntatem ad primam suam actionem, ità tamen quod voluntas liberè, vult actionem talem elicere. Unde cum efficaci, & effectiva Dei motione antecedente humanam voluntatem illius libertatem agnoscit, defendit, ac ex vera Philosophia docet Philosophus.

90. Ut autem insignis iste Philosophi locus comprehendatur, advertendum, quod in illo quatuor ordinat hoc modo. *Hujus quod aliquis intelligat, consilietur, eligat, & velit, aliquid debet esse causa, &c.*

91. In primo enim actu consilij nostri, de quo expressè loquitur, duas rationes considerat, & intellectionis, & consilij, unde ait, *hujus quod aliquis intelligat, & consilietur.* Nam primus actus intellectus, licet respectu principij quod est ejus objectum, non consilium, sed intellectio sit & nominetur; eadem tamen intellectio inquantum repræsentat indifferentiam objectivam respectu usus, & exercitij ipsius actus, vocatur consilium saltem implicitè, & virtualiter. Et propterea loquens de primo intellectus actu, dicit Aristoteles, *Hujus quod aliquis intelligat, & consilietur.* Similiter eadem proportione servata, alia duo docuit inveniri in primo actu voluntatis videlicet, quod sit volitio respectu finis, & quod sit saltem virtualis electio cõparatione exercitij actus, qua ratione apposuit illa alia duo verba, eligat, & velit, dicens. *Hujus quod aliquis intelligat, consilietur, eligat, & velit, aliquid debet esse causa.*

92. Sanctus etiam Thomas 1. 2. *q.* 9. *art.* 4. *& q.* 17. *art.* 5. ac *q.* 109. *art.* 2. *ad* 1. & 1. *p. q.* 82. *art.* 4. *ad* 3. & 3. *contra gent. cap.* 89. & alibi frequentiùs hanc fundamentalem rationem Aristotelis magis declarat, & probat, quòd voluntas in ordine ad primam finis volitionem non se movet, quia non præcessit deliberatio ex priori voluntatis actu, quo volùtas se moveat, sed quod ad illam movetur quoad exercitium ab ipso Deo. Et iterum reddit hujus rationem, quia videlicet voluntas ex se non habet efficiens principium ad se movendum ad primam finis volitionem, undè nec est in actu respectu illius, sed solùm in potentia; qua ratione

Digitized by Google

tione se movere in actu illius volitionis non potest, sed indiget quod moveatur & reducatur in actum ab eo, qui est in actu, videlicet à Deo. Quæ omnia brevissimè ad præsens solùm tacta præsupponuntur ex prædictis Sancti Thomæ locis, quæ scimus à Theologis non ignorari.

93. Dicendum præterea quartò quòd quando voluntas incipit de novo velle aliquem finem particularem puta sanitatem, vel quid simile, ad illum particularem finem movetur medio judicio rationis practicæ movente quoad exercitium in virtute altioris causæ, videlicet Dei. Veritas ista comprobatur prædicto Aristotelis testimonio; non enim solum procedit (si attentiùs consideretur) de omnium prima volitione finis, quam homo habet cum primò pervenit ad rationis usum, licet de illa principaliter procedat; sed etiam procedit de qualibet finis intentione, antequam nulla fuit prior deliberatio ex priori actu voluntatis procedens, sic enim Philosophum intelligit S. Thom. ubi hanc veritatem expressiùs tradit, & ibi omnes ejus discipuli. Cujus ratio est: voluntas quoad exercitium, non potest moveri, nisi vel à se, vel à Deo; sed quando incipit de novo velle aliquem finem particularem non movetur à se: ergo à Deo. Minor patet, quia non præcessit alius prior Actus, hoc enim denotatur cum dicitur, quod vult finem aliquem: ergo voluntas non movet se ad illum finem. Patet quia voluntas non se movet nisi per deliberationem ex priori actu voluntatis procedentem, ut docet idem S. Thomas *eadem q. 9. art. cit.*

94. Præterea probatur ratione Caietani ubi suprà. Experientia docet, quod sæpè nobis nihil cogitantibus in mentem venit efficax consideratio, quæ secum rapit voluntatem comparatione alicujus particularis finis; sed consideratio ista non potest tribui nobis moventibus nos ipsos ad illam, nec alij creaturæ; ergo tribuenda est Deo mouenti efficaciter voluntatem medio iudicio practici intellectus. Minor quoad primam partem constat, quia nos nihil de illo obiecto antea cogitabamus; creatura autem alia quæcumque, quoad exercitum voluntatem movere non potest, ut Sanctus Thomas demonstrat 1. p. q. 106. art. 2 qui locus videndus, & attentè considerandus est pro his materijs.

95. Utrum autem illud practicum judicium movens quoad exercitium voluntatem in virtute Dei, sit dicendum absolutè & propriè imperium, vel non, parum retulerit sic, vel sic loqui; nec enim quæstio est de nomine, sed de re. Propriè autem, & formaliter loquendo dicitur quid altius, & eminentius Imperio, sic enim illud vocat S. Thomas 1. 2. *quæst.* 17. *art.* 5. *ad* 3.

96. Similiter utrum illud primum judicium sit dicendum consilium, vel deliberatio, & utrum primus actus voluntatis ad illud sequutus, qui est libera volitio finis, sit actus deliberatus, multi negant. Alij dicunt non formaliter, sed virtualiter tantum dici deliberationem, & actum deliberatum. Cæterum resolutoriè dicendum videtur illud primum judicium esse consilium quoad exercitium actus, licet non respectu specificationis. Et quidem Aristoteles *citato loco* illud vocat primum consilium quia revera sivè formaliter, sivè virtuali saltem (nam quidquid circa hoc dicatur non multùm retulerit) homo deliberat, & consiliatur circa exercitium actus, an videlicet tunc debeat habere actum vel non. Nec obstat quod ille primus actus intellectus non præsupponat primam volitionem liberam finis, ut dicatur vel consilium, vel deliberatio, quia non est de ratione primi consilij, vel deliberationis primæ, quòd præsupponat liberam priorem finis intentionem; sat est si præsupponat indeliberatam illam finis primam volitionem jam exposiram. Imò hoc videtur esse de ratione primi consilij, quod non præsupponat nisi illam indeliberatam finis volitionem. Quia in illo consilio primo voluntas se non movet, sed mota à Deo actu indeliberato intellectum ad illud consilium movet. Undè nec sibi tale consilium tribuitur, sed Deo, ut ex Arist. visum est: benè tamen est de ratione moventis se per consilium, & deliberationem, quod præsupponat priorem liberam volitionem finis, ut docet S. Thom. 1. 2. *q.* 9. *art.* 4. Cæterum per illud primum consilium, & deliberationem quoad exercitium homo se non movet, sed efficaciter à Deo motus deliberat circa exercitium illius actus, ut dictum est supra. Et quidem post Arist. & S. Thomam *citatis locis*, qui illum primum actum intellectus vocant consilium, ratio id suadet: quia proponit indifferentiam rationis, quoad exercitium illius actus. Undè per illum homo deliberat de exercitio actionis: deliberare autem, & consiliari idem sunt. Deus autem qui movet intellectum ad talem primum actum, movet ipsum, ut tale formet judicium, & deliberationem circa exercitium actus. Undè intellectus medio illo actu aliqua ratione consiliatur, & deliberat, an sibi expediat tunc habere actum circa illud objectum. Et ex consequenti dicendum omninò videtur volitionem finis, seu illius continuationem ad illud consilium sequutam esse actum deliberatum sive formaliter, sive virtualiter. Itaque non solùm dicimus illam primam finis volitionem, quoad sui continuationem esse actum liberum, quoad exercitium, (quod nullus negare potest) sed & esse deliberatum, & à voluntate deliberata procedentem per priorem illam deliberationem modò explicatam, quod tamen multi negant, sed nobis id nec verum esse, nec consequenter dictum putamus. Quia cum ille actus sit liber quoad exercitium, quod omnes concedunt, erit eodem modo deliberatus, quoad exercitium; quia S. Thomas 1. 2. *q. p. art.* 1. pro eodem reputat actionem liberam, cujus homo est Dominus, & actionem humanam; actio autem humana, ut dicitur ibi, est illa, quæ procedit à voluntate deliberata: ergo actio libera procedit à voluntate deliberata, & actio deliberata est. Cum ergo ab omnibus sit concedendum, & de facto concedatur, illam primam finis volitionem, saltem in sui continuatione, esse actum libetum, quid timent concedere actum esse aliquo modo deliberatum, quoad exercitium videlicet. Diximus, illam indeliberatam volitionem finis esse liberam quoad sui continuationem, non quod judicemus primum illum actum qui à principio est indeliberatus, postea continuari & fieri deliberatum, sed quòd in continuatione illius processus, qui incipit ab illa simplici apprehensione intellectus, & indeliberata finis volitione pervenitur ad liberam volitionem.

97. Quod si dicas: formalis deliberatio necessariò consultationem, & ex consequenti tempus requirit: Cæterum actus liber quoad exercitium potest esse in instanti, sicut & actus meritorius instantaneus esse potest: ergo non sequitur, quod si illa prima finis intentio sit libera, formaliter quoad exercitium, quod sit formaliter deliberata. Quo argumento aliqui convincuntur ad negandum esse actum formaliter deliberatum: id confirmantes ex S. Thoma 1. 2. *q.* 113. *art.* 70. ad primum dicente, quod deliberatio licet præsupponatur ad justificationem, non tamen est de illius essentia, quia justificatio, inquit, potest esse in instanti, non autem deliberatio.

98. Ad hoc respondetur, quod formale consilium, seu formalis deliberatio in suo formali conceptu consultationem, & inquisitionem, quæ tempus requirunt, non includit, sed ab extrinseco, & ex imperfectione subjecti, ut planè docet S. Thomas *q.* 16. *de malo art.* 4. & 1. *p. q.* 83. *art.* 3. *ad* 2. & *q.* 14. *art.* 1. *ad* 2. quibus

locis

locis in Deo admittit consilium absque illa imperfectione consultationis, & inquisitionis, quæ tempus expostulant. Consilium ergo, sive formalis deliberatio in suo conceptu solùm dicit apprehensionem rationis cum certitudine, & determinatione judicij, ut docet S. Thomas *quæst. 29. de verit. art. ultimo ad 1.* ubi expressè dicit quod hujusmodi essentialis deliberatio potest esse in instanti, sicut actus liber meritorius in instanti esse potest, addens quod talis essentialis deliberatio fuit in Christo Domino in instanti Incarnationis, quia dubitationem non habebat, quæ tempus ad deliberandum exquirit. Idem dicit in *quæst. de malo citata*, de Angelis; videlicet, quod in instanti electionem, & deliberationem habuerunt; quia dubitatione carebant.

99. Et per hoc patet ad argumentum, & ad illius confirmationem, dicendum est enim S. Thomam in loco oppositò tantùm docere, non posse esse in instanti deliberationem, quæ includit inquisitionem, dubitationem, & consultationem, at verò deliberationem sine ista inquisitione, & consultatione optimè posse esse in instanti docuit ipse S. Doctor *in illo art. ult. ex quæst. 29. de verit. modò citata*, undè omnia consonant, & nulla est contradictio.

100. Itaque deliberatio cum adjunctis illis imperfectionibus, inquisitionis videlicet, dubitationis, & consultationis, quæ proveniunt ex imperfectione subjecti, ut docet 1. 2. *quæst.* 113. *art.* 7. non potest esse in instanti. Cæterum essentialis, & formalis deliberatio, quoad suum conceptum formalem tantùm dicit apprehensionem rationis, cum certitudine, & determinatione judicij, & hanc in citatis locis docet posse esse in instanti in subjectis illis perfectis, quæ dubitationis imperfectionem non habent. Sicut etiam S. Thom. aliquando videtur negare in Deo consilium, *ut 1. p. quæst. 22. art. 1. ad 2.* Aliquando consilium in Deo admittit; quorum testimoniorum vera intelligentia est, quod quando negat in Deo consilium, loquitur de consilio secundum imperfectionem, & dubitationem quam includere solet in creaturis. Quando autem ponit in Deo consilium, loquitur de consilio ablatis omnibus imperfectionibus, quæ in illius formali conceptu non includuntur. Eodem ergo modo, quia idem est consilium & deliberatio, eodem omnino ratione quandoque negat deliberationem in instanti secundum illas imperfectiones quas regulariter habet in creaturis; quandoque illam admittit in instanti, secundùm suam rationem formalem sine imperfectionibus.

101. Unum tamen militare videtur difficile argumentum contra prædictam veritatem, sequitur enim quod numquam homo possit incipere velle de novo aliquem malum finem particularem; quod apertè contra experientiam procedit: Sequela patet, nam in tali finis particularis volitione voluntas se quoad exercitium movere non potest ut dictum est; Sed nec à Deo, quoad illum pravum actum moveri potest, quia alias Deo sic particulariter moventi illa prava actio tribueretur: ergo numquam homo sic potest moveri ad actum malum. Hoc argumentum in terminis ferè constituitur à S. Thom. 1. 2. *quæst. 9. art. 6.* & respondet. *Quod Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis quod est bonum, & sine hac universali motione, homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem se determinat ad volendum hoc vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum, sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum quod est bonum, sicut in his, quos movet per gratiam, ut infra dicemus.* Hæc S. Thomas, itaque cum homo in omni actu, etiam peccati, beatitudinem quærat, quæ est objectum adæquatum voluntatis, docet S. Thomas, quod Deus, ut universalis motor, movet ad illum actum secundùm quod tendit in beatitudinem in communi, secundum quam rationem ille actus peccatum non est; non tamen movet Deus ad illum actum secundum quod ponit beatitudinem in re, in qua non est, qua ratione ille actus est peccatum, sed ad hoc ipse homo seipsum movet. Hæc est sententia S. Thomæ in isto loco.

102. Ut autem hoc testimonium plenius intelligatur, notandum quatuor in illo expressè tradi à S. Thoma; Primum est, quod Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum. Secundum quod sine hac universali motione, homo non potest aliquid velle. Tertium quod illâ præhabitâ homo per actionem se determinat ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum, vel aparens bonum. Quartum quod per gratiam Deus specialiter movet voluntatem ad volendum aliquod determinate.

103. Circa primum horum certum est bonum in communi, seu beatitudinem in communi esse objectum voluntatis, ac proindè volitionem, qua voluntas vult beatitudinem in communi, bonam esse, & voluntati connaturalem. Certum est etiam non posse se hominem ad illam movere, cum sit volitio finis universalis, ad quam voluntas se non movet, quia non habet priorem deliberationem per quam se possit ad illam movere, ut S. Thom. docuit eadem 1. 2. *q. 9. art. 3. & 4.* Undè etiam certum debet esse, quòd à Deo voluntas movetur ad talem volitionem. Et cum rursus hæc volitio boni ut sic, clausa sit virtualiter in omni actu voluntatis, sicut volitio finis in electione mediorum, & cognitio principij in cognitione conclusionis, quia in omni suo actu quærit voluntas beatitudinem suam, & in omni actu suo quo vult aliquod bonum particulare, illud vult sub ratione objecti sui adæquati, quod est bonum universale. Hinc est quod in omni actu voluntatis distinguere debemus hanc universalem finis volitionem ibi clausam, & rursus actum ipsum, per quem sicut per medium quæritur talis beatitudo. Sic igitur, si consideretur quicumque actus voluntatis secundùm illam præcisam rationem, qua est volitio finis universalis, non est sub hac ratione mala volitio, nec malus actus; sed ideò est malus, quia beatitudinem illam ponit in re, in qua beatitudo non est. Docet ergo D. Thom. quod in omni actu voluntatis Deus movet ad illum primum, scilicet ad volitionem finis universalis, quæ bona est & ad quam voluntas se non movet, & hæc volitio est prior ratione omni alia volitione, quia est ratio volendi quodcumque aliud, & sine qua nihil voluntas potest velle; cum omne quod vult velit in ordine ad illam, quod est secundum dictum S. Doctoris.

104. Tertium autem quod subdit videlicet quod illa volitione præhabita homo per rationem se determinat ad volendum hoc vel illud, quod est verè bonum, majorem ingerit difficultatem. Tripliciter potest intelligi. Primò quòd posita illa volitione, & intentione boni in communi, ad quam Deus movet, ut universalis motor (ut dictum est) nulla ratione determinet Deus ad eligendum hoc particulare bonum; sed quod solùm homo se ad illud moveat atque determinet; sivè illud sit apparens bonum, sive verè bonum, & quod hoc S. Thomas intendat litera sonare videtur. Secundò potest intelligi, quòd posita illa priori communi volitione boni, ad quam solùm Deus movet & voluntas se non movet, voluntas per rationem se determinet ad hoc particulare, quod est verè bonum, vel apparens bonum, sub priori tamen determinatione Dei, qua Deus determinatè movet ad hoc verè bonum, vel ad entitatem apparentis boni, quatenus actio, & entitas est, non quatenus apparens est. Ita quod

Digitized by Google

quod sit hæc differentia tradita à S. Thoma, quod ad primam illam universalis finis volitionem, voluntas nullo modo se moveat; aut determinet. Cæterum ad volitionem particularis boni, vel ad volitionem particularem actionis, & entitatis apparentis boni quatenus actio & entitas est, se movet, & determinat voluntas, mota tamen, & determinata à Deo determinatè movente eam ad illud particulare volendum, juxta quem modum aliqui S. Thomæ discipuli literam, & mentem S. Doctoris interpretantur.

105. Tertiò modo potest intelligi, quod mens ejus sit, quod posita illa universalis finis intentione, ad quam Deus movet ut universalis motor, & ad quam se voluntas non movet, per eam Deus applicet voluntatem ut hîc, & nunc per intellectum consilietur circa illam materiam in particulari, non determinando tamen judicium rationis ad unam partem, sed id relinquendo in potestate voluntatis; ità tamen quod per illam applicationem in tali materia sicut per influentiam generalem Deus moveat, præmoveat, causet, imò determinet voluntatem, ad quidquid entitatis, & actionis est in tali particulari volitione, non movendo tamen determinatè & in particulari ad entitatem peccati.

106. Ut autem securiorem ex his, & magis ad mentem S. Thomæ modum dicendi eligamus, oportet advertere, quod in hac parte dificultatem facit illa particula, *vel apparens bonum*, in litera posita: si enim sermo esset de determinatione tantùm ad particulare verè bonum, faciliùs quæstio solveretur, quomodo se voluntas ad illam determinat sub priori determinatione Dei ad id moventis; at propter illud verbum, *apparens bonum*, non ita facilè hoc possumus asserere; vel id S. Thomæ tribuere.

107. Dicendum ergo primum modum de mente S. Thomæ non esse, quia ex illo manifestè convincitur; quod si Deus non movet ad volitionem boni particularis, sed solùm in communi & in confuso, media videlicet generali illa finis intentione, jam homo ex se solo haberet hanc particularem volitionem boni, quam tamen à Deo non reciperet, quod est contra illud, quid habes quod non accepisti? Diceret enim homo inflatus habeo ex me, quod ex me solo bene me determinem ad hanc particularem boni volitionem. Et quam plura alia similia inconvenientia sequuntur. Ut potè quod ad verè bonum in particulari volendum detur à Deo indifferens concursus, qui à voluntate hominis trahatur; & determinetur ad hoc, vel illud causandum cum voluntate; quæ est ipsissima sententia, quam in his operibus semper impugnamus, tantò S. Thomæ adversa, quantò ipse in omni sua doctrina perpetuo docuit, & docet, quod quando voluntas de se est indifferens, & indeterminata ad hoc, vel illud volendum, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad id appetendum 1. *p. quæst.* 19. *art.* 3. *ad* 5. 1. *contra gentes cap.* 82. sed voluntas creata etiam posita illa volitione boni in communi est de se indifferens & indeterminata ad volendum hoc, vel illud in particulari (ut est satis notum) ergo sentit S. Thomas, quod debet ab aliquo exteriori principio, scilicet Deo ad id determinari; ut clariùs docuit, & in terminis 1. 2. *quæst.* 9. *de motivo voluntatis*, & *quæst.* 10. potissimè *art.* 4. Præterea semper Sanctus Thomas docet primam radicem omnis contingentiæ esse efficaciam divinæ voluntatis 1. *p. quæst.* 19. *art.* 8. & alibi sæpè: ergo docet hujus volitionis contingentis voluntatis volentis hoc vel illud in particulari primam radicem esse efficatiam divinæ voluntatis ad id voluntatem hominis moventis. Tandem indubitata sententia S. Thomæ est, quod nullius volitionis humana voluntas est, aut esse potest primum se determinans, quia esset primum principium illius suæ volitionis, quod ipse, esse proximum duplici errori & Manichæorum, & Pelagianorum definit in 2. *sent. dist.* 37. *art.* 2. at si humana voluntas non determinaretur à Deo ad hoc, vel illud particulare volendum ipsa esset se primum ad id determinans, & primum illius suæ volitionis principium: ergo hoc totaliter à mente S. Thomæ est alienum, illique apertè contrarium; imò ab ipso damnatum. Igitur de mente S. Thomæ dicendum hoc nullo modo in prædicto testimonio intendisse.

108. Dicendum secundò cum hominis voluntas sub illa universali boni finis intentione se determinat ad hoc particulare quod est verè bonum, etiam determinatur à Deo, non solùm per purum, & solum illum influxum generalem, sed per influxum particularem. Itaque, & Deus movet ad illud particulare bonum, movendo ad universale bonum, quod est objectum voluntatis, quæ potest dici influentia communis, & generalis; & insuper movet, & determinat voluntatem in particulari, ut ipsa se determinet, & eligat illud bonum in particulari. Hæc patet ex præcedenti, quia aliàs quod voluntas se determinaret ad illud particulare bonum ex Deo non haberet, sed ex se sola, ut dictum est. Considerandum tamen, quod sicut triplex potest esse illud bonum particulare, ad quod voluntas se determinat, ita tripliciter ad id Deus concurrit; vel enim poterit esse particulare bonum propter Deum volitum, ut finem, seu propter Deum summè dilectum; & tunc ad id determinatè Deus movebit per gratiam, ut in hac eadem solutione argumenti, quam tractamus, S. Thomas exponit, quia nullum particulare bonum potest voluntas velle propter Deum nisi ex auxilio gratiæ, quod modò supponimus, infra in 3. lib. efficacius comprobandum; vel poterit esse illud particulare ex objecto bonum morale, sed arduum & difficile, & ad id volendum movebit Deus etiam speciali auxilio gratiæ, *ut in 3. libro* probaturi sumus. Quod auxiliũ consistit in hoc, quod præter illam bonam finis intentionem ad quam Deus movet, & ad quam voluntas se non movet, insuper moveat Deus in particulari, & determinet ad illud particulare bonum arduum, & difficile, intellectum particulariter dirigendo, illuminando, & ignorantiam, errorem, vel inadvertentiam ab eo auferendo, ne in judicio erret, & fortificando voluntatem, ut id difficile & arduum valeat eligere; vel tandem poterit esse bonum particulare facilè, ut diligere amicum, plantare vineas, & similia ad hanc præsentem vitam pertinentia: & de hoc in particulari procedit concluso qua dicimus, quod ad illud non movet Deus, solùm media intentione finis applicando voluntatem, ut consilietur hîc & nunc, & circa hanc materiam, & ad id excitando moraliter: sed etiam dirigendo in particulari intellectum influxu naturali, ut determinatè apprehendat ut bonum, & conveniens hîc & nunc hoc particulare bonum facilè, & ut illud practicè per imperium voluntati proponat. Quæ intellectus directio communis est pro omni bona operatione facili ordinis naturalis efficienda, & ad communem concursum pertinet, quo concurrit Deus ad talia facilia bona eligenda.

109. Posita autem prædicta applicatione; & intellectus directione ex vi talis concursus, intellectus illud bonum & conveniens apprehensum voluntati practicè proponit, & voluntas illud vult. Itaque pro his bonis facilibus eligendis non requiritur, vel auxilium gratiæ (ut notum est;) vel etiam particularis influxus ordinis naturalis, vel novas vires tribuens voluntati, vel illam fortificans, sicut de difficilioribus

Digitized by Google

difficilioribus, & arduis dictum est; sed tantum directio ex parte intellectus præfata, sub qua suo modo à Deo determinatus intellectus, hoc potiùs bonum quam illud apprehendit, & voluntati proponit: requiritur etiam generalis concursus prævius ex parte voluntatis, quo in actum primum completè reducatur, & applicetur ad illud facile opus efficiendum.

110. Dices S. Thomas apertam ponit differentiam inter motionem quæ fit per gratiam, & illam quæ fit per concursum naturalem, in hoc quod Deus specialiter aliquos movet per gratiam ad aliquid determinatè volendum, non autem sic movet concursu naturali; ergo docet Deum naturali concursu non sic determinatè movere ad aliquod bonum naturale volendum.

111. Ad hoc dicendum, sensum ejus non esse, quòd Deus non moveat concursu naturali ad aliquid naturale determinatè volendum; quia certum est, quòd ad bonum ut sic, determinatè voluntatem movet, quia voluntas ad illud determinata est, quoad specificationem, quod in sententia S. Thomæ est apertissimum. Similiter non sentit Deum non movere determinatè ad aliquod particulare bonum volendum, ut ex ejus verbis ostensum est supra: sentit ergo, & hæc est ejus intelligentia, quòd ad aliquod particulare bonum naturale volendum, voluntas non movetur solum determinatè à Deo, sed quòd ipsa etiam per rationem ad illud se determinat. Cæterum in motione, quæ fit specialiter per gratiam, Deus tantùm aliquos movet ad aliquid speciale, & in particulari volendum; ita quod ad illud voluntas se per priorem deliberationem rationis non movet. Quod fit quando Deus movet per gratiam operantem, in qua operatione voluntas est à Deo mota, sed non se movet per priorem deliberationem, ut ipse clariùs docet eadem 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 2. qui articulus videndus est, doctrinam enim quam ibi ex professo tradit in hac *quæst.* 9. *art.* 6. *solut. ad* 3. breviter tangit.

112. Dicendum tertiò ad particulare, quod est apparens bonum apprehendendum per illectum, & appetendum per voluntatem, formaliter loquendo, quatenus videlicet apparens bonum est, Deus nullo modo movet, vel determinat, nec concursu particulari, nec generali. Patet, quia id peccatum est; ad peccatum autem Deus nullo modo movet, nec aliqua ratione illius causa est, de quo latè in 3. libro; & hoc principaliter intendit S. Thomas dicere in hac solutione, quam tractamus, in qua ut responderet argumento quod oppositum erat, quomodo nimirum si Deus movet voluntatem ad agendum, non moveat ad peccandum, cum ipsa vult peccare: dixit quod Deus movet ut universalis motor ad universale bonum voluntatis; homo autem per rationem se determinat ad particulare quod est verè bonum, vel apparens bonum. In hoc enim clarè ostendit, quòd ad apparens bonum ut sic, Deus non movet, sed voluntas sola, & sic respondet argumento, quod videlicet peccatum solihomini imputatur: cum ad peccatum ipse solus homo se moveat, atque determinet. Quòd autem addit de vero bono particulari, minùs obstat, quia verum est, quòd tam ad id, quàm ad apparens bonum se voluntas per rationem determinat: & hoc Sanctus Thomas asseruit, sed non negavit quòd diversa sit ista voluntatis determinatio, secundum quod diversum est objectum ad quod se determinat; ad verum bonum nempè, sub priori Dei prædeterminatione jam explicata; ad apparens bonum autem, ut sic quatenus nempè apparens & malum est, solùm à se ipsa se voluntas determinat. Quod alibi explicavit, cum docuit, *quod boni prima causa est ex Deo; mali autem prima causa est ex nobis*: Quid autem sit de actione & entitate, quæ est in illo apparenti bono, & quomodo Deus ad illam moveat, aut illam prædefiniat, seu prædeterminet dicendum est statim.

CAPUT X.

Quomodo Deus prædefiniat actionem quæ est in peccato.

113. QUOMODO Deus moveat ad actionem, & entitatem illius apparentis boni, seu peccati, quatenus precisè actio & entitas est. Sic aliqui, ex Sancti Thomæ discipulis exponunt, quòd nempè ad illam entitatem seu actionem Deus movet per motionem illam, qua ut universalis motor voluntatem movet ad universale bonum quod est objectum voluntatis, per quam etiam voluntatem movet, ut applicet intellectum, ut hic & nunc circa talem materiam consilietur. Et similiter intellectum sic à voluntate applicatum, immediatè Deus movet, ut sic consilietur: non autem (ut ajunt) movet in particulari intellectum ad hanc particularem actionem & entitatem, quæ est in malo consilio. Et idem dicunt de electione voluntatis, quæ sequitur ad tale judicium, asserentes quòd intellectus se solo, sicut malum apprehendit judicium, ita ex se solo producit illam particularem actionem & entitatem, quæ est in illo malo judicio, illamque voluntati proponit; & similiter voluntas se sola elicit malam electionem, quantum ad omnia quæ sunt in mala illa electione, absque hoc quod à Deo ad illam præmoveatur.

114. Ad quod asserendum moventur primò quia alias nec intelligere valent, quomodo non moveat Deus ad peccatum ipsum & deformitatem, si determinatè & in particulari moveat ad illam particularem actionem & entitatem, quæ in peccato est; cum illi actioni sit inseparabiliter conjuncta ipsa deformitas.

Moventur secundò ex Sancto Thoma 1. 2. *quæst.* 9. *art.* 6. *ad* 3. ubi dicit, quòd Deus movet ut universalis motor ad universale bonum, quod est objectum voluntatis; voluntas autem se determinat ad hoc particulare bonum volendum, quod est verum, vel apparens: ex quo colligunt quod Deus non movet determinatè ad apparens bonum, sivè ad peccatum.

Idem confirmant, quia idem Sanctus Doctor *super cap.* 9. *Epist. ad Rom.* sic ait, *Instinctu quodam interiori moventur homines à Deo ad bonum & malum: aliter tamen ad bona, & aliter ad mala; nam ad bona inclinat hominum voluntates directè & per se tanquam actor bonorum; ad mala autem dicitur inclinare occasionaliter.* Quod sic explicant, quod occasione illius bonæ intentionis finis, Deus moveat influxu illo indifferenti & indeterminato, non autem determinatè; & hoc vocant movere Deum occasionaliter. Idem etiam colligunt ex eodem Sancto Thoma *quæst.* 3. *de malo art.* 2. cum in corpore illius articuli ait, *Cum Deus sit primum principium motionis omnium, quædam sic moventur ab ipso quòd etiam ipsa se movent, sicut quæ habent liberum arbitrium, quæ si fuerint in debita dispositione, & ordine debito ad suscipiendam motionem, qua moventur à Deo, sequuntur bonæ operationis, quæ totaliter reducuntur in Deum, sicut in causam; si autem deficiant à debito fine, sequitur actio inordinata quæ est actio peccati; & sic id quod est ibi de actione reducitur in Deum sicut in causam*

Digitized by Google

causam : quod autem est ibi inordinatione , vel defectu non habet Deum causam , sed solum liberum arbitrium, & propter hoc dicitur quòd actio peccati est à Deo; sed peccatum non est à Deo. Ecce docet, quòd cum arbitrium est non indebito ordine, sed deficit à debito fine, non suscipit debitè divinam motionem : ergo illam ex Deo bonam & indifferentem, seu communem determinat ad indebitum actum, & ita se solo determinatè, se movet ad illam.

115. Ex quibus concludit prædicta sententia, Deum determinatè non prædiffinire, nec ex consequenti determinatè prædeterminare ad actionem, & entitatem, quæ est in peccato, quatenus in particulari hæc actio, & entitas est ; sed tantùm illam indeterminatè prædefinire, & ad illam indeterminatè prædeterminare per illum concursum, quo applicat intellectum ad consiliandum circa talem materiam hîc & nunc : Intellectus autem sic applicatus se solo se determinat ad illum particularem actum mali consilij. Et similiter voluntas tali pravo judicio practicè sibi per intellectum proposito, se sola, in particulari se determinat, & causat particularem actum electionis inordinatæ.

116. Cæterùm sententia ista, ut unum effugiat inconveniens in aliud incidit satis grave ; ne enim videatur Deum causam peccati statuere concedendo ipsum determinatè prædifinire, & determinatè prædeterminare ad particularem actionem, & entitatem, quæ est in peccato ; ponit non esse à Deo etiam quatenus talis particularis entitas, & actio est, cum à Deo solùm dicatur fieri indeterminatè in communi, & in confuso ; à libero autem hominis arbitrio in particulari, & determinate. Cum tamen non minus hoc, quam illud primum inconveniens debuisset vitare sententia prædicta. Undè doctrinam superiùs traditam continuando.

117. Dicendum est quartò determinatè Deum prædifinire, & determinate prædeterminare, tum intellectum, tum hominis voluntatem ad particularem actionem, & entitatem, quæ est in peccato, quatenus talis entitas, & actio est, non quatenus peccatum est. Non tamen ad eam prædeterminat directè, primò & per se, seu ex primaria sua intentione, ut dicemus statim. Probatur à clarioribus incipiendo. Cum enim communiter Theologi teneant (ut docet Sanctus Thomas *in 2. sent. dist. 37. art. 2.*) Deum causare actionem, & entitatem, quæ est in peccato, quatenus entitas, & actio est, non quatenus peccatum est, semper tamen difficile judicarunt explicare modum, quo Deus illam actionem, & entitatem velit, & causet, & non deformitatem, cum ipsa inseparabiliter conjunctam ; sed in supradicto modo dicendi manifestum esset & evidens, quomodo Deus illam entitatem, & actionem causaret, non autem deformitatem. Quid enim magis clarum, quàm Deum non causare deformitatem peccati, si tantum applicat intellectum ad consiliandum in hac materia in communi, & voluntatem ad volendum in communi & indeterminatè ; & intellectus ipse ex se solo, & similiter voluntas ex se sola se determinat ad hanc particularem actionem hîc & nunc : Cum deformitas, & peccatum cum illa indifferenti motione in communi nullo modo conjungatur, sed tantùm cum hac particulari actione, quæ à solo homine ponitur fieri. Procul dubio nihil clarius, nihilque evidentius posset explicari. Cum ergo non hanc claritatem, sed modum difficilem Theologi in hac parte fateantur, utique reipsa fatentur, se illum claritatis modum nec posuisse, nec acceptasse, & meritò, quia ut dictum est, negarent Deum illius particularius actionis, & entitatis causam esse, quatenus talis actio, entitas est.

118. Hoc autem ex illa sententia convinci sic ostenditur. Deus non est causa alicujus actionis, & entitatis producendæ à creatura, nisi quia movet creaturam, ut illam producat, & simul cum illa eandem efficiat, quod modo supponimus latissimè, & efficacissimè probandum *in nostro 3. libro* ferè per totum : ergo si Deus non vult, nec movet creaturam ad producendam actionem, illius actionis creaturæ ipse causa non erit. Cum ergo Deus in relata sententia non velit, nec moveat creaturam ut producat illam actionem, & entitatem quæ est in peccato, quatenus talis actio entitas est, illius actionis, & entitatis Deus causa non erit. Ponere autem alicujus actionis, & entitatis, quæ ut sic sine dubio bona est, ut nempè actio & entitas est, Deum causam non esse, est ponere Deum non esse omnis entitatis, & bonitatis authorem, quod sana doctrina prohibet vel suspicari.

119. Dicent, Deum illius actionis & entitatis causam esse, illam prædefiniendo & ad illam prædeterminando per illum concursum, quo intellectum, & voluntatem applicat ad consiliandum hîc & nunc circa talem materiam, & ad eligendum ; licet non determinatè ad hanc particularem actionem.

Verùm verbis tantùm Deum constituunt illius actionis & entitatis causam, non reipsa ; quia Deus non est causa hujus, vel illius actionis particularis sic in communi, indeterminatè, & in confuso, sed in particulari & determinate : Asserere enim sic in confuso, indiferenter, & indeterminatè Deum concurrere, seu prædefinire, vel prædeterminare, Nihil est aliud quàm reipsa astruere, quod illius particularis actionis & entitatis, quam creatura producit causa non est ; cum non magis ad illam, quam ad aliam quamlibet particularem actionem concurrat sed indifferenter, ita ad hanc sicut ad aliam. Undè ex vi hujus indifferentis concursus, non magis est causa hujus particularis actionis, quam alterius cujuscumque. Cùm ergo alterius nullo modo causa sit ex vi concursus talis, nec ex vi illius hujus particularis actions causa erit. Undè hæc particularis actio, & entitas à creatura solùm erit producta, atque causata, per quod divina causalitas negatur respectu actionis hujus. Et per consequens, nec omnis entitatis, & actionis Deus causa statuitur. Parique ratione nec reipsa ponitur, quod creatura illam actionem & entitatem producat, cum illius quatenus actio & entitas particularis est, prima causa esse non possit.

120. Advertere insuper debebant S. Thomæ discipuli, qui prædicto modo Philosophantur, quantùm per hoc adjuvent illorum sententiam, qui concursum Dei ex parte illius indeterminatum, & indifferentem constituunt à creatura determinandum, quem cum ipsi aliàs impugnent, per hanc tamen doctrinam, non minimùm fundant. Si enim ad hanc quæcunque *illa* sit bona entitas & actio in esse naturæ, Deus ut dicunt indeterminatè, & indifferenter concurrit tantùm, & iste indifferens & indeterminatus concursus secundum illos sufficit, ut dicatur Deus *illius* particularis actionis & entitatis causa, quare non sufficiet idem indeterminatus, & indifferens concursus Dei ad quamlibet aliam actionem & entitatem, non majoris difficultatis, causandam, ut dicatur Deus per illum eam verè causare, cum eadem ratio sit de utraque.

121. Nec enim ex eo, quod ad illam actionem quæ in esse naturæ bona est, sequitur, vel cum illa conjungitur malitia in genere moris, poterit creatura illius actionis, & entitatis, quatenus entitas, & actio est prima causa esse, defectus enim ille moralis consecutus non tribuit, nec potest tribuere secundæ causæ, quod

Digitized by Google

illius actionis, & entitatis, quatenus actio, & entitas est, prima causa sit: hoc enim quis dicat: Si ergo homo illius actionis, quæ est in peccato, etiam quatenus entitas, & actio est; est prima causâ, & primum se movens, erit etiam prima causa, & primum movens, respectu cujuscumque alterius actionis, & entitatis naturalis bonæ, ejusdem facilitatis; & sic Deus aliarum bonarum naturalium facilium operationum prima causa negabitur, & creatura illius prima causa astruetur, quorum utrumque etiam naturali rationi apertè repugnat.

122. Tandem Pelagij damnata sententia fuit, quòd posse operari habemus ex Deo, ex nobis autem ipsum velle, & operari, ut per totum ferè librum de gratia Christi, S.P. Augustinus tradit, & docet; si autem Deus moveat ad actionem aliquam creaturam per illum indeterminatum concursum supra explicatum, & creatura se sola se movet ad illam particularem actionem, ex Deo tantùm habebit posse operari (hoc enim posse ille indifferens, & indeterminatus concursus tribuit sine dubio) ipsum autem velle, & operari, ex solo homine erit qui se solo ad tale velle se movet, atque determinat. Nec potest dici Pelagium solùm esse locutum in operibus gratiæ divinæ, quòd bene possumus operari ex Deo, benè autem velle & operari ex nobis sit, quia proportionabiliter idem asseruit pro operibus naturæ, ut Sanctus Hieronymus *Epistola ad Ctesiphontem* manifestat, *& in Dialogis contra Pelagianos.*

123. Sed & illud addendum, quod S. Thomas doctrinam relatam semper impugnat; Etenim præter superiùs ex ipso allata testimonia ex 1. *part. quæst.* 19. *art.* 3. *ad quintum*, & *prima secundæ, quæst.* 9. *&* 10. *potissimè art.* 4. quibus docet voluntatem de se indifferentem, & indeterminatam debere determinari ab alio exteriori principio, ad hoc, vel illud in particulari volendum. Voluntas autem hominis etiam sub illo indifferenti concursu posita, adhuc indifferens est, & indeterminata ad hoc particulare volendum: ergo oportet eam determinari ab alio exteriori principio. Omittendo etiam, quod superiùs diximus S. Thomam docere primam radicem contingentiæ cujuscumque actionis Deum esse, & efficaciam voluntatis divinæ, contra cujus expressam doctrinam supra relata sententia, primam radicem contingentiæ illius particularis operationis in solam creaturam reducit, istaque ad præsens omittendo, ipse S. Doctor *in secundo sent. dist.* 37. *art.* 2. prædictam sententiam refellit, dum opinionem quæ dicit Deum non esse causam actus peccati, secundum quod actus est, asserit propinquissimam errori duplici; quæ tamen sententia ideo id negabat, quia similiter ac ista, quam impugnamus, non intelligebat, quomodo si Deus moveret ad illam particularem actionem, quæ est in peccato, non saltem ex consequenti moveret ad peccatum ipsum. Vnde ut hoc effugeret, illud primum errando negabat: cum qua convenit re ipsa ista sententia: licet non ita expressè dicat Deum illius actionis, secundùm quod actio est, non esse causam; at reipsa idem constituere probatum est supra. Considerentur deinde quinque argumenta in illo articulo apposita, & solutiones illorum, & apparebit, quòd sicut argumenta prætendebant Deum in particulari, & determinatè non concurrere ad illam actionem, quæ est in peccato, propter nimirum inconveniens allatum: ita solutiones affirmant ad illam actionem determinatè Deum movere, & non ad peccatum ipsum, quibus tamen facillimè S. Thomas responderet, si hæc sententia subsisteret, Deum determinatè non movere ad illam particularem actionem, cum qua deformitas inseparabiliter conjungitur, sed indeterminatè ad agendum, cum qua indeterminata motione, nullo modo deformitas peccati conjungitur. Videatur *solutione ad secundum.* Vbi docet, quod Deus inclinat ad actionem quæ est in peccato, non tamen ad peccatum ipsum; ubi habet hæc verba. *Quamvis illius actionis causa sit, in qua malum consistit, secundum quod influit agenti esse, posse & agere, & quidquid perfectionis in agente est; illius,* inquit, *actionis, in qua malum consistit, Deus est causa tribuendo agenti, quidquid perfectionis in ipso est;* Sed aliqua in ipso perfectio est, quod se moveat ad hanc particularem actionem, quatenus actio, & entitas est: hoc ergo illi influit Deus ipsum movendo, ut illam particularem actionem producat. Et in *solutione ad quintum*, inquit, *non sequi, quòd quando duo inseparabiliter conjuncta sunt, quodque est causa ejus quantùm ad unum, sit causa ejus quantùm ad aliud.* Certum est autem, quod deformitas culpæ solum inseparabiliter conjuncta est cum hac particulari, & determinata actione, quæ est in peccato. Ergo concedit S. Thomas, quòd ad talem particularem actionem, cui conjungitur culpa, Deus movet non movendo ad culpam ipsam. Et tandem exemplum quo utitur, tum ibi, tum alibi sæpe de virtute progressiva, & tibia clauda respectu motus claudicationis, id clarius demonstrat. Constat enim, quòd virtus progressiva determinatè, & in particulari movet ad istum gressum particularem, non autem indeterminatè, & in confuso ad motum ut sic; & tamen virtuti progressivæ tribuitur, quidquid perfectionis est in motu; defectus autem claudicationis soli tibiæ claudæ.

124. Testimonium verò in oppositum ex 1. 2. *quæst.* 9. *art.* 6. *ad tertium*, jam supra in vera intelligentia manet expositum; quod nimirum ibi tria doceat S. Doctor. Primum quòd ad universale bonum, quod est objectum voluntatis, Deus est solum movens; voluntas autem ad illud se non movet, ut in *art.* 3. *&* 4. illius quæstionis præmiserat. Secundum quòd ad particulare bonum, verum, vel apparens, voluntas seu homo, se per rationem determinat, non tamen negat, quòd à Deo priùs determinate moveatur ad illud particulare volendum verum bonum, & ad entitatem, & actionem quæ est in bono apparente, ut in aliis pluribus locis expositum, & respectu horum, & Deus est movens, & homo se per rationem movet, atque determinat. Aliàs si propter hoc testimonium, dicunt non movere determinatè ad actionem, quæ est in peccato, propter idem tenentur asserere, nec movere determinatè ad particulare bonum, cum idem de eo S. Thomas affirmet; si autem ad particulare bonum Deus non sic movet: ergo illud homo ex se solo habet, & se discernit ab alio. Tertium est quòd interdum Deus solus est movens ad aliquid particulare bonum volendum, absque eo quod voluntas ad illud se moveat, ut patet in his, quos per gratiam (operantem nempè) Deus movet; in quo solus Deus est movens, & voluntas non movens, sed mota, ut ipse clariùs tradit *eadem* 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 2. ad quem locum se remittit *in illo art.* 6. *solutione dicta ad tertium.*

125. Ad aliud ex *cap.* 9. *super epist. ad Rom.* dicendum, quòd potius ibi docet, quod asserimus; dum inquit, quòd Deus interiori instinctu movet, & inclinat hominem ad bonum, & malum: sed diversimodè, ad bonum directè, ad malum occasionaliter. Quamvis enim ibi loquatur de malo, & de peccato ad quod Deus movet occasionaliter (modo ibi à se explicato) etiam illa verba possunt intelligi de entitate, quæ est in malo, & peccato: licet enim illa uti actio & entitas bona sit in esse naturæ, &

non

Digitized by Google

non mala; quia tamen ipsa habet sibi conjunctam malitiam, etiam ad illam entitatem Deus non movet directè, sed occasionaliter, ut statim magis explicabimus; diverso tamen adhuc modo Deus movet occasionaliter ad prædictum malum, & ad entitatem illius, quatenus entitas est, quia ad malum prædictum ita movet occasionaliter, quòd nullo modo illud malum seu peccatum efficit, seu causat, sed tantùm permittit, at verò ad entitatem, quæ in peccato est, quatenus actio, & entitas est. Ita Deus movet occasionaliter (modo statim explicando) quòd etiam illam entitatem causat, atque efficit.

126. Ad aliud ex *quæst. 3. de pot.* dicendum, quòd ex defectu liberi arbitrij provenit, quia nempè non est in debito ordine, quod non recipiat Dei motionem causantem ordinatam operationem (ut ibi S. Thomas dicit.) Quomodo autem hoc fiat jam sequenti conclusione explicamus; non enim est sensus in illis verbis, quod indifferentem concursum ex parte Dei, homo propter suum defectum, quo recedit à debito ordine, determinet ad actum malum, causando ex se solo sicut malitiam, ita & actionem naturalem quæ in illo peccato est; (hoc enim numquam Sanctus Thomas asseruit aut illis verbis intellexit.) Quid verò in illis doceat sequens conclusio patefacit.

127. Dicendum ergo est quintò non prædefinit Deus, nec prædeterminat directè, seu primò & per se, sive ex prima sui intentione creatum arbitrium ad entitatem, & actionem quæ est in peccato etiam, ut entitas, & actio est, sed tantùm occasionaliter eam prædefinit, & prædeterminat, ut Sanctus Thomas docet *citat. cap. 9. ad Rom.* Quod si rectè exponatur; difficultas illa magna, quæ apparet in hac materia cessabit. Explicatur, & simul probatur conclusio. Docet enim S. Thomas in illa *quæst. 9. ex 1.2. art. 6. solutione ad tertium jam sæpius citata*, quod Deus movet hominem, seu ejus voluntatem, ut universalis motor, ad universale bonum quod est objectum voluntatis, & sine hac motione, inquit, nihil homo potest velle; hac autem efficaci motione mota voluntas, movet & ipsa intellectum ad consiliandum de mediis, vel medio, quo illud universale bonum obtinendum est: & Deus ipse immediatè etiam intellectum efficaciter applicat ad sic consiliandum, ita quòd intellectus infallibiliter consiliabitur. Rursus, quia vult Deus permittere peccatum in tali homine) non dirigit eius consilium, & disciplinam; intellectus autem non sic directus à Deo, cum ex alia parte habeat ex se vel errorem, vel ignorantiam, vel saltem inadvertentiam (ut in Angelis) & aliquando ex parte voluntatis malitiam, sicut dicit de Pharaone super præfatum *cap. 9. ad Rom.* infallibiliter malum medium apprehendet, & in iudicio errabit. Quia enim efficaciter est applicatus ad consiliandum infallibile est, quòd consilietur & quia errorem habet, ignorantiam, vel inadvertiam, & non dirigitur à Deo, infallibiliter in iudicio errabit.

128. Rursus fieri non potest, ut intellectus sit primum se movens ad illum actum judicij, cui conjungitur defectus: ergo supposito, quod debet infallibiliter operari, & ex defectu suo operari cum errore, nec potest sine Dei motione elicere actum illum; infallibile est, quod Deus ut author naturæ hominem moveat ad illum actum, quatenus actus est, permittendo, quòd intellectus ex defectu suo erret. Et hoc modo movet Deus ad talem actum, non primò & per se, seu directè sive ex primæva intentione, sed occasionaliter; occasione nempe illa, qua intellectum infallibiliter operaturum, & ex defectu suo malè operaturum, Deus ut author naturæ movet ad illum particularem actum quatenus actus est, sine qua motione numquam intellectus operabitur; cum tamen supponatur infallibiliter operaturus, & hoc modo movet occasionaliter, ut dixit D. Thom. *supra dictum cap. 9. ad Rom.* quia inclinando per se ad bonam illam finis intentionem, ex qua sumit occasionem peccator operandi malum, movet occasionaliter ad malum, ordine nempè modò declarato: & sic movet ad actionem quæ est in peccato, non ex primæva sui intentione, sed occasionaliter, seu originaliter ex homine ipso. Quia enim homo ex suæ indebita dispositione jam explicata, impedimentum ponit illi Dei motioni finis boni, & illi applicationi qua sufficienter applicatur ad bonum medium, ideo non recipit divinam ulteriorem motionem efficaciter applicantem ad bonum, sed applicantem ad actionem, quæ est in peccato, quatenus entitas, & actio est, & sic sequitur actio inordinata: & hoc est quod S. Thomas dicit in *illa quæst. 3. de malo cit.*

129. Explicatur hoc magis: si enim intellectus sic applicatus efficaciter ad consiliandum, non haberet errorem, ignorantiam, vel inadvertentiam, absque dubio in iudicio non erraret, sed bonum judicium formaret; quia ex prima Dei intentione, per bonam finis intentionem movetur, & excitatur ad bonum, & ex parte sua intellectus non habet defectum, unde sic efficaciter ad consiliandum applicatus, & consiliabitur infallibiliter, & benè consiliabitur, quia ut S. Thomas docuit in illa *quæst. 3. de potent.* est in debito ordine ad suscipiendam Dei motionem, & sic ordinata sequeretur actio. Sicut ergo tunc, quia intellectus applicatus efficaciter ad consiliandum, infallibiliter debet consiliari, & benè, quia non habet defectum, ut diximus; nec tamen fieri potest quòd bene consilietur ex se solo, se movente ad bonum particulare judicium, ad Deum spectat efficaciter intellectum movere, dirigere, & gubernare ad illud bonum particulare iudicium. Quod omnes debent fateri, ne dicant, quòd intellectus se solo determinat illum indifferentem concursum ad bonum illud particulare iudicium reddendo illum concursum efficacem. Sicut ergo hoc ab omnibus Sancti Thomæ discipulis est dicendum, ita per oppositum supposito quòd creatus intellectus efficaciter applicatur ad consiliandum, & infallibiliter consiliari debet: & supposito, quòd ex errore, ignorantia, vel inadvertentia non directus à Deo infallibiliter malè consiliabitur; nec tamen fieri potest, ut ex se solo illum particularem actum, qui est in malo consilio producat; ad Deum naturæ authorem spectat; his suppositis, ut intellectum talem sic constitutum moveat determinatè ad illum particularem actum, qui est in malo consilio, quatenus actus est; permittendo, & nullo modo causando deformitatem illius, quæ à solo defectu intellectus est, sicut de virtute progressiva, & tibia clauda dictum est. Et similiter Deus voluntatem habet movere ad actum electionis, quatenus actus est, quo illud malum consilium acceptat & peccat, nullo modo ad peccatum ipsum movendo.

130. Est tamen magna differentia inter utrumque casum, & boni, & mali consilij, bonæ, & malæ electionis; quia in primo casu boni consilij, & bonæ electionis, omne habetur ex divina voluntate efficienter volente illud homini dare; in secundo autem casu mali consilij, & malæ electionis, illud malum ex Deo tantùm permittente habetur.

131. Hinc secunda oritur differentia, quia in primo casu consilij boni totum habetur ex Deo, & quod consilietur, & benè consilietur; & simili ratione in bona electione ad ipsum consecuta, ex Deo

Digitized by Google

est electio, & quòd bona sit. In secundo autem casu consilij mali, pravæque electionis ipse actus qui est in malo consilio & prava electione tantùm habetur ex Deo, defectus autem nullo modo, sed intellectui, & voluntati tribuitur.

132. Et ex hac tertia differentia, alia oritur, quòd in primo casu recti consilij & electionis bonæ, Deus excitat moraliter ad bonum, & adjuvat efficaciter, ut tunc rectum consilium, tum bona electio fiat. In secundo verò casu Deus non excitat moraliter ad illam actionem, quæ est in peccato, etiam quatenus actio est; imò excitat moraliter ad bonum per illam bonam finis intentionem, sed tantùm movet, ut author naturæ, prout explicatum est.

133. Ex qua etiam tertia differentia, oritur & quarta quòd nimirum ad bonum consilium, & rectâ intentionem, in primo casu Deus movet directè primò, & per se, & ex prima intentione, illam enim primam bonam finis intentionem quam à principio impressit, semper directè continuò prosequitur, vsque dum voluntas, eam medio recto consilio per electionem bonam acceptet. In secundo verò casu appositio, nec directè, nec primò & per se, vel ex prima intentione Deus prædefinit illam actionem, quæ est in peccato, sed occasionaliter tantùm, ut mane expositum. Vnde multò aliter Deus prædefinit, & prædeterminat hominem ad bonum, & ad actionem quæ est in peccato, quatenus actio est. Et sic non tam difficile intelligitur, quomodo prædefiniendo, & prædeterminando Deus actionem, quæ in peccato est, non prædefiniat, aut prædeterminet peccatum ipsum; quia nempè non illam prædefinit, aut prædeterminat directè, aut primò & per se, sive ex principali intentione, sed occasionaliter tantùm, occasione proveniente ex defectu ipsius creaturæ, & ex suppositione, quòd ipsa infallibiliter operatura est, modo ut credimus satis explicato; & sic omnia concordant, & quod nullius actionis, & entitatis prima causa possit esse creatura, sed quod omnis illa habetur determinatè ex Deo: & quod Deus nullo modo causa peccati sit: parique ratione omnia ex Sancto Thoma allata testimonia sibi adinvicem minimè adversantur, sed omnia rectam consonantiam, & intelligentiam recipiunt.

134. Nec fastidiat quod toties, de hac prædefinitione ad actionem, quæ est in peccato agamus, quia principale fundamentum est illam negare pro suadendo illo indifferente concursu contra quem ex prima nostra intentione in his operibus disputamus. Vnde sicut in hoc secundo libro de prædefinitione illius actionis agimus, quæ ad divinam providentiam spectat; ita & in tertio libro in quo de motione, seu præmotione causarum ad suas naturales operationes sermonem instituimus, de præmotione, seu determinatione, qua Deus præmovet, & prædeterminat ad entitatem, & actionem, quæ in peccato est non directè, & primò seu per se, pari ratione tractabimus.

135. Sed dices, quod Deus, ut universalis motor moveat prædicto modo satis videtur intelligi; at verò ad volitionem finis particularis, Deus movet ut particulare agens: impossibile autem videtur, quod Deus ut particulare agens moveat ad malam finis intentionem, hac enim ratione dicit ipse S. Thomas *1.part. quæst.69.art.5.* quod prima Angeli operatio non potuit esse peccatum. Nec valet respondere quod movet, ut particulare agens ad substantiam actus, non ad deformitatem, idem enim omnino posset distinguendo dici de prima actione mala Angeli, & sic non probaret S. Thomas, quod Deo tribueretur peccatum, etiam si illa prima Angeli operatio peccatum esset.

136. Ad hoc dicendum sextò, quod prima omnium operationum, sive in Angelis, sive in homine veniente ad primum vsum rationis, non potuit esse peccatum; quia aliàs, ut S. Thomas rectè infert, Deo attribueretur; quæ tamen ratio non currit in volitione particularis finis mali, post omnium primam: cujus ratio est, quia prima omnium volitio, sive in homine, sive in Angelo, est quodammodo illi connaturalis, & ex naturali inclinatione procedit & reputatur ut ultimum naturæ complementum, unde Deus, ut generans ad illam movet: quare si illa esset peccatum, sequeretur quòd peccatum naturæ esset connaturale, & quòd in peccatum natura inclinaret, & quod peccatum, naturæ esset complementum: & ex consequenti optimè infert S. Thomas, quod Deo danti naturam tribueretur peccatum illud; At vero volitio quælibet finis particularis, quæ in decursu vitæ habetur, non est voluntati connaturalis, nec ex inclinatione habetur naturæ, vel illius est complementum, nec ad illam Deus movet ut generans naturam ipsam: quia ad actionem illam in quantùm actio est, & quoad substantiam solam movet Deus, ut particulare agens ratione suæ divinæ providentiæ, quam particulariter exercet circa creaturas intellectuales, ut ait Arist. quod & Cajetanus optimè notavit. Ad divinam enim spectat providentiam movere creaturam intellectualem in finem, cum ipsa se ipsam ad illum movere non possit. Itaque particulariter attinet ad Dei providentiam movere voluntatem ad finem aliquando bonum, totum causando, & ad omne id quod est in illa operatione movendo. Aliquando vero pertinet movere ad entitatem & actionem, quæ est circa malum finem, ut actio est, & illam causando, & deformitatem solùm permittendo.

137. Ad hoc igitur applicanda est etiam doctrinæ S. Thomæ *cit. loco ex 1.2. quæst.9.art.6. inducta*, ut proportione servata non solùm in actibus deliberatis, quæ peccata sunt, currat; verumetiam in illis, qui sunt indeliberati de malo objecto; ita ut, sicut cum homo liberè peccat, movet Deus ut universalis motor, ratione videlicet suæ providentiæ, ad universale bonum, quod est voluntatis objectum, & sub hac volitione positus homo per rationem determinat se ad apparens bonum, id Deo permittente, atque causante actionem illam, quatenus actio, & entitas est; ita proportionaliter in actibus indeliberatis circa indebitum finem, moveat Deus ut universalis motor ratione providentiæ suæ, ad universale bonum, quod est objectum voluntatis, permittendo quod aliunde ut universale bonum representetur id in quo bonum illud non est, & causando motum illum in ratione entitatis & quatenus actio est, non quatenus indebita.

138. Quod ut plenius intelligatur, supponendum frequenter in nobis consurgere hujusmodi indeliberationes voluntatis circa indebitos fines, quæ solent vocari motus primò primi, hoc enim quotidiana experientia experimur. Supponendum secundò tales indeliberatos motus, sequi ad simplicem, & absolutam apprehensionem, qua intellectus sine discussione subito indicat id esse bonum, & conveniens, ut ex S. Thoma dictum est supra. Supponendum tertiò id apprehendi per intellectum, ut absolutè bonum, & ut universale objectum voluntatis, & ut tale voluntati proponi, quia ipsa solùm ex necessitate & pondere suæ naturæ fertur in id quod sibi proponitur, ut objectum adæquatum suum. Supponendum est quartò in hoc esse practicum errorem intellectus, quod simplici apprehensione iudicat universale bonum, quod revera tale non est. Supponendum quintò Deum immediatè, & per se solum non pro-

Digitized by Google

ponere intellectui apparens bonum sub ratione objecti voluntatis, quia jam immediatè, & per se causa esset erronei judicij practici, quod Deo repugnat.

139. Ex quibus constat sic esse philosophandum in his indeliberatis, & subitaneis motibus indebitis. Quod primò Deo permittente, ex suggestione dæmonis, vel passione proponitur intellectui aliquod apparens bonum, ut bonum adæquatum voluntati, idque proinde simplici apprehensione intellectus iudicat, & voluntati proponit; & voluntas indeliberata volitione subitò in illud fertur. Deus autem qui permittit talem falsam propositionem objecti, intellectum movet per inclinationem, quam ei dedit, ut apprehendat universale bonum, & voluntati illud proponat, & illam apprehensionem causat, quantùm ad omnem ejus entitatem, & actionem: non autem movet, ut in re tali, illud universale bonum constituat, sed hoc permittit, quod ex suggestione procedit. Et similiter movet voluntatem ut universale bonum appetat, quod etiam bonum est, causando illum motum, quatenus fertur in universale bonum, & quatenus habet rationem entitatis, & actionis; Non autem eam movet ad illum motum, quatenus per illam appetit bonum universale in re in qua revera non est. Sed hoc tantùm permittit, & sic habetur quòd ad illum particularem malum finem Deus non moveat, sed actionem & entitatem quatenus actio & entitas est, & quatenus tendit in bonum universale, quod est voluntatis objectum. Duo enim componenda sunt simul. Primum quod Deus non moveat intellectum ad illud judicium practicum erroneum, nec voluntatem ad malum illum finem subitò volitum: Secundum, quòd cum ista fit efficax motio quoad exercitium, & voluntas se movere non possit, quia non habet priùs per quod se moveat; nec à dæmone quoad exercitium possit moveri, à Deo in exercitio ipso moveatur ad id quod bonum est in illo iudicio & appetitu, permittendo vel errorem practicum, vel indebitum illum voluntatis motum appetentis ut bonum, quod bonum non est.

140. Quòd si dicas, quòd etiam prima Angeli operatio potuerit esse peccatum, quia illa operatio non est omnino procedens ab authore naturæ, sed à libertate Angeli: ergo pro illa parte quæ non est omnino ab authore naturæ, poterit habere defectum, nec talis defectus reducetur in naturæ authorem, sed in creatam libertatem.

Respondetur quòd cùm illa actio quoad specificationem bona debet esse, libertas autem quoad exercitium, quæ provenit ab Angelo debet esse secundùm specificationem illam bonam, & sic bona debet esse nec potest esse mala. Vnde quod illa actio sit bona quoad specificationem à solo Deo authore naturæ est; illa autem bona posita, sequitur quòd libertas quoad exercitium etiam bona sit, de quo copiosè Caietanus 1.*p.* ubi de hac materia tractatur in particulari.

CAPUT XI.

Adversariorum argumenta diluuntur.

141. NOn est autem difficile prædicta solvere argumenta. Ex dictis enim patet ad primum à principio. Dicendum enim, quòd illud primum iudicium practicum respectu primæ volitionis liberæ quoad exercitium, non solùm objectivè voluntatem movet, ut argumentum prætendit, sed effectivè, & efficaciter illam movet in virtute altioris causæ, videlicet Dei, ut modo ex sancto Thoma, imò ex Arist. probatum est. Negatur tamen quòd tale efficax iudicium sit absolutè necessarium, sed tantum est necessarium ex suppositione primæ causæ liberæ, quæ & vult movere voluntatem creatam efficaciter ad illum primum actum liberum, & vult quod ad id voluntas liberè moveatur: utrumque enim vult, & utrumque operatur, substantiam & modum actus, & ad hoc applicat causas liberas ad id proportionatas, inter quas est illud iudicium, quod cùm præsupponat essentialiter indeterminationem mediorum supponit libertatis radicem; & sic movet voluntatem ad primam operationem liberam, quæ talis libertas per tale judicium repræsentatur.

142. Ad secundum autem, dicendum ex S. Thoma 1.2. *quæst.* 17. *art.* 10. quod iudicium rationis ex meritis propriis, & ex sola virtute intellectus, non habet movere voluntatem effectivè, sed hoc habet in virtute prioris actus voluntatis. Quæ solutio & doctrina S. Thomæ hoc argumentum, (quod dicunt hi authores à priori procedere) evidentissimè soluit.

143. Ad tertium admiratione potius respondemus, quam solutione; quomodo enim ij authores affirmare possunt, quòd apud Philosophum, & S. Thomam nihil aliud est imperium nisi iudicium practicum, quale ab ipsismet arguentibus statuitur, videlicet, sine determinatione iudicij, & sine effectiva motione quoad exercitium. Cum nihil clariùs, sive apertiùs inveniatur, tum in Philosopho, tum in S. Thoma, quàm imperium rationis esse determinatum iudicium movens effectivè, & quoad operis exercitium ipsam voluntatem in virtute prioris actus voluntatis, S. Thomas videndus 1.2. *quæst.* 17. *cit. de imperio*, & *q.* 13. *in eadem* 1.2. & 2.2. *q.* 47. & 48.

144. Sed cum hoc, oportet etiam considerare verbum quoddam, quo in argumento utitur prædictus arguens, quo forsitan æquivocationem prætendit; ait enim, quòd apud Aristotelem, & S. Thomam, nihil est aliud imperium nisi judicium perfectum practicum; per iudicium autem practum perfectum intelligunt ij authores cum quibus disputamus, iudicium indeterminatum propositum voluntati sine effectiva motione quoad exercitium; S. Thomas verò, & Aristoteles per iudicium practicum perfectum intelligunt iudicium determinans consilium & movens effectivè, seu efficaciter voluntatem in virtute prioris actus illius, & hoc perfectum iudicium practicum vocant imperium. Nam illud indeterminatum iudicium, licet isti appellent perfectum voce, re tamen ipsa imperfectum est, imò iudicium non est: quia iudicium est determinatio consilij, unde vocare iudicium, & indeterminatem repugnat. Similiter practicum non est, quia ad cognitionem pertinet, quæ intellectum respicit speculativum, ut supra declaratum fuit ex S. Thoma.

145. Ad confirmationem respondetur, utique illud imperium esse actum cognitionis, practicæ videlicet, sed ita objectum practicè proponit voluntati, quod in virtute prioris actus voluntatis efficacis illam movet ad acceptandum. Itaque & dirigit, & intimat, & voluntatem movet illud practicum iudicium. Duo priora, ut optimè Caietan. notat. 1.2. *q.* 17. *art.* 1. habet intellectus ex meritis propriis; tertium autem in virtute prioris actus voluntatis, quæ intentio est. Itaque cognitio est, sed cognitio etiam movens voluntatem. Quomodo autem putant ij authores, quod imperium ponatur distinctum à cognitione, cum ille sit actus intellectus, vel quomodo id de aliquo intelligente suspicari potuerunt.

146. Quod autem attinet ad effectum formalem quem in intellectu ponit, dicimus, quod sicut intellectus formaliter redditur intelligens in actu, nec alius formalis effectus ibi apparet, ita & cognitione practica dicitur & fit actualiter practicus, &

cognitione

Digitized by Google

cognitione directiva denominatur formaliter dirigens actu, & cognitione intimativa, etiam redditur actu intimans; ita cognitione imperativa denominatur, & fit formaliter imperans, nec alius potest, præter istum, qui facillimus est, intelligi effectus formalis, quem faciat illud imperium.

147. Ad aliud quod ibi objiciebatur de voluntate, quæ potest si velit ab illa electione desistere, dictum est supra; quòd licet absolutè possit desistere ab illa electione, quia potest desistere à priori intentione, ex cujus efficacia efficaciter movet voluntatem ad electionem, tamen ex suppositione quòd voluntas efficaciter habet intentionem, & in illius virtute intellectus practicè illi proponit, hoc faciendum est hîc & nunc, & omnibus consideratis, impossibile est, simul quòd voluntas ab electione desistat, ut efficaciùs supra reliquimus comprobatum.

148. Ad quartum dicendum hoc ipsorum argumentum in terminis propositum à S. Thoma 1. 2. q. 17. *art. 5. ad tertium* cui, & ipse S. Doctor ibi apertissimè respondet; undè remittimus hos authores, ut in illo loco videant suum argumentum, & illius apertissimam solutionem; quomodo videlicet licet alij actus liberi voluntatis præter omnium primum imperentur, & imperio rationis subdantur, tamen primus omnium actus voluntatis imperio rationis non subditur, sed ad id movet altius principium, quod est Deus medio primo judicio, ut jam supra tum ex S. Thoma, tum ex Aristotele reliquimus manifestum.

CAPUT XII.

Quòd divina voluntas posito objecto omnino indifferenti unum potiùs eligat, quam aliud, v.g. creare, quam non creare mundum, undè proveniat, explicatur.

149. VLtimum argumentum petit explicationem illius difficultatis, quomodo se habuit divinus intellectus proponens objectum indifferens respectu actus liberi divinæ voluntatis ante primum actum liberum ejusdem voluntatis divinæ; An videlicet illud judicium divini intellectus antevertens primam divinam libertatem, effectivè, seu efficaciter sic proposuerit voluntati Dei, hoc est volendum, hoc est faciendum, creandus est mundus; vel potius sic, velle hoc, vel illud rectum erit secundum prudentiam, liberalitatem, vel justitiam; aut vero hoc modo, hoc est potius eligendum, quàm illud: Aut tandem omnimodam, & æqualem indifferentiam objecti voluntati repræsentaverit circa creaturas producendas, vel non producendas. Nec enim præter hos, alius modus proponendi objectum est intelligibilis.

150. In hac difficultate, quæ satis gravis est, nec Doctores conveniunt, Scotus enim *q. 4. prologi §. licet hæc responsio*, & *§. ad argumentum*, & in *1. dist. 38. q. 1.* Tenet quod ante primam determinationem liberam voluntatis divinæ non præcedit dictamen in intellectu, hoc esse faciendum, vel amandum; Arbitratur enim, quod non præcedit primum actum liberum divinæ voluntatis cognitio practica intellectus conformativa, directiva, & determinativa, sed tantùm quod præcedit cognitio ostensiva, qua posita divina voluntas ex se sola habuit suum primum actum liberum, ut sic voluntas divina sit prima regula factibilium, & ex se sola ad illa determinatur. Et loquitur Scotus expressè respectu primi actus liberi voluntatis Dei, quod est considerandum. Argumenta quibus Scotus hanc sententiam fundat, inferiùs à nobis sunt proponenda; quia aliquid reipsa probant.

151. Caietanus autem supra *1. p. q. 14. art. 16.* licet Scoto contrarius sit in eo, quod negavit Scotus scientiam, vel cognitionem Dei esse practicam virtualiter nempè seu in actu primo ante omnem determinationem liberam divinæ voluntatis; cum illo tamen in eo de quo modo agimus, consentit: quod nempè potentia rationalis, quam constat esse notitiam practicam determinatur ab appetitu, & non è conversò; & ideò præsupponitur ab appetitu, ut indifferens, quæ sunt verba Caietani ibi; Quibus tenet non præcedere cognitionem practicam ex parte divini intellectus quæ determinet divinam voluntatem respectu sui actus liberi; sed quod præsupposita illa indifferenti notitia, divina voluntas sua libertate determinatur ad unam partem.

152. Quidam autem ex Recentioribus *lib. 3. de attributis Dei positivis cap. 4. §. sed negari non potest:* duo habet. Primum divinâ scientiam, seu cognitionem practicam esse, & prudentialem ante omnem liberam divinæ voluntatis determinationem: In quo etiam Scoto adversatur, sicut, & Caietanus. Ait secundò illam cognitionem practicam, & prudentialem hoc voluntati divinæ proponere, velle hoc, vel illud erit secundùm prudentiam, liberalitatem, & justitiam.

153. Vt autem clariùs procedamus à notioribus incipiendum est, & dicendum primò divina scientia, seu divina cognitio, etiam ut præveniens omnem primum actum divinæ voluntatis, est virtualiter, seù in actu primo practica, expressa est S. Thomæ sententia *1. p. q. 14. art. 16.* & ubicumque alibi de scientia Dei loquitur. Vbi videndi sunt expositores, nec hic repetendi: quia nec de hoc agimus, sed id præsupponimus. Ratio enim S. Thomæ *cit. loco* id probat, & Caietanus ubi supra id rectè defendit, ac ex Recentioribus ille citatus. Quia negare non possumus actum liberum divinæ voluntatis esse prudentissimum & præcessisse actum supremæ prudentiæ. Nec ex eo debuit Scotus negare illam divinam cognitionem esse practicam, seu prudentiale judicium, quia non est directiva aut determinativa, ad faciendum potiùs hoc, quam illud: satis est enim ad cognitionem practicam, quòd illa sit regulativa operis. Nam ars domificativa non dictat domificandum esse, nec etiam melius esse ædificare, quam non ædificare; nihil prorsus tale ars domificativa ex se dictat, imò est indifferens ad opposita, ut habetur *9. Metaph.* & tamen practica est, quia est operis regulativa similiter ergo scientia Dei, ac ejus divina cognitio proponens voluntati divinæ rationes omnes rerum factibilium, ante omnem ejus liberam determinationem, cognitio practica est virtualiter, sivè in actu primo; quia ipsa regulativa est operis, licet non dictet hoc est faciendum, vel hoc potius, quam illud. Parique ratione, præsuppositia volitione finis, qua Deus seipsum necessariò amat, omnis alia cognitio ex parte divini intellectus antevertens primam liberam determinationem voluntatis Dei circa creaturas versatur: ergo circa media respectu finis: ergo actus practicus prudentiæ debet esse, qui est circa media in ordine ad finem. Quod autem fuerit dictamen istud practicum, & prudentiale præveniens omnem primam liberam determinationem, quamvis non sit facile investigare in sequentibus tamen magis erit explicandum.

154. Dicendum ergo secundò non præcessit dictamen ex parte divini intellectus prævenientis omnem primam liberam divinæ voluntatis determinationem, quod dictaret hoc est faciendum, vel à te liberè volendum circa creaturas, ita quod efficaciter voluntatem ad sic volendum determinaret. Hoc ab omnibus defendendum est sine dubio. Primò ex generalibus, quia intellectus ex seipso non habet movere voluntatem quoad exercitium; Voluntas enim est primum movens, ut ubique S. Thom. & Theologi docent *1. 2. quæst. 9.*

Digitized by Google

quæst. 9. 1. *p. q.* 80. *&* 83. Igitur divinus intellectus antevertens omnem primam divinam libertatem, non habet ex se illam efficaciter movere quoad exercitium; si autem sic proponeret hîc & nunc, hoc est faciendum, vel hoc est eligendum, illam sine dubio efficaciter moveret in exercitio. Igitur non potest sic voluntati proponere. Et ad hoc iuvat quod communiter dicitur 1. 2. *q.* 17. quod imperium intellectus, quo posito efficaci infallibiliter voluntas consentit, habet hanc vim movendi quoad exercitium in virtute prioris actus voluntatis; non autem ex meritis propriis, unde respectu primi actus liberi voluntatis nostræ quem non potest imperiū præcedere, ponimus cum S. Thoma 1. 2. *quæst.* 17. *art.* 5. & cum Aristot. quòd primus motor efficaciter per illud iudicium practicum, quod est eminens imperium voluntatem moveat ad operandum ut dictum est satis. Ita quòd tale dictamen primum in virtute divinæ voluntatis efficaciter moventis, habet sic efficaciter voluntatem humanā inclinare ad volendum, quia intellectus ex propriis, sic efficienter seu efficaciter movere non potest.

155. In particulari autem id efficacius probatur; quia divinus intellectus ante omnem libertatem divinæ voluntatis non proponit nisi objecta necessaria, quia omnis scientia antecedens in Deo ejus libertatem necessaria est, & de objecto necessario; non ergo proponit efficaciter voluntati hoc objectum, videlicet creandus est mundus, vel hoc est faciendum circa creaturas; aliàs hoc objectum esset simpliciter necessarium, quod dici non potest.

156. Item quia ex hoc sequeretur planè divinam voluntatem in tali creaturarum volitione liberam non esse, quod nec veritas admittit. Probatur: nam intellectus divinus per illam scientiam naturalem & necessariam quæ antecedit omnem libertatem in Deo, proponit voluntati illud objectum: hîc & nunc creandus est mundus: ergo ille actus est necessarius ex parte intellectus absolutè & simpliciter; ergo voluntas etiam absolutè & simpliciter necessariò illud volet, & per consequens sine libertate. Consequentia probatur: quia actus voluntatis, qui sequitur immediatè ad actum intellectus absolutè necessarium, etiam absolutè necessarius est: hac enim ratione amor beatificus in beatis est absolutè necessarius, quia immediatè sequitur ad actum intellectus absolute necessarium, & hoc fuit argumentum Scoti *in prim. dist.* 38. quod revera ad hoc probandum efficax est: sicut ergo actus voluntatis, qui sequitur ad actum intellectus necessarium tantùm exsuppositione, est tantum necessarius ex suppositione, & ex consequenti liber: ita ille qui consequitur infallibiliter ad actum intellectus nullo modo liberum, sed absolutè necessarium, etiam liber esse non potest sed necessarius erit absolutè. Unde nullum imperium efficax ex parte divini intellectus præcedit primum actum liberum voluntatis divinæ ratione facta: quia tale imperium divini intellectus præveniens omnem primam liberam divinæ voluntatis determinationem, necessarium est simpliciter & absolutè, & ex alia parte efficax est. Nam posito hoc dictamine seu imperio intellectus, hîc & nunc creandus est mundus, non stat voluntatem id non velle: ergo necessariò simpliciter & absolutè movet divinam voluntatem: ergo divina voluntas necessario simpliciter & absolutè movetur, & ex consequenti sine libertate. Hoc tamen verum est de imperiorationis respectu primæ liberæ determinationis voluntatis divinæ; nam respectu quasi fœcundæ liberæ determinationis, ut dicetur, datur efficax imperium quod in virtute illius prioris liberæ determinationis efficaciter divinam voluntatem movet ad acceptandum.

157. Dicendum tertiò: non etiam præcessit ex parte divini intellectus ante primam liberam determinationem divinę voluntatis hoc prudentiale dictamen, velle hoc vel illud, rectum erit secundum prudentiam, liberalitatem & iustitiam (ut citatus ille Theologus arbitratur.) Hæc videtur in primis aperta S. Thomæ sententia 1. *p. q.* 19. *art.* 5. *ad tertium.* vbi docet creationem mundi solùm à simplici Dei voluntate pendere, primi enim effectus qui non supponunt alios ex simplici sola Dei voluntate fiunt. Si autem intellectus divinus ante omnem divinæ voluntati libertatem ei proponit, rectum esse secundùm prudentiam, liberalitatem, vel iustitiam velle creare videlicet mundum, jam talis creandi volitio non penderet ex simplici Dei voluntate; sicut quia rectum est secundum prudentiam & iustitiam quòd homini manus dentur, hominem habere manus non est ex simplici Dei voluntate, sed ex alio priùs volito secutum: profectò id quod liberè voluntati divinæ proponitur ante omnem ejus libertatem ut rectum secundum iustitiam, non à simplici Dei voluntate pendet, sed à justitia illa quā nec divina voluntas violabit.

158. Est etiam manifesta Scoti doctrina in illa *cit. dist.* 38. ubi ex professo istum modum dicendi hujus Theologi impugnat, dicens: *Si talis actus voluntatis divinæ posset intellectus divinus aliquam talem cognitionem habere, haberet eam merè naturaliter & necessariò, quia omnis cognitio præcedens ibi actum voluntatis, est mere naturalis & per essentiam, ut ipsa est ratio merè actualis intelligendi, & per essentiam; de necessitate ergo cognosceret esse faciendum, & tunc voluntas cui offerret, non posset non velle istud; quia tunc posset esse non recta; voluntas enim potens discordare a ratione practica, potest esse non recta de necessitate.* Quibus verbis Scotus potissimè impugnat illud dictamen practicum antevertens primam divinam libertatem, quod ei proponet, rectum est hoc vel illud facere; quia proposito voluntati divinæ hoc dictamine, rectum est hoc facere, cum ipsa non possit ab illa recta ratione discordare, etiam non posset aliud velle contra illud dictamen quod proponitur voluntati secundum prudentiam, vel iustitiam rectam. Quomodo enim à justitia sibi proposita ante omnem suam libeatatem poterit iustissima, & rectissima Dei voluntas discordare? vel quomodo poterit aliud velle? Quod si non aliud velle potest, profectò nec libera manet ad aliud volendum (ut Scotus concludit) Imò in sententia horum Theologorum efficacius concluditur, qui semper inferunt, ex eo quod voluntas aliud facere non potest, quod libertatem non habeat. Quod argumentum sicut nihil concludit contra voluntatem quæ ponitur à veris Theologis non posse aliter in sensu composito, ita manifestè convincit (ut Scotus optimè deducit) contra voluntatem quæ ex nulla priori libertate etiam divina, non solum in sensu composito, sed nec in diviso aliud potest efficere. Constat autem Dei voluntatem ita rectam & iustam, ut nec compositè nec divisè possit à rectitudine & iustitia sibi per scientiam necessariam propositam discordare. Nulla ratione ergo poterit aliud facere & ex consequenti libera non erit, ut concludit Scotus.

159. Nec huic atgumento Scoti satisfit, dicendo (ut prætendit citatus Theologus) ideo per tale judicium rectum & iustum & ut tale divinæ voluntati propositum, non tolli libertatem divinæ voluntatis; quia per illud non proponitur bonum creatum, vel creabile ut necessarium simpliciter; nec ut continens omnem rationem boni; & ideo non infert necessitatem voluntati divinæ ad illud amandum. Nulla planè est ista solutio. Primò, quia non est necesse, ut aliquid appetatur à voluntate sine libertate, quod illud sibi proponatur sicut continens omnem rationem boni; satis est si illi proponatur vt necessariò amandum. Quod etiam patet, quia isti authores sen-

Digitized by Google

per nobis objiciunt; quòd si Deus movet voluntatem efficaciter ad dandam v.g. eleemosinam, tollitur libertas; & tamen pro certò supponunt quod non proponit id Deus sicut continens omnem rationem boni; hoc enim numquam oppoſuerunt, quia vident quòd nec objici poteſt, niſi ab inſipiente, qui putaret Deum poſſe movere ad falſum iudiciũ practicum quale illud eſſet.

160. In caſu autem propoſito, & illud eſt manifeſtum, quòd ſi divina ſcientia ſeu cognitio ante omnem primam liberam divinæ voluntatis determinationem repræſentat voluntati quod velle hoc, eſt ſecundùm rectam rationem vel iuſtitiam; hoc objectum, hac data hypotheſi, proponitur ut bonum vel ut medium neceſſarium ſimpliciter, & ut neceſſariò ſimpliciter amandum, quod ſufficit ut nullo modo ſalvetur in divina voluntate libertas. Probatur: nam, ut tactum eſt ſupra talis cognitio eſt ſimpliciter neceſſaria: ergo eſt de objecto ſimpliciter neceſſario: ergo ſi ſic dictat, velle creare mundum, v.g. eſt rectum ſecundum bonitatem vel iuſtitiam, hoc objectum erit propoſitum ut bonũ vel medium neceſſarium ſimpliciter, utpote per neceſſariã ſcientiam repræſentatum.

161. Confirmatur & explicatur: Si enim naturalis & neceſſaria Dei ſcientia antevertens omnem divinam libertatem, proponit Deo hoc objectum, rectum eſt ſecundùm bonitatem, vel iuſtitiam mundum v.g. creare: ergo ex natura rei, & ex meritis propriis objectum cognitum & propoſitum per illam ſcientiam habet connexionem cum illa rectitudine & juſtitia repræſentata divinæ bonitati, quæ eſt finis divinæ voluntatis; patet, quia ſcientia neceſſaria, id quod neceſſarium eſt proponit: ergo proponit ut neceſſarium medium ad divinam bonitatem, id quod habet ex ſe intrinſecam rectitudinem cum divina bonitate & iuſtitia; & ex conſequenti ut medium neceſſarium ad illum finem proponit. Ita quod ſi aliud vellet divina voluntas, non ſalvaretur rectitudo bonitatis divinæ, nec iuſtitiæ illius. Sicut ergo eſt omnino impoſſibile, quòd creatura aliqua ſit medium neceſſarium cum divina bonitate, & ut tale neceſſarium medium à ſcientia neceſſaria divinæ voluntati proponatur; ita eſt impoſſibile, quod per divinam ſcientiam neceſſariã proponatur divinæ voluntati hoc objectũ, velle hoc vel illud circa creaturas eſt rectum ſecundum Dei bonitatem & iuſtitiam: quia in hoc, implicitè & illud continetur.

162. Illud etiam aliud, quod opponit Theologus ille contra Scotum, falſum videtur eſſe, & nihil prorſus contra Scotum militat: quia Scotus non negat debere præcedere ex parte intellectus cognitionem, imò illam expreſſit dicens, ſufficere quod præcedat cognitio oſtenſiva. Similiter nec negavit, quod ad actum omnino neceſſarium, qualis eſt proceſſio Spiritus ſancti, antecedat actus omnino neceſſarius ex parte intellectus, qualis eſt proceſſio Filij, ſed tantùm aſſeruit ad primum actum liberum divinæ voluntatis non antecedere iudicium determinativum ex parte intellectus. Vnde mirum eſt quod iſta opponantur contra Scotum.

163. Dicendum quartò nec divinus intellectus propoſuit divinæ voluntati ante omnem ejus liberam determinationem, hoc objectum, magis expediens & conveniens eſt mundum creare, quam non creare. Probatur rationibus factis pro præcedenti, quia ſi illud propoſuiſſet, non penderet ex ſimplici Dei voluntate creatio mundi, ſed ab illa majori convenientia ſibi repreſentata ex meritis propriis objecti.

164. Præterea S. Thomas *1. 1. q. 13. art. 6. in 3. argum. & ſolutione illius*, pro certo habet, quod ſi unum appareat majus bonum omnibus modis quàm aliud, & ſic voluntati proponatur, quòd voluntas aliud minus bonum eligere non poteſt, ſed quod hoc ſuppoſito, ſi voluntas eligit, id quod majus bonũ eſt, habet eligere; de qua ratione videantur ibi Cajetanus & Conrad, qui optimè illam explicant. Si ergo ex natura rei & meritis propriis objecti majus bonum & magis conveniens fuit omnibus modis velle creare mundum, quàm non creare: & ut tale per ſcientiam neceſſariam ſimpliciter ante omnem divinam libertatem fuit divinæ voluntati repræſentatum, non poterat divina voluntas non velle illud majus, magiſque conveniens bonum; potiſſimè quia divina voluntas actum debebat habere, nec manere poterat in ſuſpenſo ſicut ob ſui imperfectionem poterat in ſuſpenſo, eſſe voluntas humana. Inſuper ſcientia divina antevertens omnem liberam determinationem divinæ voluntatis tantùm repræſentat objecta ſimpliciter neceſſaria, ſicut ipſa ſimpliciter neceſſaria in Deo eſt; at hoc objectũ magis conveniens eſt, velle creare quàm non creare; nulla ratione dici poteſt objectũ ſimpliciter neceſſariũ: ergo nec potuit per ſcientiam illam divinæ voluntati proponi; aut ſi propoſitũ fuit, cum illud objectũ ſimpliciter neceſſarium (utpote per ſcientiam ſimpliciter neceſſariam repræſentatum) propoſitum fuit ut ſimpliciter & neceſſariò amandum; & ſic voluntas divina non poterat ipſum liberè velle, ut dictum eſt ſupra.

165. Dicendum quintò, divinus intellectus ante omnem divinam libertatem propoſuit mundi creationem ut poſſibilẽ, & cum omnimoda indifferẽtia quoad creari vel non creari: & ſimiliter propoſuit voluntati quòd ex illo æquali & omnino indifferenti objecto ſecundum ſe, id quod ipſa eligeret, ipſo facto redderet magis conveniens; hac autem indifferentia præſuppoſita ex parte intellectus divini, divina voluntas voluit & elegit creare; & hac ſua electione reddidit majorem convenientiam, in creando quàm in non creando. Vnde ſuppoſito, quod divina voluntas voluit creare, id fuit magis conveniens quàm non creare. Hoc patet à ſufficienti diviſione. Probatum eſt enim neutro ex tribus prioribus modis repræſentaſſe divinam ſcientiam voluntati divinæ tale objectum: ſupereſt ergo ut hoc quarto modo objectum propoſuerit, quia præter hos quatuor, alius modus dabilis non eſt.

166. Deinde ex allatis ex S. Thoma & Scoto, atque Cajetano hoc redditur quaſi probatũ: quia iſto modo ſalvatur, quòd mundi creatio fuerit ex ſimplici tantùm Dei voluntate dependens, ut S. Thomas vult: & quod prima Regula praxis & operationis liberæ, ſit divina voluntas, ut Scotus conſentiẽs cum S. Thoma aſſeruit: & quod indifferentia intellectus proponẽtis determinatur in practicis ab appetitu, ut Cajetanus aſſeruit.

167. Præterea id S. Thomas videtur tradere *1. cont. gent. cap.* 82. ubi explicans libertatẽ divinę voluntatis reſpectu creaturarum, adhibet exemplum artificis, qui æqualiter poteſt uti uno, & alio inſtrumento, docens pariter quod æqualiter ſe habuit reſpectu divinæ voluntatis, velle producere aut non producere creaturas. Et revera ſi quis conſideret, ita fuit: quia ſecundum ſe, & ante divinam voluntatem eligentem æqualiter ſe habuit ad divinam bonitatẽ creare, & non creare: nec magis unum quàm aliud expediens erat ad divinam bonitatem, vel conſervandam, vel oſtendendam: ſive enim uno, ſive altero modo, æquè ſalvatur divina bonitas, & ſumma ejus perfectio ob infinitum exceſſum, quem habet ad creaturas.

168. Inſuper, cum inquirimus de humana voluntate, quare elegit hoc, & non aliud, reſpondemus quia voluit. Et ſi iterum quæramus quare voluit, dicimus, quia potiùs in hoc, quàm in alio ſibi apparuit major ratio boni; cũ ipſa moveatur à bonitate objecti, & illã præſuponat. At vero cũ de volũtate divina inquirim⁹, quare hoc voluit, rectè reſpondemus, quia voluit; & ſi rurſus quæratur, quare voluit potiùs hoc quam illud, ſolùm reſpondemus, quia voluit; & ibi fit ultima reſolutio. Et ratio eſt quia divina voluntas non movetur ad volendum ex præſuppoſita bonitate objecti, ſed

volen

Digitized by Google

volendo illam causat in re volita. Et tamen si divina voluntas potiùs elegit creare quam non creare, quia sibi vt majus bonum proponebatur per divinũ intellectũ, idem debemus de illa respõdere sicut de voluntate humana, quod ideo potiùs voluit hoc quàm aliud, quia sibi ut majus bonum per intellectum proponebatur. Et sic tria sequntur inconvenientia: Primum est parificari in hoc voluntatem divinam & humanam. Secundum, non rectè fieri ultimam resolutionem in divinam voluntatem, dicendo hoc potiùs quàm aliud elegit quia voluit, quod est contra consuetum modum respondi Theologorum. Tertium est, quia sic dicendo eodem modo moveretur voluntas divina à bonitate præsupposita in re volita, sicut & voluntas humana, quod Theologi non admittunt.

CAPUT XIII.

Solvuntur instantiæ contra dicta.

169. TRIA tamen possunt contra hanc veritatem proponi: Primum est ex S. Thoma 1.2. *q.* 13. *art.* 5. *ad* 3. ubi docet, quòd si aliqua sunt penitus æqualia, non magis movetur voluntas ad unum quàm ad aliud. Unde oportet quòd aliqua conditio convenientiæ majoris consideretur in uno quàm in alio, ut voluntas velit.

170. Sed ad hoc facilis est responsio ex dictis: loquitur enim ibi S. Thomas de voluntate creata, hæc enim cum moveatur à bonitate quæ præsuponitur in re volita, nisi in aliquo appareat major bonitas, quàm in alio, sed æqualis omnino, suspensa manebit: nec magis in unum quàm in alterum tendet; quia non habet à quo moveatur, nec sibi sufficienter objectum proponitur. Cæterùm alia ratio est de voluntate divina, quæ cùm non moveatur ad amandum ex bonitate quæ præsuponatur in re volita, sed amando illam tribuat ipsi rei amatæ; hinc est quòd licet omnino indifferentia sit in utraque parte, potest seipsam determinare ad unam, & sua volitione convenientiam & bonitatem causare in re volita. Manifestum est enim, quod si non moveatur divina voluntas à bonitate præexistente in objecto, multò minus requirit majus bonum in objecto uno quàm in alio, sed quòd posito objecto omnino indifferenti velle potest. Et rationis hujus alia prior ratio est, quia divina voluntas est omnium primum liberum, & primum se determinans, unde nec determinari debet à majori convenientia objecti, sed illam volendo in re volita causare. Et quia ista differentia inter voluntatem divinam & humanam fundamentalis debet esse pro hac & aliis materiis, videatur circa illam, doctrina S. Thomæ 1. *parte quæst.* 23. *art.* 4, super Epistolam *ad Rom.* 9. ubi illam copiosè declarat.

171. Secundum argumentum potest opponi ex eodem S. Doctore 1. *contra gent. cap.* 82. ubi docet quod divina voluntas respectu divinæ volitionis creaturarum determinatur à divino intellectu: ergo ad minus fit ista determinatio per intellectum proponentem majorem convenientiam in creatione quàm in non creatione. Imò ipse S. Thomas hoc videtur expressè tradere *in illo cap.* Explicando enim quomodo intellectus divinus determinavit voluntatem ad volitionem creaturarum, ait, quòd determinavit proponendo voluntati divinæ convenientem esse volitionem creaturarum.

172. Ad hoc respondendum est, tantùm docere S. Thomam *in illo loco*, divinam voluntatem determinari à divino intellectu quantùm ad propositionem objecti; quia nisi objectum ostendat nec velle potest: unde ut velit per ostensionem objecti determinatur. Cæterùm non dicit ibi, quòd à majori convenientia objecti representati ante omnem suam libertatem determinetur, imo rationes ex ipso superiùs inductæ contrarium de mente illius suadent.

173. Quod autem ait, quod determinavit intellectus divinus Dei voluntatem proponendo convenientem esse volitionem creaturarum, verissimum est. Quod illam convenientiam proposuit, æqualem tamen cum alia ad alteram partem, utramque liberæ Dei determinationi relinquendo, & ostendendo quod ex illis duabus convenientiis, quæ, ab ipsa divina voluntate electa fuisset, eò esset multa magis conveniens ut dictum est supra.

174. Aliud tertium potest objici argumentum; quia ille actus indifferens sic propositus per intellectum divinæ voluntati, non videtur actus prudentiæ, quia prudentia est determinatio consilij & est judicium certum de aliquo faciendo; & sic illa electio qua Deus voluit creare, non erit actus prudentialis; quod tamen dici non potest. Nam in Scriptura habetur, *Prov. 3. Dominus sapientia fundavit terram, & stabilivit cœlos prudentia Iere* 10. *qui facit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit cœlos.*

175. Ad hoc dicendum quod cùm propositio illius indifferẽtiæ æqualis, sit circa media in ordine ad finem, nempe circa creaturas in ordine ad divinam bonitatem, fuit sine dubio actus cujusdam altissimæ sapientiæ, & prudentiæ; sed proponebat media sicut revera erant secundùm se, & ex meritis propriis ante liberam determinationem diviæ voluntatis: quia autem ex se non dicebat unum magis quàm aliud majorem connexionem cum divina bonitate, sed æqualiter se ad illa habebat divina bonitas, ideo illa sub æquali indifferentia voluntati proponebat. Et sic electio, qua Deus potiùs voluit creare quàm non creare, actus sapientissimus & prudentissimus fuit: quamlibet enim partem eligeret, esset actus prudentiæ. Non tamen crediderim ita propriè de illo primo judicio verificati Scripturæ testimonia, quæ dicunt Deum prudentia cœlos & terram fundasse, sed de alia ratione distincta ab hac priori, quod statim explicandum est, & ultimo dicendum, quod divina voluntas eligendo modo prædicto, potiùs creare quàm non creare, hac sua efficaci voluntate divinum intellectum præmovit, ut dictaret quas creaturas esset convenientiùs producere; & divinus intellectus sic motus à voluntate efficaciter ei proposuit istas quæ creatæ sunt, esse creandas, & non alias; quia hoc magis expediens erat, & efficaciter divinam voluntatem movit ad acceptandum, & ipsa liberè acceptavit: & de hoc actu sapientiæ & prudentiæ operantis in virtute prioris actus liberi divinæ voluntatis procedunt citatæ Scripturæ testimonia, quæ publicant Deum sapientia & prudentia sua cœlos stabiliviſſe, & terram fundasse; & de isto verificatur, quod Deus omnia operatur ad extra secundùm consilium voluntatis suæ: & ad istum secundum actum determinata fuit divina voluntas à dictamine efficaci intellectus practici, quod nec Scotus negavit, qui attentiùs locutus fuit de actu primo libero quem non determinatum à dictamine rationis posuit.

176. Cum autem audis duplicem divini intellectus & divinæ voluntatis actum, non intellegas re esse, sed ratione tantùm, qui ordine quo à nobis explicati sunt cum prioritate rationis, in divina mente sunt. Nec putes hunc novũ, sed antiquũ esse modum dicendi. Communiter Theologi dicunt in materia prædestinationis, (quod & infra suo loco explanandum est) quod existentibus omnino æqualibus omnibus hominibus in natura, & in massa peccati originalis; ex sola Dei voluntate processit quod isti, & non illi essent ad gloriam dilecti & electi: qua efficaci Dei voluntate præhabita,

Digitized by Google

per eam motus fuit divinus intellectus practicus, ut efficacia media præpararet, per quæ electi in gloriam transmitterentur, quæ & divinæ voluntati sunt proposita, & ab ea infallibiliter sunt acceptata. Quod ergo in predestinatione communiter ab omnibus dicitur, ad primam rerum productionem extendendum est, & pari modo ibi est quantùm ad hoc Philosophandum.

177. Quod si tandem instes: quare hanc majorem convenientiam potuit divinus intellectus practicus invenire in productione harum, & non illarum post illum primum actum liberum divinæ voluntatis, non tamen ante illum. Ad hoc dicendum quod cum ex naturæ rei, & ex meritis objecti nulla major convenientia esset respectu divinæ bonitatis, quæ est finis divinæ voluntatis, in creatione, quàm non in creatione, ut dictum est: ideo nec scientia Dei necessaria, illa potuit voluntati proponere. Cæterum postquam divina voluntas se determinavit ad creandum, & volitione sua majorem convenientiam fecit in creare quàm in non creare, jam potuit divinus intellectus majorem convenientiam divinæ voluntati proponere in creatione harum, quam illarum creaturarum, quod & in patria omnibus erit manifestum, quare potiùs ordo divinæ sapientiæ has quàm alias creaturas produxit.

178. Igitur ad ultimum argumentum, cujus occasione hæc dicta sunt, modò est respondendum constituendo magnam differentiam, ut revera est, inter divinam & humanam voluntatem, sicut magna ab omnibus cognosci debet inter primam & secundam causam liberam; sicut enim est de ratione primi liberi quod ab alio agente non moveatur ad agendum aliàs jam primum liberum non esset, ita de ratione secundi liberi est quod ab agente & efficiente alio ad agendum moveatur. Et hæc est prima & notoria differentia inter utramque voluntatem, ut omnis Philosophia clamat, & S. Thomas ubique docet signanter 1. *p. q.* 19. *art.* 3, ubi hanc manifestam constituit differentiam dicens *ad* 5. *dicendum, quod causa quæ est ex se contingens oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum, sed voluntas divina quæ ex se necessitatem habet determinat seipsam ad volitum ad quod habet habitudinem non necessariam.* Pretendere autem quod in hoc sit voluntas divina illustre exemplar nostræ libertatis nihil est aliud quàm velle, secundum liberum imitari debere primum liberum in eo, quod primi liberi proprium est, quod fieri nequit: Secunda differentia est quod creata voluntas ad primum suum actum liberum (qui liber est quoad exercitium, licet necessarius sit quoad specificationem ut manet explicatum) movetur efficaciter, non ab imperio rationis, sed ab altiori & efficaciori dictamine intellectus operante in virtute Dei, ut dictum est supra: at divina voluntas respectu sui primi actus liberi à se sola determinatur non ab agente alio nec à suo intellectu determinante eam ad volendum hoc vel illud: Et hæc differentia ex eadem radice oritur, quia enim creata voluntas est in potentialitate respectu suæ operationis, indiget quod ab alio reducatur in actum ad operandum, & quod intellectus eam efficaciter ad unam partem inclinet. Cæterum quia divina voluntas est semper in actu sine potentialitate, non indiget ista reductione in actum: & quia est primum liberum ab ipsa debet oriri prima libera determinatio ab intellectu. Unde ptætendere etiam quod in hoc, quod est proprium primæ libertatis, illa sit illustre exemplar libertatis nostræ, ita quòd nostra libertas in illo eam habeat imitari, est velle quod secunda causa libera habeat id quod singulariter primæ liberæ causæ convenit, quo nihil est impossibilius.

179. In his ergo duobus nulla ratione voluntas nostra imitatur divinam, nec libertas nostra primam libertatem, bene tamen prima divina libertas est illustre exemplar nostræ libertatis quoad ea quæ utrique analogicè sunt communia, videlicet, quod sicut divina voluntas non fertur in incognitum, ita nec nostra: & sicut divinæ voluntatis libertas oritur sicut ex radice ex indifferentia rationis, ita & nostra: & sicut divina electio sequitur divinum consilium, ita & nostra suum sequitur: & sicut præter primum actum liberum nunc explanatum alius à prima ratione distinctus, qui invenitur in divina voluntate, sequitur ex rationis imperio, ita in nobis præter primum actum liberum, omnes alij liberi imperio rationis subdantur, & ex ipso procedant. In his & aliis, exceptis duobus illis primis, est divina voluntas illustre exemplar voluntatis humanæ. Sed de confutatione hujus argumenti, ista sufficiant: unum tamen prænotando quod tantùm abest quod voluntas nostra sequatur voluntatem divinam ut illustre exemplar libertatis suæ, in hoc quod sicut divina se sola se determinat, ita & nostra à se sola determinetur ad volendum, quòd potius S. Hieronymus Epistola ad Ctesiphontem eam vocet magnam temeritatem sic dicens. *Quæ enim potest alia major esse temeritas, quam Dei sibi non dicam similitudinem sed æqualitatem vindicare, & brevi sententia omnium hæreticorum venena complecti.* Quod contra Pelagium dicebat, qui contendebat hominem Dei auxilio non indigere; ex quo inferebat S. Hieronymus quod faceret hominem æqualem Deo, videlicet quod sicut Deus alterius auxilio non eget, sed seipsum liberè primò determinat, ita etiam homo seipsum primò determinet & moveat non motus à Deo. Hoc considederent qui audent dicere hominem esse primum initium actionis & determinationis suæ, quod est facere ipsum Deo æqualem in eo quod est potissimum in ipso.

CAPUT XIV.

Quod in Deo sit providentia.

180. HACTENUS de providentia in genere dictum est, nunc de divina providentia quod nostri instituti est, dicamus oportet. Circa quã illud in primis ut certum præsupponimus, in Deo veram propriam ac perfectissimam esse providentiam, quod & ratio naturalis dictat & fides docet contra plures, qui circa illam turpiter erraverunt, vel omnino divinã providentiam negantes, vel non illam ad contingentia, & humanas operations extendentes. Diximus quod fides hoc docet, quia ut S. Thomas affirmat 2.2.*q.* 1. *art.* 8. *ad* 1. Philosophi naturali ratione plurima quæ ad unitatem Dei pertinent, investigare non potuerunt puta circa divinam providentiam: Unde circa illam multis modis errarunt, veritas ista in Scriptura est satis nota sap. 8. *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter* & *cap.* 6. *æqualiter illi est cura de omnibus* & infra, *in omni providentia occurrit illis*, & Christus Dominus Math. 6. *respicite volatitia Cœli &c.* & Luc 12. Et frequenter hoc alibi Scriptura docet & id omnes Sancti supponunt. Chrysost. *per tres libros, & sermones sex. in hom. etiam* 9. *ad populum* Clemens Alex. *lib.* 1. *Stromat.* Nemesius *lib. de anima facultat.* Salvianus *lib.* 8. *de Providentia*, Theodoretus *libro* 7. *de curatione græcarum affectionum, & Serm.* 10. *de Providentia* Cyrillus Jerosolimitanus *Cathec.* 8. & alter Cyrillus Alexand. *lib.* 5. *contra Julianum.* August. 5. *de civit. cap.* 9. & *lib.* 5. *de Genesi ad literam cap.* 21. *lib.* 3. *de lib. arb.* & *lib.* 1. & 2. *de ordine.* Gregor. sæpissime in moralibus & omnes alij SS. Doctores, quos in re non dubia longum esset recensere.

181. Præterea illud etiam ut certissimum de divina providentia statuamus, illam non esse monasticam, id est comparatione sui ipsius, cum enim Deo repugnet se

Digitized by Google

se in finem ordinare cum ipse sit ultimus finis, in ipso respectu sui providentia non est: est ergo in Deo regia seu potiùs Monarchia providentia qua diversa alia in suos particulares fines & principaliter ac ultimate in seipsum qui omniũ ultimus finis est, dirigendo ordinat.

182. Præterea & illud præsupponere oportet omnia subjici divinæ providentiæ ut Sanctus Thomas, manifestè demonstrat tum alibi sæpe, tum 1. *p. q* 22. *art.* 2. tum diffusiùs 3. *contra gent. à capit.* 71. *usque ad* 99. ubi plurima circa divinam providentiam docet.

183. De hac divina providentia, definitiones plures, verbis magis quam reipsa differentes, tùm à Philosophis, tùm à Theologis assignantur Crisippus enim sic primò illam definit, Providentia est æterna à Diis præordinatio. Plato autem, est, inquit summa rerum ratio in primo motore constituta cujus interventu omnia administrantur ut lento ac suavi gressu certoque ordine directa ad suos fines perducantur; alij autem sic definierunt, est providentia ratio per omnia transiens: alij vero providentia est præsens ratio futurum pertractans eventum.

184. Ex Sanctis autem Doctoribus Damascenus sic illam definit. *Providentia est voluntas Dei, propter quam omnia quæ sunt, convenientem deductionem suscipiunt;* Boëtius vero *quarto de consolatione prosa sexta* paulò à principio. *Providentia est ipsa divina ratio in summo omnium principe constituta, omnia disponens.* Qua definitione communiter antiquitus doctores utebantur.

185. Vltimò autem proprijssimè ac brevissimè non tam providentia divina, quam providentia in genere definitur à Sancto Thoma. Providentia est ratio ordinis rerum in finem, quod si illam volueris adaptare, ut tantùm de divina providentia procedat, sic dices. Divina providentia est suprema ratio ordinis rerum in finem, in supremo omnium principe constituta.

186. Prædictæ omnes definitiones præter illam, quæ ex Sancto Damasceno habetur, in hoc conveniunt, quod providentia sit ratio, & ad intellectum & rationem pertineat, Cujus proprium est ordinare, nec contrarium censet Damascenus, ut ipsum explicando declarat Sanctus Thomas, *q.* 5. *de ver. art.* 1. *ad* 1. sic dicens.

187. *Ad primum verò, quod de voluntate objicitur, dicendum, quod pro tanto Damascenus dicit providentiam esse voluntatem, quia voluntatem includit, & præsupponit, ut dictum est.* Item omnes conveniunt quod providentia ordinet res in finem. Vnde ratio (ut dici solet) loco generis collocatur, sed non rationem quomodolibet signant, sed rationem practicam divini intellectus, per quam in mente providentis ordinantur ea quæ ad finis consecutionem conducunt, ut docet S. Thomas.

188. Vt autem appertiùs prædicta definitio innotescat. Tria quædam breviter ex Sancto Thoma notentur *ex quæst. cit. de verit. art.* 1. Primum est quod ista ratio ordinis præexistens in divina mente quæ providentia est, est similitudo & exemplar cujuscunque inferioris providentiæ. Secundum est quod ordo in rebus inventus, qui est respectu finis, habet pro exemplari forma, illam rationem ordinis quæ est in divina mente; unde divina providentia, similitudo est & exemplar cujuscumque ordinis in finem, qui in rebus invenitur. Quod & docet S. Thom. ubi supra, *solut. ad primum:* dicit enim quod in creatura duo possumus considerare, videlicet, speciem ejus absolutè & ordinem ejus ad finem, & utriusque forma præcessit in Deo: forma ergo exemplaris rei secundam suam speciem absolutè est idæa, sed forma & exemplar rei secundum quod est ordinata in finem est ipsa providentia. Vnde ordo in finem repertus in rebus similis est ordini in finem, qui est in mente divina, & ab illo non solum sicut à causa efficienti sed etiam sicut à causa exemplari producitur. Tertiò dicit, quod divina providentia, & ratio ordinis rerum in divina mente præexistens, non est similitudo & exemplar omnium, quæ per divinam providentiam causantur, quod dicit ubi supra *solut. ad* 7. ubi & hanc notandam tradit doctrinam, quod videlicet *in divinis attributis duplicem rationem causalitatis invenimus, alteram per viam exemplaris, sicut dicimus quòd à primo uno procedunt omnia una & à primo ente omnia entia, & a primo bono omnia bona, & hac ratio causandi communis est omnibus attributis. Alia ratio est secundum ordinem ad objectum attributi. Sicut dicimus, quòd potentia est causa possibilium & scientia scitorum, & voluntas volitorum; & secundum hunc modum non oportet quòd causatum habeat similitudinem causæ, non enim quæ per scientiam facta sunt, oportet esse scientiam, sed scita, & per hunc modum providentia Dei causa omnium ponitur.* Hæc Sanctus Thomas. Ex quibus satis apparet divinam providentiam esse causam efficientem simulque exemplarem omnis creatæ providentiæ, & similiter esse causam exemplarem & efficientem cujuscumque ordinis qui est in rebus respectu finis: cæterum comparatione omnium aliarum rerum quæ à divina providentia producuntur, est divina providentia causa efficiens solùm, non autem exemplaris. Et quidem quòd providentia divina sit exemplaris causa cujuscumque alterius inferioris providentiæ satis constat, sed quod sit exemplaris causa cujuscumque ordinis inventi in ipsis rebus respectu finis, fit manifestum, quia ille ordo in finem in ipsis rebus inventus, aliquam debet habere in Deo exemplarem causam à qua producatur & cui assimiletur, sed idea non est exemplaris causa illius ordinis: ergo causa exemplaris, erit ratio ordinis rerum in finem in divina mente existens quæ est providentia. Minor patet quia ut Sanctus Thomas ubi supra, docet apertè quòd idea est causa exemplaris rei absolutè consideratæ secundum suam formam absolutam, de quo disputari solet 1. *p. quæst.* 15. Quod autem in Deo sit perfectissima providentia, probat S. Thomas 1. *p. quæst.* 22. *art.* 1. ratione tali. Ordo rerum in finem, cum sit ens & bonum à Deo causatur; sed Deus est causa rerum per intellectum, & voluntatẽ: ergo præexistit in mente divina ratio illius ordinis, sed illa ratio ordinis est providentia: ergo in Deo est providentia; Quam Divinam Providentiam Scriptura sacra sæpè commendat *sap.* 14. *Tua autem Pater providentia cuncta gubernat*, Matth. 6. *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, nec metunt, nec congregant in horrea, & pater vester pascit ea;* Sed huic veritati Principes Philosophorũ Plato, & Aristoteles astipulantur, ut docet apertè S. Thomas *opusc.* 15. *cap.* 3. de quo nec oportet plura eorum testimonia inducere, cum nec institutum id postulet.

CAPUT XV.

Quòd omnia divina subdantur providentiæ, etiam electiones humanæ.

189. OMNIA subdi divinæ providentiæ, etiam humanas electiones sine controversia omnes Ecclesiæ Doctores, & Scholastici recipiunt contra Ciceronem, qui providentiã circa humanas operationes negavit *de Divinat. lib.* 2. ut refert S. Augustinus *lib.* 5. *de Civit. cap.* 9. & S. Thomas 3. *contra gent. cap.* 94. *ratione* 4. Quæ veritas à S. Thoma *prædicto loco ex contra gent. citato* sex rationibus comprobatur. Sed antequam de electionibus humanis, divinæ pru-

Digitized by Google

dentiæ ſubditis rationes ſtatuant breviter omnia alia etiam minutiſſima divinæ providentiæ ſubdi, ab eaque gubernari dicamus, breviter inquam, quia jam de hoc, *lib. 1. tract.* de divinis prædefinitionibus copioſiorem ſermonem fecimus, ubi, & S. Hieronymum id non negare manifeſtum dedimus. Circa minutiſſima ergo, ità dicit S Hieronymus ſuper 1. *cap. Habacuc. Sicut igitur in hominibus etiam per ſingulos Dei currit providentia, ſic in cæteris animalibus generalem quidem diſpoſitionem & ordinem curſumque rerum intelligere poſſumus, verbi gratia, quomodo naſcatur piſcium multitudo & vivat in aquis: quomodo reptilia & quadrupedia oriantur in terra & quibus alantur cibis.* Licèt ſequentibus verbis dicat hanc providentiã ſucceſſivè in Deo non conſurgere, ſicut ſucceſſivè illa producuntur: nec circa illa eam particulare providentia Dei verſari, quæ circa homines, ut ex propriis ipſius verbis manifeſtè oſtẽdimus noſtro libro primo: quibus adjungimus, quod habet idem S. Hieronymus in vita Pauli Eremitæ, ità Antonium orantem introducens. Deus ſine cujus nutu nec folium arboris defluit, nec ullus paſſer in terram cadens de illis &c. Videndus eſt etiam *in cap.* 32. Jeremiæ, ubi eandem doctrinam confirmat.

190. Sunt qui dicunt Sanctum Hieronymum ſuper *cap.* 1. Habacuc non ex propria ſententia loqui, ſed ex aliorum ſenſu, ut proindè ille ſit unus ex illis locis, quos in librum contra Ruffinum dicit ſe in commentariis ſuper Prophetas, non ex ſua, ſed ex aliorum ſententia expoſuiſſe. Verùm nec conſtringimur huic adhærere ſolutioni, cum, ut explanatum eſt ſupra *l.b.* 1. & etiam nunc, planam habeant verba illius intelligentiam, & tunc, & modò adhibitam.

191. Sanctus etiam Pater Auguſtinus *lib. 5. de Civit. Dei cap.* 11. inquit, *Deus non ſolùm Cælum, & Terram, nec ſolùm hominem, & Angelum, ſed nec exigui etiam contemptibilis animantis viſcera, nec avis pennulam, nec herbæ floſculum, nec arboris folium ſine ſuarum partium convenientia dereliquit.* Quem locum S. Thomas inducit 1. *par. quæſt.* 103. *art.* 5. ad probandum, quod omnia divinæ gubernationi, quæ divinam providentiam includit ſubdantur. Item *lib. 5. de Geneſi ad literam cap.* 21. ita habet: *Nec omninò audiendi ſunt, qui putaverunt ſublimes mundi partes, id eſt, à confinio corpulentioris aëris hujus & ſupra, divinâ providentiâ gubernari. Hanc autem imam partem terrenam, & humidam, aëriſque hujus viciniores, qui terrarum, & aquarum exhalationibus humeſcit, in quo venti, nubeſque conſurgunt, caſibus potius, & fortuitis motibus agitari,* & infra. *Quod autem ore ſuo ſalvator dicit unum paſſerem non cadere in Terram ſine Dei voluntate, & quod fœnum agri poſt paululum mittendum in clibanum ipſe tamen veſtiat, nonne confirmat non ſolùm totam iſtam mundi partem rebus mortalibus, & corruptilibus deputatam, verùm etiam viliſſimas ejus abjectiſſimaſque particulas divinâ providentiâ regi?* Innumera Sanctorum Patrum ſimilia poterant induci teſtimonia, ſed minus illa adducere oportet. Videatur idem Sanctus Auguſtinus in enarratione Pſalmi 148. ad illa verba, ignis, grando &c. quæ faciunt verbum ejus, ubi copioſè omnia reducit in divinam providentiam. Et libro 8. de Geneſi ad literam, ubi copioſè etiam omnia divinæ ſubdi providentiæ manifeſtat. *Lib. etiam* 10. *de Civit. Dei cap.* 14. refert ſententia Plotini Platonici, qui providentia Dei uſque ad hæc terrena & ima pertingere floſculorum, atque foliorum pulchritudine comprobat. Quæ omnia quaſi abjecta, & velociſſimè pereuntia, decentiſſimos formarum ſuarum numeros habere non poſſe confirmat, niſi indè formentur; ubi forma intelligibilis, & incommutabilis ſimul habens omnia perſeverat. Vbi hoc ipſum ex illo Matth. 6. *Conſiderate lilia agri, &c.* Vndè S. Proſper doctrinæ S. Patris Auguſtini ſectator, & defenſor *lib. ſent. ex Auguſtino ſententia* 281. ait. *Cum ſalvator dicit unum paſſerem non cadere in Terram ſine voluntate Dei, & quod fœnũ agri quod poſt paululum mittendum eſt in clibanum, ipſe tamen formet ac veſtiat, nonne confirmat non ſolùm iſtam mundi partem rebus mortalibus & corruptilibus deputatã, verùm etiam viliſſimas ejus abjectiſſimaſque particulas divinâ providentiâ regi, nec fortuitis perturbari motibus ea quorum cauſas comprehendere non poſſumus, æſtimemus.* Plurima ſimilia pro Dei ſumma, & ineffabili providentia paſſim in SS. PP. reperiuntur, quæ nec tranſcribenda putamus.

192. Videatur S. Thomas 1. *p. q.* 22. *art.* 2. Vbi omnia divinâ providentiâ regi efficaciùs probat, & contraria argumenta diſſoluit, & *q.* 5. *de verit. art.* 4. 5. & 6. Vbi decem rationibus idem oſtendit. Sed iſta unica, quæ ex 1. *p.* deſumitur modò ſufficiat. Cum omne agens agat propter finem, tanto ſe extendit ordinatio effectuum in finem, quantum ſe extendit cauſalitas primi agentis, cauſalitas autem primi agentis ſe extendit uſque ad omnia entia, & minutiſſima, non in confuſo, vel in generali, ſed in particulari: ergo omnia talia quæ habent quoquomodo eſſe, à Deo ordinantur in finem: ergo omnium providentiam habet, quæ eſt ratio ordinis mediorum in finem. De electionibus autem humanis ſex rationibus S. Thomæ probatur.

193. Prima eſt; Deus eſt cauſa noſtrarum electionum: ergo electiones noſtræ ejus providentiæ ſubduntur; patet conſequentia, quia omnia quæ Deus cauſat & ordinat, ſuâ providentiâ cauſat, ad id enim omne ſe extendit divina providentia, ad quod ſe extendit divina cauſalitas, ut 1. *p. q.* 22. *art.* 2. expreſſiùs ipſe S. Doctor declarat, ubi hanc eandem rationem format.

194. Secunda ita habet; ſi electiones liberæ voluntatis creatæ, ſivè hominum, ſivè Angelorum, non ſubduntur divinæ providentiæ: ergò nec corporalia illi ſubduntur: ergò nil ſubditum providentiæ divinæ. Prima conſequentia patet, quia corporalia adminiſtrantur, per ſpiritualia, & per eorum liberas electiones. Si ergo Deus non habet providentiam de electionibus liberis, quibus ſpiritualia adminiſtrant corporalia, nec de ipſis rebus adminiſtratis providentiam habebit, nam qui de adminiſtratore non habet providentiam, nec de rebus ab ipſo adminiſtratis providentiam habebit. Ratio iſta non ſolùm de electionibus humanis, ſed etiam Angelicis probat, quia quantum ad præſens eadem ratio eſt de utriſque quoad hoc quod eſt ſubdi providentiæ divinæ.

195. Tertia ità procedit; ſubſtantiæ ſpirituales perfectiores ſunt corporalibus: ergo ſi corporalia quoad ſubſtantias, & actiones ſuas divinæ ſubduntur providentiæ, etiam ſpiritualia, quoad ſubſtantias ſuas, & eorum actiones liberas eidem providentiæ ſubduntur. Patet conſequentia, quia quantò aliqua ſunt nobiliora in univerſo, tantò oportet, quòd magis participent ordinem, in quo bonum univerſi conſiſtit, qui ordo divina providentia eſt.

196. Quarta ratio ità concludit. Actiones ſubſtantiarum ſpiritualium propinquiùs ordinantur in Deum, ſicut in finem, quàm corporalia: ergo magis cadunt ſub ordine divinæ providentiæ, qua Deus omnia in ſeipſum ordinat, quàm actiones rerum corporalium; Patet conſequentia, quia quæ ſunt propinquiora fini, magis cadunt ſub ordine qui eſt ad finem, cum alia eis mediantibus ordinentur in finem.

197. Quinta, quantò Deus magis aliqua amat, tantò magis cadunt ſub ejus providentia, ſed intellectuale

Digitized by Google

lectuales creaturas maximè amat, ut notum est etiam apud Philosophum 10. *Ethic. cap.* 10. dicentem, Deum habere curam de creaturis intellectualibus, sicut de suis amicis: ergo intellectuales creaturæ quoad actiones suas cadunt sub divina providentia. Major probatur quia amor ille, quo Deus creaturas gubernat, sicut & gubernatio illa ex divina providentia procedit.

198. Vltima; si solùm exteriores proventus cadunt sub divina providentia, non autem humanæ electiones, verius erit res humanas esse extrà providentiam, quàm quod illi subdantur, etenim electiones liberæ dicuntur propriè humanæ & propriæ homini, hoc autem asserere est incidere in dementiam illorum blasphemantium, ex quorum persona dicitur Job. 22. *Circa cardines Cæli perambulat, nec nostra considerat*, & Ezech. 9. *Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt*, & Threnorum 3. *Quis est iste qui dicit ut fieret, Domino non jubente?*

199. Multipliciter ergo manet conclusum electiones humanas divinæ providentiæ subdi. Quod si alicui videatur Gregorium Nyssenum *lib.* 8. *suæ Philosophiæ*, qui inscribitur de Providentia *cap.* 8. *& ultimò*, & Damasc. *lib.* 2 *Orthodox. fid. cap.* 30. Negare humanas actiones subdi providentiæ divinæ, quia expresè dicunt, quòd divina providentia est earum quæ non sunt in nobis: non autem earum quæ in nobis sunt; sciat istos antiquos Doctores nullomodo sensisse humanas operationes à divina providentia excludi, si enim hoc affirmarent procul dubio ab omnibus cum Cicerone damnarentur, quod tamen à Doctoribus qui post illorum tempora scripserunt factum non invenimus: imò potiùs S. Thomas, qui utriusque Doctoris, sicut & cæterorum propriam mentem penetravit, illorum sententiam, & sensum, intentionemque aperit *q.* 5. *de verit. art.* 5. *ad* 1. sic dicens:

200. *Ad primum dicendum, quod verbum Damasceni non est intelligendum hoc modo, quod omnia illa quæ sunt in nobis id est in electione nostra à divina providentia excludantur; sed quia non sunt per divinam providentiam determinata ad unum, sicut ea quæ libertatem arbitrij non habent*, & 3. contra gentes *cap.* 90. iterùm pro explicatione Damasceni dicit; *& similiter quod Gregorius Nyssenus dicit in lib. quem de homine scripsit, providentia est eorum, quæ non sunt in nobis, non autem eorum quæ sunt in nobis: & Damascenus eum sequens dicit in secundo libro, quòd ea quæ sunt in nobis Deus præscit, sed non prædeterminat: exponenda sunt, ut intelligantur ea, quæ sunt in nobis divinæ determinationi non esse subjecta, quasi ab ea necessitatem accipientia.* Hæc S. Thomas, quibus constat S. Thomam duplicem prædeterminationem agnoscere, & illam quæ est cum absoluta impositione necessitatis, & illam quæ est sine tali impositione absolutæ necessitatis; similiter duplicem statuit providentiam, aliam prædeterminantem ex necessitate ad unum, ut fit in brutis: aliam prædeterminantem, sed sine necessitatis absolutæ impositione, ut fit in nobis.

201. Vnum ergo certum ex ipsis adversùs eos sumamus, videlicèt apud S. Patres Græcos, imò & apud Latinos; idem omnino esse providentiam, & providentiam prædeterminantem, nunquam enim cognoscunt providentiam non prædeterminantem, ut isti authores fatentur. Hoc, inquàm, verum est, sed tamen non debebant inferre aut tacitè asserere, negasse Damascenum divinam providentiam, sed cum S. Thoma & veritate, duplicem providentiam prædeterminantem agnovisse; alteram prædeterminantem ex necessitate, & hanc negasse: non verò illam, quæ sine necessitate prædeterminat. Non ergo sunt æquivalentia prædeterminatio, & impositio necessitatis, ut Recentiores isti arbitrantur, nec hoc Damascenus sensit; benè tamen solet prædeterminatio sumi pro impositione necessitatis; & sic sumpsit illam Damascenus, cum prædeterminationem negavit. Itaque dicant ij Authores, quare Sancti illi Græci citati absolutè negare videntur providentiâ circa nostra opera, nisi quia in conceptu providentiæ importari prædefinitionem, & prædeterminationem viderunt. Nisi enim cognovissent (quod Recentiores prætendunt) in conceptu providentiæ non importari prædefinitionem & prædeterminationem, utique non negassent providentiam respectu nostrarum operationum. Ne autem quis putaret, quòd providentia prædeterminaret ad unum per modum naturæ, sicuti fit in naturalibus, ideo talem providentiam, seu prædeterminationem, ità per modum naturæ determinantem negarunt, non autem aliam prædeterminantem sine impositione necessitatis. Alij autem ex Recentioribus sic Sanctos Patres Græcos exponunt, ut dicant eos non negare quidem omnem providentiam, sed tantùm illam, quæ est, ut rem prædefiniens, seù prædeterminans; quia arbitrati sunt, inquiunt, hanc tollere libertatem: illam autem providentiam quæ non prædefinit, nec prædeterminat, sed præsupponit priorem voluntatis determinationem, ipsi non negarunt.

202. Igitur notanda & tenenda est distinctio illa, quam S. Thomas assignat, quod videlicet Sancti Græci Damascenus, & Nyssenus nomine providentiæ quam negant pro humanis actibus, intelligunt providentiam prædeterminantem ad unum, eo modo quo prædeterminantur naturalia: non autem negarunt providentiam prædeterminantem voluntatem ad actus liberos ad modum proprium ipsius, & salva illius libertate. Itaque semper Sancti intellexerunt esse de ratione providentiæ prædeterminationem; sed de ratione providentiæ pro causis naturalibus & ad unum determinantis intellexerunt esse prædeterminationem, illis proportionatam, videlicèt ad unum prædeterminantem sine libertate. De ratione autem divinæ providentiæ pro causis liberis intelligunt esse prædeterminationem illis propriam, salvantem libertatem, & admittentem consilium, & deliberationem.

203. Et quòd ista sit Damasceni mens & sententia præter Sancti Thomæ authoritatem quam sine causa ij Authores non admittunt, quæ tamen in hac parte sufficere deberet, patet ex verbis propriis ipsius Damasceni, postquàm enim in illo *cap.* 2. secundi libri de fide dixit. Quæ in potestate nostra sita sunt, non providentiæ, sed libero arbitrio assignari debent; Et postquam eodem cap. præmiserat. Præscit enim ea etiam (scilicet Deus) quæ in nostra potestate, & arbitrio sita sunt, at non item ea prædeterminat, quibus ostendit providentiam prædefinientem negare, ut ostenderet se non omnem providentiam quomodocumque prædefinientem negare, sed illam tantum quæ ità prædefiniret ut absolutè necessitaret. Addit, se quodammodò explicando. Ea enim quæ in nobis sunt, non divinæ providentiæ solùm sunt, sed liberæ potestatis nostræ, & arbitrij. Quid enim aliud sonat illud verbum *(solùm,)* nisi quod hoc apertè demonstrat, quod liberæ nostræ electiones non solùm sunt à divina providentia præfinitæ seu prædeterminatæ, sicut merè naturalia quæ solùm à divina providentia ad unum prædeterminantur: sed etiam sunt liberæ nostræ potestatis & liberi nostri arbitrij, seipsum ad id etiam per suam providentiam & per suum consilium, & deliberationem determinantis.

204. Omitto hîc probare, quòd S. Damascenus providentiam admittat respectu humanarum operationum, nam definitio providentiæ ab ipso tradita respectu cunctor, constituit ut ipse apertè clamant; deinde

Digitized by Google

deinde quia mala pœnæ, quæ aliquando sunt per nostrum arbitrium, docet apertè à divina providentia permitti in bonos fines.

205. Item quia reputat inconveniens, alium esse provisorem, & alium factorem: non potuit autem dubitare id quod in Scriptura est apertissimum, Deum nostrorum operum esse factorem: ergo nec dubitare potuit eundem nostrorum operum provisorem.

206. Hic ergo est discursus, & contextus literę Damasceni in illo cap. 2. quòd videlicet in principio capitis constituit providentiam præfinientem, seu prædeterminantem ex divina voluntate respectu cunctorũ, tàm actionum naturalium, quà humanarum; deinde constituit providentiam prædeterminantem solum omnia naturalia ad unum, absque alia ipsorũ, libera determinatione; & tandem in tertio loco constituit opera liberi arbitrij, quæ in nostra sunt potestate; de quibus rectissimè docuit, quòd non solum à divina providentia prædeterminantur, sed etiam ipsum liberum arbitrium per suam providentiam se ipsum etiam liberè ad tales actiones determinat.

207. Unum solùm superest declarandum, quòd S. Thomas 1. *p. quæst. 3. art. 1. ad 1.* ex eo infert Damascenum negare prædeterminationem quæ sit impositio necessitatis, sicut est in rebus naturalibus ad unum determinatis, quia subdit statim Damascenus, non enim vult malitiam, nec compellit virtutem; si enim prædeterminaret voluntatem imponendo necessitatem, sicut prædeterminat cum impositione necessitatis alia naturalia, id planè sequeretur, quod Deus prædeterminaret ad malitiam, & quod compelleret ad virtutem & quòd sibi non homini liberè operanti ista tribuerentur: itaque ex eo probat Damascenus Deum non prædeterminare cum impositione necessitatis nostras voluntates, quia non compellit Deus ad virtutem.

208. Sed ex eisdem verbis conantur recentiores inferre, quod ex eo quod Deus non compellit ad virtutem nullomodo prædeterminet, quæ illatio nulla est: nam prædeterminatio qua Deus humanas vomanas voluntates prædeterminat, salvat perfectissimè libertatem, ut lib. 3. ex professo ostendemus, & nullo modo compellit voluntates.

209. Sed quod admirationem causat, est quod velint recentiores suadere S. Thomam 1. *p. ubi supra, & quæst. 5. de verit. art. 5.* & potissimè *3. contra gent. cap. 90. citato* Asserere quamdam prædeterminationem imponere absolutam necessitatem, & compellere ad virtutem, cum expresè S. Doctor ubique duas prędeterminationes evidenter constituat, aliam pro causis naturalibus, prædeterminantem ad unum, & nullam admittentem libertatem; aliam verò pro causis liberis salvantem perfectissimè libertatem humanam. Sed contendunt, quod S. Damascenus rationem reddit in prædictis verbis, quod Deus non prædeterminat opera nostra, quia non cogit. Ex quo sic argumentantur. Si prædefiniret ea cogeret, sed non cogit: ergo non prædefinit. Ad quod primò respondetur sicut primò nostro libro, ubi ex S. Thoma 1. *p. quæst. 23. art. 1. ad 1.* diximus, sicut & modò dicimus, quod tantum negat Damascenus prædeterminationem, quæ est cum impositione absolutę necessitatis. De hac enim rationem reddit, quod si sic definiret, cogeret, undè sicut non cogit, ita nec prædefinit, seu prædeterminat cum impositione absolutæ necessitatis.

210. Secundò respondetur, Damascenum ibi non reddere rationem, quare negavit Deum nostra opeopera prædeterminare, sed potius explicat quam prædeterminationem negabat, scilicet eam, quæ necessitatem absolutam imponeret: non autem eam quæ prædeterminet nostra opera sine absoluta necessitatis impositione; undè sensus Damasceni est, quem S. Thomas tradit *citata quæst. 5. de verit. 3. contra gent. cap. 90. 1. p. q. 23. art. 1. ad 1.* Quod Deus prædeterminat voluntatem, sed quia sic prædeterminat ut ipsa ex divina prædeterminatione non accipiat necessitatem, quomodo bruta necessitatem à divina prædeterminatione necessitatem accipiunt, ideò Damascenus negavit opera voluntatis prædeterminari, non quod absolutè non prædeterminentur, sed quia non prædeterminantur sic, ut necessitentur.

CAPUT XVI.

Quod ordo divinæ providentiæ sit certus.

211. Cum divina providentia in summo perfectionis consistat, quia Deus est simpliciter, & universaliter perfectus; necesse est fateri ordinem divinæ providentiæ certum, & infallibilem consistere; nec per defectum alicujus particularis agentis aliquando cessari, vel impediri: quæ veritas communi consensu à SS. Patribus prædicatur: imò Cicero ipse certitudinem divinæ providentiæ non est ausus omnino negare, sed ob sui certitudinem, negavit illam circa hominum actiones versari, ne præjudicium inferret earum libertati.

212. Præterea duo ad providentiam spectant, & ordinem agendorum præmeditari, & ipsum præmeditatum executioni mandare, quorũ primum ad speculativam virtutem pertinet: alterum verò ad practicam: ergo ad perfectissimam providentiam qualis est divina pertinebit perfectissimè ordinem agendorũ præmeditari, & ipsum executioni perfectè mandare, ita quod finem intentum consequatur. Si enim illum non consequitur, vel perfectæ executioni non mandatur, vel providens non potest illum finem consequi, imperfectio erit manifesta in providente.

213. Sed dices nunquid ordo divinæ providentiæ est dicendus inevitabilis, sicut dicitur certus & infallibilis, vel potius dicetur evitabilis. Ad hoc recentiores admittentes aliquando ordinem divinæ providentiæ esse infallibilem, & sic appellari debere, negant tamen esse dicendum inevitabilem, sed potius evitabilem: cujus rationem assignant, quia infallibilitas, vel certitudo solum dicit respectum ad infallibilem & certam cognitionem, qualis est divina, cujus proindè objectum debet dici infallibile: at vero inevitabile dicit ordinem ad causam, & sonat quod per causas evitari non possit, quod non videtur concedendum, quia ordo divinæ providentiæ circa effectus contingentes evitabilis est, & evitari potest per causas contingentes. Sed qui sic Pilosophantur propterea hoc dicunt, quia omnem certitudinem divinæ providentiæ ex illa sua præscientia constituunt, ut statim dicemus, non autem ex vi causalitatis ipsius, admittunt illum ordinem infallibilem esse, per ordinem ad præscientiam talem, negant autem esse inevitabilem per ordinem ad causalitatem.

214 Sed nos, qui ordinem divinæ providentiæ certum putamus ex ordine ipso & causalitate sua, & ex efficacia divinæ voluntatis, sicut ex prima radice, ex qua etiam præscientia quælibet participat certitudinem, ut statim ostendemus, aliter omnino dicendum judicamus: videlicet dici illum ordinem ex suppositione inevitabilem per ordinem ad primam causalitatem & efficaciam illius, sicut dicitur infallibilis per comparationem ad divinam cognitionem, & ita loquuntur antiqui Thomistæ *Caiet. 1. p. quæst. 22. art. 4. Ferrar. 3. contra gent. cap. 94. de fallib, & infallib. & de evitabili & inevitabili:* Sicut enim concedunt ordinem divinæ providentiæ circa res contingentes esse certum, & infallibilem ut subsistat divinæ cognitioni

Digitized by Google

cognitioni certæ & infallibili, ita fatentur talem ordinem esse inevitabilem, ut substat divinæ causalitati & ejus efficaciæ, quod est esse inevitabile ex suppositione; licèt absolutè, & simpliciter comparatione proximatum causarum per quas debet impleri evitabilis sit. Concedi ergo debet talem ordinem divinæ providentiæ circa quælibet contingentia & libera esse inevitabilem ex suppositione, & evitabilem simpliciter & absolutè; sicut dicitur necessarium ex suppositione, & contingens seù liberum absolutè.

215. Præterea quia Sanctus Thomas sæpè docet ordinem divinæ providentiæ cassari non posse, nec posse impediri, ideſt impossibile esse, quòd cassetur, vel impediatur: ergo similiter impossibile erit quòd evitetur: ergo erit inevitabile, & inimpedibile ex suppositione; licèt absolutè & simpliciter evitabilis sit & impediri possit. Loca etiam plurima induximus ex S. Thoma in alio nostro libro in responsionibus ad collationes, in quibus docet inevitabilem esse divinam providentiam, & nunc sufficiat alius *ex opusculo 15. cap. 15.* ubi dicit. *Concedendum est igitur, quod divina providentia ab æterno præexistens causa est omnium effectuum qui secundùm ipsam fiunt, & qui immutabili dispositione ab ipsa procedunt.* Ecce immutabilem dicit divinæ providentiæ ordinem, quod est idem ac inevitabilem esse. Quòd si dicas, quòd ordo divinæ providentiæ circa contingentia est absolutè infallibilis, & evitabilis tantùm ex suppositione, magna ergo differentia est inter utrumque.

216. Ad hoc dicendum talem ordinem esse infallibilem tantùm ex suppositione, sicut ex suppositione inevitabilis est, quia absolutè & ex meritis propriis effectus contingens & liber fallibilis est, & fallibilem postulat cognitionem: quod si infallibilis redditur, id provenit in quantum substat divinæ cognitioni infallibili: unde ex suppositione divinæ determinationis, & cognitionis redditur infallibilis. Nec etiam est absolutè necessarium, quòd de tali objecto habeatur talis cognitio, sed est solùm necessarium ex suppositione, ut in primo libro relinquitur prælibatum.

217. Multi in hac parte graviter invehuntur in D. Cajetanum, quia 1. *p.* loco nunc citato dixit effectum à divina providentia non esse fallibilem, nec infallibilem: nec evitabilem, nec inevitabilem, sed quid eminentius utroque. Opponunt enim quòd evitabile, & inevitabile contrariè opponuntur, inter quæ proinde nullum potest inveniri medium, qua ratione necesse est de quolibet affirmare, quod sit evitabile, vel inevitabile.

218. Sed crediderim nec subtilissimum Cajetani ingenium ignorare contradictorios terminos illos esse, nec posse habere medium; sed quod intendit est, quòd eminentia divinæ providentiæ facit quòd effectus contingens, nec dicatur omnibus modis evitabilis, nec omnibus modis inevitabilis, quod verissimum est. Non enim est omnibus modis inevitabilis, quia per causas secundas evitari potest, nec etiam est omnibus modis evitabilis, cum sit inevitabilis ex suppositione. Hæc apparet mens Cajetani, & utinam qui ejus carpunt doctrinam, modestiam ipsius in hoc ipso commento imitarentur, & considerarent quàm humiliter Cajetanus in illo loquatur, & quomodo perspicacissimum ejus ingenium quieſcit (ut ipse dicit) non evidentia veritatis inspectæ, sed altitudine inaccessibilis veritatis occultæ; quia, ut Gregorius dicit, minus de Deo sentit, qui hoc tantùm de illo credit, quod suo ingenio potest metiri.

219. Quomodo autem effectus divinæ providentiæ sit inevitabilis ex suppositione, infra comprobandum venit copiosiùs; quia id non semel Sanctus Thomas affirmat, sed & ipse S. Doctor Augustinus. Similiter, qualitèr effectus divinæ providentiæ non solùm ex ipsa proveniat quoad substantiam operis, sed etiam quantùm ad modum necessarium, vel contingentem; itaut illa providentia præordinet, vel hoc infallibiliter & necessariò, vel contingenter & liberè eventurum etiam dicendum erit inferiùs: quod S. Thomas docet ubique, sed præcipuè *in illo 3. conc. gent. cap. 94.* Circa quod, caput illud ab omnibus legendum, & considerandum commendamus: in ipso enim omnia contraria argumenta quæ contra certitudinem divinæ providentiæ ita efficaciter opppnunt, ità clarissimè soluuntur, ut sola illius capitis lectura attentiùs considerata pro regula, & totali doctrina in hac materia & causa habenda sit; sed nec hîc illa argumenta cum illorum solutionibus transcribimus, quia ad illorum literam nos totaliter remittimus.

CAPUT XVII.

Quod ordo divinæ providentiæ certus sit & infallibilis ex Deo ipso, & ex vi ipsius ordinis, secluſa priori præscientia conditionata seu media, probatur potissimè authoritate D. Thomæ, & Scholasticorum.

220. Libro primo *1. p. tract. 6.* undecimâ retulimus assertionem Recentiorũ circa divinam providentiã, qua affirmant ordinem divinæ providẽtiæ non esse certum & immobilem ex vi ipsius ordinis, & mediorum, quæ à divina providentia præparantur; sed hanc certitudinem habere solùm ex illa priori præscientia conditionata; ac proindè illa secluſa, ordinem divinæ providentiæ nullã necessitatem nec consequentis, nec consequentiæ inferre libero hominis arbitrio. Verba illorum sunt, ut iterum referantur. [Si namque loquamur solùm de ordine ipso causarum, & mediorum à divina providentia constitutorum, sublata scientia, illa media, quæ nullo modo est causa rerum, utique effectus nec necessitatem consequentis, nec consequentiæ inferre libero hominis arbitrio. Verba illorum sunt, ut iterum referantur. [Si namque loquamur solùm de ordine ipso causarum, & mediorum à divina providentia constitutorum, sublata scientia, illa media, quæ nullo modo est causa rerum, utique effectus nec necessitatem consequentis, nec consequentiæ habent comparatione illius, nullumque omninò absurdum sequitur, si illis sic existentibus eveniret contrarium ejus, quod re ipsa eventurum est;] Ita Molina *in Concord. q. 22. disput. 2.* Conveniunt & cæteri Recentiores, qui ejus sequuntur doctrinam, cum autem dicunt providentiam non esse certam ex vi ordinis mediorum, & causarum, quæ ab ipsa præparantur, secluſa illa præscientia. Idem enim omnino est negare ordinem providentiæ certum ex vi mediorum, & dicere non esse providentiam prædeterminantem, seu prædefinientem; quia alterum consequitur ex altero, sicut effectus ex causa: etenim media esse certa à divina providentia præparata executio est divinæ providentiæ prædefinientis: qui enim prædefinivit me, v.g. hodie ista dicturum, media certa præparavit quibus eadem dicto quod S. Thomas manifestè docuit *opusc. 2. cap. 139. & 3. cont. cap. 93.* cujus utriusque loci verba infra referenda sunt.

221. Itaque in summa omnes Recentiores in hoc conveniunt, quòd ordo divinæ providentiæ aliquando & non semper est infallibilis & certus, & hoc est primum quod affirmant. Secundò dicunt quòd quando est certus & infallibilis, id originaliter provenit ex illa præscientia, non autem ex divina voluntate prædefiniente, vel ex ordine ipsius & ex vi mediorum & causarum à divina providentia præparatarum: & sic intelligunt Doctores Sanctos, & potissimè S. Thomam, cum docent divinam providentiam certam esse & immobilem; intelligunt enim hoc ab ipsis affirmari propter certitudinem illius præscientiæ.

222. Contra hanc tamen illorum sententiam, fir-

Digitized by Google

miter tenendum est & nullatenus dubitandum, ordinem divinæ providentiæ certum & immobilem esse ex vi ipsius ordinis & ex vi mediorum & causarum, quæ à divina providentia præparantur secluſa omnino alia priori conditionata præscientia : similiterque tenendum talem ordinem ex vi sua & absque illa priori præscientia necessitatem consequentiæ, sive ex suppositione inferre libero hominis arbitrio ; ità quòd necesse sit ex suppositione illius ordinis liberum arbitrium agere id quod per divinam providentiam præordinatum est ut liberum arbitrium agat, & necesse esse ex eadem suppositione quod liberè agat sicut per divinam providentiam ordinatum est: & ex consequenti tenendum est divinam providentiam esse prædefinientem & prædeterminantem quidquid habet tationem entis & boni.

223. Veritas ista primò ex Sanctis Doctoribus fit manifesta, qui loquentes de divina providentia ordinem illius certum & immobilem constituunt, & planè intelligunt hanc certitudinem & immobilitatem habere ex vi ipsius ordinis ac mediorum & causarum & ex ipsa prædefinitione providentiæ Dei ; si enim intelligerent illam certitudinem & immobilitatem solùm ex præscientia illa promanare, non tam providentiam certam & immobilem appellarent, quàm scientiam ipsam, à qua sicut à prima radice tota proveniret.

224. Pro hac veritate in primis omnes illi Sancti Doctores inducuntur, quos primo libro agentes de divinis prædefinitionibus diximus asserere omnia bona & omnes humanos actus ex divina provenire definitione ; ubi apertè docent omnia talia ex divina providentia præfiniente causari : præfinitio autem, seu prædefiniens providentia illam mediam scientiam impugnat ut ibi ostensum est : ergo Doctores & Sancti omnes ibi citati, qui & plures sunt, qui apertè constituunt divina prædefinitione omnia certò evenire, etiam ex divina providentia prædefiniente absque illa media scientia docent ea certò causari ; sed in singulari Boëtius 4. *de consolatione prosa 6.* dicit: *Quod fatum ab immobilibus providentiæ proficiscens exordijs, actus fortunaſque hominum indissolubili causarum connexione constringit.* Quibus verbis immobilitatem secundarum causarum, ut substant ordini divinæ providentiæ fatum appellavit, impropriè usurpando illam vocem *fatum* ut communis est Theologorum sententia ; sentit ergo apertè ordinem divinæ providentiæ primò & originaliter esse certum ex divina voluntate & ex vi ipsius ordinis & non ex præscientia. Nam si ex præscientia tantùm intelligeret ordinem illum certum & immobilem esse, nulla ratione posset asserere ex illo ordine provenire fatum etiam impropriè sumptum in ipsis secundis causis.

225. Quod sic aperitur. Nam fatum est propriè necessitas absoluta antecedens omnem usum voluntatis creatæ ipsam necessitans absque sua libertate ad operandum ; fatum autem impropriè à Sanctis Doctoribus in hac materia usurpatum, est immobilitas secundarum causarum proveniens ex ordine divinæ providentiæ, antecedens omnem usum liberæ voluntatis, & ipsam liberè faciens operari. Igitur cum Boëtius dicit oriri in secundis causis fatum ex ordine divinæ providentiæ, nihil aliud manifestat, nisi quod ordo divinæ providentiæ certus & immobilis est ex vi sua antecedenter ad omnem usum voluntatis humanæ, & quod hac sua antecedenti efficacia, necessitatem consequentiæ impropriè fatum appellavit, quod verba illius satis demonstrant. Primò enim dicit ordinem divinæ providentiæ immobilem esse. Secundò ex istis immobilibus divinæ providentiæ ordinibus sivè exordijs proficiscì in hominibus fatum impropriè sumptum. Tertiò quod hoc fatum astringit actus hominum indissolubili causarum connexione. Non potuit certè efficacioribus verbis aperire ordinem dividentiæ providentiæ esse certum & immobilem ex vi ipsius ordinis & ex vi mediorum & causarum secluſa aliqua priori præscientia. Et omari ista verba Boëtij, quæ etiam à Sancto Augustino traduntur & à Sancto Thoma referuntur & acceptantur ; explicare de certitudine ex vi solius præscientiæ, nihil aliud est quàm expressis Sanctorum Doctorum verbis contradicere & vim illis non parvam inferendo, in contrarios sensus detorquere illorum dicta.

226. Quòd quidem sic ostenditur. Nam Boëtius in citatis verbis, apertè docet, quòd immobilis ordo divinæ providentiæ fortunas actusque hominum indissolubili causarum connexione astringit : ergo in eo quod verè causat ; ponit hanc immobilitatem : ergo non illam constituit in præscientia. Patet hæc ultima consequentia ; quia præscientia, ut etiam relatis à principio verbis Molina fatetur, nullo modo causa est : oppositi ergo adinvicem sunt Boëtius & Molina ; quia iste certitudinem & immobilitatem divinæ providentiæ in præscientia constituit, quam dicit causam non esse : at Boëtius S. Augustinus ; & S. Thomas certitudinem & immobilitatem divinæ providentiæ respectu humanarum operationum manifestè constituunt in ipsis causis, quæ tales operationes causant.

227. Similiter Nyssenus *in Epistola seu libro de fato contra fati assertores* ait: *An nomine fati vim quandam voluntariam, liberam, sui juris ; summæque potestatis: An verò aliud ab ea diversum statuerent.* Et post pauca *Orabam* (inquit) *ut tantum fati vim perspicuè mihi explicaret Deus; an aliquis fati nomine intelligeretur hujus universi Imperator summa potestate præditus, quique omnia haberet in manu sua, & pro arbitrio gubernaret ; An verò fati virtutem alterius alicujus &c.* Et in fine libri ita concludit: *Perspicuum est id Dæmonum esse quoddam opus comparatum ; ad decipiendos eos qui omnem illam vim his rebus contineri opinantur ; nec oculos ad summam Dei converterunt potestatem.* Hæc Nyssenus. Perspicuum est ergo illum apertè sentire, vim illam efficacem & præcedentem ac secum omnia trahentem, quam malè Philosophi in syderibus vel aliis creaturis collocabant, esse in Dei summa potestate ac voluntate ; qui sicut sua vi ac virtute omnia efficaciter & antecedenter movet ad operationes suas, ita suaviter illa disponit, cujuscumque rei servans suam propriam & connaturalem naturam & conditionem ; & propterea dicit esse *quandam liberam, sui juris, sua potestatis, omnia habens in manu sua ;* Et in summa Sancti Doctores contra fati assertores instabant illam vim præcedentem omnia & necessitatem, quam malè in creaturis ponebant, debere constitui in suprema Dei voluntate atque potestate, quæ ita efficaciter & antecedenter omnes causas contingentes & liberas ad suas operationes movet, ut earum propriam naturam liberam in operando conservet.

228. Præterea omnes Sancti Græci, Nyssenus citatus, Nazianzenus, Cyrillus, Damascenus, Chrysostomus & alij, semper divinam prædicarunt providentiam, eique subdi humanas operationes dixerunt, ut omnia eorum opera testantur quibus Ciceronem oppugnant ; sed nomine providentiæ intellexerunt providentiam prædeterminantem, nec aliam providentiam Dei intellexerunt nisi quæ prædefiniret & prædeterminaret, ut authores cum quibus disputa-

mus

Digitized by Google

mus apertè concedunt, ut visum est supra *cap.* 14. Ergo omnes Sancti Patres Græci divinam providentiam prædefinientem & prædeterminantem humanas operationes confessi sunt: ergo divinam providentiam certam ex vi ordinis mediorum & causarum semper docuerunt, & non tantum ex præscientia. Patet consequentia, quia providentia prædefiniens sivè prædeterminans sine certitudine, ex vi mediorum & causarum nec intelligi potest. Legatur S. Chrysostomus in sex libris de providentia, & nihil aliud apparebit docere, quàm Dei providentiam omnia prædefinientem. Quòd si aliqui ex Recentioribus, ut visum est supra *cap.* 14. aliter SS. Patres Græcos exponunt quod nempè ante providentiam, priorem præscientiam futurorum admittant; negant autem omnem aliam prædefinientem & prædeterminantem: & contra SS. illos Patres loquuntur qui talem nunquam cognoverunt præscientiam ante providentiam & illis tribuunt quòd veram negaverint providentiam, quæ non est alia nisi prædefiniens.

229. Itaque Sancti Patres Græci nomine providentiæ intelligunt providentiam prædeterminantem, quòd aliqui ex his authoribus concedunt, quod & verum est; sed Patres Græci humanas operationes divinæ providentiæ subdiderunt, aliàs erroris ab omnibus damnarentur: ergo providentiæ præddestinanti eas subdiderunt. Cum ergo negant humanas operationes prædeterminari, necesse est, quòd aliam prædeterminationem imponentem absolutam necessitatem negent, ut S. Thomas exponit.

230. Quòd sic magis confirmatur. Notum est Pelagianos omnes, sæpè S. P. Augustino objicere quòd per divinam providentiam & prædestinationem atque causalitatem fatum constituebat, & arbitrium negabat: hoc autem qua vel apparenti ratione poterant Sancto Doctori opponere si ipse non constituebat ordinem divinæ providentiæ prædestinationis & gratiæ certum & immobilem ante omnem præscientiam boni usus arbitrij; certè stulta esset & sine apparentia objectio, si Sanctus Augustinus certitudinem & immobilitatem divinæ providentiæ & prædestinationis constituebat ex sola præscientia boni usus, ut ij Authores fatentur. Igitur constituit S. Augustinus ordinem divinæ providentiæ & prædestinationis certum & immobilem, ex vi ipsius ordinis ante omnem præscientiam boni usus, & ex hac antecedenti immobilitate, statim sibi videbantur cum aliqua apparentia inferre Pelagiani tam priores quam posteriores, quod ipse fatum lædens libertatem admitteret. Videatur ipse Sanctus Augustinus, *lib. 1. de ordine post med. lib. 2. in princip.* & *lib. 3. de liber. arbitr. cap. 25. de Civit. cap. 9. de agone Christiano cap. 7.* in libro enim de civit. citato contra Ciceronem sic dicit. *Quod vero negat ordinem omnium causarum esse certissimum, & Dei præscientia nobilissimum, plus eum quam Stoici detestamur.* Qui ergo negant ordinem causarum & mediorum quæ à divina præparantur providentia esse certissimum, cum Cicerone videntur convenire, eosque cum sua doctrina detestatur S. Augustinus. Et ibi post pauca sic dicit. *Quapropter, & voluntates nostræ tantum valent quantum eas Deus valere voluit, atque præscivit.* Quibus verbis præscientiam de certo ordine causarum & mediorum divinæ subdit voluntati, quæ id ita voluit. Manifestum est itaque S. P. Augustinum providentiam prædefinientem & prædeterminantem constituisse semper ante omnem illam, quæ introducitur, præscientiam, cum autem in his materiis de providentia, prædestinatione, & gratia, sententia S. P. August. ipsa sit fides Ecclesiæ, ut rectè Cardinalis Bellarminus dicit (quod omnes recipiunt. Sicut recipere debent.) Manifestum est etiam providentiam prædefinientem seu prædeterminantem, seu quod idem est, certam & infallibilem ex ipso ordine mediorum & causarum, quæ à divina providentia præparantur, doctrinam esse ab Ecclesia in S. P. Augustino approbatam, nec negari tutò posse.

231. Sanctus etiam Thomas ubique agens de providentia illam certam & immutabilem constituit, ex vi ipsius ordinis, ut *quodlib. 12. art. 3.* ubi prædestinationem certam esse docet, & ex parte scientiæ quæ infallibilis est, & ex parte divinæ voluntatis cui nullus resistit, & ex parte providentiæ quæ certo ordine ducit ad finem: ergo certus est ordo providentiæ ex vi sua etiam præter certitudinem præscientiæ. Nec enim quia ibi Sanctus Thomas primo loco constituit certitudinem præscientiæ, intelligit certitudinem & immutabilitatem providentiæ & ordinis illius à præscientia primò originari, qua ipse, ut ex contextu patet de præscientia loquitur absolutè, quam constat potissimè in sententia S. Thomæ sequi ad efficaciam divinæ voluntatis, idcò enim tale præscit, quia illud fieri voluit, vel permisit. Quod autem loquatur de præscientia absoluta, quæ sequitur ad efficacem Dei voluntatem prædefinientem, vel permittentem id quod præscientia intuetur constat *ex opusc. 2. cap. 140.* Ubi eandem tradens materiam, postquam dixit quod tria requiruntur ad certitudinem divinæ providentiæ, infallibilitas scientiæ, efficacia divinæ voluntatis, & sapientia divinæ dispositionis, statim exponens, quæ sit illa scientia infallibilis ait. *Nam scientia Dei infallibilis est etiam contingentium futurorum, in quantum Deus intuetur in suo æterno futura, prout sunt actu in suo esse, ut supra expositum est.* Igitur manifestum est ipsum loqui de scientia visionis absoluta, qua Deus in sua æternitate intuetur futura in suo esse, prout sunt à suis causis causata, & à divina voluntate volita vel permissa. Illa ergo ratione primo loco constituit præscientiæ certitudinem, qua parte prima priùs de scientia Dei egit quàm de ejus voluntate, licet scientia futurorum ex priori Dei voluntate dependeat. Igitur secundum S. Thomam ordo divinæ providentiæ certus est primo & originaliter ex divina voluntate, formaliter autem & immediatè, ex vi intellectus divini practici sic ordinantis, & disponentis fieri. Ille etiam locus inductus *cap. precedenti ex opusc. 15.* manifestus est pro hac sententia, in ipso enim apertè dicit, quod omnia procedunt ex immutabili ordine divinæ providentiæ. Cui concordat ille alius, qui habetur *opusc. 2. cap. 138.* ubi sic dicit. *Et sic necesse est ponere fatum ponentibus divinæ providentiæ omnia subjacere; fatum enim sic acceptum se habet ad divinam providentiam, sicut proprius ejus effectus.* Quibus verbis exequutionem, & effectum divinæ providentiæ, fatum largè sumptum appellat; hæc autem exequutio, & effectus divinæ providentiæ, nihil est aliud quàm efficax mediorum præparatio, seu immobilis causarum dispositio, ut ipse Boëtius, & S. Thom. ipsum exponens docuerunt; ergo cõstituunt ordinem, seu dispositionẽ divinæ providentiæ certum & infallibilem ex vi ipsius ordinis à divina providentia præparati. Imo Seneca *lib. de providentia cap. 5.* referens Demetrij sententiam quam approbat, inquit, *nihil cogor, nihil patior invitus, nec servio Deo, sed assentior: eò quidem magis quod scio omnia certa & in æternum dicta lege decurrere.* Et post pauca. *Olim constitutum est, quid gaudeas, quid fleas.* Vbi omnia per divinam providentiam & antequam fiant constituta esse pronuntiat. Et quamvis ibi dicat quod fata nos trahunt, nihil aliud per fata intelligere videtur, quam executionem, & ordinem divinæ providentiæ rebus ipsis

Digitized by Google

impressum, quem ordinem postea *lib.2. naturalium quæst.cap.35. 36.37.* & 38. dicit cum libertate arbitrij stare contra illos qui contendebant per tale fatum arbitrij libertatem impediri; unde constat fatum largè etiam sumpsisse pro ordine divinæ providentiæ rebus impresso, sicut etiam Boëtius, & S. Thomas clariùs explicarunt.

232. Item ibi cap. 140. ita S. Thomas continuò subjunxit, *Tria sunt, quæ providentiæ certitudinem præstare videntur. Infallibilitas divinæ præscientiæ, efficacia divinæ voluntatis, & sapientia divinæ dispositionis, quæ vias sufficientes ad effectum consequendum disponit.* Per vias autem sufficientes, ut ibi se explicat, intelligit causas, quæ quamvis ex se deficere ab effectu possint, sic tamen à Deo ordinantur, quod indeficienter ex illis sequatur effectus. In quo manifestè constituit ordinem à divina providentia præparatum ex vi ipsius ordinis, certum & infallibilem esse ex efficacia divinæ voluntatis provenientem, quæ efficacia divinæ voluntatis est secundum quod ad providentiæ certitudinem pertinere dicit, *& in opusc. 15. cap. etiam 15.* ait; *Concedendum est igitur, quod divina providentia ab æterno præexistens causa est omnium effectuum, qui secundum ipsam fiunt, & qui immutabili dispositione ab ipsa procedunt.* Immutabili dicit dispositione, quo nihil clarius potuit asserere, ut efficaciam dispositionis ex vi ordinis ipsius providentiæ significaret.

233. Præterea S. Thomas *3. contra gent. cap.94.* agens ex professo de certitudine divinæ providentiæ illam certam constituit in suo ordine ex vi ipsius ordinis, ex vi causalitatis ipsius ante omnem præscientiam futuri eventus: igitur non ex præscientia sumit ille ordo certitudinem, sed potius præscientia certitudinem ex ordine illo participat. Non enim ideo erit ille ordo certus & immobilis, quia Deus præscivit illum ita eventurum, sed potius ideo Deus ita certò præscivit eventurum, quia divina providentia suo immutabili causalitatis ordine ita disposuit evenire. Et quod ita de certitudine providentiæ loquatur ibi S. Thomas, fit manifestum. Nam ipse illa constituit argumenta, & soluit, quæ nitebantur probare, vel providentiam esse incertam vel contingentiam rerum impedire. Constat autem hoc argumentum solùm vires habere contra certitudinem divinæ providentiæ ex vi ipsius ordinis, & causalitatis illius ante præscientiam futuri eventus: nam si ad certitudinem præscientiæ præsupponeretur futuri eventus cognitio, non esset difficultas, quod providentiæ certitudo contingentiam rerum non impediret.

234. Rursus cum S. Thomas huic argumento, & difficultati respondens non recurrat ad certitudinem antecedentis præscientiæ, quod erat facillimum; sed ex propria causalitate providentiæ & ex proprio ordine ipsius argumenta solvat, dicens, ideo per certitudinem providentiæ rerum contingentiam non impediri, quia ita res eveniunt contingenter, vel necessario, sicut divina providentia disposuit evenire contingenter, vel necessario; absque dubio fit manifestum Sanctum Thomam ordinem divinæ providentiæ certum & immobilem ex vi ipsius ordinis, & ex vi mediorum, & causarum, quæ à divina providentia præparantur, constituisse ante omnem præscientiam futuri eventus, nec sensisse providentiam certam ex sola præscientia, sicut ex prima radice certitudinis. Idem docet *1. part. q.22. art.4.* Vbi certam esse providentiam ex vi causalitatis ipsius, & non ex vi præscientiæ manifestat, eodem modo loquitur de certitudine providentiæ *1. part. quæst. 23. art. 3. & q.116. per totam.* in illa enim *quæst. 23. citato art.3.* docet quod providentia addit aliquid certum, & firmum in sua propria ratione supra præscientiæ certitudinem.

235. Verùm notandum maximè est quod docet *3. cont. gent. cap.93.* Vbi tractans an sit, & quid sit fatum, rejectis de ipso sententiis inquit. *Quidam verò in dispositionem divinæ providentiæ omnia reducere voluerunt, quæcumque in his inferioribus casu contingere videntur; unde omnia fato agi dixerunt, ordinationem quæ est in rebus ex divina providentia, fatum nominantes, Vnde Boëtius dicit quod fatum est inhærens rebus mobilibus dispositio per quam providentiæ suis quæque nectit ordinibus; in qua fati descriptione, dispositio pro ordinatione ponitur. Rebus autem ponitur, ut distinguatur fatum à providentia. Nam ipsa ordinatio secundum quod in mente divina est nondum rebus impressa, providentia est; secundum verò quod jam est explicata in rebus fatum nominatur. Mobilibus autem dicit, ut ostendat quod ordo providentiæ à rebus contingentiam & mobilitatem non aufert, ut quidam posuerunt: secundum hanc ergo acceptionem negare fatum est providentiam divinam negare, sed quia cum infidelibus hæc nomina habere debemus communia ne ex consortio nominum possit sumi erroris occasio, nomine fati non est à fidelibus liberè utendum, ne videamur illis assentiri, qui malè de fato senserunt, omnia necessitati syderum subjicientes.* Hæc Sanctus Thomas. Quibus docet ordinationem inhærentem seu impressam rebus mobilibus, qua divina providentia executioni mandatur (quæ ob sui efficaciam fatum dicta est à Boëtio, & de qua quidam dixerunt, quod contingentiam, & libertatem læderet, sicut & modo dicitur) ita esse necessariam, ut qui illam negant, negent divinam providentiam. Et ratio est manifesta, quia negant id per quod operatur divina providentia, & impletur. Cum igitur istum ordinem certum ex divina providentia rebus inhærentem, & impressum ij authores negent, eadem nunc allata ratione, quia contingentiam & libertatem putant impediri, constat quod ex Sancto Thoma convincantur, quod divinam providentiam negent. Itaque illam ordinationem rebus mobilibus inhærentem (quam fatum nominabat Boëtius, quæ alia esse non potest nisi illa quæ est certa ex vi ordinis ante omnem præscientiam) negare, est negare divinam providentiam secundum S. Thomam. Manifestum est ergo quod si ordinatio inhærens, seu impressa efficax negatur (quæ est effectus divinæ certæ providentiæ) quod providentia negatur. Manifestum est etiam quod si illa media scientia, vel quælibet alia anteponatur ante ordinem certum divinæ providentiæ (cum per illam tollatur ordinatio inhærens rebus mobilibus, quæ ob sui efficaciam fatum appellabatur, quod nec negabunt ij authores, quod etiam vel Sanctus Thomas convincit) negatur divina providentia. Quod est observandum ad videndum quomodo negata prædeterminatione voluntati impressa, quæ est divina efficax prædeterminatio, negatur divina providentia, licet ut ex S. Thoma dictum est, fatum à nobis appellari non debeat.

236. Similiter *eadem 1 part. quæst. 22. art. 2.* docet, quod causalitas Dei qui est primum agens se extendit usque ad omnia entia, & quod omnia quæ habent quoquomodo esse, sunt ordinata à Deo in finem, & quod omnes causæ particulares concluduntur sub universali; *& art. 4.* ait, ad divinam providentiam pertinere omnes gradus entium producere, addens quod effectus divinæ providentiæ non solum est aliquid evenire quocumque modo, sed aliquid evenire contingenter vel necessariò. Et *eadem 1. part. q.19. art.4.* inquit, quod effectus determinati ab infinita ipsius (scilicet Dei) perfectione procedunt, secundum

Digitized by Google

dum determinationem voluntatis & intellectus ipsius. Egregius est locus ille *ex quodlib. 12. art. 4. Alij*, inquit, *reducunt omnia hæc in causam supracælestem, scilicet in providentiam Dei, à qua omnia sunt prædeterminata, & ordinata*, quorum sententiam ibi approbat; & lib. 3. contra gent. cap. 17. *Omnes secundorum agentium actiones ordinantur à primo agente*, cap. 76. *Ipse Deus est immediate sua providentia omnia dispensans. Horum singularium ordinatio est immediatè per providentiam divinam à Deo. Divina sapientia est ordinativa, qui & quot & qualiter ex ejus virtute progrediuntur effectus* cap. 94. *Cum Deus sit omnium existentium causa rebus omnibus conferens esse, oportet quod sua providentiæ ordo res omnes complectatur. Deus in providendo suæ sapientiæ præmeditatione sempiterna, omnia ordinat quantumcumque minima videantur. Divinæ providentiæ non solum subduntur effectus, sed etiam causæ, & modi essendi*, cap. 97. *Ostensum est quod Deus per suam providentiam omnia ordinat in divinam bonitatem sicut in finem* cap. 98. *Omnia ex divina providentia ordinantur*, cap. 104. *Ab ejus providentia totus hic ordo fluit.* opuscul. etiam 2. capite 136. *Ab ipso Deo omnia diriguntur in finem, omnia ordinantur ab ipso, omnia gubernantur, & reguntur à Deo* cap. 135. *Ipse immediatè omnia ordinat, & disponit* cap. 136. *Totus ordo causarum secundarum, & virtus earum est à Deo.* Quibus omnibus locis manifestè asserit Deum ab æterno providentia sua omnia statuisse, ordinasse & prædeterminasse: & non solum effectus secundarum causarum, sed causas ipsas secundas, modos & ordinem earum cum omni suo esse ac mensura sua fuisse à divina providentia præordinata, & prædeterminata: & loquitur apertissimè de præordinatione efficaci, sive de prædefinitione, vel prædeterminatione divinæ providentiæ, sine media illa priori præscientia conditionalium, seu media scientia, quam non novisse, sed impugnasse copiosè monstravimus nostro primo libro. Item quia omnia prædicta testimonia idem testantur ac illud relatum ex quodlib. 12. art. 4. in quo clarius omnia sua dicta in hac materia explicans, docuit omnia esse à divina providentia præordinata & prædeterminata, tali prædeterminatione, ex qua in causis secundis resultet immobilis ordo, seu fatum; quamvis ibi dicat ex Augustino temperandam linguam nec fatum dicamus, sed immobilem ordinem à divina providentia causis secundis impressum: constat autem quod iste immobilis ordo in secundis causis existens non oritur nisi ex divina providentia prædeterminante absolutè, ac sine prævisione priori influxus causarum, ut dictum est.

237. Possumus & alia addere 1. *p. q. 22. art. 2. Omnia quæ habent quocumque modo esse, ordinata esse à Deo in finem; quæst. 25. art. 5. Non potest esse, quod aliqua faciat, quæ non præscierit, & præordinaverit se facturum*; Non solum dicit quod præscierit, sed quod præordinaverit, ad quam præordinationem, sequatur illa absoluta præscientia, de qua ibi agebat, Similia habet *opusc. 2. cap. 130. Quicumque exequitur suæ providentiæ ordinem per aliquas medias causas, necesse est quod effectus illarum mediarum causarum cognoscat, & ordinet*; & *quæst. 6. de verit. art. 6. Causa secunda non ordinatur ad effectum nisi ex ordinatione causæ primæ.* Ordinat ergo Deus, ac præordinat ipsam secundam causam ad effectum.

238. Insuper providere apud S. Thomam est prædeterminare. In omnibus ergo prædictis locis, & aliis plurimis, quibus docet Deum omnibus providere, docet Deum omnia prædeterminare. Antecedens notum est *in q. 5. de verit. art. 5.* ubi cum ex verbis Damasceni dicentis, ea quæ sunt in nobis Deus non prædeterminat, inferret: ergo ea quæ sunt in nobis Deus non providet, huic argumento respondet. Non quod aliud sit prædeterminare, & aliud providere, sed quod actus liberi arbitrij Deus ita providet ac determinat, ut non eodem modo illos prædeterminet, quo prædeterminat actiones causarum naturalium, scilicet necessitatem inferendo. Hîc certè opportunus erat locus; ut si Sanctus Thomas sentiret aliud esse providere, & aliud prædeterminare; ad argumentum quod pro eodem sumebat utrumque, responderet, Deum omnia utique providere, sed non omnia prædeterminare, quæ fuisset patens & clara solutio. Cum ergo S. Thomas hoc non dicat, manifestè concedit argumento, Deum sicut omnia providet, ita omnia prædeterminare; sed providentiam prædeterminantem duplicem esse affirmat aliam cum impositione necessitatis pro causis naturalibus & ad unum determinans, aliam sine talis necessitatis impositione pro liberis, & contingentibus sicut etiam docuerat 3. cont. gent. cap. 90.

239. Id ipsum sine dubio Scholastici Doctores imo Scriptura sacra protestatur, cum uno ore dicunt simpliciter & absolutè Deum omnia providere, gubernare, dirigere, nulla facta mentione prævisionis, seu præscientiæ mediæ conditionalium, quam Molina teste Sancti Patres non agnoverunt, & tamen si in Scriptura esset adeo expressa, ut alij contendunt; utique illam Sancti Patres cognovissent, unde nomine providentiæ sine illa media præscientia providentiam prædeterminantem & prædefinientem tradiderunt. Cum ergo Scriptura sacra dicat Sap. 8. *Attingit à fine, usque ad finem fortiter & disponit omnia suaviter.* Et cap. 11. *Omnia in mensura, numero, & pondere disposuisti.* Similiter docet Deum causas earum effectus, ipsumque causarum ordinem ad effectus disposuisse, & prædeterminasse. Videatur circa istum locum S. Thomas 3. contra gent. cap. 95. videatur præterea Alens. qui præter Scotum 1. part. q. 26. memb. 4. art. 5. pro certo supponit idem esse providere, ac prædeterminare; sicut revera omnes Scholastici, præter hos Recentiores, cum antiquis Patribus supra relatis semper senserunt.

240. Ex Scholasticis autem non est opus, id modò probare, nam omnes primo libro inducti pro divinis prædefinitionibus, & qui defendunt ex Dei antecedente voluntate infallibiliter sequi quod homo operetur: eadem ratione divinam providentiam antecedenter præfinientem actus humanos liberos expresse testantur. Solum unum inducam Ruardum Taper, quem adversarij solent pro se inducere qui pag. 217. in impress. Coloniæ expresse habet; quod quamvis dificillimum sit intelligere, (hæc enim ejus verba sunt) *Quod Deus operetur ipsum velle utens voluntate tanquam instrumento ipsam applicans ad opus, sicut intellectum ad salutares cogitationes, ut docet Scriptura, ipsam tamen voluntatem sic applicatam & motam ad opus unum, nihilominus posse & in sua habere potestate liberè eligere, & velle contrarium:* Cui argumento ista respondet: *Sed ista objectio & difficultas non minus adversatur libertati voluntatis in naturalibus & politicis, in quibus etiam per divinam providentiam movetur & determinatur ad opus, &c.* Ecce manifestè constituit divinam providentiam determinantem, seu prædeterminantem voluntatem ad opus, & quod magis est in argumento supponit quod postea in solutione confirmat, quod id Scripturæ docent, ut relatum est.

Digitized by Google

241. Tandem insignis illa Parisiensis Schola inter articulos quos Parisiis damnavit sicut errores, & hunc sub his verbis damnat. *Error est dicere, quod falsum est omnia esse præordinata à prima causa quia tunc evenirent de necessitate.* Ubi tam errantes assertores illius propositionis, quam Parisienses Doctores rectè illam damnantes, nomine præordinationis planè intellexerunt præordinationem efficacem, seu prædeterminationem, quia revera præordinatio primæ causæ seu providentia hanc sonant efficacem prædeterminationem sine priori prævisione, seu præscientia futurorum, etiam sub conditione præcognitorum. Undè minus rectè Cardinalis Bellarminus lib. 4 de gratia & lib. arbitr. cap. 15. ait, Deum ab æterno determinasse effectus omnium secundarum causarum, sed non ante prævisionem prædeterminationis causarum secundarum, præsertim contingentium, ac liberarum. Malè etiam ibi asseruit futuras actiones liberas non videre nisi in humanâ voluntate: siniſtrè etiam addidit Deum non determinasse numerum individuorum corruptibilium, & Culicum, ac Muscarum. Tria namque ista dicta sustineri non possunt. Primum enim ex modo dictis in hac materia de providentia manifestè præcluditur, quia hoc non est providere quod id à secundis causis fiat, sed tantum prævidere illarum prædeterminationem, & quid ipsę per illam facturæ sint. Undè hoc modo divina providentia negatur, ut S. Thomas allatis verbis demonstrat. Secundum verò, ut credimus relinquitur efficaciter impugnatum 1. *lib. par. 2. tract. 6, cap.* 17. 18. & 19. Similiter & tertium ibi manet falsitatis convictum, nimirum 1. lib. cap. 115.

242. Parique ratione graviter notandus est Mariana lib. 2. de morte, & immortalitate cap. 13. ubi ait. *Quidquid electuri sumus vidit Deus intuitu interno &c. vidit inquam non sanxit; prædixit, non diffinivit, ut fierent: præscit omnia, sed non omnia præfinit, quæ sunt Damasceni verba*, & post pauca; *Actiones bonas Deus sua providentia ita complectitur, ut ad eas invitet, & impellat, offeratque opem suam ad peragendum quod est honestum; non tamen ut sigillatim diffiniat ut singula suo ordine, loco, & tempore fiant. Pleraque nostro arbitrio, nostro relinquuntur consilio, à quo & diffinitionem accipiunt; sic arbitror judicandum de minutis aliis, tum rebus, tum actionibus. Rectè Thomas Aquinas quodam in loco Deum in sua providentia Culicum & Muscarum numerum non prædefiniisse ait.* Hujus enim hominis dictum manifestè Dei providentiam circa singularia negat, & tantùm cognitionem admittit. Qui autem cognoscit tantum quid alius facturus sit, constat non illa providere, nec de illo providentiam habere. Quomodo autem Damascenum non intelligat, dictum est supra cap. 12. Quod autem S. Thomæ imponatur ex plurimis inductis locis sit manifestum. Videatur insuper S. Doctor 3. *cont gent. cap.* 35. ubi disertis verbis affirmat per intellectum, & voluntatem Dei determinari omnem effectum, & omnis effectus conditionem. Quam sine causa autem suam phantasiam tribuat S. Thomæ in quodam loco videlicet 1. *p. quæst.* 23. *art.* 7. copiosè monstratum fuit nostro 1. libro. Hinc attendat Mariana iste quàm potenter, & in terminis ejus falsam doctrinam S. P. Augustinus damnet homil. 23. inter 50. cap. 6. *Hoc tibi dicit Deus tuus; regebam te mihi, servabam te mihi. Ut adulterium non committeres, suasor defuit: ut suasor deesset, ego feci. Locus & tempus defuit: & ut hæc deessent ego sui. Affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non consentires: ergo terrui. Agnosce ergo gratiam ejus cui debes, & quod non admisisti. Mihi debet iste quod factum est, & dimissum vidisti: mihi debes & tu quod non admisisti. Nullum est enim peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si deesset rector, à quo factus est homo*: Ecce quomodo Deus, & locum, & tempus diffinit, ut non fiant peccata. Qui verò facit ut non sit locus, & tempus ad malè agendum: non diffiniet, ut sit locus, & tempus ad bene operandum? Procul dubio diffiniet; imo id S.P. Augustinus clariùs docet.

243. Insuper quod ille citatus author cum suis affirmat Deum non prædiffinire singula suo ordine, & loco contra illud videtur expressum, quod Scriptura habet sap. 11. *Omnia in mensura, numero, & pondere disposuisti*; disponit ergo Deus providentia sua omnia nostra bona opera, quæ à nostro fiunt arbitrio in mensura, in numero, & pondere: ergo omnia illa singulariter, ordine, & loco disponit.

244. Ex triplici ergo cap. hi Authores divinam providentiam si attendant, negare convincuntur. Primò quia ponunt determinationes humanarum voluntatum à Deo non causari, ut fiant, sed prævideri, quod si sic est: ergo illæ determinationes divinæ providentiæ non subduntur; sed respectu eorum divina providentia negatur. Secundo ex eo quod efficacia divinæ voluntatis prædiffinientis humanas operationes negatur; in quo ut S. Thomas inductus probat, negatur unum è tribus, quæ ad certitudinem divinæ providentiæ concurrunt. Tertiò & ultimo ex eo quod ordo & dispositio à divina providentia rebus impressus, qui ob sui efficaciam, fatum largè sumptum solet appellari, ab his authoribus ponitur inefficax, incertus, & fallibilis ex vi ipsius ordinis, & causarum à divina providentia præparatarum.

CAPUT XVIII.

Ordinem divinæ providentiæ certum esse, & infallibilem ex Deo ipso &c. rationibus demonstratur.

245. SED præter Sanctorum authoritates rationes ex vera Theologia, id ipsum non obscurè convincunt. Quarum prima est; providentia est certa (saltem aliquando, ut recentiores admittunt) sed ista certitudo non potest illi provenire à præscientia illa conditionata; tum quia nulla est; tum etiam quia ea per impossibile admissa nullam haberet de futuro eventu certitudinem; ergo provenit talis certitudo ex vi ordinis, & ex vi mediorum, & causarum, quæ à divina providentia præparantur. Minor efficaciſſimè manet comprobata ex definitis supra libro primo contra hanc mediam præscientiam, sivè conditionatam scientiam. Cum enim ipsa basis sit, ac fundamentum totius hujus novi ædificij, in qua proindè elatio liberi arbitrij fundatur, necesse est quod ipsa funditus eradicata, totum ruat ædificium; hac enim ratione, sic illam diffusè placuit undique confutare.

246. Præterea ordo divinæ providentiæ præsupponit Dei voluntatem consequentem & efficacem, ut sequenti capite dicemus: ergo certus est providentiæ ordo, ex vi mediorum, & causarum, quæ ab ipsa ad illum finem ordinantur. Patet consequentia, quia efficax Dei voluntas vult quod divina providentia finem assequatur per ordinem causarum sic præparatarum: oportet ergo quod media illa certò inferant effectum ex vi sua, quam ab efficacia divinæ voluntatis participant. Igitur ordo divinæ providentiæ, non à præscientia futuri eventus sumit certitudinem, sed ex se ipsa certa est, & ex divina voluntate efficaci quam præsupponit.

247. Amplius si solum providentia est certa ex præscientia conditionata, & præscientia sit certa, quia ita homo operaturus est ex se ipso positus sub illa conditione,

Digitized by Google

conditione, sit consequens quod causalitas præscientiæ certa erit, quia ita homo operaturus est; & sic providentia ab homine pendebit: ergo providentia non ordinabit hominem in finem, sed potius præsupponet hominem ex se ordinandum in finem, si sub tali conditione constituatur: ergo absolutè divina aufertur providentia. Quæ enim providentia est quæ præsupponit hominem operaturum; vel quod ipsa debet causare? Vel quæ divina providentia est quæ præsupponit hominem ex se ordinandum in finem, si detur sibi posse à divina causalitate, sine quo non potest se ordinare in finem? Vel quomodo voluntates & electiones humanæ divinæ subduntur providentiæ; si potius ipsa divina providentia humanam sequitur voluntatem. Certè juxta hanc sententiam quam impugnamus, non ideo liberum arbitrium hoc operaturum est, quia ita est per divinam providentiam præordinatum; sed potius ideò divina providentia ordinavit, quia ita liberum arbitrium facturum est: quod non potest vocari præordinatio ut actus fiat, sed quædam complacentia de ipso facto ab homine; quo etiam nomine complacentiæ in hac parte isti authores utuntur. Sic enim recentiores volunt, quod Deus provideat & ordinet hominem in talem finem per talia media, si tamen ipse uti voluerit mediis illis: quæ certe providentia cum indigna sit Domino temporali respectu suorum servorum, qui non sub hac conditione per providentiam gubernat, sed absolutè præcipiendo ordinat; quanam ratione audent illi Theologi illam Deo assignare.

248. Voce ergo sola juxta hanc sententiam divina providentia publicatur; *sunt enim* (inquit S. Augustinus lib. 5. de lib. arb. cap. 2.) *quidam qui Dei providentiam negant: Alij verò, quamquam negare non audeant præsidere humanæ vitæ providentiam Dei, malunt tamen illam vel infirmam, vel injustam; vel malam nefario errore credere, quàm sua peccata pietate supplici confiteri.* Absque dubio sententia ista de præscientia quam refutamus, licet non audeat providentiam negare; vult tamen illam constituere non causantem ex vi suæ propriæ causalitatis quod homo sic, vel sic operetur; sed cum infirmitate, & dependentia ab homine ipso; vult ipsum sic, vel sic operari, si tamen ipse voluerit. Quæ enim major infirmitas, & indigentia quàm ab alio dependere.

249. Præterea & illud sequitur divinam providentiam in confuso, & non distinctè, & in singulari humanas actiones in finem dirigere. Hanc autem magnam imperfectionem divinæ providentiæ quis ascribat? Patet antecedens; quia Deus ita providet: Ordino quod homo per talia media ordinetur in talem finem, si tamen ipse sic operari voluerit; & ad id concedo concursum generalem indifferentem ex se ut sint vel illa, vel contraria, prout homo voluerit: ergo manifestè habet providentiam de humanis operationibus in confuso, sivè in communi, & non in particulari. Nec valet respondere, ut quidam prætendunt, esse providentiam non in confuso, sed in particulari, ex eo quod Deus cognoscit de homine quid operaturus sit in particulari per illam conditionatam præscientiam. Primo, quia alius primus author hujus doctrinæ Ludovicus Molina qui scientiam mediam admittit, expressè fatetur in Concord. disp. 53. §. dicendum. Deum esse universalem causam realium actionum & effectuum quasi in confuso; ubi veritate convictus, id quod videbat evidenter sequi confessus est. Secundò quia prædicta responsio id solum probat; scientiam, sivè præscientiam esse omnium in singulari non tamen providentiam; quæ rationem causalitatis addit supra præscientiam, in qua ratione causalitatis nihil in particulari distinctè attingit vèl causat, sed in confuso, quidquid homo voluerit sive hoc, sive illud: vel si quid in particulari distinctè attingit, est postquam homo ad id divinã providentiam sive concursum determinat; ut ij authores apertè concedunt, quod videlicet humana voluntas determinat sive ad hanc seriem actionis, sive ad illam divinum concursum, & ex consequenti divinam providentiam quæ medio concursu operatur in executione, quod præordinavit ab æterno.

250. Amplius. Omnia quæ in his inferioribus operantur, quasi instrumenta sunt Dei ab eo mota, ut jam supra ex Sancto Thoma manet declaratum: ergo Deus ex vi motionis suæ providentiæ & causalitatis facit quod homo perveniat ad finem à divina providentia præparatum: est ergo ordo & causalitas divinæ providentiæ certus & immobilis, ex vi ipsius ordinis, mediorum, atque causarum, quæ ordinantur per divinam providentiam.

261. Præterea. Nihil est in rebus productum quod per divinam providentiam non sit causatum, si autem ordo divinæ providentiæ tantùm est certus ex illa conditionata præscientia, aliquid invenitur productum, quod à divina providentia non sit causatum. Patet minor, quia certitudo effectus prævisi, ex certitudine ordinis divini non provenit, sed aliunde, ex humana videlicet voluntate quæ ita ex sua libertate innata vult operari. Explicatur hoc magis. Nam hoc complexum, arbitrium certò hoc bonum operabitur, aliquid est sine dubio: ergo vel hoc complexum per divinam providentiam causatur vel non? Si primum: ergo divina providentia non solùm præordinat & causat quòd homo operetur si ipse voluerit, & quia ipse vult; sed etiam facit ipsum ex vi suæ causalitatis hoc in particulari operari: ergo ordo divinæ providentiæ certus est & immobilis ex visui ordinis, & ex vi propriæ causalitatis ac mediorum, quæ præparantur per divinam providentiam ante omnem illam mediam seu conditionatam præscientiam. Si secundum: ergo aliquid erit non causatum à Deo.

252. Explicatur & confirmatur hoc amplius ratione supra inducta primo libro contra mediam scientiam, quæ ratio ibi ultimo loco fuit constituta, & hîc etiam ut veritas finaliter concludat, ultimo loco signatur. Scriptura, Patres & Scholastici Doctores uno ore publicant Deum sua providentia omnia disponere, secundum illud sap. 8. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*, & illud cap. 11. *Omnia in pondere, numero, & mensura fecisti*; Quod & præcedenti cap. inductum est. Si ergo omnia Deus sua providentia disposuit: ergo eadem disposuit quod si sic homo constituatur, sic vel sic operetur: vel si hoc ex divina providentia non provenit, quòd videlicet si sic homo constituatur, sic operetur; jam multa illaque præcipua sunt extra divinam providentiam: nam hæc libera futura conditionata signata extra divinam providentiam ponuntur, cum ante illam certò præcognosci ponatur. Igitur ut divina Scriptura prædictis locis salvetur, dicendum omnino est, hoc quod est hominem sic operari si in tali rerum ordine collocetur quoad bonam actionem (omnis autem bona est quatenus est actio, ut infra monstrabimus) esse à divina providentia dispositum & ordinatum. Igitur illa conditionalia futura non antecedunt divinam providentiam, sed illam sequuntur & effectus illius sunt, & ex certo illius ordine proveniunt. Cum enim Scriptura clamet, quod omnia sunt disposita à divina providentia in pondere, numero, & mensura: ab ea sine dubio dispositum est & ordinatum, quòd si homo in tali loco, & sub tali rerum ordine collocetur, in tali vel tali mensura operetur: & contrarium asserere seu contendere, est reipsa cum Cicerone divinam

providentiam

Digitized by Google

providentiam circa humanas operationem negare. Re dico, quia voce, quis audeat affirmare.

253. Argumenta omnia quę contra hanc veritatem militant, constituuntur & solvuntur à S. Thoma 3. *contra gent. cap.* 94. Nec enim alia efficaciora ab his recentioribus cõstituuntur. Et omnia tandem huc tendunt, quòd ex providentia certa ex vi ipsius ordinis ante illam mediam præscientiam, tollitur contingentia & libertas humana in his operationibus. Sed in primis hoc fundamentum fuisse Ciceronis ad negandam divinam providentiam circa humanas operationes, refert S. P. Augustinus *libro* 5. *de civit. cap.* 9. & S. Thomas 3. *contra gent. ubi supra*, Ubi & illud solvunt dicentes quod divina providentia utrumque disposuit, & utrumque pręordinavit, & hominem operari, & liberè opetari, & ad id causas liberas applicavit. Unde necesse est quod utrumque eveniat, & quod homo operetur, & liberè operetur: divina enim providentia præparat & causat & substantiam & modum, & utrumque sub divina cadit providentia.

254. Videantur quæ citato loco docet S. Thomas, & 1. *p. quæst* 22. *art.* 4. *ad* 1. 2. & 3. In quibus in terminis doctrinam tradit modò inductam. Ex quibus solum verba solutionis ad 1. inducenda videntur. *Ad primum* (inquit) *dicendum, quod effectus divinæ providentia non solum est aliquid evenire quocunque modo, sed aliquid evenire vel contingenter, vel necessario: & ideo evenit infallibiliter & necessariò quod divina providentia disposuit evenire infallibiliter & necessario: & evenit contingenter quod divinæ providentiæ ratio habet ut contingenter eveniat.* Hæc S. Thomas & 3. *contra gent citato loco*, ait. *Est enim divina providentia per se causa quod hic effectus contingenter proveniat: & hoc cassari non potest.* Et iterum. *Ex quo patet quod hæc conditionalis est vera, si Deus providit hoc futurum, hoc erit: sicut secunda ratio procedebat; sed sic erit sicut Deus providit illud esse futurum; providit autem illud esse futurum contingenter; sequitur ergo infallibiliter quod erit contingenter non necessariò.* Et rursus. *Patet etiam quod hoc quod ponitur provisum esse à Deo ut sit futurum, si sit de genere contingentium poterit non esse secundum se consideratum, sic enim provisum est ut sit contingens potens non esse: non tamen est possibile quod ordo providentiæ deficiat, quin contingenter eveniat.*

255. Præterea S. Thomas *opusc.* 15. *cap.* 13. Huic argumento respondet, *Necesse est autem ut cujuscunque virtuti subjicitur productio generis alicujus, ad illius etiam virtutem pertineat producere illius generis differentias proprias. Sicut si ad aliquem pertineret constituere triangulum, ad eum etiam pertineret constituere triangulum equilaterum, vel isochelem. Necessarium autem & possibile sunt propriæ differentiæ entis: unde ad Deum, cujus virtus est propriè productiva entis, pertinet secundum suam præcognitionem attribuere rebus à se productis vel necessitatem, vel possibilitatem essendi.*

256. Videatur idem S. Thomas *quæst.* 16. *de malo art.* 7. *ad* 15. Ubi contra eos qui ex divina providentia inferebant tolli à rebus contingentiam; manifestè docet non tolli contingentiam futurorum eventuum, nec propter certitudinem divinæ cognitionis, nec propter efficaciam divinę voluntatis, quę sunt illius verba in prędicto loco, & id ibi ex professo probat.

257. Undè qui ex certitudine ordinis divinę providentiæ ante præscientiam illam sæpius nominatam, inferunt ablationem libertatis, sicut in hac illatione cum Cicerone conveniunt: ita & cum illo reipsa divinam videntur negare providentiam vel saltem illam in confuso in Deo constituunt. Quare de eis dicimus quod S. Pater Augustinus de Cicerone loco citato, videlicet, *Quod in his angustiis coarctant animum religiosum, ut unum eligat è duobus: aut esse aliquid in nostra potestate, aut esse divinam providentiam certam in suo ordine: quoniam utrumque arbitramur esse non posse, sed si alterum affirmatur, alterum tolli: si elegerimus providentiæ certitudinem, tolli arbitrium: si eligerimus voluntatis arbitrium, tolli certitudinem ordinis divinæ providentiæ. Ipsi autem ut viri magni & docti, & vitæ humanæ plurimum ac peritissimè consulentes, ex his duobus elegunt liberum voluntatis arbitrium. Quod ut confirmarent, negaverunt ordinem certum divinæ providentiæ: atque ita dum homines voluerunt facere liberos, fecerunt sacrilegos.*

258. Quod si sibi faciat difficultatem ista concordia liberi arbitrij cum divina providentia: dicendum est illis quod dixit Ruardus Tappert ad similia argumenta respondens in hęc verba. *Cujus propterea providentiæ concordia cum libero arbitrio superat omnem intelligentiam, ut docet Caiet. circa q.* 22. *in* 1. *p. Beati Thomæ art.* 4. *ita ut magis fide credatur, quàm pleuè intelligi possit.* Unde non solum Dominicus Bannes dicit quòd si in non intelligant, credant, ut isti authores opponunt; sed id priùs docuit Caïetanus quem sequitur Ruardus Tappert: imò omnes id acceperunt ex S. Augustino *lib.* 8. *de Genesi ad literum cap.* 20. In quo postquam Dei operationem moventem omnia explicaverat, *cap.* 22. inquit. *Quodsi intelligere difficile est utrumque credatur; & quod creatura Spiritualis non per locum mota moveat corpus per locum; & quod Deus non per tempus motus moveat creaturam Spiritualem per tempus.* Sic ergo ex S. Augustino, Caïetano, Bannes, & Ruardo Tappert dicimus: quòd si non valent intelligere quomodo cum certa & antecedente providentia Dei præfiniente humanas operationes, consistat illorum libertas, id credant. Addendum etiam quod ad simile argumentum, quo prætenditur tolli libertatem ex efficaci Dei præfiniente providentia, Joannes Driedo respondet *Tractatu de concordia liberi arbitrij fol.* 46. *pag.* 2. Sic enim habet. *Illa enim sunt antiqua hæreticorum retia, jam olim ab initio trita, eventilata & absoluta à patribus scientibus in Scripturis sacris nobis revelatum hujusmodi consequentias esse invalidas, quibus ex divina præscientia, prædestinatione, electione, seu infallibili & sempiterna voluntate concluditur absoluta rerum futurarum necessitas. Nam præscientia Dei & efficacia voluntatis illius exigit non solum ut illud existat, quod Deus præscit & vult suo tempore existere, sed etiam ut secundum eum existat modum, quo Deus præscit & vult illud existere.* Hæc ille. Non ergo propter hæc antiqua & comminuta argumenta neganda efficacia prævenientis providentiæ divinæ.

259. Ex dictis sequitur, & illud certissimè tenendum contra recentiores, divinam providentiam atque ejus certum & immobilem ordinem, necessitatem consequentiæ, sive ex suppositione inferre libero arbitrio, ut antiqua doctrina semper tenuit & docuit; & nos supra libro primo abundè demonstravimus. Quia supposita divina providentia, atque illius ordine certissimo de aliquo futuro eventu, necesse est ex suppositione illum ita evenire. Hæc enim conditionalis est vera. Si divina providentia disposuit me mane scribere, certissimè ego mane scribam, liberè tamen, quia & hoc etiam divina providentia ordinavit, ut dictum est. Et qui hanc necessitatem consequentiæ negant ortam ex antecedenti & efficaci ordine divinæ providentiæ, errant sine dubio gravissimè, & convenivnt cum Pelagianis & Calvinistis, qui malè sibi suaserunt talem necessitatem consequentiæ stare non posse cum humana libertate. Cum illo etiam Petro de Rivo

Digitized by Google

Rivo damnato & ſupra relato conveniunt, qui id ipſum errans negavit. De neceſſitate conſequentiæ ſupra libro primo diximus ſatis, qualiter ſemper negata fuerit, tanquam deſtructiva libertatis ab iis qui in hac materia offendentes, hallucinantur. Dixi convenire etiam cum Calvino, quia ipſe conſtituens certum ordinem divinæ providentiæ, in quo non erravit; potiſſimè ex illo intulit auferri à rebus libertatem & contingentiam. Ex antecedenti enim Catholico hæreticum conſequens intulit, ut ex doctrina modo ex Sancto Auguſtino & Sancto Thoma inducta fit apertiſſimum.

260. Itaque Pelagiani negarunt antecedentem illam certitudinem divinæ providentiæ, ne læderent hominum libertatem quam defendere procurabant. Calvinus verò ut negaret hominis libertatem, quam deſtruere nitebatur, conſtituit certum ordinem divinæ providentiæ, ex quo malè deducebat ablationem libertatis; cum potius ex tali certa providentia oriatur, ut Sanctus Thomas citatis locis oſtendit. Vterque tamen & Pelagius & Caluinus conueniunt in approbanda hac peſſima conſequentia: datur certa divina providentia ex vi ordinis ſui: ergo tollitur libertas arbitrij: cum quibus propterea etiam modò convincuntur convenire, qui ſimiliter pravam illam conſequentiam deducunt. Igitur (ut uno verbo dicam) Caluinus nullo modo erravit, quia certum conſtituit divinæ providentiæ ordinem; ſed quia conſtituit certum divinæ providentiæ ordinem lædentem ſeu tollentem libertatem humanarum operationum. Et hoc eſt attentè conſiderandum & diſtinguendum in Calvino; nec enim hæretici in omnibus errant, ſed falſa veris commiſcent. Quotieſcumque ergo inducta fuerint quælibet verba Calvini aſſerentis ex divina providentia tolli libertatem, diſtinguendum eſt atque dicendum, ipſum erraſſe in eo quòd ex certa divina providentia antecedente omnem præſcientiam futuri eventus, intulit auferri libertatem; cum deberet illam certam prouidentiam conſtituere, & ex illa Catholicè inferre oriri in hominibus libertatem quoad illorum humanas operationes, per illam divinam providentiam ordinatas & prædefinitas, ut Catholici Doctores affirmant, pariter & Pelagianos expugnando. De qua materia diximus plura in alio noſtro libro reſponſionum ad collationes, in quo quomodo toto cœlo diſtet ſententia Thomiſtarum à Sancto Patre Auguſtino & Thoma & aliis Sanctis Patribus tradita, ab impia Calvini; imo qualiter ipſam deſtruat atque confundat, ſatis apertè monſtravimus; & quomodo hæc recentiorum ſententia potiùs cum illa conveniat, dedimus manifeſtum.

CAPUT XIX.

Quod divina providentia ſit certa quoad effectus conſecutionem.

261. ARBITRANTVR aliqui non ſemper divinam providentiam certam & infallibilem eſſe quoad finis conſecutionem, aſſerentes de ratione divinæ providentiæ tantum eſſe ordinem mediorũ in finem, licet plerumque ipſum finem non conſequatur. Sic Durand. *in* 1. *diſt.* 40. *quæſt.* 1. Ægid. *ibi diſt.* 39. Marſilius *diſt.* 41. *art.* 1. *in conflato quæſt.* 23. *art.* 1. *Ferrar.* 30. *contra gent. cap.* 94. Conſentiunt recentiores Molina 1. *part. quæſt.* 22. *art.* 1. *diſp.* 2. Suarez *lib.* 2. *opuſ. cap.* 7. *num.* 18. Vaſquez 1. *part. quæſt.* 22. *diſp.* 83. *cap.* 3. Valentia etiam 1. *part. quæſt.* 22. quod & ij authores affirmarunt in ſua duodecima aſſertione relata ſupra 1. *lib. tract.* 6. In qua dicunt voluntatem divinam exequendi ex parte ſua ordinem præconceptum mediorũ ad finem, non cõparatione cujuſcumque ordinis, ſeu providentiæ, eſſe voluntatem abſolutam finis, ſed ſæpè eſſe conditionatam, conditione pendente à libero arbitrio, ſi videlicet uno vel altero modo cooperari velit. Et id ipſum magis confirmant in 13. aſſertione ibi relata, concludentes quod non omnis ordo divinæ providentiæ eſt certus & immobilis quoad effectus conſecutionem.

262. Advertendum tamen magnam eſſe differentiam inter aliquos diſcipulos Sancti Thomæ ſupra relatos, & hos recentiores, cum dicunt non eſſe de ratione providentiæ finis aſſecutionem; procedunt enim ratione valde diverſa; imo contraria; quod eſt attendendum, ne vera falſis permiſceantur. Cum enim diſcipuli Sancti Thomæ citati aſſerunt non eſſe de ratione providentiæ divinæ finis aſſecutionem, ſed tantum mediorum in ipſum ordinationem, ſive præparationem, affirmantes aliquando finem obtineri, aliquando vero non: expreſsè fatentur, quòd quando divina providentia finem conſequitur, illam obtinet ex vi & efficacia mediorum, quæ à divina providentia ordinantur, quæ proinde efficacia ſunt ex divina ipſa providentia, & ſecundum quod veniunt ex Deo ipſo independenter à creaturis. Quomodo vero finis non obtinetur: id dicunt ex eo provenire, quod Deus non vult, quod ille de facto obtineatur.

263. Cæterum recentiores citati cum dicunt, non eſſe de ratione divinæ providentiæ finis conſecutionem, aſſerentes quod aliquando finem conſequitur, aliquando verò non: affirmant finis conſecutionem, quam aliquando divina obtinet providentia nullo modo provenire poſſe ex vi mediorum & cauſarum, quæ à divina providentia & prout veniunt ex Deo efficaciter præparantur; nec provenire poſſe ex vi ordinis ipſarum, ſed ſolum evenire ex parte illius præſcientiæ conditionatę ſæpius impugnatæ, ideſt, ex vi præſcientiæ futuri eventus. Vnde non putent ij authores cum vel S. Thomam, vel ejus diſcipulos pro ſe inducunt (cum dicunt providentiam non eſſe certam quoad finis conſecutionem) illis aliquo modo favere; quia ut dictum eſt modo procedunt ratione valde diverſa, imò ipſis totaliter contraria quoad ſubſtantiam doctrinæ.

264. Quia verò copiosè ſatis dictum eſt advetſus hos recentiores conſtituentes divinam providentiam certam ex vi ſolius præſcientiæ, id iterum impugnare non oportet; ſed tantùm videre ſuppoſito quod providentia divina certitudinem debeat habere ex vi ordinis & mediorum & cauſarum, ut viſum eſt ſupra; an ſemper hanc conditionẽ obtineat quod effectus conſecutionẽ ſortiatur: an verò ab hac executione deficiat. Vnde quæſtio non tam cum iis authoribus erit, quàm cum ipſis diſcipulis S. Thomæ inter ſe, pro ipſorum vera intelligentia, & potiſſimè pro mente & doctrina S. Thomæ in hac parte aperienda & declaranda. Videtur enim S. Thomas docere divinam providentiam non ſemper eſſe certam quoad finis conſecutionem, ut patet *ex* 1. *ſent. diſt.* 40. *quæſt.* 1. *art.* 1. & clariùs *ex q.* 6. *de verit. art.* 1. cujus & verba ſunt. *In qualibet ordinatione ad finem eſt duo conſiderare, ſcilicet ipſum ordinem & exitum vel eventum ordinis: non enim omnia quæ ad finem ordinantur, finem conſequuntur. Vnde per Dei providentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur: ſed prædeſtinatio reſpicit etiam exitum ſeu eventum ordinis.* Ecce apertè dicit S. Thomas quod divina providentia non eſt certa quoad finis conſecutionem, ſiquidem per illam omnes homines ordinantur in beatitudinem, quam tamen certum eſt non omnes obtinere.

265. Pro reſolutione notandum quòd cum providẽtia ſit pars prudentię divinę, ipſa providẽtia ſicut

Digitized by Google

& prudentia præsupponit finis intentionem, & volitionem, ut notissimum est. Cum autem in Deo sit duplex voluntas sive volitio; altera consequens absoluta & efficax, quæ semper impletur; altera verò antecedens & inefficax, quæ non impletur: duplex potest providentia distingui in Deo: altera propria & perfecta quæ præsupponit absolutam Dei voluntatem: altera verò lata, generalis & inefficax quæ præsupponit voluntatem tantùm antecedentem.

266. Dicendum est ergo quòd si sermo fiat de divina providentia absoluta & efficaci, secundum videlicet quod Dei voluntatem consequentem & absolutam præsupponit, ipsa est certissima & infallibilis quoad effectus consecutionem: in quo distinguitur ab humana providentia, quæ quomodocumque consideretur etiam in summo gradu perfectionis suę, incerta est & fallibilis, quia timidæ & incertæ sunt providentiæ nostræ. Divina autem providentia (ut Ecclesia canit) in sui dispositione non fallitur. Cujus planus sensus est, quod divina providentia quæ ex absoluta Dei voluntate disponit aliquid evenire, nullo modo fallitur; sed certissimè ita evenit rei eventus, sicut ipsa ab æterno præparaverat esse futurũ.

267. De ista conclusione nulla fuit unquam, aut esse potuit dubitatio apud discipulos S. Thomæ, vel apud aliquos Scholasticos Doctores: omnes enim unanimiter conveniunt, quòd divina providentia quæ sequitur voluntatem Dei consequentem semper impletur, certissimaque remanet quoad finis consecutionem. Imò quod majus est etiam recentiores fatentur providentiam divinam quæ sequitur Dei voluntatem consequentem (quæ semper impletur) semper etiam impleri, certamque esse quoad finis consecutionem: licet ista certitudo non proveniat secundum illos ex absoluta & efficaci Dei voluntate ante præscientiam conditionatam supra relatam & impregnatam, sed ex præscientia illa: in quo ultimo qualiter nimis fallantur, ostensum est supra. Igitur divina providentia propria sive perfecta, quæ sequitur voluntatem Dei consequentem, certissima est quoad finis consecutionem, ita quod finis assecutio est de ratione illius propriæ sive perfectæ divinæ providentiæ.

268. Veritas nostræ assertionis est expressè tradita à Sancto Thoma 1. *part. quæst.* 22. *art.* 2. *ad* 1, 2. *&* 3. & expressiùs 3. *contra gent. cap.* 94. quod caput totum consumit in hac docenda & defendenda veritate, plurimisque rationibus probat. *Et quodlib.* 12. *art.* 3. inquirendo an prædestinatio sit certa, dit *quod prædestinatio est quædam pars providentiæ: providentia autem dicit directionem aliquorum in finem, & hæc supponit scientiam & voluntatem. Sic ergo prædestinatio habet certitudinem ex parte scientiæ Dei, quæ non potest falli: & ex parte voluntatis divinæ cui non potest aliquid resistere: & ex parte providentiæ, quæ certissimo modo ducit ad finem, cum Deus sit sapientissimus.* Vbi Sanctus Thomas triplicem certitudinem constituit in prædestinatione ex triplici capite ortam, & ex parte voluntatis, & ex parte scientiæ, & ex parte divinæ providentiæ; licet prima radix omnium sit efficacia divinæ voluntatis. Itaque ordo mediorum divinæ providentiæ certissimus est quoad effectus assecutionem, sed hanc certitudinem quam in se habet, sicut à prima radice participat ex efficaci & absoluta Dei voluntate. Hæc ergo sit in substantia pro conclusione ratio. Perfecta divina providentia sequitur voluntatem Dei consequentem: sed hæc voluntas semper impletur: ergo divina providentia, quæ ad illam sequitur & in illius virtute ordinat media, semper etiam impletur; ergo est certa quoad finis consecunem.

269. Præterea Sanctus Thomas 1. *part. quæst.* 19. *art.* 8. apertè docet quod ex efficacia divinæ voluntatis, aptat divina providentia quibusdam effectibus causas contingentes, quibusdam verò causas necessarias. Ex quo deducit quod rerum contingentia provenit ex divina providentia ordinante res in virtute efficaciæ divinæ voluntatis; sed efficia divinæ voluntatis semper impletur, quia quæcumque voluit dominus fecit in cœlo & in terra: ergo omnia certissimè eveniunt sicut divina providentia disponit ex virtute efficacitatis divinæ voluntatis: perfecta ergo providentia quæ hanc efficaciam divinæ voluntatis præsupponit, certissima est quoad finis consecutionem. *Et* 1. *part. quæst.* 22. *art.* 2. *&* 3. *cont. gent. cap.* 94. ait, ita omnia evenire sicut à Deo providentur.

270. Præterea S. Thomas 1. *part. quæst.* 22. *art.* 2. *ad primum*, docet expressè quod nihil subterfugit ordinem divinæ providentiæ; ergo nihil evenit nisi id per divinam providentiam fuerit ordinatum: ergo quidquid fit, ex divina providentia habetur: ergo ipsa infallibilis & certa est quoad effectus consecutionem.

271. Deinde eadem 1. *part. quæst.* 23. *art.* 6. ita in corpore arguit, *prædestinatio est pars providentiæ, ut dictum est, sed providentiæ ordo est infallibilis, ut supra ostensum est, ergo ordo prædestinationis est certus.* In qua ratione minor illa, ex qua cum majori conclusionem deducit, satis ostendit quod ordo providentiæ (ut latius patet, quàm ordo prædestinationis) certus sit & infallibilis quoad effectus consecutionem: siquidem ex illius infallibili ordine quoad executionem, concludit infallibilem ordinem prædestinationis quoad finis consecutionem.

272. Sed dicunt recentiores, quod cum S. Thomas in omnibus supra citatis locis docet infallibilem, & certum esse ordinem divinæ providentiæ, & quod nihil subterfugere potest illius ordinem, loquitur de divina providentia secundum quod respicit primarium & adæquatum finem suorum operum, & prout omnium mediorum rationes sub amplitudine, & immensitate sua continet; ut sic enim, dicunt quod divina providentia dicit infallibilem finis consecutionem; nam quod unâ viâ videtur recedere ab ejus ordine, per aliam viam in eam incidit. Cæterum non loquitur S. Thomas (ut aiunt) respectu cujuscumque finis in particulari, ita quod sit providentia divina certa quoad consecutionem illius finis in particulari.

273. Similiter asserunt esse certam & infallibilem providentiam respectu universalis finis providentiæ, qui est gloria Dei, qui semper efficaciter intenditur. Ita Franciscus Suarez præter citata loca, novissimè, 1. *libro de essentia prædestinationis cap.* 18. §. *unde facilis est responsio, &* §. *unde tandem.*

274. At vero utraque ista explicatio manifesta destructio literæ S. Thomæ est; nam in prædictis suæ doctrinæ locis S. Thomas planè affirmat certitudinem providentiæ divinæ quoad effectus consecutionem in particulari, & quoad omnem particularem effectum, & omnem ejus particularissimam rationem & conditionem, & quoad omnem modum rei provisæ, & respectu etiam finium proximorum & inadæquatorum. Nec enim loquitur de divina providentia in confuso, vel in universali, vel respectu solius sui objecti primarij & adæquati. Itaque in omni sua doctrina, quæ in hac parte apertissima est, docet Sanctus Thomas quòd quidquid de facto & in singulari evenit, id totum est efficaciter per divinam providentiam dispositum & ordinatum ut fiat, si id quidem de genere bonorum sit. Quare quod una causa ad suum applicata effectum, illum

Digitized by Google

illum non producat, sed ab illo in particulari deficiat, hoc totum habetur ex divina providentia sic efficaciter ordinante; unde divina providentia certissima est quoad effectus consecutionem in particulari quocumque effectu, ut in cap. sequenti ampliùs comprobabitur. Imò citatus author ex recentioribus hoc ipsum re ipsa videtur fateri citato nunc loco §. *Vnde tandem*, dum inquit, ea quæ providentur efficaciter & ex divina voluntate absolutè, eodem modo evenire, quo provisa sunt.

CAPUT XX.

Quod divina providentia sit certa quoad effectus consecutionem in particulari.

275. QVOD S. Thomas doceat divinam providentiam certam esse quoad finis consecutionem in particulari sit manifestum. Primò *ex 1. part. quæst. 22. art. 2. & 4.* Vbi omne ens in rebus productum, & omnem modum & conditionem entis in singulari, totum id in certitudinem refundit divinæ providentiæ, *& 1. p. tit. quæst. 23. art. 6.* iterum docet divinæ providentiæ ordinem esse infallibilem, & quod permittere quod aliquando causa deficiat à suo effectu & fine, ex certitudine habetur divinæ providentiæ. Item *in illo cap. 94. ex 3. cont. gent. citato*, multo clariùs hoc manifestat, ibi enim probat divinam providentiam esse certam quoad operis executionem; & quod sic evenit effectus quilibet in rebus, sicut per divinam providentiam est certissimè præparatus. Vbi de certitudine divinæ providentiæ comparatione cujuscumque effectus in particulari, & respectu cujusque finis fit sermo. Item ibi dicit concordare optimè effectus contingentiam cum certitudine divinæ providentiæ, ex eo quod illa & providet effectum eventurum, & etiam providet modum proprium, quo eveniat, vel contingenter, vel necessariò. Et ibi sæpius affirmat non esse dicendum. Hoc est à divina providentia ordinatum ut eveniat, sed sic esse dicendum. Hoc est provisum à Deo ut eveniat contingenter & liberè: ergo contingenter & liberè eveniet, ut sic modus sicut & substantia actus cadat sub divina providentia. Et ibi iterum docet, quod potest poni, quod iste non sit regnaturus si secundum se consideretur, non autem si consideretur ut provisum: ergo in particulari & respectu finis particularis apertè docet certam & infallibilem esse divinam providentiam: omnia enim ista apertè clamant divinam providentiam certam esse respectu cujuscumque finis in particulari quoad ejus consecutionem.

276. Præterea, si divina providentia non esset certa quoad effectus particularis executionem, non negaret illam Cicero ad saluandam rerum contingentiam; nec ista quæstio in hac parte aliquam haberet difficultatem. Facillimè enim diceretur divinam providentiam non esse certam quoad effectus particularis executionem, & sic illam nullo modo obstare contingentiæ particularium effectuum; propterea ergo Cicero illam negauit, ut contingentiam saluaret in rebus, quia videbat quod si providentia deberet admitti respectu contingentium, quod certitudinem deberet habere respectu cujuslibet effectus in particulari. Et in hoc sensu omnes Ecclesiæ Doctores contra hanc Ciceronis & aliorum sequentium ejus doctrinæ vanitatem, semper docuerunt divinam prouidentiam esse certam quoad effectus executionem in particulari, & in singulari.

277. Præterea, dicere divinam providentiam certam esse quoad finis consecutionem in uniuersali; quid aliud est quàm illam constituere in confuso respectu certitudinis finium particularium, quod dici nullo modo potest. Igitur in S. Thomæ sententia & veritate ipsa, asserendum est divinam providentiam quæ voluntatem Dei absolutam præsupponit, ex ipsa participare omnimodam certitudinem quoad finis cujuscumque particularis consecutionem.

278. Dicendum ulteriùs, quod si sermo fiat de illa lata generali & inefficaci providentia, quæ videlicet sequitur ad voluntatem Dei antecedentem & inefficacem, illa non est certa quoad effectus consecutionem; quia ita Deus vult & ordinat, quod illa certa non sit quoad effectus consecutionem, & fortè authores oppositæ sententiæ nihil aliud intendunt.

279. Itaque divina prouidentia est certa quoad effectus consecutionem, quando Deus vult & ordinat quod certò effectum consequatur, & est incerta quoad consecutionem effectus, quando Deus absolutè vult & disponit quod effectum talem non obtineat. Hæc de se patet, quia illa antecedens voluntas Dei non est absoluta aut efficax, unde non impletur: ergo nec providentia quæ ad talem voluntatem sequitur, implebitur: ergo nec erit certa quoad finis consecutionem. Aduertendum tamen ut jam diximus, istam prouidentiam quæ tantùm voluntatem Dei antecedentem præsupponit, esse generalissimam & inefficacem prouidentiam: nec cum de diuina prouidentia absolutè fit sermo, hæc intelligitur; sed illa prior efficax & certa, quæ voluntatem Dei absolutam & consequentem præsupponit.

280. De hac ergo generali & inefficaci prouidentia, vel de providentia ut sic, secundum quod se extendit ad istam generalem loquebatur Sanct. Thomas *in 1. sentent. & quæst. 6. de verit.* supra in contrarium inductis, quam propterea in hoc distinguit à prædestinatione, quod prædestinatio utpote quæ semper sequitur ad voluntatem Dei consequentem & absolutam, semper impletur, semperque certissima manet quoad finis executionem. At vero providentia ut se extendit ad illam generalissimam secutam ad voluntatem tantùm antecedentem, non semper impletur, unde de hac dicit quod per illam ordinat Deus omnes homines in beatitudinem. Quia sicut voluntate antecedente omnes homines vult salvos fieri, ut Sanctus Thomas *1. part. quæst. 19. art. 6.* præmiserat; ita per providentiam hanc generalem illos ordinat in beatitudinem, aliqua generalia media eis præparando. Cæterum ex hoc non inferas esse necessarium quod Deus omnibus de facto det supernaturalia auxilia sufficientia, nam quæ sint ista media exponit idem Sanctissimus præceptor *in quæst. 23. de veritat.* statim inducenda. Itaque absolutè & efficaciter voluntate consequenti voluit Deus non omnes salvare, sed illos tantùm qui de facto salvantur; & ex consequenti providentia propria & perfecta non omnes ordinavit in beatitudinem, sed tantùm illos quos de facto eam obtinebunt. Vnde ipse S. Thomas *1. part. quæst. 23. art. 3.* docuit, quòd qui deficiunt à consecutione beatitudinis, ex divina providentia id permittente deficiunt. In quo manifestè docet providentiam propriam non ordinasse reprobos in beatitudinem, quin potius permisisse quod ab illa deficerent. Unde S. Thomas *q. 23. de verit. art. 2.* in fine corporis ita dicit de homine quem Deus præscit non esse salvandum. *Nec ordinat ipsum in salutem secundum ordinem prædestinationis, qui est ordo absolutæ*

Digitized by Google

luæ voluntatis : sed quantum ex parte sua est, dedit ei naturam ad beatitudinem ordinatam. Hæc S. Thomas. Non ergo reprobus est à Deo ordinatus per absolutam & propriam providentiam in beatitudinem, ut expresè hic docet S. Thomas. Et hoc est primum. Secundum verò est, quòd ex vi hujus generalis providentiæ quæ sequitur ad voluntatem antecedentem qua Deus vult omnes homines salvos fieri, hoc homini præstatur, ut habeat naturam ad beatitudinem ordinatam, & capacem illius.

281. Parique ratione cum ait S. Thomas quòd providentia tantùm dicit ordinem & non eventum rei, intelligit hoc esse verum respectu alicujus finis quem non efficaciter intendit ; non autem respectu alterius quem intendit efficaciter. Quod satis insinuat exemplum ab ipso S. Doctore adhibitum de virtute formativa, quæ ordinata & applicata ad formationem speciei aliquando ab illa deficit, & monstrum producit. Quod autem tunc deficiat à formatione speciei, est per divinam providentiam dispositum & ordinatum, quæ etiam illum monstruosum effectum in alium ordinat finem. Unde providentia quæ applicat virtutem formativam ut ex illa possit effectus formari, efficaciter ordinat, ut tunc à formatione deficiat, & monstrum generet, quod in ulteriorem ordinat finem. Similiter ergo divina providentia generaliter ordinans homines in salutem, efficaciter permittit ut quidam ab illa deficiant, peccatorum monstra generantes, quam tamen permissionem Deus in alios ordinat fines.

282. Hæc providentia qua permittit defectum, & in alium ordinat finem, vocatur à Damasceno & Sancto Thoma ubi suprà, providentia concessionis, & est illa quæ rem ordinat in alium finem, nihil tamen aliud ordinat in talem rem sicut in finem v.g. monstri generatio in alium finem à natura ordinatur, nihil tamen aliud ordinatur in generationem monstri, sicut in finem. Undè providentia, qua Deus providet, quod monstrum in naturalibus generetur, providentia dicitur concessionis. Alia autem est providentia approbationis, qua videlicet ordinantur aliqua in alios fines, & alia quædam ad ipsa sicut ad fines etiam ordinantur, sicut providentia qua formatur proprius fœtus, illa enim formatio & finis est virtutis formativæ, & rursùs in alium ordinatur finem.

283. In summa ergo concludendum primò, quod quandò simpliciter, & absolutè de divina providentia fit sermo, intelligitur providentia illa propria, ac perfectissima, quæ efficacem finis volitionem præsupponit, habitam per Dei voluntatem consequentem.

284. Item sequitur, quod cum quæritur absolutè & simpliciter, an divina providentia sit certa quoad finis assecutionem, asserendum est illam esse certissimam, & ordinem illius infallibilem quoad assecutionem finis.

285. Tertiò sequitur providentiam generalem, quæ proindè voluntatem tantùm Dei antecedentem præsupponit & inefficacem finis volitionem, non esse certam quoad finis consecutionem, sed ab ipso fine deficere quia videlicet, ita Deus vult & ordinat, quod finem illum non consequatur, vel saltim efficaciter permittit, ut à tali fine deficiat.

286. Sequitur ulteriùs hac providentia generali, & inefficaci reprobos ordinatos esse à Deo in beatitudinem, ut ex Sancto Thoma diximus ex 1. *parte quæst.* 23. *art.* 3. dicente quod, qui deficiunt à beatitudinis consecutione ex divina providentia deficiunt ; dispositi ergo divina providentia absolutè permittere, sic illos deficere, & efficaciter ex divina providentia fuit permissio talis defectus consecutionis ; cùm hac autem providentia, sic absolutè, & efficaciter permittente defectum consecutionis beatitudinis in reprobis, non stat, nec stare potest absoluta providentia ordinans illos in beatitudinem ; ergo solùm providentia quadam generali & inefficaci illos reprobos ordinavit Deus in beatitudinem.

287. Sequitur insuper, non esse necesse asserere cum D. Cajetano, quod Sanctus Thomas mutavit in 1. *parte* sententiam illam, qua dixerat *in* 1. *sentent.* & *quæst.* 16. *de verit.* providentiam dicere ordinem rei, non autem eventum ejus. Crediderim enim S. Thomam semper & in sententiis, & in disputatis quæstionibus, tum 1. *parte*, & 3. *contra gent.* eandem tenuisse sententiam, quod videlicet providentia, ut se extendit ad providentiam secutam ad voluntatem tantùm antecedentem Dei, solùm dicit ordinem rei, non autem ejus eventum, & consecutionem. Similiter & in omnibus locis suæ doctrinæ docuisse providentiam absolutam propriam, atque perfectam, quæ præsupponit absolutam & efficacem Dei voluntatem, certissimam esse quoad finis consecutionem.

CAPUT XXI.

Quod divina providentia omnia, qua rationem entis habent, in universum prædefiniat.

289. EX dictis ostendi facile potest omnia in universum, quæ rationem entis habent in rebus, esse verè ac propriè à divina providentia præfinita, quod indubitanter est tenendum cum antiqua Patrum, & Theologorum doctrina, contrà hanc Recentiorum novam sententiam, qua dicunt omnia quidem à Divina providentia esse provisa, non autem omnia ab ea esse prædefinita, distinguentes inter esse provisum seù ordinatum, & esse prædefinitum. Quod ideò faciunt, ut providentiam admittant per voluntatem illam Dei antecedentem, non aut per voluntatem consequentem, ut sic virtutem, efficaciam, & certitudinem providentiæ, non in divinam voluntatem, & ordinem providentiæ refundant, sed in præscientiam tantum boni usus humani : quod est reipsa de medio tollere providentiam, vel illam saltem in confuso & in universali collocare, ut suprà fuit comprobatum, & iterùm modò probatur.

290. Primò Sancti Doctores, ut dictum est suprà, nihil quod rationem entis habeat, admittunt, quod non sit à divina efficaci voluntate volitum, & prædefinitum : ergo nihil tale est, quod pari ratione, non sit à divina providentia efficaciter præfinitum. Consequentia patet, quia providentia præsupponit illam absolutam, & præfinientem Dei voluntatem : Nec recentiores prædefinitionem divinæ providentiæ negabunt, aut negare possunt, admissa semel voluntate Dei prædefiniente, circa omnia, quæ rationem entis habent.

291. Præterea prædefinit Deus efficaci sua voluntate, quod ego v. g. modò scribam, & liberè scribam : ergo sua efficaci voluntate movet divinum intellectum, ut sua providentia media certa, ac firma præfiniat, quibus obtineatur, ut & ego infallibiliter scribam, & liberè scribam : ergo divina providentia in virtute prioris efficaciæ divinæ voluntatis : id volentis, aptat, & ordinat causas proportionatas ad id obtinendum : ergo ipsa revera prædefinit causas, & media, quibus certissimè id quod divinæ voluntas efficaciter vult, efficaciter etiam impleatur ; nullo ergo modo potest à divina providentia præfinitio negari. Præfinitio enim mediorum quæ habetur per divinam providentiam, ex præfinitione finis habita per divinam voluntatem habetur, sicut efficax dispositio mediorum ex efficaci volitione finis promanat,

Digitized by Google

promanat. Vnde Sanctus Thomas 1. *parte quæst.* 19. *art.* 8. ex efficacia divinæ voluntatis volentis quod quædam contingenter fiant, ſicut ex prima radice infert diuinam prouidentiam aptantem efficaciter media, & cauſas contingentes, ad affectum contingentem. Idem autem eſt omnino, quod prouidentia diuina efficaciter aptet cauſas contingentes ad effectus contingentes producendos, & quod tales cauſas, & media prædifiniat. Nec eſt recurſus ad Dei voluntatem antecedentem & inefficacem, prout eſt à Deo, & ad ſcientiam mediam qua videat, quid liberum arbitrium ex ſe facturum eſt, ut certa habeatur providentia, ſicut iſti authores prætendunt. Quia, ut ſæpiùs eſt probatum illa voluntas antecedens, ſicut in ſe eſt inefficax, ità nunquam impletur; nec illa media ſcientia aliquod certum, ac firmum videre poteſt. Vndè certitudinem providentiæ in illam refundere, eſt omnem certitudinem providentiæ negare: negare autem providentiam Dei eſſe certam, eſt omninò Dei providentiam auferre; ergo ut fateantur divinam providentiam, debent illam certam firmamque fateri, & ex conſequenti certitudinem ex vi mediorum, & cauſarum debent confiteri, quod eſt providentiam media verè prædifinire. Concluditur ergo, ut alibi dictum eſt, quod ponentes diuinam prouidentiam non ſecundum præfinitionem, ſed ſecundum præſcientiam illam mediam, voce quidem Dei providentiam fatentur, non autem reipſa.

292. Ampliùs Doctores Sancti contrà plures antiquos Philoſophos errantes, ſemper docuerunt Deum per diuinam prouidentiam, non in confuſo, vel in uniuerſali, ſed diſtinctiſſimè, & in particulari omnia præordinaſſe, & in ſuos fines certiſſimè traduxiſſe: ergo certitudinem diuinæ prouidentiæ planè confeſſi ſunt contrà Philoſophos, qui illam negabant; ergo diuinam prouidentiam omnia certò prædefiniſſe, ſemper docuerunt: nec enim aliundè quàm ex prædefinitione, hæc firmitas & certitudo in prouidentia haberi poteſt.

Adhuc Sancti Doctores, & Scholaſtici perpetuò docent nihil poſſe ſubterfugere ordinem diuinæ providentiæ, ac ejus cauſalitatem: de quo S. Thomas multa docet, *q.* 5. *de verit.* Vbi per plures articulos, antiquam hanc veritatem confirmat, & 3. *contra gent. à cap.* 64. uſque ad 76. ubi omnia in particulari, & omnes humanas actiones ſecundùm omnes earum rationes, modos, & circumſtantias docet certitudini, ac ſtabili ordini diuinæ prouidentiæ eſſe ſubjecta: & ſummatim omnia iſta concludens 1. *parte quæſt.* 22. *art.* 2. Concludit omne quod quacumque ratione entis rationem participat diuinæ prouidentiæ eſſe ſubjectum; ergò apertè prædifinitionem diuinæ prouidentiæ conſtituit. Idem enim eſt ordinem prouidentiæ divinæ eſſe certum, & eſſe prædifinitum: & idem eſt omnia eſſe ſubjecta ordini firmo, ac ſtabili divinæ providentiæ, & eſſe ſubjecta prædifinitioni illius. Quomodò enim actiones humanæ ſunt ſubjectæ divinæ providentiæ, ſi ipſa efficaciter non conſtituit, ut hoc iſto medio obtineatur? Aut quomodò ſub diuina prouidentia & illius ordine comprehenduntur ea quæ diuina prouidentia non ordinat, ut fiant, niſi ipſe homo voluerit, & cum dependentia ab ipſo? Profectò hoc reipſa potiùs eſt diuinam prouidentiam quodammodo ſubjicere humanæ voluntati, quam è converſo.

293. Prætereà hoc ipſum ratio S. Thomæ 1. *p. quæſt.* 22. *art.* 2. manifeſtè declarat, quæ talis eſt. Omne agens, agit propter finem: ergo & Deus agit propter finem: ergo omnia, quæ ſubduntur diuinæ providentiæ cauſalitati, ſubduntur ordinationi ejus in finem: ergò ſubduntur diuinæ prouidentiæ. Quæ ratio in omnibus ſuis propoſitionibus apertiſſimè procedit de certitudine tenente ſe ex parte agentis, ex parte ordinantis in finem, & ex parte cauſantis: & ex conſequenti procedunt apertè de prædifinitione voluntatis volentis efficaciter finem obtinere, propter quem agit de facto & cum effectu; quia agens non procedit ad agendum ex finis intentione præhabita inefficaci, ut conſtat, ſed ex efficaci, ut communiter ab omnibus dicitur.

294. Similiter procedit de ordinatione efficaci mediorum ad finem illum obtinendum, qui enim efficaciter vult finem, efficaciter ordinat media ad illius conſecutionem; hic autem ordo ex diuina prouidentia habetur: ergo illa efficaciter ordinat media ad finis conſecutionem ex parte ſui ordinis, hoc autem eſt prædifinire media illa: ergo prædifinit divina providentia, ſicut etiam divina cauſalitas prædeterminat, ut ſuo loco in tertio videlicet hujus operis libro dicetur.

295. Inſuper idem S. Thomas omnium clariſſimè, *quodlib.* 12. *art.* 4. docet, quod omnia reducuntur in divinam providentiam, à qua omnia ſunt prædeterminata, & præordinata. Quid clariùs dici à Sancto Doctore potuit ad firmandam prædifinitionem, & prædeterminationem providentiæ divinæ? *Et* 1. *parte q.* 23. *art.* 7. pro eodem expreſsè reputat S. Thomas providentiæ præordinationem, & prædifinitionem, ut apertè manifeſtavimus ſuprà agentes de iſto loco in particulari, propter quod contrà literam illius ex eo inferunt Recentiores, non omnia eſſe à divina providentia prædifinita: *Et* 3. *contra gent. cap.* 90. demonſtrat omnes humanas actiones ſubditas eſſe divinæ providentiæ, & divinæ prædefinitioni. Sed magis in particulari docet omnia eſſe à divina providentia prædefinita *quæſt.* 5. *de verit. art.* 7. *&* 8. *ſuprà relatis*, ubi in terminis docet omnia eſſe à divinæ providentia prædefinita. Vnde ipſius S. Doctoris verba iterùm repetere, non oportet. Quomodo ergo dicunt Recentiores, non omnia eſſe à divina providentia prædifinita? Et quod mirandum eſt, hoc laborant S. Thomæ adſcribere?

296. Vltimò ad hominem, ſic proceditur. Iſte author dicit expreſsè, quod ſi Deus non prædefinit actum liberum antè præviſionem ejus abſolutam, tunc talis actus, licet non eſſet præter Dei ſcientiam, eſſet tamen præter voluntatem ejus efficacem, vel ſine illa: quod eſſe contra rationem, ipſi affirmant. Quomodò ergo ipſi dicunt eſſe quoſdã actus, videlicet morales, qui à Deo, non prædifiniuntur abſolutè, & efficaci voluntate, ut fiant, etiam præſuppoſita ſcientia media? Iſti enim actus abſque dubio non prædefiniuntur antè abſolutam præviſionem, imò nec per illam, ut fatetur; ergò hoc erit dicere illos evenire præter Dei voluntatem. Non ergo percipit ſententiam ſuam prædictus Author, ſed videat, quid ſibi reſpondere conveniat. Si enim eſt præter rationem conſtituere aliquem actum liberum non prædefinitum efficaci voluntate ante præviſionem ejus abſolutam: ergo ratio poſtulat quod omnis moralis actus liber ſit voluntate efficaci prædefinitus antè abſolutam præviſionem ejus; quod ſi ſic eſt, quomodo ergo dicit, quod aliqui actus morales non ſint à Deo prædifiniti, ſed quod abſolutè fiunt abſque prædifinitione?

297. Concludamus ergo, omnia quæ aliqua via rationem entis participant in particulari eſſe à divina providentia prædefinita, ſicut omnia ſunt à divina voluntate abſolutè & efficaciter volita. Vndè Chryſoſtomus prædiffinitionem expreſsè divinæ providentiæ adſcripſit, cum ait. Cuncta diſpenſata ſunt, & præfinita, idque per multam erga nos providentiam. Per providentiam ergò omnia prædefinita ſunt.

Digitized by Google

CAPUT XXII.

Quod omnia fortuita, quæ verè habent entis rationem, sint à divina providentia præparata.

298. OCCASIONE perfectissimæ Dei providentiæ, quæ certa est quoad finis consecutionem semperque impletur, ut potè quæ Dei voluntatem consequentem præsupponit; alia recentiorum assertio supra libro primo relata venit examinanda, qua ità dicunt. Non videtur necessarium concedere omnes effectus fortuitos à divina providentia esse intentos. Undè, & illorum verba sunt. *Hinc etiam patet interfectiones quibus aliqui interdum præter ipsorum spem à grassatoribus interficiuntur, suffocationesque aliorum in fluminibus, & eis similia, cum saltem à peccato primorum parentum tanquam pœnæ ex illo subsequutæ pendeant, nec futuræ essent si peccatum illud non præcessisset certitudinè divinæ præscientiæ circà illud idem peccatum certas eademque sublata non esse certos ejusmodi effectus. Imò nec dicendum est eos à providentia divina fuisse intentos, ut ita evenirent, aut nexum causarum, ex quibus proficiscuntur præparatum.* Et procedit illorum assertio de effectibus fortuitis, qui peccata non sunt, ut ex exemplis fit manifestum, & ex generali loquutione.

299. Hæc sententia non solum negat effectus tales à divina providentia præparatos ante prævisionem illius scientiæ conditionatæ, sed quod magis est, etiam post illius scientiæ præscientiam omninò negat illos à divina providentia præordinatos; sed tantum esse prævisos, atquè permissos contendit.

300. Contra quam sententiam (si tamen hoc nomen meretur) quæ tam apertè divinam providentiam impugnat, nec se extendere ad omnia inaniter contendit; hæc nostra statuitur, qua firmissimè credimus omnes tales effectus fortuitos, non solum prævisos, non solum permissos; sed verè à divina providentia esse provisos, ac præparatos, & à divina voluntate volitos, & effectos.

Veritas ista ex dictis patet generali illa ratione. Quidquid in universum rationem entis habet, verè est à divina providentia præordinatum: cum ergo effectus illi omnes fortuiti veram entis rationem habeant, imò bonitatis, ut est manifestum, necesse est quod à divina sint providentia præordinati, & divina voluntate voliti, & definiti, ut ita eveniant. Antecedens ex dictis constat, quia effectus illi sunt à Deo verè causati: ergò sunt à divina providentia verè provisi, ad omnia enim ad quæ se extendit divina causalitas, se extendit & providentia divina, ut diximus supra.

301. Deindè veritas ista ex divinis Scripturis manifestè colligitur. Primo ex illo Math. 10. & Lucæ 12. *Nonne duo passeres asse veneunt. Et unus ex illis, non cadit super terram sine patre vestro*, id est sine voluntate patris vestri, volentis, quod cadat. Si ergo nec passeres minimi in terram cadunt sine divina voluntate & providentia ita ordinante, cadet tegula hominem interficiens sine eadem Dei voluntate, & providentia? Si nec folium arboris cadit in terram sine Dei voluntate & providentia, id apertè Scriptura testante, sine Dei providentia evenit, quod homo à Tauro, vel Leone interficiatur, aut in flumen demergatur.

302. Præterea, si testante Christo Domino omnes capilli capitis nostri ex divina providentia numerati sunt, ita quod non peribit capillus capitis nostri: non erunt etiam his majora per divinam providentiam provisa, & ordinata, qualia sunt intetfectiones, suffocationes, & similia? Amplius istæ interfectiones & suffocationes & similia fortuita & causalia, pœnalia sunt, ut est manifestum; sed omnia mala pœnæ à Deo fiunt, & causantur, secundùm illud Prophetæ. Non est malum in civitate quod Dominus non fecerit. Quod de malis pœnæ esse dictum omnes Sancti Patres interpretantur: ergo.

303. Præterea in terminis hujusmodi interfectiones hominum à divina Scriptura præparatæ ponuntur, & ordinatæ. Nam 3. Reg. ult. narrat Scriptura, quod vir quidam in incertum tetendit arcum, & sagittam direxit, & percussit casu Regem Israël, quod tamen casuale respectu sagittantis, ex ipsa Scriptura constat fuisse à Deo efficaciter volitum, & ordinatum, ut videlicet puniretur Acab pro vinea Naboth.

304. Præterea Doctores Sancti pro certo semper habuerunt omnia in universum regi & gubernari à divina providentia, etiam interfectiones hominum causatas per fulgura, de quo vide S. P. Augustinum *In enarratione Psalm.* 148. illis verbis, *Ignis grando &c. quæ faciunt verbum ejus.* Ubi docet, quod ex divina providentia provenit, quod Deus, vel fulgure montem percutiat, vel latronem, vel innocentem. Undè concludit illam universalem. *Quidquid ergo hîc accidit contra voluntatem nostram, noveris non accidere nisi de voluntate Dei, de providentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius.* Igitur secundùm S. Augustinum interfectiones istæ casuales nobis, ex divina voluntate & providentia proveniunt, ea sic regente, & præordinante. Undè & ibi dicit divinæ providentiæ esse, quod fulgura aliquandò interficiant innocentiorem, & dimittant sceleratiorem. *Insuper lib. 2. de Trinit. cap. 9.* ait. *Exceptis igitur illis, quæ usitatissimo transcursu temporum in rerum natura ordine corporaliter fiunt, sicut sunt ortus occasusque syderum, generationes & mortes animalium, seminum & germinum innumerabiles diversitates, nebulæ & nubes, nives pluvia, fulgura & tonitrua, flumina & grandines, venti & ignes, frigus & æstus, & omnia talia: exceptis etiam illis quæ in eodem ordine rara sunt, sicut defectus luminum, & species inusitata syderum, & monstra, & terræ motus, & similia. Exceptis ergo istis omnibus quorum quidem prima & summa causa non est nisi voluntas Dei. Undè & in Psalmo cum quædam hujus generis essent commemorata: ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis: ne quis ea vel fortuito, vel causis tantummodò corporalibus, vel etiam spiritualibus, tamen præter voluntatem Dei existentibus, agi crederet, continuò subjecit, quæ faciunt verbum ejus.* Non potuit clarioribus verbis S. P. Augustinus doctrinam quam reprobamus, expugnatam per divinas literas ostendere. Etenim in terminis, ac si illam expresè reprobaret, condemnat. Præterea idem S. Pater & Doctor Augustinus *lib. 5. de Genesi ad lit. cap. 20.* sic ait. *Nec omninò audiendi sunt, qui putaverunt sublimes quidem mundi partes ideſt à confinio corpulentioris aeris hujus & supra divina providentia gubernari: hanc autem imam partem terrenam & humidam, aerisque hujus vicinioris, qui terrarum & aquarum exhalationibus humescit, in quo venti nubesque consurgunt, casibus potius & fortuitis motibus agitari. Contra hos enim loquitur Psalmus, qui cum explicasset laudem cœlestium, se etiam ad ista inferiora convertit dicens; Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes abissi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum ejus. Nihil enim tam videtur casibus volvi quàm omnes ista procellosa ac turbulenta qualitates; quibus cœli hujus inferioris, quod non immerito etiam terra nomine deputatum est, facies variatur & vertitur. Sed cum addidit; quæ faciunt verbum ejus: satis ostendit earum quoque rerum*

rum ordinem divino ſubditum imperio, latere nos potius, quàm univerſitatis deeſſe naturæ. Quod autem ore ſuo Salvator dicit unum paſſerem non cadere in terram ſine Dei voluntate: Et quod fœnum agri poſt paululum mittendum in clibanum, ipſe tamen veſtiat: non ne confirmat non ſolum totam iſtam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam, verum etiam viliſſimas ejus abjectiſſimaſque particulas divina providentia regi? Hæc S. P. Auguſtinus.

305. Deinde 1. *libro de civitate Dei cap.* 1. Arguens eos, qui bona fato tribuebant, ſic ait *Cum potiùs deberent, ſi quid rectè ſaperent, illa quæ ab hoſtibus aſpera & dura perpeſſi ſunt illi divinæ providentiæ tribuere, quæ ſolet corruptos hominum mores bellis emendare atque conterere: itemque vitam mortalium juſtam atque laudabilem talibus afflictionibus exercere probatamque vel in meliora transferre, vel in his adhuc terris propter uſus alios detinere*, Item *eodem* 1. *lib. cap.* 13. Ad Dei dicit pertinere providentiam, quod defunctorum corpora ſepeliantur, & *ſequenti cap.* 14. Docet opus fuiſſe divinæ providentiæ, quod piſcis deglutiret Jonam, imò eventus ille quem fortuitum omninò Molina diceret, ex divina Scriptura conſtat opus fuiſſe divinæ providentiæ. *Item lib.* 2. *cap.* 23. Illorum caſus, quos ut fortuitos à divina ſubtrahunt ij authores providentia, eidem ſubdit S. Doctor dicens, *Sed hoc ut dixi, omitto, nec Maricæ neſcio, cui tribuo Mariy ſanguineam fœlicitatem, ſed occulta potiùs providentiæ Dei ad iſtorum ora claudenda &c.* Item *in libro de agone Chriſtiano cap.* 8. inquit. *Sed ut hæ animæ quæ habent voluntatem nocendi & rationem cogitandi ſub divinis legibus ordinatæ ſunt, ne aliquid injuſtum quiſque patiatur: ita & omnia animalia, & corporalia in genere ſuo & ordine ſuo divinæ providentiæ legibus ſubdita adminiſtrantur. Ideò Dominus dicit. Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & unus eorum non cadit ſuper terram ſine voluntate Patris Veſtri?*

306. Expreſſius autem *Epiſtola* 105. *adverſus Pelagianos*, agendo de repentinis mortibus, ita ait. *Quid dicam de inopinatis, & repentinis innumerabilibus mortibus, quibus etiam ſæpè Religioſorum Chriſtianorum præveniuntur, & baptiſmo præripiuntur infantes, cum è contrario ſacrilegiorum, & inimicorum Chriſti aliquo modo in Chriſtianorum manus venientes, ex hac vita non ſine Sacramento regenerationis emigrent?* Et poſt pauca: *Et cur providentia Dei, cui noſtri capilli numerati ſunt, ſine cujus voluntate non cadit paſſer in terram, quæ nec fato præmitur, nec fortuitis caſibus impeditur nec ullâ iniquitate corrumpitur, ut renaſcantur ad hæreditatem cœleſtem, non conſulit omnibus parvulis filiorum ſuorum, & nonnullis conſulit etiam parvulis impiorum? Iſte infans de fidelibus conjugatis ortus, lætitiâ parentum ſuſceptus, matris vel nutricis ſomnolentia ſuffocatus ſit exſors & expers fidei ſuorum. Ille infans de ſacrilego ſtupro naſcitur, crudeli timore matris exponitur, alienorum miſericordi pietate colligitur, eorum Chriſtiana ſollicitudine baptizatur &c.* Ubi manifeſtè docet per divinam providentiam, uni, & non alteri fuiſſe conſultum, & ſpecialiter quod infans à nutricis somnolentia ſuffocetur, ejuſdem eſſe divinæ providentiæ opus. Iſta ergò cogitent, iſta conſiderent, qui proferre audent ſimiles repentinas mortes à Deo tantum prævisas, atquè premiſſas, non autem per eum diſpoſitas, & ordinatas, cum Scriptura, ad hoc à S. Auguſtino allata teſtante, & capilli captis noſtri per eam numerati ſunt, nec ſine divina voluntate verè volente paſſer in terram cadit.

307. Nec neceſſarium putamus ad hanc condemnandam iſtorum novatorum ſententiam, plurimorum Sanctorum authoritates colligere, quippè, qui omnes in expoſitione præcitati teſtimonij, id pro manifeſto relinquunt, ſimiles repentinas mortes, cum mala pœnæ ſint, & abſolutè bonæ à divina providentia volitas, & ordinatas. Videantur etiam expoſitores ad illud 3. Reg. ult. ſupra relatum. Et hanc, quam defendimus eſſe Sanctorum doctrinam contra hanc novam divinæ providentiæ inimicam, manifeſtè patebit. Certè iſta ſententia, quam expugnamus, illa Ciceronis videtur fuiſſe, qui divinam providentiam negavit, vel fuit illa Ariſtotelis, qua lib. 2. mag. moral. cap. 8. dixit eſſectus fortuitos, non ſubjacere providentiæ, quam tamen lib. 7. Ethicorum ad Eudemium melius correxit, & illos ſubdi divinæ providentiæ teſtatur. Videatur S. Chryſoſtomus in illis tribus de providentia libris; ubi omnia entita ſubeſſe divinæ providentiæ gubernanti manifeſtè prædicat, & potiſſimè *lib.* 1. *cap.* 2. hæc verba habet. *Preſſuræ & tentationes, & quæcumque nobis triſtia contingunt, non minus Dei providentiam, ſummamque clementiam indicant, quam læta & jucunda.* An non ſub nomine præſſurarum, & tentationum, atque eorum, quæ triſtia ſunt, etiam comprehenduntur vocabuli generalitate interfectiones a graſſatoribus, & ſuffocationes in fluminibus? Et tamen planè docet Chryſoſtomus, non minus hæc ſummam Dei providentiam commendare, quàm ea, quæ ſunt læta, atque jucunda. Quæ bona ſunt, non ſolum ſunt à divina providentia prævisa, atque permiſſa, ſed etiam præparata, quod ſaltem voce authores iſti, non negant: ergo præſſuræ illæ, atque triſtitia etiam, nedum prævisa, atque permiſſa, ſed verè ſunt à divina providentia præparata, & præordinata ex citatis S. Chryſoſtomi verbis. Alia, quæ poſtea habet eodem lib. 1. veniunt intelligenda, & explicanda, loquendo enim de parvulis, quibus multa incommoda veniunt in fligenda, hujus rationem aſſignans ait. Hujus quidem rei, non una eſt, ſed plurimæ, ac variæ: nam & ex parentum intemperantia, & ſcelere, & ex nutritiorum negligentia, & ex intemperie, atque inæqualitate aëris, & ex aliis plurimis hujuſmodi caſibus id contingere poteſt. Non inquam intelligas, hæc ideò à Chryſoſtomo dicta, ut intelligat has eadem, quas nominavit cauſas, non fuiſſe à divina providentia, dummodò peccata non ſint, præparatas, & ut evenirent diſpoſitas; cum prioribus verbis totum oppoſitum præmiſiſſet, imò ſequentibus id apertius confirmat, cum ait. Propterea cum plurimos futuros, neque preſcriverit Deus omnes veluti compedibus quibuſdam hujuſmodi ſupplicio coërcet. Quibus in Dei voluntatem iſta reducit, ſed nec intelligit pro futuris peccatis Deum ſtatim punire; ſed intelligit, quod coërcet aliquibus incommodis eos, quia vult: non tamen propterea, quod malos eſſe præſcivit. Sicut enim aliquando quos bonos futuros præſcit, ſimilibus afficit incommodis: nullus autem dicet quod ideò eos afficit incommodis, quia prævidit bonos futuros, ſed melius diceretur, quod ut fierent boni, incommodis temporalibus eos quaſi diſponens afficit.

308. Præterea S. Cyrillus egregiè hoc docet *lib.* 5. *theſauri cap.* 2. Sic enim ibi refert de Arrianis: *Cum voluiſſet, inquit, Deus creaturas è nihilo evocare, quoniam non potuiſſent meram illius virtutem ſufferre: Filium primo creavit quem & verbum appellavit tale, ut virtutem ſuam ei totam infuderit, ut per ipſum quaſi per medium cætera fiant. Erat enim alioquin etiam indecens ineffabilem Dei virtutem ad hæc minima pervenire, & caducarum rerum curam habere.* Ex quibus conſtat Arrianos negaſſe Dei providentiam circa minima. Adverſus quos inter alia, ſic dicit Cyrillus. *Quod ſi putatis indecens ad minima quoque Dei providentiam deſcendere.*

alia

Digitized by Google

Erubescatis aliquantulùm quasò, audientes Christum: Nonne duo passeres asse veneunt & unus ipsorum non cadit in terram absque patre vestro, qui in Cœlis est? Et rursùs. *Respicite Volatilia Cœli quod non seminant neque metunt, & Pater vester Cœlestis nutrit ea.* Et rursùs. *Si autem fœnum agri quod hodie est & cras in Clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos? Quid autem fœno & passeribus quibus ex bonitate sua providet dejectius excogitari potest? aut quomodò non erit Creator omnium, de quibus providere dignatur.* Si autem prædictus Author pro quo ista tractamus, vel ad istum solum locum Cyrilli vellet attendere, procul dubio ab hac sua sententia superiùs relata abstineret: quia videret illam ab illa per Cyrillum ex Arrianis relata minùs recedere. Quid enim est aliud, non esse necessarium concedere omnes effectus fortuitos à divina providentia esse intentos nec volitos, nec causas à Deo præparatas ut ità evenirent (quod hic Author astruxit) quàm dicere indecens esse, ineffabilem Dei virtutem ad hæc minima pervenire, & caducarum rerum curam habere. Quod Arriani contendebant. Sivè enim istis, sivè illis verbis, idem asseritur, dum utrisque divina Dei providentia circa minima quæ hìc aguntur, malè negatur, & cura eorum Deo aufertur.

309. Sed ne diutiùs per Sanctos Patres discurrendo idem probemus. S. Thomas qui in omnibus Sanctorum Doctrinam sequutus est, prædictam sententiam supradicti Authoris in plurimis suæ doctrinæ locis reprehendit 1. *p. q.* 22. *art.* 2. Relata enim sententia aliquorum qui corruptibilia à divina providētia subtrahebant, à quorum doctrina nec ista hujus Authoris multùm distare videtur, contrà illam ita concludit. *Sed necesse est dicere omnia divinæ providentiæ subjacere, non in universali tantùm, sed etiam in singulari:* & solut. *ad* 2. *Undè cum omnes causæ particulares concludantur sub universali causa, impossibile est aliquem effectum ordinem causæ universalis effugere. Inquantum igitur aliquis effectus ordinem alicujus causæ particularis effugit, dicitur esse casuale vel fortuitum respectu causæ particularis; sed respectu causæ universalis à cujus ordine subtrahi non potest, dicitur esse provisum.* Quibus S. Thomas adversùs hunc Authorem demonstrat impossibilem illius sententiam esse, & malè de divina providentia sentire quicunque aliquid nobis fortuitum, vel casuale à divina providentia contendit non esse provisum. Et *ead. 1. part. q. 116. art. 1.* eandem repetens doctrinam asserit fuisse aliquos, *qui hujusmodi casualia & fortuita quæ in his inferioribus accidunt in nullam superiorem causam reducere voluerunt. Et hi fatum & providentiam negaverunt, ut de Tullio Aug. recitat in 5. de Civit. Dei, quod est contra ea quæ superiùs de providentia dicta sunt.* Hæc igitur sit pro majori, & subsumamus, sed iste Author fortuita & casualia non vult reducere in altiorem aliquam causam, à qua provisa sint: ergò negat fatum & divinam providentiam cum Tullio.

310. Nec excusatur, si quis pro aliquo vel ipso respondeat, ipsum non negasse omnia in universum casualia & fortuita in divinam providentiam reduci; sed aliqua tantùm ut illius verba relata sonare videntur: quia eadem ratio est de aliquibus, & de omnibus casualibus; omnia enim & singula divinæ providentiæ subduntur: & qua ratione unū vel aliqua ab ipsa subtrahuntur, possunt subtrahi & cætera. Unde in summa respectu eorum quæ à divina providentia subtrahuntur, pro illis divina providentia negatur, ut S. Thomas relatis verbis ostendit. *Idem docet 3. contra gent. cap. 93.* Cujus verba ob brevitatem ibi videantur, ubi etiam docet quod qui fatum sumptum pro inhærente dispositione rebus mobilibus negat (quæ dispositio immobilis impressa rebus mobilis est ipsa efficax præmotio seu prædeterminatio, ut est satis clarum) negat divinam providentiam. Idem docet *opusc. 2. cap. 138.* dicens. *Sed quia non solum res naturales, sed etiam res humanæ divinæ providentiæ subduntur; quæ casualiter in rebus humanis accidere videntur, in ordinationem divinæ providentiæ reducere oportet. Et sic necesse est ponere fatum ponentibus omnia divinæ providentiæ subjacere. Fatum enim sic acceptum se habet ad divinam providentiam, sicut proprius ejus effectus. Est enim explicatio divinæ providentiæ rebus adhibita, secundùm quod Boëtius dicit, quod fatum est dispositio, idest ordinatio immobilis rebus mobilibus inhærens.* Vbi docet quod duplici titulo negatur ab hoc authore cum quo agimus & ab ejus doctrinæ sectatoribus divina providentia. Primò quia casualia aliqua, vel nobis fortuita à divina providentia contendunt non esse provisa. Secundò quia negant illam immobilem ordinationem & dispositionem impressam rebus mobilibus quæ est executio divinæ providentiæ, & est æquivalentibus verbis efficax præmotio, seù prædeterminatio, ut notum est, & tertiò lib. expendemus. Ex alio etiam tertio titulo, qui est etiam omnibus his Authoribus communis, negatur divina providentia. Quia illam certam & infallibilem nō ponunt ex parte efficacis divinæ præordinationis. Quod etiam S. Thomas expressit *eodem opusc. 2. cap. 140.* dicens. *Tria sunt quæ providentiæ certitudinem præstare videntur, infallibilitas divinæ præscientiæ, efficacia divinæ voluntatis, & sapientia divinæ dispositionis, quæ vias sufficientes ad effectum consequendum adinvenit.* Ex quibus tribus, cùm primum & tertium hi Authores admittant: illud autem secundum, nimirum efficaciam divinæ voluntatis negent: Convincuntur etiam ex hac parte certitudinem divinæ providentiæ negare, & verbis solùm illam certam astruere.

311. Ne tamen aliquis falleretur audito nomine fati de quo mentionem S. Thomas fecit inductis testimoniis *in eodem opusc. 2. cap. 138.* sic habet. *Sed quia cum in fidelibus quantùm possumus nec nomina debemus habere communia, ne à non intelligentibus erroris occasio sumi possit, cautius est fidelibus, ut fati nomen reticeant, propter hoc quod fatum convenientiùs & communiùs secundùm primam acceptionem sumitur. Undè & Augustinus dicit 5. de Civitate Dei, quod si quis secundo modo fatum esse credat, sententiam teneat, & linguam corrigat.* Idem advertit 3. *cont. gent. inducto loco, & 1. p. q. 116. citata.*

312. Avertendum tamen mala pœnæ non esse propriè loquendo à Deo intenta, licet à Deo sint volita, & à sua providentia ordinata. Quia intentio est tantùm finis quem quis propter seipsum vult, providentia autem est ejus quod quis vult propter aliud, ut suprà ostensum fuit: pœnas autem non intendit Deus propter seipsas, sed propter aliud. Undè non sunt à Deo propriè intentæ, licet ab eo sint volitæ, & per suam divinam providentiam præordinatæ.

313. Similiter de pœnis distinguendum est, quia aliæ sunt quæ entis rationem habent & boni: aliæ autem rationem entis & boni non habent, qualis est privatio gratiæ in homine habente illam, quæ nec boni nec entis participat rationem, cum tamen sit maxima pœna: & de hac non procedit disputatio. Quia ista à Deo sicut ab agente & causante non est; & consequenter nec ab ipso est sicut à volente, & præordinante, de quo S. Thomas *in 2. dist. 36. art. 3.* Sed tamen est à Deo sicut à non agente, vel à non dante auxilium, ut infrà copiosè dicemus.

Probatur secundo generali etiam quadam ratione. Omnes effectus pœnales quinque modis contingere possunt, ut ex Sancto Augustino docet S. Thomas *in 2. dist. 36. art. 4. in argumento* 1. Primo modo ut justis merita per patientiam augeantur ut in Job. Secundò

ad

Digitized by Google

ad custodiam virtutum, ne superbia tentet, ut in Paulo. Tertiò ad gloriam Dei manifestandam, ut de cæco nato. Quartò ad corrigendum peccata, ut fuit Mariæ lepra Quintò & ultimò ut temporalis pœna initium sit æternæ, ut in Herode: Sed juxtà omnes istos modos effectus pœnales sunt à Deo efficaciter voliti, & præordinati: ergo. Patet minor, quia secundum tres priores modos, constat quod pœnalitates, interfectiones hominum, suffocationes eorum, media sunt à Deo volita & præordinata ad finem intentum, vel divinæ gloriæ, vel conservationis virtutum, vel ut majus præmium obtineatur per tollerantiam & patientiam. Secundùm autem duos posteriores modos etiam oportet quod effectus pœnales sint à Deo voliti & efficaciter præordinati. Deus enim justè pœnam pro culpa infligit, justéque & efficaciter illam vult & præordinat infligere, vel ad medicinam & emendam, ut in exemplo de lepra Mariæ evenit & aliis plurimis similibus, vel ad debitam peccatorum punitionem secundùm ordinem suæ justitiæ, ut patet in damnatis. Quamvis enim Deus non prædestinet ad culpā (ut fides habet, & omnes Sancti Doctores fatentur) prædestinat tamen ad pœnam & ad supplicium æternum pro culpa, ut latiùs in materia de prædestinatione dicetur. Sic ergo licet Deus non præordinet culpam, prædifinit tamen pœnam pro illa infligere: omnes ergo *isti effectus* pœnales sunt verè à Deo, & voliti, & à divina prouidentia præordinati, nec hoc potest salva veritate negari.

314. Et per hoc patet ad rationem quæ in prædicta assertione tangitur: quamvis enim istæ suffocationes & similia, pœnæ sint ex peccato originali consequentes, nec futuræ essent si illud non fuisset, tamen illo supposito, verè sunt à Deo præfinitæ: sicut supposita culpa prædestinat Deus ad pœnam, ut infrà ex Doctrina Sanctorum in materia de Dei prædestinatione monstrabimus. Itaque permittit Deus peccatum, qua permissione supposita, homo peccat: & hoc certissimè cognoscit Deus, tùm in permissione sua, tum intuendo jam peccatum ipsum in sua æternitate existens: & in pœnam ejus præparat providentia sua pœnam, sicut decet justitiam suam. Frivolum ergo est ideò negare hujusmodi pœnalia esse à divina providentia præparata, quia sunt pœnæ peccatis debitæ, nec essent præparatæ si peccata non essent. Quamvis enim hæc conditionalis sit vera, si peccatum non esset, illæ non præpararentur: tamen quia supposita divina permissione, peccata certò futura sunt, ità certò pœnæ illis debitæ sunt à divina providentia præparatæ.

315. Prætereà omnes effectus fortuiti licet sint casuales in ordine ad causas particulares, præter earum intentionem & voluntatem venientes: comparatione tamen primæ & universalissimæ causæ quæ divina voluntas est, casuales non sunt: ergo præter intentionem, & voluntatem ejus non eveniunt: ergo ex divina voluntate ita volente, & ex divina providentia ita ordinante & disponente contingunt: ergo sunt verè à divina providentia & voluntate præordinati ut ita eveniant. Quod ergo ille qui natare voluit suffocetur, & alius alio modo tegula occidatur, fuit ita à divina voluntate volitum & à divina providentia præordinatum. Quia, ut S.Thomas docet 1. *p. quæst.* 103. *art.* 5. Cum omnia quæ entis rationem habent in Dei bonitatem ordinentur sicut in finem; necesse est quod ab ipso Deo per ejus providentiam in talem finem ordinentur & divinæ gubernationi subdantur; sed prædictæ casuales interfectiones hominum, & suffocationes manifestè in Dei bonitatem sicut in finem ordinantur: ergò à Deo per suam providentiam præparantur & in talem finem diriguntur. Præterea nihil potest, quod entis rationem habeat, evenire præter ordinem divinæ providentiæ & gubernationis. Cujus ratio est, quia cum Deus sit prima & universalissima causa totius entis, impossibile est quod aliquid in entibus contingat præter ordinem divinæ providentiæ & gubernationis: gubernat ergo Deus providentia suâ illas interfectiones, & suffocationes hominum, quæ licet eveniant præter hominum intentionem, non tamen præter Dei providentiam & voluntatem. Qui ergo istos effectus fortuitos à divina voluntate subtrahunt & à divina providentia, quid aliud conantur asserere, nisi illos evenire præter Dei voluntatem & ordinem divinæ providentiæ; & ex consequenti esse fortuitos & casuales, etiam respectu primæ & universalissimæ causæ, quod dici non potest.

316. Manifestatur hoc. Nam isti Authores dicunt quod effectus fortuiti (ut suffocationes hominum) non sunt à divina voluntate voliti, sed tantum permissi. Et explicantes hoc magis addunt. Imò verò nec dicendum est eos à providentia divina fuisse intentos ut ita evenirent, aut nexum causarum, ex quibus proficiscuntur præparatum: ergo manifestè istos casuales & fortuitos effectus subtrahunt à divina providentia: ergo non subduntur divinæ providentiæ: ergo casualiter & fortuito eveniunt præter intentionem & ordinem ejus. Illud enim quod non subditur divinæ providentiæ, & quod à divina providentia non est præparatum, necesse est quod præter ordinem, præparationem, & intētionem ejus eveniat; & ex consequenti respectu ejus erit fortuitum & casuale: Nulla enim alia ratione S.Thomas probat 1. *p. quæst.* 22. *art.* 2. *ad* 1. istos effectus non evenire fortuito & casualiter respectu Dei, nisi quia non exeunt, nec exire possunt ordinem causæ universalis & divinæ prouidentiæ. Si ergo isti effectus à diuina voluntate & prouidentia non sunt præparati ut ita eveniant, sed exeunt ordinem diuinæ prouidentiæ (ut libenter isti recentiores fatentur) necesse est quod comparatione diuinæ voluntatis & prouidentiæ casuales sint & fortuiti.

317. Nec sufficit respondere. Ideo non esse fortuitos & casuales respectu Dei, quia Deus præscit sub conditione illos futuros, & non impedit, sed permittit eorum causas agere. Tum quia hoc est exire ab ordine causalitatis diuinæ & ejus prouidentiæ, licet non exeant ab ejus præscientia: & sic eveniunt præter causalitatem, præter diuinam voluntatem, & præter diuinam prouidentiam & ex consequenti casualiter respectu illius, ut S.Thomas demonstrat. Et ratio est, quia illud dicitur casuale respectu alicujus quod præter ejus intentionem seu voluntatem venit: si ergo præter Dei intentionem & voluntatem istæ interfectiones eveniunt, casuales erunt respectu voluntatis Dei. Tum quia præscire quid secundæ causæ si sic constituantur acturæ sint, & permittere id fieri, non sufficit ut illud dicatur evenire ex Dei intentione & voluntate. Imò ex eo concluditur quod eveniunt præter Dei intentionem, & ex consequenti casualiter. Quia ista præscientia (ut dicunt) ideò præscit quia sic secundæ causæ operaturæ sunt. Cum ergo secundæ causæ absque Deo præparante, illos producant effectus; etiam ipsa divina præscientia præscit hoc ipsum, videlicet illos evenire præter Deum præparantem ut eveniant: ergo præscit illos effectus præter Dei ordinationem evenire: ergo præscit illos esse effectus casuales respectu divinæ ordinationis & causalitatis. Accedit, quod ut supra primo lib. agentes contra scientiam mediam probavimus, nec per illam salvatur certà cognitio futurorum. Undè nec secundum eam illæ pœnalitates,

Digitized by Google

seù illa nobis fortuita, certò subduntur divinæ cognitioni, & sic omnibus modis fortuita ponuntur respectu divinæ providentiæ. Et in hac ratione insistendum est ad convincendum illos effectus fortuitò evenire respectu Dei; quia nempè exeunt ordinem divinæ providentiæ, & etiam certæ divinæ cognitionis. Quidquid enim ordinem certum exit divinæ providentiæ, exit ordinem divinæ causalitatis & divinæ voluntatis. Et similiter exit ordinem certæ divinæ cognitionis, cognoscit enim Deus certò futura in decreto suæ voluntatis illa providente atque causante, & non ante illud decretum. Ut 1. lib. latè probatum est. Et hac ratione S. Thomas 1. *p. art.* 2. nunc citato rectè intulit, quod id quod exit ordinem divinæ providentiæ præordinantis & causantis, est casuale respectu Dei: quia nimirum convincitur, quod etiam ordinem exeat divinæ certæ cognitionis. Imo in hac istorum sententia præsciuntur evenire ex dispositione ipsarum secundarum causarum, Deo non permittente prius efficaciter quod eveniant, sed permittente quod eveniant, supposito quod causæ secundæ præsciuntur ex seipsis dispositæ ut illos producant, quas tamen causas Deus impedire non vult: ergo cognoscit Deus illos evenire præter suum ordinem & præter intentionem & voluntatem suam præparantem & præordinantem, ut fiant; & etiam præter suam permissionem qua permittit, ut eveniant: licèt fortè non eveniant præter Dei voluntatem complacentem & approbantem, quod à talibus causis similes effectus proveniant. Constat autem quod complacere de alterius facto, non est ipsum, vel ordinare, vel causare: sicut non diceretur quis domum gubernare & illi providere, si videret tantùm quid servi in illa ex sua voluntate facturi sunt, idque permitteret.

318. Sed opponit Leonardus Lessius in suo libro de gratia efficaci. Nemo dicit sibi fortuitò evenire quod præscivit, & poterat vitare; & multò minus si cum esset in ejus voluntate impedire, de industria permisit; quæ enim casu vel fortunâ nobis accidunt, non prævidemus, nec possumus vitare; Unde veteres ponebant casum & fortunam esse causas occultas. Ut Arist. ait *lib. 2. physic. cap. 4.* Verùm ad hoc argumentum responsum est jam ex Sancto Thoma citato loco ex prima parte, quòd quidquid exit certum ordinem divinæ providentiæ, est casuale respectu Dei, cum pariter convincatur ordinem exire certæ divinæ cognitionis. Itaque negandum est quod Deus certò præsciat effectus illos fortuitos si illi exeunt ordinem certum divinæ providentiæ, ut ab his Authoribus affirmatur.

319. Addit ibi præterea supradictus Author. *Omnino concedendum est multa fieri præter intentionem Dei: intendit enim Deus per suas inspirationes peccatores convertere, qui tamen dum peccant obdurantes corda sua, agunt præter intentionem Dei. Quomodo enim dici potest Deus intendisse ut suas inspirationes rejicerent, aut ut peccatores peccatu facerent quæ faciunt; cum Deus potiùs dicatur peccatum & iniquitatem odisse?* Unde ita ait concludendum. *Multa fiunt præter intentionem & voluntatem Dei, qua absolutè & efficaciter vult aliquid fieri, aut non fieri; quam voluntatem beneplaciti vocamus: sed hujusmodi voluntatem non habet regulariter circa actus liberi arbitrij, ut docet Damascenus lib. 2. de fide orthodoxa cap. 30. & lib. contra Manich. pag. 562. & colligitur evidenter ex Patribus.* Hæc illæ.

320. Ad quod tamen dicendum incipiendo ab ultimo, à quo & primum dependet, nulla ratione posse dici Deum non habere voluntatem absolutam & efficacem circa actus liberi arbitrij, sicut ij Authores contendunt: nec id dixisse Damascenum, aut Patres alios infrà manifestabimus, agentes de voluntate antecedente, & consequente. Imò in hoc tota controversia inter nos & illos posita est, quod non solùm respectu actuum liberi arbitrij sit in Deo voluntas antecedens, ut illi dicunt; sed etiam consequens absoluta & efficax, qua vult nos rectè operari. Undè dicendum est, quòd cum Deus peccatoribus sanctas immittit inspirationes quibus ipsi resistunt & malè operantur, tantùm vult illos converti voluntate antecedenti & inefficaci, non voluntate consequenti & efficaci: Imò voluntate efficaci vult permittere quod illis sanctis inspirationibus, ipsi peccando resistant, & sic tunc peccatores malè agendo, agunt non solùm præter, sed contra Dei voluntatem antecedentem, cui & resistunt secundùm illud, *Vos semper Spiritui Sancto restitistis.* Non autem agunt præter, aut contra voluntatem Dei efficacem & absolutam: huic enim non resistunt, sed nec resistere possunt; juxta illud, *non est qui tuæ possit resistere voluntati*, nempè absolutæ & efficaci. Quare prava est illa illatio. Multa fiunt præter intentionem & voluntatem Dei antecedentem scilicet; ergo Deus non prædefinit ut fiant omnia bona quæ fiunt: nulla est illatio. Imò omne quod fit quatenus est ens, ideo fit, quia ut fiat ab eo est præordinatum & prædefinitum, ut probatum est satis, & infra copiosiùs comprobabitur.

CAPUT XXIII.

Quod omnia fortuita verè sint à divina providentia præparata, amplius demonstratur.

321. AMPLIUS. Quomodo dicitur mortes, quæ repentè accidunt vel in fluminibus, vel in mari, vel in terra, non esse à Deo volitas, cum illas divina providentia ad altissimos fines ordinet, quos Deus efficaciter mediis illis intendit? Aliquando enim ea ordinat ad peccata punienda juxtà ordinem justitiæ suæ, quod est maximum bonum. Quandoque per mortem illam rapit justum, ne malitia (si diutiùs viveret) mutaret intellectum ejus. Quot enim vel in flumine, vel in mari submersi sunt, qui illo medio sunt consecuti salutem, & per medium tale ad fœlicitatem pervenerunt? Aliquando verò multi sic in fluminibus, vel in mari submerguntur, vel in terra diversis modis atteruntur, ut sic eluceat divina misericordia in patratione miraculorum per Sanctos suos, per quos ad vitam sæpiùs reducuntur, & in illis resplendet divina misericordia & gloria. Sic Sanctus Pater Dominicus quadraginta simul suffocatos oratione sua resuscitavit: sic multi alij Sancti mortuos & obtruncatos vivificaverunt, quibus paginæ antiquæ & novæ, tum in scriptura Sancta, tum in historiis authenticis Ecclesiasticis, plenè inveniuntur. Quis ergo dicat suffocationes & interfectiones illas non esse à Deo volitas & ordinatas ad tantam suam gloriam, & misericordiam demonstrandam, ad honorem suorum Sanctorum, ad confirmationem fidei, quæ ex similibus maximè extenditur & roboratur? Sicut ergo Deus efficaciter voluit gloriam suam illis miraculis demonstrare; ita voluit & prædefinivit illas mortes evenire, ut in illis divina illa miracula fierent. Unum enim ordinavit ut medium ad aliud ut finem, & utrumque volendo præordinavit. Quod apertè dicit Dominus Joan. 6. Interrogantibus enim discipulis, quid in causa fuit ut cæcus nasceretur, (quod erat quoddam pœnale malum) respondit, quod sic cæcus & cum illa pœnalitate natus est pro gloria Dei, ut manifestarentur opera Dei in illo. Ecce apertissimè dicit Dominus illam

Digitized by Google

illam cæcitatem & pœnam fuisse à divina voluntate volitam & à divina providentia ordinatam in Dei gloriam, & illam Deum ordinasse ad opera Filij sui, glorioſiſſima demonſtranda.

322. Nunquid de morte Lazari non dcect idem ipse Dominus, quòd fuit à Deo volita, prædefinita causata,& effecta pro gloria resuscitantis ostendenda. Voluit ergo Deus,prænnivit, statuit, decrevit Lazari mortem, ut medium, vel ut materiam (ut formalior sit sermo) circa quam divina operaretur Christi potentia, quod totum ordinavit ad gloriam passionis suæ, & redemptionis nostræ.

An dicent ij authores se loqui de suffocationibus, & interfectionibus casualibus & fortuitis sive repentinis, non autem de aliis naturali modo evenientibus, quod videlicet illæ non sint à Deo volitæ, ordinatæ, nec provisæ;istæ verò maximè ? Mirum est si ista dicant. Quid enim magis una quàm alia habet comparatione divinæ voluntatis, & providentiæ. Absque dubio, vel utraque volita & præordinata, vel nulla. An quia repentè, vel casu respectu nostri una evenit, alia verò naturali ordine ; una Deo volente & ordinante fit, & non alia? Quis hoc dicat ? Quis affirmet ? Imò si fundamentalis ratio horum Authorum attendatur, omnes in universum pœnalitates & mortes à divina providentia secluduntur; quia omnes illæ in universum effectus sunt ex peccato originali derivati : ita quòd si illud non esset, nec isti effectus & pœnalitates orirentur. Si igitur propter hanc rationem à divina providentia secludunt illas casuales interfectiones & suffocationes; ratione prorsus eadem à divina providentia secludendæ sunt omnes aliæ pœnalitates & mortes naturali ordine provenientes ; quod tamen catholica veritas non admittit. Vnde S. P. Augustinus *lib. 5. de Civitate cap. 1.* Aspera,& dura quæ homines ab hostibus patiuntur, divinæ tribuit providentiæ ; sicut & omnia alia quæ entitatis rationem habent. Videant ergo ij authores, quòd hominum mortes & dies, quos esse numeratos divina scriptura docet, à divina voluntate & providentia reipsa subttahunt.

Prætea hi authores etiam consequenter loquendo fatentur martyrum mortes & tormenta non esse à Deo volita, quatenus passiones sunt, sed prævisa & permissa tantùm,& non evenire ex Dei ordinatione, sed ex impietate Tyrannorum, quam Deus permittit. Cæterum ista sententia damnata sententia Fausti est *lib. 2. de gratia, & hum. ment. arb. cap. 3.* cujus verba sunt. *Hanc itaque parvulorum, & Innocentum interfectionem, non dispositio Dei, sed impietas ordinavit inimici.* De quo tamen suo loco copiosiùs.

323. Ampliùs ista omnia pœnalia enumerata, & omnes isti effectus fortuiti, bona absolutè sunt : ergo non sunt solùm à Deo permissa ; quia permissio est tantùm malorum culpæ quæ à Deo nullo modo causantur. Cæterum mala pœnæ cùm absolutè bona sint, & à Deo authore & agente positivè causantur iuxta illud Amos 3. *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus,* & Isaïæ 45. *Ego Dominus creans malum.* Quæ loca cum de malis pœnæ ab omnibus intelligantur, & de vera causalitate & efficientia positiva, qua Deus illa causat ; fit consequens ut eadem ratione etiam sint verè à divina voluntate volita, & à sua providentia ordinata. Quod autem utrumque testimonium de malis pœnæ, & de vera ac propria illorum à Deo causalitate intelligatur,omnes Sancti Doctores exponunt,Glossa ordinaria ad illud Amos ex Theodoreto, Ruperto, Tertulliano, & Lyrano; & S. Hieronymus ad illum locum Amos sic dicit. *Malum autem quod Dominus fucit in civitate, non est contrarium virtuti, sed afflictio & cruciatus, de quo legimus sufficit diei malitia sua, idest tribulatio & angustia. Et in Propheta legimus, ego Dominus, qui feci lucem & tenebras, qui facio pacem & condo mala. Sicut enim tenebræ contrariæ sunt luci & diei; sic & paci bellum contrarium est, quod non per se malum est, sed malum videtur his qui sustinent ; & ut sciamus in scripturis Sanctis malitiam interdum non contrariam virtuti accipi, sed afflictiones pœnasque & angustiam, unum adhuc de Iona sumamus exemplum. Et vidit Deus opera eorum, quia conversi essent à suis viis pessimis, & pœnituit eum super malitia, quam locutus est, ut faceret eis. Malitia utique ibi subversio Niniviturum est, quam per Prophetam Deus fuerat comminatus.* Hæc Sanctus Hieronymus. Et Augustinus, *contra Adimantum Manichæum lib. uno cap. 26.* ait. *Ita etiam malum aliquid in civitate non perpetratur, quod Dominus non faciet. Malum hoc loco non peccatum, sed pœna intelligenda est. Dupliciter enim appellatur malum. Vnum quod homo facit, alterum quod patitur pœna. De pœnis ergo loquebatur Propheta, cum hoc diceret. Divina enim providentia cuncta moderante & gubernante, ita homo malè facit quod vult, ut malè patiatur quod non vult. Sic autem isti accusant Prophetam ista dicentem, quasi in Evangelio non legerint. Nonnè duo passeres asse veneunt & unus eorum non cadit in terram sine Patris vestri voluntate? Ita ergo Deus malum facit, quod non ipsi Deo malum est, sed eis in quos vindicat. Itaque quantum ad se pertinet, bonum facit, quia omne iustum, bonum est, & iusta est illa vindicta, &c.* Eadem ratione induc poterant Chrysostomus, Ambrosius, Gregorius, & alij Sancti Patres qui in eodem sensu prædictum exponunt Prophetæ testimonium, de malo videlicet pœnæ à Deo verè & propriè effecto, atque causato. Quos in eadem intelligentia sequitur S. Thomas 1. *part. quæst. 49. art. 2. ad primum.* Igitur communis Sanctorum Patrum intelligentia est, de malis pœnæ loqui Prophetam, quæ Dominus non permissivè solùm, sicut culpam ; sed verè & per se efficit, cum illa bona sint.

324. Sed opponunt ex S. Augustino *sent. 58.* apud S. Prosperum ita dicentem. *Divina voluntas est prima & suprema causa omnium corporalium spiritualiumque motionum. Nihil enim fit visibiliter & & sensibiliter, quod non de invisibili summi imperatoris aula, aut iubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiam præmiorum, atque pœnarum, gratiarum & retributionum in ista totius creatura amplissima quadam immensaque Republica.* Ex quo loco sic Leonardus Lessius objicit in suo libro,quem de gratia efficaci inscripsit (cùm potius totus contra eandem efficacem gratiam procedat) cap. 4. §. Quomodo autem. *Vnde patet multa permitti tantum, etiam qua bona sunt ut afflictiones pro peccatis. Si putasset D. Augustinus omnia esse à Deo præfinita, & Deum ad omnia movere, causasque determinare, non dixisset iubeatur, aut permittatur, sed iubeatur tantùm. Nam per iussionem significat prædiffinitionem & voluntatem efficacem, qua vult aliquid fieri; quomodo dicit Propheta. Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt. Sic verbo, iussu,& imperio Dei dicuntur omnia ex nihilo prodiisse, & in esse conservari.* Hæc illius oppositio est.

325. Verùm non posse dici mala pœnæ tantùm esse à Deo permissa, non autem verè & physicè effecta, quæ inducta sunt supra ex Sanctis Patribus, clarè convincunt. Unde ad hoc testimonium quod objiciunt. Dicendum primò per illud verbum, *vel permittatur* intelligere S. Augustinum peccatum, quod in pœnam alterius peccati quandoque permittitur : ita quod omnia alia bona etiam pœnas & affli-

Digitized by Google

ctiones, intelligat à Deo juberi, prædiffiniri, & per efficacem ejus voluntatem causari. Sola autem peccata (quæ quandoque in pœnam aliorum permittuntur) à Deo permittantur. Vel secundò dicendum quod licet S. Augustinus loco citato solùm loquatur de malis pœnæ & de afflictionibus, quæ bona sunt, illa dicit à Deo permitti, & non iuberi; quia secundum primam Dei intentionem à Deo non fiunt, sed ex peccato quod à Deo non est, exiguntur. Vnde quia peccatum solùm à Deo permittitur, & ad ipsum pœnalitates consequuntur, aliquando S. Augustinus mala pœnæ vocat nomine suæ causæ, nempè peccati ad quod consequuntur, dicendo quod à Deo permittuntur. Non tacendo sed in innumeris aliis suæ doctrinæ locis manifestè declarando, quod verè à Deo fiant atque causentur, ut patet ex dictis. Cujus exemplum potest adhibere ex scriptura, quæ docet, *quod Dominus mortem non fecit.* Sap. 1. Quod debet intelligi, quòd Deus mortem non fecit, quasi per se intentam; benè tamen eam in pœnam peccati intulit, secundum illud, *Dominus mortificat & vivificat* 1. Reg. 2. ut S. Thomas exponit 1. *part. q.* 49. *art.* 2. *in corpore.* Sicut ergo ex eo, quod Deus mortem quasi per se intentam, non fecit, scriptura absolutè protulit, quod Deus mortem non fecit: ita quòd afflictiones alias & pœnalitates, Deus quasi per se intentas non fecit, dixit S. Augustinus, quod illas non iussit, sed permisit, ideſt, eas fecit in pœnam peccati permissi.

326. Illud etiam obiter occasione prædictæ objectionis non omittendum, quomodo prædictus author qui illam oppositit, fatetur quod Deus omnia alia bona præter mala pœnæ iubeat, ideſt, ut ipse ait, prædefiniat, ac voluntate efficaci ad ea moveat: in quo tum divinam prædefinitionem, tum efficacem Dei voluntatem, tum denique divinam præmotionem fatetur, quam aliis locis in illo suo libro impugnavit. Quod si de illa sua prædefinitione vellet esse dictum, quæ præsupponat mediam illam scientiam, voce prædefinitionem appellare, non re ipsa, ostensum fuit 1. *lib.* 2. *part.* tract. de divinis prædefinitionibus.

327. Similiter qua ratione actus præmittentiæ, videlicet contritio, non sit a Deo verè volita ac ut eveniat præordinata, non videmus, licet enim culpam circa quam detestandam versatur, præsupponat, quæ à Deo est tantùm permissa: ipsa tamen contritio verè à Deo est volita, & illam divina providentia ordinat ad hominis salutem. Nec enim datur contritio de peccatis cum proposito absolutè ampliùs non peccandi, & cum spe veniæ ex Dei dilectione super omnia quæ non sit actus conducens ad salutem ex divino auxilio procedens, ut dicemus infra. Vnde talis contritio sicut ab auxilio divinæ gratiæ causatur in tempore, ita à divina voluntate est ab æterno volita efficaciter & præordinata. Vnde ex duplici titulo talis contritio est à divina providentia ordinata. Primò generali ratione quia bonus actus est. Secundò specialiter quia ob sui nobilitatem, & perfectionem indiget divino auxilio gratiæ, & divina voluntate specialiter ad illam movente. Vult enim Deus peccatorem liberè converti, & ideò convertitur liberè, quia efficaciter Deus illum vult ita converti, & conteri, sed de hoc aliàs.

328. Nec contra præfatam veritatem aliquid probant adversariorum argumenta, dicunt enim illorum quidam quòd suffocatio, & interfectio violenta, & similes effectus fortuiti, non essent in homine nisi ipse peccaret: & ex consequenti sunt pœnæ resultantes ex peccato originali: quare non possunt esse volita à Deo voluntate absoluta, sed tantum conditionata, si nempè ipse homo peccaret. Similiter dicunt de actu pœnitentiæ qui essentialiter præsupponit culpam ut materiam circa quam versatur, quòd absolutè non est volitus, nec præordinatus, nisi tantum sub conditione, si homo peccaverit. Aliàs si absolutè actus pœnitentiæ & quæcumque alia pœna ut pœna esset à divina providentia ordinata, etiam ipsa culpa quam essentialiter respicit, esset absolutè à divina providentia provisa & ordinata.

329 Ad hoc ipsorum fundamentum, facilis est responsio, dicendo, quod ante permissionem culpæ, sivè originalis, sivè actualis, & ejus prævisionem, nulla pœna ut pœna, culpæ correspondens, nullusquè pœnitentiæ actus illam detestans, est à Deo absolute volitus. Cæterum post culpæ talis permissionem, ejusque prævisionem, necesse est concedere pœnam illi correspondentem, ut potè bonam & ad bonum finem ordinatam, esse à Deo absolute & efficaciter volitam & præparatam. Pariquè ratione pœnitentiæ actum culpam detestantem esse à Deo volitum efficaci & absoluta voluntate, ut medium prædestinationis & salutis à divina prædestinatione præordinatum. Quod enim permissio peccati ejusque prævisio rationis ordine ac prioritate antecedat voluntatem infligendi pœnam, vel volendi actum pœnitentiæ, non tollit quòd sequens actus voluntatis non sit absoluta voluntate volitus, & à divina providentia ordinatus. Circa quod vide doctrinam Sancti Thomæ in terminis *in* 2. *dist.* 44. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 2. ubi ita habet. *Ad secundum dicendum quod non est inconveniens effectum esse à Deo, cujus causa secundum aliquid à Deo non est; sicut pœna, vel passio aliqua à Deo est: cum tamen injusta actio cujus effectus est à Deo non sit:* Cujus rei exemplum habemus in Christi Domini prædestinatione, ac Redemptione nostra. Secundum sententiam S. Augustini & S. Thomæ Christi Domini Incarnatio, prædestinatio, & Redemptio nostra, non fuit à Deo volita antè permissionem & prævisionem culpæ primi parentis: at verò post illam, quis dicat Christi Domini prædestinationem & Redemptionem nostram, quæ essentialiter supponebat primum illud peccatum, ut id in cujus remedium Christus prædestinabatur, non fuisse à divina voluntate absolutè volitam & efficaciter præordinatam? Sicut ergo voluit Deus permittere peccatum primi Parentis, ut Christum Dominum mitteret Redemptorem, & legislatorem; ita voluit, præordinavit, & prædiffinivit Christum mittere in illius peccati remedium: de quo infra in fine hujus libri tractabimus ex professo. Similiter sicut voluit, præparavit, & præordinavit permittere Magnalenæ peccatum, & aliorum: ita voluit, & præordinavit illam magnam contritionem, & conversionem, ut salvarentur. Imò quia voluit illam magnam contritionem illi dare; ideò & voluit peccata illius permittere. Absit ergò dicere contritionem à Deo non esse volitam, & per suam providentiam præparatam.

330 Undè jam modo venit disputanda quæstio supra *libro* 1. *p.* 2. insinuata *tract.* 3. quam ibi diximus in hac materia de divina providentia esse tractandam. An videlicet Deus per suam voluntatem aut divinam providentiam prædiffiniat entitatem & actionem quæ, in peccato est, quatenus præcisè entitas & actio est. Quam accuratius (quia in illa multum insistunt hujus temporis recentiores) oportet examinare. Quatuor ergò ut distinctius procedamus videnda sunt, & discutienda. Primum an peccatum cadat sub divina providentia & prædiffinitione. Secundum an materiale peccati à divina providentia prædifinatur. Tertium an Deus ut causa moralis suadeat, invitet, & excitet ad entitatem peccati, quatenus entitas & actio est. Et tandem

Digitized by Google

tandem quartò an Deus ut naturæ author ſua voluntate & divina providentia prædefiniat entitatem & actionem, quæ eſt in peccato, quatenus præcisè entitas & actio eſt.

CAPUT XXIV.

Quod peccatum non ſit à divina providentia præordinatum, aut prædiffinitum.

331. LICET ſupra cap. 10 dictum à nobis ſit, quomodò Deus prædiffiniat actionem quæ eſt in peccato: iterum de hoc agere, & id magis explicare oportet: quia id ſupra factum eſt occaſione illa, quomodò Deus moveat voluntatem ad finem, quemlibet. Nunc autem de eodem agendum eſt, oſtendendo peccatum, non eſſe à divina providentia ordinatum, ſeu præfinitum.

333. Undè in hujus primordio, illorum blaſphema & in Deum contumelioſa hæreſis, ponentium Deum providentia & cauſalitate ſua peccata efficere, non tam venit expugnanda (quippè quæ ſemper damnata fuit) quàm illius pravum principium ex quo illam ſui fautores deducebant, clarius denudandum; ne dum ad illud minùs attendentes, qui illam fortius expugnare procurant, incautiùs in eandem relabantur. Fuerunt namque & hiſce, & antiquis temporibus inſipientes homines, qui Deum authorem peccatorum dicere non formidarunt; aſſerentes Deum illa velle, diffinire, imperare, & efficere. Ex antiquioribus, primus fuit Florinus Montani diſcipulus quem ob id Irenæus, ut refert Euſebius Cæſarienſis *lib. 5. hiſt. cap.* 20. Pluſquam hæreticum nominat, cum ante illum nullus hæreticus id proferre vel auſus fuerit. Deindè Seleuciani, ut S. P. Auguſtinus refert *lib. de hæreſibus cap.* 59. contendebant malum aliquando eſſe à Deo, aliquandò à materia. Poſtremò temporibus iſtis Libertini hanc blaſphemiam verbis palliatam & temperatam tradiderunt. Similiter Calvinus, Zuinglius, Beza, & ſimiles peſtes. Dixi verbis temperatam; nam verbis quidem & ipſi contendunt Deum non eſſe authorem malorum, nec peccare poſſe, nec eſſe cauſam cur nos peccemus. Verùm re ipſa omnes manifeſtè Deum conſtituebant authorem & cauſam peccatorum. Primum, quod voce quidem id negarent, patet de Libertinis *Ex Epiſtola Calvini ad Rothomagenſes.* De Calvino verò *in præfatione libri de æterna Dei prædeſtinatione*: Et in fine ejuſdem libri. *Item libro* 1. *inſtitut. cap.* 17. De Petro Martyre *in Commentario* 1. *cap. Epiſt. ad Rom* De Theodoro Beza *in reſponſione ad Heſhuſium, & alia ad Caſtellionem*, potiſſimè *aphoriſmo* 8. De Zuinglio *in ſermone de providentia cap.* 5. *&* 6. Quorum nec neceſſe eſt verba referre. Legat, qui voluerit apud Robertum Card. Bellam. *tom.* 3. *controverſ. lib.* 2. *de amiſſ. grat. & ſtatu peccati cap.* 1. *& ſequentibus.*

333. Illud autem ſecundum quod revera omnes iſtæ furiæ Deum conſtituerint authorem & cauſam peccati ſit manifeſtum. Ex Calvino quidem *ex libro* 1. *inſtit. cap.* 17. §. 1. Ubi apertè dicit Deum mandare, ut Satan & improbi homines, maleficia concipiant; *& eodem libro cap.* 18. §. 1. & 2. Quibus apertis verbis tradit Deum, non ſolum permiſſione, ſed voluntate, decreto, impulſu, præcepto, interna operatione efficere, ut homines cogitent, deliberent agantquè peccata. Idem habet *lib.* 2. *inſtitut. cap.* 4. §. 2. 3. *&* 4. Ubi aſſerit Deum per miniſterium Satanæ corda hominum excitare ad malum, obdurare, ne obediant: *Et in libro* 3. *earundem inſtitutionum cap.* 23. §. 4. *&* 7. 8. ac 9. Diſertis ac multiplicatis verbis affirmat Deum non ſolùm permiſſione, ſed voluntate, ordinatione, ac prædeſtinatione effeciſſe primum hominem cadere, omneſque ejus poſteros ex Dei prædeſtinatione, incidiſſe in peccandi neceſſitatem. Idem repetendo confirmat, *libro de æterna Dei prædeſtinatione, pag.* 905. 906. 916. 917. 944. *&* 946. Et apertiùs, & fuſiùs *in inſtructione contra libertinos cap.* 14. Zuinglius autem id ipſum aſſerit, *Sermone de providentia cap.* 5. *&* 6. Ubi dicit, quod Deus movit latronem ad occidendum, affirmans, quod cum Angelum tranſgreſſorem facit & hominem, ipſe tamen tranſgreſſor non eſt; rurſuſquè ſuadens quod cum Deus operatur per hominem, homini vitio vertitur, non tamen Deo. Beza autem id ipſum defendit in reſponſione ad Caſtellionem, ferè per totam, ſignanter *aphoriſmo* 18. 19. 20. 21. *&* 22. In quibus tenet & clarè proponit Deum per omnes creaturas, ſicut per inſtrumenta omnia operari quæ decrevit; & ſi inſtrumenta fuerint bona, per illa Deum bona operari; ſi autem fuerint mala, mala per ea operari Deum; ita tamen quòd omnia prout veniunt ex Deo, bona ſint: & diſcrimen illud boni & mali, in inſtrumentis dumtaxat locum habeat. Itaquè ut uno verbo dicam, omnes iſti hæretici contendunt, quod quamvis Deus non ſolùm permittat, ſed efficaciter velit, decernat, provideat, prædeſtinet, imperet, jubeat, excitet, moveat, & impellat homines ad peccata, ipſaquè per eos efficiat; tamen nec peccati eſt author, aut cauſa, aut ipſi aliquo modo peccata debent imputari, ſed homini.

334. Explicatâ eorum ſententiâ, non eſt cur moremur in probando eos, re ipſa, quamvis verbis negent, Deum authorem & cauſam peccatorum eſſe ipſique inevitabiliter debere peccata imputari, ſi ad peccata moveat, ipſa velit, & prædeſtinet ab homine fieri: cum res ipſa nota ſit, idquè ex eorum poſitione ſequi ſit manifeſtum, ut paſſim oſtenderũt Catholici qui adverſus eos dimicarunt. Et potiſſimè ſacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *de juſtificatione per plures Canones.* Hoc in eis anathematizans quod Deum effectorem peccatorum conſtituant. Quid enim eſt manifeſtiùs quàm eſſe cauſam peccati, qui movet homines ad peccatum? Et quid evidentius quàm peccare, qui peccata efficit? Vel quid apertiùs, quàm ei imputari debere peccata, qui ipſa peccata operatur.

Hoc igitur pro evidenti conſtituto, quod plures alij tractaverunt; unum potiſſimè quod nec ſi clarè ab aliis traditur; ex cujus inconſideratione video plures hallucinari & Catholicam doctrinam cum iſtorum pernicioſiſſima confundere, curabimus aperire; oſtendendo ex qua radice & cauſa convicti ſint hæretici illi, ſemperque convincantur ſtatuere Deum authorem & cauſam peccati, quæ talis eſt. Hæretici enim illi non diſtinguentes inter malitiam ſeu deformitatem peccati, vel inter peccatum ipſum (quod intrinſecè habet adjunctam inſeparabiliter malitiam & deformitatem) & inter actionem ejus, quatenùs actio & entitas eſt, ad totum ſimul dicebant Deum homines movere, totumque ſimul velle, & prædeſtinare, ipſumque totum efficere, videlicet actum cũ adjuncta malitia ſeu deformitate; hoc autẽ eſt velle prædeſtinare & efficere peccatum (peccatum enim utrumque eſſentialiter includit, ut dictum eſt) Ex quo pravo principio inevitabiliter ſequitur Deum cauſam eſſe peccati: Imò quod eſt maximè conſiderandum, hæretici illi, ex eo quòd intelligere non valebant, ſeu non volebant, quomodo cùm malitia & deformitas inſeparabiliter eſſet conjuncta cum entitate actionis quæ eſt in peccato, poſſet Deus actionem efficere & ad illam movere, quatenùs præcisè actio eſt; & non ad ipſam quatenùs conjunctam habet malitiam ſeu quatenùs pernicioſa eſt, ideo con-

Digitized by Google

tendebant Deum ad totum simul movere, totumque simul velle prædestinatione sua, & actionem & adjunctam deformitatem; undè dicebant Deum ad peccata movere, ipsaque causare, & efficere.

335 Si autem hæretici illi tenerent atque defenderent Deum velle, decernere, prædestinare, movere, & efficere actionem quæ est in peccato quatenùs præcisè entitas & actus est qua ratione peccatum non est (nisi cum Manicheis sentiamus) & solum permittere malitiam, vel actionem ut conjunctam habet deformitatem (qua ratione peccatum est) procul dubio cum Catholicis sentirent; & non solùm Pelagianorum errores effugerent, sed aliorum qui Deum constituebant authorem peccati, hæresim devitarent. Mediâ enim securâ ac regiâ viâ Catholica veritas incedit inter duos extremos errores; & eorum, qui dicunt Deum non movere vel efficere actionem quæ est in peccato, quatenùs actio & entitas est (& isti sunt Pelagiani) & eorum qui pronunt Deum movere, & efficere actionem quæ est in peccato ut habet adjunctam deformitatem (& isti sunt hæretici modò relati.)

336. Cum ergo sic non distinguentes, contendant hujus tempestatis hærerici, quòd Deus movens, vel efficiens, sive decernens, aut prædestinans actionem quæ est in peccato, simul prædestinet, moveat, aut efficiat, ipsam quatenùs adjunctam habet malitiam, horrendam hæresim inducunt, constituentes Deum peccatum efficere & peccati causam esse: & iste est unus extremus eorum error blasphemus.

337. Similiter cum Pelagiani sibi malè persuadeant idipsum principium (quod Calviniſtis placet) nempe quod si Deus movet, vel efficit actionem quæ est in peccato, inevitabiliter ad illam debet etiam movere, vel illam debet efficere, quatenùs conjunctam habet malitiam; ex consequenti peccatum debet efficere: per aliud extremum declinantes negarunt Deum velle prædestinare, movere, vel efficere actionem quæ est in peccato, etiam quatenùs entitas & actio est. Et sic utrique à veritate in extremos errores ex eodem pravo principio inciderunt. Quos utrosque Catholica veritas damnat, dum sic constituit Deum movere, & efficere omnem actionem etiam quæ est in peccato, quatenùs præcisè entitas & actio est (in quo condemnat Pelagianos) quod simul defendit Deum nullo modo movere, efficiere, velle, aut prædestinare actionem peccati quatenùs peccatum est, vel quatenùs habet adjunctam malitiam & deformitatem, in quo anathematizat Calviniſtas & alios supra relatos hæreticos.

338. Unde qui nunc insistunt quod si Deus movet ad actionem quæ est in peccato quatenùs entitas & actio est; etiam re ipsa contendunt Deum movere ad peccatum, nihil modo opponunt quod non sit Catholicis oppositum à Calviniſtis: & antiquioribus Sancti Doctoribus, à Pelagianis. Utrique enim isti hæretici in supradicto principio uniformiter convenientes (quod si Deus ad unum movet, ad alterum movere debeat) semper Catholicis defendentibus Deum movere hominem ad actum qui est in peccato, quatenùs solum entitas & actio; opposuerunt quod ponerent Deum movere homines ad peccatum. Parique ratione qui modò refugiunt confiteri Deum movere homines ad actionem quæ est in peccato, quatenùs præcisè entitas & actio est, ut effugiant Deum non esse authorem peccati, cum illis antiquioribus conveniunt qui hoc prætextu Deum primam causam omnis entitatis & actionis esse negabant; de quibus copiosius egimus in alio libro responsionis nostræ ad collationes quasdã novi cujusdam collatoris.

339. Firmiter ergò tenendum est & nullatenùs dubitandum contra omnes supradictos errores. Inter omnia quæ in universo fiunt, unum solum esse quod à divina providentia, nec ordinatur ut sit, nec proponitur, nec à divina voluntate approbatur, nec causatur, aut producitur, quod est peccatum.

340. Sed antequam concluſio probetur, quæ apud Catholicos nec probatione indiget cum ipsa sit Catholica fides. Circa ipsum peccatum quatuor distinguenda sunt, ne error contingat si absque distinctione procedamus, ut errantibus contigisse explicatum est priùs. Primum peccati permissio. Secundum malitia, vel deformitas culpæ. Tertium actus ipsam includens malitiam, vel dicens ordinem ad illam. Quartum & ultimum ipsa substantia actus, ut actio & entitas est. Et de istis dicendum est per singula, quomodò divinæ providentiæ subdantur, vel non subdantur.

341. De permissione ergo peccati communis sententia est illaque verissima, quod illa bona est & quod in bonum finem ordinatur à Deo. Cum enim divina voluntas velit permittere malum, illa permissio objectum secundarium est divinæ voluntatis efficaciter illam volentis, & ex consequenti est objectum bonum.

342. In hac veritate conveniunt communiter Theologi *in 1. distinct. 46. & 47.* Et Divi Thomæ Discipuli *1. part. quæst. 22. & 23. & in materia de peccatis, & alibi sæpè.* Quibus locis explicant Doctores quanta bona, divina bonitas sua omni potenti virtute ex peccatorum permissione quotidie educat. Ex permissione enim peccati primi Parentis illud summum bonum divinæ Incarnationis eduxit; si enim primus Parens non peccasset, nec Christus venisset, ut Sanctus Augustinus & S. Thomas antiquique Patres docuerunt. Quod & modò sicut magis divinis literis conforme præsupponimus. Et ex permissione illius maximi peccati crucifigentium Dominum, nostram ipse Dominus redemptionem & reparationem deduxit, in illamque tam magni peccati permissionem ordinavit. Item quotidie permittit Sanctos aliquos cadere, ut ardentiùs resurgant, humilius vivant, & cautiùs se custodiant. Permittit etiam Tyrannorum persecutiones, ut Sanctorum fidem, patientiam, & constantiam demonstret. Quam materiam eleganter prosequitur S. Damascenus *libro secundo de fide orthodoxa.* Commemorans innumera bona, illaque egregia, quæ ex peccati permissione in mundo proveniunt. Quem & secutus Dominus Cajetanus verè dixit, non fuisse futurum mundum meliorem, si peccata in ipso non fierent; quia præstantissima bona illi deessent. Vnde S. P. Augustinus *in Enchirid. cap.* 100. Explicans illud Prophetæ, *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*, dicit *quòd peccatum, quod fit contra voluntatem Dei, non fieret si ipse non sineret; nec utique nolens sinit, sed volens: nec sineret bonus fieri mala, nisi omnipotens de malo facere posset & benè.*

343. Argumenta quæ opponi solent contra hanc veritatem, videantur apud Doctores, locis supra citatis; optimè enim illa solvunt, nec aliquid est in hac parte quod difficultatem faciat.

344. Secundò communis sententia est, quod deformitas & malitia peccati; imò peccatum ipsum sumptum formaliter pro actu includente malitiam & deformitatem, non cadit sub divina providentia approbativa, nec ab ea ordinatur, aut præparatur, nec à voluntate divina est volitum: quod & fides ipsa docet. Similiter dicendum est de substantia actus peccati ut includit malitiam annexam, quod nec illa ut sic, est per divinam providentiam ordinata ut sit aut ab ea vel à divina voluntate volita; quia substantia actus cum deformitate peccatum est, quod

à Deo

Digitized by Google

à Deo esse volitum, seu à divina providentia ordinatum, & præparatum, fides non admittit; sed id anathematizat in hæreticis supra relatis.

345. Veritas ista non probanda est, sed supponenda ex divinis literis, quæ passim illam prædicant, atque confirmant, & concilia tenent, rationesque ostendunt.

Peccatum enim essentialiter est deordinatio à fine, unde ipsi repugnat quod per divinam providentiam ordinetur in finem. Et hoc modo intelligitur *Concilium Arausicanum 2. Can. 25.* cum dicit. *Aliquos verò ad malum* (videlicet culpę) *divina potestate prædestinatos esse non solum non credimus; sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illos anathema dicimus.* Et Concilium Tridentinum can. 6. *Si quis dixerit mala opera, ita ut bona operari non permissivè solum, sed etiam propriè & per se anathema sit.* Loquuntur enim (ut patet ex verbi expressis) de peccato, & culpa formaliter ut peccatum est, id est de actu peccati includente malitiam, vel illam habente annexam, quod ut sic solùm potest esse à Deo permissum, ut Concilia sacra docent.

346. Triplici ratione solet veritas ista à Doctoribus comprobari. Prima est. Illa cadunt sub divina providentia quæ cadunt sub divina causalitate, ut docet Sanctus Thomas 1. *p. quæst.* 22. *art.* 2. Sed peccatum nullo modo cadit sub divina causalitate; quia Deus peccatum non causat, ut docet fides: ergo nec cadit sub divina providentia.

347. Secunda ratio ex propria ratione providentiæ & peccati desumitur, Sunt enim rationes adinvicem repugnantes, nam providentia est ratio ordinis rerum in finem, ut supra manet explicatum, sed peccatum essentialiter recedit ab ultimo fine: ergo non est ordinabile in illum: ergo nec ordinari potest per divinam providentiam quæ omnia in Deum sicut in ultimum finem ordinat.

348. Tertia ratio. Divina providentia versatur circa illa quæ cadunt sub electione divinæ voluntatis, sed divina voluntas eligere non potest peccata: ergo sub divina providentia non cadunt. Unde sanctus Augustinus *lib. 5. de civitate Dei cap. 9. Mala* (inquit) *voluntates ab illo non sunt, quia contra naturam sunt, quæ ab illo est.*

349. Advertendum tamen rationes istas & doctrinam traditam, quod peccatum non cadit sub divina providentia, intelligi debere de providentia approbationis non de providentia concessionis, ut planè docet S. Thomas *quæst. 5. de verit. art. 4. ad 1.*

CAPUT XXV.

Nonnulla argumenta contraria dissolvuntur.

350. NEc huic veritati est aliquo modo contrarium quod Sanctus Pater Augustinum dicit *In Enchi. cap. 96.* cum ait *Quamvis ergo ea quæ mala sunt, in quantum mala sunt non sint bona: tamen ut non solum bona, sed etiam ut sint & mala, bonum est.* Ex quo poterit aliquis concludere quod sub divina providentia cadat, mala esse, vel mala fieri, est bonum: nam omne bonum sub divina providentia cadit. Ad hoc enim dicendum cum Magistro sent. *in 1. dist 46. Litera B.* Et cum sancto Thoma 1. *p. quæst. 19, art. 9. ad 1.* illa sic esse intelligenda, mala esse sive mala fieri, est bonum; id est bonum est sinere vel permittere mala fieri, vel mala esse: & in hoc sensu dicta sunt à Sancto Patre Augustino ut ex ipso contextu satis apertè constat. Sic enim ibi dicit. *Nec dubitandum est Deum facere benè etiam sinendo fieri quæcunque fiunt malè: non enim hoc nisi justo judicio sinit, & profectò bonum est omne quod justum est. Quamvis ergo ea quæ mala sunt in quantum mala sunt, non sint bona: tamen ut non solum bona, sed etiam sint & mala, bonum est.* Tantum ergo intendit bonum esse, quòd illa Deus sinat, sive permittat esse, aut fieri. Et hanc illius esse, intelligentiam apertiùs declarat *in eodem Enchirid. cap. 100.* dicens. *Nec sineret bono fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene.* Unde S. Thomas loco citato ait quod nonsolum peccatum est intrinsecè malum, sed etiam peccatum esse, vel peccatum fieri, intrinsecè malum est, & nullo modo bonum; ut ibi Sanctus Thomas demonstrat, quia actio de malo objecto malum est. Non ergo sentit Sanctus Augustinus mala culpæ fieri, esse bonum; sed bonum esse quod permittantur. Eodem modo intelligi debet quod dicit *in eodem Enchiridio cap. 10.* cum ait *Ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo, ex qua etiam illud quod malum dicitur; benè ordinatum & loco suo positum; eminentiùs commendat bona ut magis placeant & laudabiliora sint.* Non inquam intendit malum culpæ à divina providentia ordinatum, ut laudabiliora essent alia bona; malum enim culpæ nullo modo ordinari potest in bonum, ut docet Sanctus Thomas 1. *p. ubi supra;* sed intendit ordinasse Deum mali permissionem; ut clariora essent & laudabiliora ipsa bona, comparatione & occasione malorum.

351. Sed dices Sanctus Pater Augustinus *in eodem Enchirid. cap. 100.* Loquens de malis culpæ dicit quod benè utitur Deus malis culpæ tanquam summè bonus, ad eorum damnationem quos justè prædestinavit ad pœnam; & ad eorum salutem quos benignè prædestinavit ad gratiam: ergo si Deus utitur malis culpæ, utitur eis tanquam mediis: ergo per divinam providentiam ea ordinat, vel ad salutem, vel ad pœnam. Et simile est quod dicit in libro de Genesi ad literam quem imperfectum vocant cap. 5. ad finem. *Nam & vitio um nostrorum non est author Deus, sed tantum ordinator est, cum eo loco peccatores constituit, & ea perpeti cogit quæ merentur.* Et 1. conf. cap. 10. ait. *Et tamen peccabam Domine Deus ordinator & creator omnium rerum, peccatorum autem tantum ordinator.* Ecce dicit Deum ordinasse peccata: ergo per providentiam illa ordinat: cadunt ergo ipsa sub divina providentia. Et Sanctus Thomas in opusc. de providentia dicit quod peccatum est præscitum à Deo, & ordinatum in aliquem finem: ergo per divinam providentiam peccata ordinantur à Deo; & ex consequenti sub ipsa clauduntur.

352. Sed valde diversa est mens horum Sanctorum Doctorum. Solùm enim intendunt quod postquam peccatum est à Deo tantum permissum, & à prava hominis voluntate causatum, & à Divino intellectu prævisum; illo peccato utitur Deus, vel ad pœnam ipsorum peccatorum, vel ad majorem misericordiam prædestinatorum. Vnde S. Pater Augustinus *lib. 1. confess. cap. 12.* ait loquens cum Deo. *Tu verò cui numerati sunt capilli capitis nostri, errore omnium qui mihi instabant ut discerem, utebaris ad utilitatem meam: meo autem qui discere nolebam, utebaris ad pœnam meam.* Itaque potest dici quod peccatum est materia circa quam Deus exercet aliquos actus suæ divinæ providentiæ, præparando videlicet illi debitam pœnam. Quod satis apertè docet S. Pater Augustinus locis citatis, dum ait Deum authorem peccatorum non esse, sed tantum ordinatorem. Ibi

enim

Digitized by Google

enim distinguens ordinationem contra causalitatem, satis demonstrat peccata non esse à divina Providentia ordinata, aliàs ab eodem pariter essent causata; sed tantum dicit esse ordinata in pœnam, vel potiùs ordinasse pœnam illis debitam; ita quòd pœna sit præparata, & prædestinata ad punitionem culpæ. Prædestinare autem pœnam ad culpæ punitionem bonum est & effectus proprius divinæ Providentiæ ab ipsa verè causatus. Quod manifestè S. Augustinus expressit citato loco de Genesi ad literam dicens post inducta verba. *Ad hoc valet quod oves ponuntur ad dexteram, hædi autem ad sinistram. Quædam ergo & facit Deus & ordinat, quædam verò tantum ordinat: Iustos & facit & ordinat: peccatores autem in quantum peccatores sunt non facit, sed ordinat tantum.* Quid clarius dicere potuit, ut ordinationem à causalitate distingueret.

353. Unde S. Thomas *in* 1. *dist.* 47. *art.* 3. *ad* 4. subdit. *Quamvis malum sit præter intentionem Dei, tamen ordinatio mali est intenta à Deo.* Id est postquam malum est factum ab humana voluntate, ordinatur à voluntate divina in pœnam debitam, vel illi prædestinat pœnam debitam quod idem est. Itaque si placet de ordinatione distinguamus, claritatis causa, quod alia est ordinatio qua Deus ordinat ut res sit, & ista semper habet causalitatem conjunctam: quidquid enim ordinat ut sit per divinam providentiam, per eandem causat & efficit: & ista ordinatio peccato repugnat. Alia est ordinatio qua Deus id quod à Deo permissum est, & ab homine factum, postquam factum prævidetur, ordinatur in pœnam, sicut in finem debitum sibi; & quod sic ordinatur non causatur à Deo, & tale est solum peccatum. Illud verò advertendum, quod testimonium inductum ex 1 *conf ff. citato cap.* 16. in codicibus ementioribus sic habet. *Domine Deus ordinator, & Creator omnium rerum; peccatorum autem tantum non ordinator.* Vbi nulla est difficultas.

354. Advertendum tamen nullo modo esse absolutè concedendum, quòd mala culpæ seu peccata, sub divina cadant providentia, vel quod ab ipsa ordinentur, nec quod Deus illorum habeat providentiam, & multò minùs quod ita Deus habeat positivam providentiam malorum culpæ, sicut bonorum; quod contra aliquos ex recentioribus procedit, qui similes admittunt propositiones, ut Franciscus Suarez *lib.* 2. *opusc. cap.* 6. *num.* 4. *& cap.* 7. *num.* 20. §. *Secundò possumus & cap.* 8. *num.* 10. §. *nihilominus.* Cujus & ratio est quia omne id de quo Deus habet providentiam, est ab ipso in finem per talem providentiam ordinatum, ut providentiæ definitio habet expressè; omne autem tale à Deo causatur, quia ad omne id se extendit divina causalitas, ad quod divina providentia. Vnde sequeretur quod peccatum esset in finem ordinatum à Deo, & verè à Deo causatum; quod ex fide admitti non potest, ut ex supradictis Conciliorum determinationibus constat, & ex tota ipsa scriptura. Et ratio iterum est, quia Providentia absolutè sumpta seu prolata, denotat Providentiam approbationis quæ nullo modo de peccatis est, licet cum addito concedi debeat, quod de peccatis est providentia concessionis, sic enim ait Sanctissimus Præceptor *quæst.* 5. *de verit. art.* 4. *ad* 1. *Ad primum ergo dicendum quod ratio illa procedit de Providentia approbationis, sic enim nihil provideturà Deo, nisi quod ab eo aliquo modo fit: Vnde malum quod non est à Deo non cadit sub Providentia approbationis, sed concessionis tantum.* Et adjuvat quod habetur *in opusc.* 10. *quæst.* 73. Inter opuscula Sancti Thomæ *Quod quædam dicuntur subjacere divinæ providentiæ ut facta; quædam ut fienda: mala ut jam facta, bona ut fienda:* Quod licet sic absolutè & sine explicatione dictum, ut ibi notatur obscurè dictum sit, *hunc tamen habet sensum legitimum, quia per divinam Providentiam ordinatur ut bona fiant, non autem ut mala fiant: sed jam facta ordinantur in aliquod bonum secundum æternam Dei providentiam.* hæc ibi. Cui si addamus quod antequam peccatum ab homine fiat, permissio illius sub divina cadit providentia; quæ permissio cum bona sit, in finem à Deo ordinatur; cessabit quælibet objicientis oppositio.

355. Nec sufficit quod peccatum possit esse materia circa quam divina providentia aliquos actus exercet, ut dicatur hac ratione peccatum absolutè sub divina cadere providentia, vel ab ipsa ordinari; quia licet illud primum verum sit, quòd videlicet peccatum possit esse materia circa quam Deus aliquos actus suæ divinæ providentiæ exercet, vel puniendo, vel aliquod aliud bonum circa peccatum & ex peccato deducendo: illud tamen secundum falsissimum est & valdè diversum, quòd videlicet habeat Deus de peccatis absolutam providentiam, & quod peccata absolutè sub divina providentia cadant.

356. Potest etiam dici peccatum occasio ex qua Deus bonum educat, & eo utatur sicut occasione, non autem sicut medio providentiæ suæ ut dictum est.

357. De peccatore autem ipso dicendum quod non omnino extrahitur à divina providentia, aliàs in nihilum decideret, nisi per divinam providentiam conservaretur, ut apertè docet S. Thomas 1. *part. quæst.* 22. *art.* 2. *solut. ad quartum.*

358. Dicendum præterea quod sicut ipsi peccatores providentes sunt, ita & de illis Deus providentiam habet. Si enim ipsi ex Dei adjutorio rectum ordinem servaverint in providendo, iustitiam sectando, & à peccatis abstinendo; circa illos etiam divina providentia ordinem humanæ naturæ congruum servat, ut scilicet nihil eis eveniat, quod in illorum bonum non cedat, iuxta illud *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Si autem ipsi providentiæ ordinem non servaverint rectum, sed more brutorum animalium sibi provideant: ita & divina providentia de illis ordinavit, ut secundum modum brutorum animalium, quæ illis accidunt, non in ipsorum proprium bonum ordinentur, sed in bonum aliorum.

CAPUT XXVI.

Quòd Deus non prædefiniat peccati materiale ut sic, si propriè loquendum sit.

359. VT igitur clariùs & sine æquivocatione procedamus, quædam oportet prenotare. Primùm est, de actionibus peccatorum posse nos loqui tripliciter. Primo modo de actionibus peccatorum à quibus inseparabilis est malitia, quæ actiones reperiuntur in peccatis quæ sunt intrinsecè mala, ut fornicari, furari, blasphemare, &c. cùm similibus. Aliæ sunt actiones peccatorum non intrinsecè malorum, à quibus proinde actionibus separabilis est malitia ex objecti natura; licet hîc & nunc ut ab homine fiunt attentis omnibus, nequeant fieri sine malitia: & istæ actiones reperiuntur in peccatis quæ sunt mala tantum, quia prohibita. Quamvis enim, v.g. comedere carnes, ex objecto intrinsecè malum non sit, nec inseparabilem involvat malitiam; supposito tamen præcepto quod hac die carnes non comedantur, videlicet in quadragesima, si homo absque sufficienti causa quæ eum excuset, carnes comedat, peccat, & actio illa hîc & nunc, & omnibus attentis circunstantiis nequit ab homine fieri sine peccato.

In

Digitized by Google

In ſecundo ordine ſunt actiones ex objecto & ſecundum ſe indifferentes, quæ etiam hîc & nunc prout fiunt ab homine poſſunt ſine peccato fieri ; licet de facto homo operans aliquam malam apponat circunſtantiam qua actus ille vitiatur : ſicut diſputare, ſecundum ſe indifferens eſt, & bene poteſt ab homine fieri ; quamvis ſi aliquis propter inanem gloriam diſputet, ex mala circunſtantia actum illum reddet diformem. Et de actionibus tertij generis, nulla in hac parte eſt difficultas ; quia optimè poſſet Deus prædefinire diſputationem illam, licet non illam malam circunſtantiam extrinſecam tali actioni, quæ aliunde provenit ex mala hominis voluntate. Difficultas ergo eſt de aliis duabus actionibus peccatorum, & primò ac principaliter de primo genere, in quo intrinſeca eſt ex objecto ipſo malitia actioni tali.

360. Præſupponendum ſecundò in omni peccato, etiam in illo quod intrinſecè malum eſt, duo poſſe & debere diſtingui, & motum ipſum ſive actionem ſeu entitatem, & de formitatem annexam licet ſecundum rem iſta duo inſeparabilia exiſtant.

361. Tertiò præſupponendum quod ſi formalis & proprius ſit ſermo, aliud importat materiale peccati, & aliud ſubſtantia actus quæ in peccato eſt, ſive actio illius : nam actio & entitas ut eſt materiale peccati in ſua ratione & conceptu connotat ordinem ad formale, & ad malitiam ipſam. At vero ordinem ipſum non importat in ſua conceptu actio ſive entitas quæ in peccato eſt, præcisè conſiderata quatenus entitas & actio eſt, nec quatenus talis entitas & talis actio eſt. Vnde conſultò in hac materia de actione quæ eſt in peccato quatenus actio eſt, loquimur, non autem de materiali peccato, ut dicemus ſtatim.

362. Illud etiam præſupponatur, tripliciter intelligi poſſe, quod Deus ad aliquam actionem abſolutè velit hominis voluntatem movere. Primo modo moraliter tantum, ſive ex parte ſolius objecti, proponendo videlicet, vel excitando ſolùm. Secundo modo volendo movere voluntatem activè propriè, ſive phyſicè ad actum talem. Tertiò modo utrumque ſimul prædefiniendo, videlicet, & velle abſolutè ex parte objecti proponere & excitare ; & etiam ex parte potentiæ activè, propriè, ſive phyſicè velle hominis voluntatem movere ad actum liberum eliciendum.

363. De ipſa ergo actione quæ eſt in peccato quolibet, dicendum eſt primò non videri concedendum Deum prædefinire, aut efficaci voluntate velle ut materiale peccati ab homine fiat, nec in tempore voluntatem hominis ad materiale peccati ut ſic prædeterminare. Hoc videtur aſſerendum contra plures, qui minus attendentes ad diverſum modum ſignificandi, idem concedunt de materiali peccati, & de actione quæ in peccato eſt, quod videlicei ſicut illa quatenus entitas eſt, eſt verè à Deo prædefinita, & abſolute volita, ut dicemus ; ita materiale peccati à Deo ſit præfinitum & volitum ; cùm tamen diverſus iſte modus ſignificandi in hac materia, ſicut in pluribus aliis theologicis, attendi debeat, pro admittenda una, & neganda alia propoſitione. Quòd ſic aperitur. Nam materiale peccati in ſua ratione & conceptu, ſaltem in aliquo ordinem importat ad formale peccati : ergo ſi Deus prædefiniret materiale peccati, & abſolutè vellet quòd ab homine fieret, prædefiniret etiam quòd fieret cum illo ordine quem dicit ad formale peccati, & vellet quod ut ſubſtat ſub formali ab homine exerceretur : & ſic jam divina voluntas prædefiniret ſaltem in aliquo culpam, vel ſaltem actionem cum ordine ad illam, quod tamen nullo modo concedi poteſt. Igitur propter prædictam connotationem importatam in voce & conceptu materialis peccati ; non debet dici quod Deus prædefiniat materiale peccati.

364. Præterea nunquam invenitur in Sancto Thoma quod Deus vult materiale peccati, aut quod illius eſt cauſa ; licet ſæpè inveniatur in Doctore Sancto quod Deus eſt cauſa ſubſtantiæ actus peccati, ut ſubſtantia eſt, & quod eſt cauſa entitatis peccati, ut entitas eſt, & quod eſt cauſa actionis quæ eſt in peccato, quatenus actio eſt, ut inferius conſtabit apertè. Crediderim enim has propoſitiones admiſiſſe Sanctum Thomam, illaſque omnino admittendas eſſe docuiſſe, quia nullum ex vi ſignificationis connotant ordinem ad peccati deformitatem ; nec aliquo modo eam indirectè ſeu in obliquo involvunt : non autem conceſſiſſe Deum velle aut eſſe cauſam materialis peccati, propter prædictam connotationem importatam. Vnde abſolutè concedi non videtur Deum velle aut cauſare materiale peccati, ſed cùm limitatione appoſita, dicendo Deum velle aut cauſare materiale peccati, ut actio ſive ut entitas eſt, quod eſt dicere Deum cauſare materiale peccati purè materialiter tantùm, non ſumptum ut materiale peccati formaliter cum illa prædicta connotatione : & hoc modo plurimi diſcipuli Sancti Thomæ concedunt Deum prædefinire & cauſare materiale peccati. Ita nos aliquando publicè defendimus in capitulo generali Neapolitano ; ſed tamen modò ad ptæſcindendas æquivocationes, meliùs putamus negandam eſſe talem propoſitionem, ut diximus. Igitur non concedatur quod Deus prædefiniat ad materiale peccati.

365. Et hac fortè ratione poterunt explicari doctiſſimi quidam Sancti Thomæ diſcipuli, qui admittentes Deum prædefinire & prædeterminare omnem actionem humanam bonam ; id tamen negant de materiali peccati : fortè enim id negant de materiali peccati propter adjunctam connotationem, non autem idem negarent de actione quæ eſt in peccato quatenus entitas & actio eſt. Quod diximus de materiali peccati quod non eſt à Deo volitum vel præfinitum, dicendum eſt de actione peccati, quatenus fundamentum eſt deformitatis, vel quoquomodo ordinem dicit ad illam, quòd videlicet ut ſic à Deo nec volita, nec præfinita ſit.

366. Et iuxta hunc modum intelligendus eſt doctiſſimus ille S. Thomæ diſcipulus, qui eundem S. Thomam vocare ſolet Sanctiſſimum Præceptorem 1. *tom. variarum ſuarum diſputationum in* 1. *queſt.* In qua agit utrum Deus habeat præſcientiam futurorum contingentium, cum ait nullum theologum affirmare debere decretum & prædefinitionem Dei nec circa formale, nec circa materiale peccati, ut illa certò eveniant, vel certo à Deo cognoſcantur. Intendit namque non dari decretum Dei prædefiniens materiale peccati, propter connotationem quam involvit materiale peccati ad formale ipſius, ut dictum eſt. Quòd enim hoc tantùm intendat, nec neget decretum prædefiniens ſubſtantiam actus quæ eſt in peccato (in qua propoſitione nulla connatio ad formale peccati eſt) conſtat ex verbis immediatè ſubjunctis, quibus admittit in Deo voluntatem concurrendi ad ſubſtantiam actus. Hæc autem voluntas concurrendi ad ſubſtantiam actus, decretum eſt quo Deus prædefinit ſic concurrere ad actus ſubſtantiam, ut eſt manifeſtum. Rurſus hæc voluntas ſeu decretum, non eſt decretum volendi concurrere ſolùm concomitanter, vel ſubſequenter ad illam actus ſubſtantiam, poſtquam videlicet homo ex ſe ſolo illam inceperit ; quia nec homo illam incipere poteſt ſine Deo : ergo eſt voluntas ſeu decretum movendi voluntatem ad actus ſubſtantiam tuam, quod eſt decretum prædefiniens,

Digitized by Google

tantum actus substantiam, & nullo modo malitiam, sed illam tantum permittens. Prædefinit enim Deus in illo actu quidquid boni & entitatis rationem habet; & permittit id quod est malum, & quod defectus & privatio entis & boni est.

CAPUT XXVII.

Quod non prædefiniat Deus movere moraliter hominis voluntatem ad actionem peccati, etiam quatenus actio est.

367. DICENDVM præterea videtur quòd Deus non prædefinit movere hominis voluntatem, excitando videlicet & exhortando, præcipiendo, sive alio quolibet modo motionis moralis ad actionem quæ est in peccato etiam quatenus actio est. Procedit conclusio de actione peccati quam homo hic & nunc exercere non valet sine peccato, sive peccatum id sit intrinsecè malum (de quo potissime conclusio procedit) sive de quolibet alio peccato. Triplex potissimum ratio hanc videtur veritatem firmare. Prima quia ut Deus prædefiniat movere hominis voluntatem ad aliquam actionem motione morali, oportet quod actio illa in illo eodē genere moris bona sit: cum ergo actio peccati in genere moris non sit bona, sed mala, & aliquando intrinsecè mala, non prædefinit Deus ad illam movere in genere moris, vel ut agens morale, excitando, suadendo, invitando, alliciendo, sive præcipiendo. Altera ratio est, quia in his actionibus quæ habent adjunctam malitiā, oportet cautè loqui, & solùm tribuere Deo & ejus voluntati & causalitati id quod rationem boni & entis habet, ne derogemus primæ divinæ causalitati, quæ secundum fidem habet causare quidquid entitatis & actionis est in rebus. Cum ergo hoc optimè salvetur per prædefinitionem qua vult causare ut author naturæ illam actionem quatenus actio naturalis est & bona, & quatenus entitas est, nulla alia morali causalitate admissa: illa talis moralis motio sive voluntas qua velit hominem moraliter movere, videtur neganda, nec divinæ voluntati tribuenda; quia illa necessaria nullo modo est ad salvandam primam causalitatem divinam.

368. Tertiò quia si Deus moveret vel movere prædefiniret hominis voluntatem morali motione excitando videlicet, invitando, alliciendo, exhortando, sive præcipiendo actionem quæ est in peccato, videretur eadem motione morali excitare, sive invitare ad peccatum; hoc autem contra fidem procedit: ergo illud primum admittendum non est. Maior probatur. Quia qui excitat hominem, vel ipsum invitat, vel ei præcipit actum aliquem, ipsum excitat & movet ut faciat actum secundum illam rationem qua ab ipso procedit: cùm autem actio illa secundum quod procedit ab homine verè peccatum sit, qui moraliter illum invitaret ad faciendum talem actum, videretur illum excitare, ut faceret illum cum illa malitia. Antecedens iterum manifestatur. Nam v.g. qui præcipit, vel hortatur, in genere moris concurrit. Rursus eum exhortatur vel præcipit, præcipit quòd faciat actum secundùm quod ab illo exerceri potest, & si scit quod actus ille nequit fieri ab homine nisi cum intrinseca malitia; qui exhortaretur, aut præciperet, ut homo faceret talem actum peccatum præciperet, vel ad peccandū exhortaretur. Nec valet dicere quod illam exhortatur vel illi præcipit, ut faciat actionem illum, quatenus solum actio & entitas est; quia homo ille nequit facere illam actionem hac præcisè ratione, ut entitas & actio est. Vnde vel illi præciperet impossibile, vel illi præciperet quod actum exerceret sub illa ratione sub qua à se exerceri potest, & sine qua actum illum facere nequit. Et propter hanc eandem rationem crediderim quod S.P. Augustinus explicans illud 1. *Reg.* 16. quod David dixit pueris suis volentibus occidere Semei. *Dimittite eum, Dominus enim præcepit illi ut malediceret David*, sic explicat S.P. Augustinus. *Quomodo dixerit Dominus huic homini maledicere David, quis sapiens, & intelliget? Non enim iubendo dixit, ubi obedientia laudaretur.* Quibus verbis negat Deum præcepisse, quia aliàs Semei non peccaret, sed laudaretur in tali opere. In quo loco plurima adducit ex divinis literis testimonia testificantia Deum operari in cordibus hominum etiam malas voluntates: nullo autem modo admittit quòd Deus præcipiat homini actionem malam; imò hoc expresè negat ratione facta; quia videlicet præcipiens causa moralis est respectu moralis actionis malæ, quod Deo repugnat. Quomodo autem intelligatur quod Deus operetur in cordibus hominum etiam malas voluntates, etiam dicemus inferius. Eodem modo intelligit Sanctus Prosper *in responsione* 10. *ad objectiones Vincentianas*, cum ait. *Non ergo casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, nec cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitavit aut suasit aut impulit.* Vbi de peccato ut sic loquitur, & non de actu & actione quæ in peccato est: & propterea non solum negavit excitationem, & moralem suasionem, sed etiam physicam impulsionem quæ non est nec esse potest ad ipsum peccatum, quamvis bene sit ad actionem quæ est in peccato, quatenus præcisè actio est.

369. Similiter Sanctus Bonaventura hanc moralem excitationem negat respectu actionis peccati. Vnde attentiùs legatur Cajetanus cum dicit, quòd sicut malum non est, Deum cooperari actionibus peccatorum, quantùm ad bonitatem naturæ; ita malum non est illas præcipere. Si enim intelligat Caietanus de actione per se indifferenti ex parte objecti, & quæ benè potest exerceri ab homine, optimè dicit quod actionem talem potest Deus præcipere, ut probabimus statim. Si autem loquatur de actione cui intrinseca est malitia, non videtur dicendum quòd sicut Deus ut naturæ author illam potest causare quatenus bonitas naturalis est, ita in genere moris illam possit præcipere, rationibus superiùs inductis. Unde ipsemet Caietanus super illud Ioan. 13. *Quod facis fac citiùs*, ait, Dominum tantum præcipere accelerationem, ut videlicet supposito quod Iudas jam vellet Christum vendere, id faceret quàmcitiùs. Non dixit Cajetanus quod ei præcipit Christus substantiam actionis, quatenus substantia est, sed tantùm accelarationem. Verùm non caret difficultate, quomodo accelaritio faciendi peccatum à Deo possit iuberi atque præcipi; quia etiam talis acceleratio mala videtur. Vnde tripliciter possunt illa verba Domini intelligi secundum quod Sanctus Thomas exponit ad illum locum Ioannis. Primò intelligitur, ut sit vox Domini permittentis Iudæ peccatum; quia Diabolus miserat in cor Iudæ ut traderet eum; sed implere non poterat nisi ipse Dominus permitteret: quam permissionem illis verbis explicavit; *Quod facis fac citiùs.* Secunda expositio est, ut sint verba crimen proditionis exprobantis, ut ostenderet quòd dum Dominus conferret beneficia, ille intentaret mortem. Tertia expositio est, ut intelligantur verba illa Domini ad nostram salutem & redemptionem anhelantis, ut S. August. exponit. Vnde per verba illa non præcepit Dominus, sed prædixit qualiter ipse ad salutem fidelium festinabat.

370. Sed objiciet forsan aliquis. Quod Deus non potest præcipere, non potest efficere; sed non potest

præci

Digitized by Google

præcipere actionem quæ est in peccato : ergo illam non potest efficere. Ad quod tamen dicendum quòd in eodem genere causæ optima est consequutio, non tamen si fiat transitus in argumento de uno genere causæ ad aliud diversum : in genere quidem eodem causæ moralis verum est, quòd id quod Deus non potest præcipere, nec potest moraliter causare ; quia præceptum ad genus moris pertinet, in genere autem moris actio peccati mala est. Unde nec à Deo præcipi potest, nec in aliquo genere causæ moralis causari. Cæterum potest Deus ut author naturæ efficere entitatem quæ in esse entis & naturæ bona est, quam tamen in genere moris, (quia ut sic mala est,) non potest præcipere.

371. Dicendum præterea videtur secundò quod si sermo fiat de actu bono ex objecto (quem homo potest sine culpa facere) vitiato tamen ex mala circunstantia operantis, poterit Deus prædefinire moraliter, ad illum movere præcipiendo vel exhortando &c. Et sic intelligendum videtur illud 4. *Reg.* 10. ubi Dominus præcepit Jehu ut deleret domum Acab; quia actu licito poterat ab illo fieri, licet ipse (ut Sanctus Hieronymus dicit in Prologo super Oseam) propter regnandi cupiditatem domum Acab destruxerit. Similiter *Numero* 22. præcipit Dominus Balaan, *si vocare te venerint homines isti, surge, & vade cum eis.* De quo præcepto Sanctus Hieronymus in quæstionibus Hebraïcis super Genesim dicit quod Balaan ex avaritia implevit præceptum Domini de itinere illo capescendo ; & propterea cum antea esset Propheta, in divinatorem postea evasisse. Præcepit ergo Dominus opus quod fieri poterat licitè sed malè effectum est ex malo fine operantis : & propterea punitus fuit Balaan. Similia multa poterant ex Scriptura testimonia induci quibus Deus actum bonum præcipiebat quem homines ex mala circunstantia malum reddebant.

372. Ratione etiam id ipsum potest confirmari. Per actum bonum, malum autem ex circunstantia, potest quis satisfacere divino præcepto, ut si quis v. g. det eleemosinam pauperi ex inani gloria, tempore quo instat præceptum de eleemosina facienda ; tunc certum est quòd per illum actum malum ex circunstantia, adimplet homo ille præceptum. Poterit ergo Deus ut causa moralis excitare ad implendum illud præceptum, licet sciat hominem ex sua mala voluntate appositurum malam circunstantiam, ad quam Deus nullo modo excitat. Et ad hoc debet reduci quod ait Sanctus Thomas 2. 2. *q.1.art.3. ad 3.* Quod nato jam Christo ad fidem antiquorum Patrum pertinebat, quod crederent eum quandoque nasci : sed illa determinatio temporis futuri in qua decipiebantur, non erat ex fide, sed ex conjectura humana. Ecce fideles illius populi qui eadem nocte qua Christus natus est, ipso jam nato credebant Christum nasciturum ; ex fide credebant unum & ad illud à Deo per fidem supernaturalem movebantur, & excitabantur, ut videlicet crederent Christum aliquando nasci: at verò nec Deus nec fides movebat ad illam futuri temporis determinationem ; sed ad id ab humana ignorantia & conjectura movebantur in eodem fidei actu.

373. Sed tunc meritò dubitabis si Deus non excitat moraliter ad actionem quæ est in peccato quatenus actio est, sed solùm physicè movet ad illam: jam præsupposita excitatione seu suggestione dæmonis de peccato, Deus quasi complet eam, hominem movendo effectivè ad actionem quæ est in peccato. Ad hoc, quod quibusdam ingerit difficultatem, dici potest id nullo modo sequi, quia talem suggestionem Deus permittit, & actionem seu entitatem quæ est in peccato causat, ut optimum finem tam per permissionem, quàm per illam causalitatem obtineat ; nec Deus complet quod à dæmone inceptum est ; quia nullo modo peccatum causat, ad quod tamen dæmon incitat.

374. Secundò respondetur & meliùs quòd quamvis Deus non excitet moraliter ad actionem quæ est in peccato, quatenus actio & entitas est; tamen cum peccatum vult permittere ob alios altiores fines suæ divinæ providentiæ, excitat quidem moraliter & simul verè efficit id quod bonum est, permittens quod in aliis sequentibus actionibus homo deficiat, v. g. cum Deus voluit permittere peccatum Pharaonis, ut ostenderet in eo potentiam suam, excitavit eum nedum effectivè sed moraliter suadendo & instigando ad curam regni sui, quæ incitatio & inspiratio bona est, & ad illam Deus omninò concurrebat ; & media hac excitatione efficaci illius voluntatem applicabat ut provideret de mediis circa tutelam Regni sui, totum hoc bonum erat, & ad id à Deo excitabatur & movebatur. Sub hac autem bona excitatione & inspiratione, ipse se determinavit ad crudele illud medium de occisione filiorum Israël, in quo consilio Deus ipsum non direxit, sed permisit errare : & sic sequuta fuit prava electio in voluntate illius ; & causavit Deus entitatem & actionem quæ in illo peccato erat, quatenùs entitas & actio est. Itaque non direxit consilium illius nec determinavit ad determinatum bonum medium. Ecce quomodo moraliter, & physicè excitatus & motus à Deo ad sui Regni curam, ipse sub illo bono fine processit ad pravum medium, id Deo permittente, ut ostenderet in eo potentiam suam, potenter filios Israël liberando.

375. Et hoc est quod Sanctus Thomas docet, generalem tradens doctrinam circa peccata omnia quæ ab hominibus fiunt: & explicans ad quid Deus voluntatem illorum moveat dicit 1.2. *q.9.art.6.ad 3.* Quod cum homo peccat, Deus primò movet illius voluntatem ut universaliis motor ad universale bonum quod est voluntatis objectum, quæ volitio bona est & homini naturalis, ad quam proinde Deus movet & ex parte intellectus proponendo & ex parte voluntatis verè eam ad illam movendo : nam sine hac volitione nihil homo velle potest ; & media hac excitatione atque motione applicat Deus hominem, ut de mediis inquirat per quæ illud bonum in communi consequatur. At sub hac bona inspiratione positus homo, cum ipse peccat & in se ponit illam beatitudinem in qua non est, Deus non dirigit ejus consilium, nec intellectum illius determinat ad bonum medium in particulari & determinatè proponendum voluntati, sed relinquit hominem in manu consilij sui, permittens quod deficiat, qui sic relictus ob ignorantiam & alias pravas affectiones voluntatis errat in consilio, & apparens bonum voluntati proponit, quod ipsa eligens peccat. Ecce quomodo sub bona finis volitione seu intentione, & sub bona Dei excitatione & inspiratione tum morali, tum physica, seu effectiva, contingit errare hominem & peccare absque aliqua excitatione morali, quæ requiratur ad entitatem quæ est in peccato, quatenùs entitas est, sola posita peccati permissione, & causalitate actionis quæ est in peccato quatenus actio & entitas est. An verò Deus determinatè moveat ad actionem quæ est in peccato, quatenus actio & motio est infra erit examinandum.

Digitized by Google

CAPUT XXVIII.

Quod actio quæ in peccato, ut actio & entitas est, sit verè à Deo prædiffinita secundum Sanctum Augustinum.

376. CUM nec ad formale peccati, nec ad materiale illius ut sic, nec ad substantiam ejus ut habet annexam malitiam detur divina prædefinitio, nec ejus moralis excitatio sic ad entitatem actionis quæ est in peccato etiam ut entitas est: supereſt ultimò probandum divinam voluntatem prædefinire substantiam & entitatem quæ est in peccato, ut præcisè entitas & actio est; & sermo est de omni peccato, etiam de illo quod est intrinsecè malum.

377. Hæc veritas omnibus defendentibus primam divinam causalitatem debet esse pervia; solùm ènim illam negant, qui divinam causalitatem inficantur, occasione quorumdam sophismatum quibus implicantur: contendentes suadere quod si Deus prædiffiniat entitatem quæ est in peccato ut entitas est, inde consequatur quòd etiam peccatum prædiffiniat, quod tamen nullo modo sequitur, ut jam ex parte diximus, & nunc copiosiùs dicemus.

378. Ut igitur à S. Patre Augustino incipiamus. Hanc veritatem docet Sanctus Doctor in primis *in 3. de Trinitate cap.* 4. cum ait. *Quod voluntas Dei est prima & summa causa omnium corporalium specierum atque motionum.* Ex quo loco S. Thomas 1. 2. *quæst.* 79. *art.* 2. *in argumento sed contra* ex S. Augustino probat quod voluntas Dei est causa actus qui est in peccato. Itaque ex eo quod sanctus Augustinus dicit divinam voluntatem, esse primam ac summam causam omnium motionum, infert optimè Sanctus Thomas quòd divina voluntas est causa prima & summa motionis & actionis quæ est in peccato, quatenus præcisè entitas & motio est.

379. Magis autem in particulari hanc docet veritatem Sanctus Augustinus *libro 2. de libero arbitrio in fine.* Ubi omnem actionem, entitatem, & realitatem quæ est in peccato Deo attribuit; ipsum autem motum peccati quatenus defectivum, & à Deo aversivum, Deo negat. Proponens enim quæstionem à quo sit motus peccati duo respondet. Primum est quod omnis natura, & omne bonum est à Deo. Quasi clariùs dicat in motu peccati quidquid est naturæ & actionis, est à Deo; quidquid autem est defectus, quia defectus nihil est, non est à Deo. Nota itaque causalem Sancti Augustini, quia defectus nihil est, non est à Deo: igitur quia motio & actio quæ est in peccato aliquid est, à Deo debet esse. Circa quem locum oportet advertere quod diversi codicis diversa verba habent. In antiquioribus enim sic dicitur. *Omnem quippe rem ubi mensuram & numerum & ordinem videris Deo artifici tribuere, ne cunctaris. Unde autem ista penitùs detraxeris, nihil omnino remanebit: quia & si remanserit aliqua forma alicujus inchoatio, ubi nec mensuram, nec numerum, nec ordinem invenias; quia ubicunque ista sunt, forma perfecta est, oportet auferas etiam ipsam inchoationem formæ, quæ tanquam materies ad perficiendum subjacere videtur artifici. Si enim formæ perfectio bonum est, non nullum jam bonum est & formæ inchoatio. Ita detracto penitus omni bono, non quidem non nihil, sed omninò nihil remanet. Omne autem bonum ex Deo est: nulla ergo natura est quæ non sit ex Deo. Motus ergo ille aversionis quod fatemur esse peccatum, quoniam defectivus motus est: omnis autem defectus ex nihilo est: vide quo pertineat, & ad Deum pertinere non dubites.* Sic habent exemplaria aliqua ex antiquioribus. Alia autem sic concludunt. *Motus ergo ille aversionis quod fatemur esse peccatum quoniam defectivus est, omnis autem defectus ex nihilo est; vide quo pertineat & ad Deum non pertinere ne dubites.* Ecce diversa exemplaria contradictoriè concludunt, dum alia dicunt illum aversionis motum ad Deum pertinere, alia verò ad Deum non pertinere. Ratio autem hujus contradictoriæ illationis illa fuit, quòd ex præmissis sancti Augustini verbis utraque illa illatio potest inferri in diverso sensu; & utraque revera intenta fuit à Doctore Sancto. Loquendo enim de illo moto quatenùs defectus est, ex litera illa optimè concluditur quòd à Deo non sit, ut quædam exemplaria habent. Loquendo verò de motu illo quatenùs motio seu actio est, ex litera illa concluditur quòd ex Deo sit; ut habent exemplaria alia. Præmiserat enim sanctus Augustinus præmissas ex quibus utraque illa contradictoria conclusio optimè infertur in illo diverso sensu in distinctione proposito: qua distinctione suppositâ omnis apparens contradictio tollitur, & veritas utriusque literæ constat. Sicut ergo ex ista litera constat actionem peccati quatenùs defectuosa est à Deo non esse; ita ex eadem litera secundum exemplaria alia apertè monstratur, quòd actio quæ est in peccato quatenus entitas & actio est, est à Deo. Unde cum sanctus Pater Augustinus lib. de perfectione justitiæ non longè à principio dicit, quod actus peccati non est res aliqua, sumit ibi rem pro re simpliciter, scilicet pro substantia, sic enim actus peccati non est res. Quod explicat sanctus Thomas 1. 2. *quæst.* 79. *art.* 2. *ad* 1. Sed ut vera & physica actio, & à Deo est; nullo autem modo ut defectuosa est.

380. Præterea S. Augustinus *lib. de gratia, & lib. arb. cap.* 20. *& sequentibus* clariùs id affirmat & probat, *in cap. enim* 20. sic dicit, *Satis me disputasse arbitror adversus eos qui gratiam Dei vehementer oppugnant, qua voluntas humana non tollitur sed ex mala mutatur in bonam; & cum bona fuerit adjuvatur; & sic disputasse ut non magis ego quam divina ipsa Scriptura vobiscum loquuta sit evidentissimis testimoniis veritatis; quæ Scriptura divina si diligenter inspiciatur ostendit non solum bonas hominum voluntates quas ipse facit ex malis, & à se factas bonas in usus bonos & in æternam dirigit vitam: verùm etiam illas quæ conservant seculi creaturã, ita esse in Dei potestate ut eas quo voluerit & quãdo voluerit faciat inclinari vel ad beneficia quibusdã præstanda, vel ad pœnas quibusdã ingerendas sicut ipse judicat, occultissimo quidem judicio sed sine dubitatione justissimo.* Item *non poterunt subsistere Filij Israël. Quare non subsistebant per liberum arbitrium, sed per timorem turbata voluntate fugiebant nisi quia Deus dominatur & voluntatibus hominum, & quos vult in formidinem convertit iratus.* Deinde exponens ibi quod scriptum est quod Dominus mandavit Semei ut malediceret David ait. *Non enim jubendo dixit ubi obedientia laudaretur, sed quod ejus voluntatem proprio vitio suo malam in hoc peccatum judicio suo justo & occulto inclinavit.* Ideſt inclinavit in entitatem illius peccati, ubi plane de effectiva inclinatione, & verè efficienti sermo est. Siquidem illam distinguit contra moralem præceptivam vel quamlibet aliam moralem excitationem: ubi pariter docet, quod jussio Dei vel moralis ejus suasio seu excitatio talis est ut qui eam sequitur laudetur: at motio seu inclinatio in entitatem peccati talis est quod qui eam sequitur ex sua malitia peccet, nec laudari possit in tali operatione & *eodem lib. cap.* 21. subdit quod Deus operatur in cordibus hominum inclinando voluntates eorum in quodcunque voluerit sive in bonum sive in malum, quæ verba adducuntur à glo-

sa ad

Digitized by Google

sa ad Rom. 10. Ex quibus quatuor Sancti Augustini Testimoniis, duo priora cum procedant de malo pœnæ quod bonum est & à Deo effectivè producitur secundum illud Amos 3. *Si erit malum in Civitate quod Dominus non fecit* de hoc dubium nullum esse potest. Duo verè posteriora quia de malo culpæ loquuntur: in duplici intelligentia veniunt explicanda, vel ut dictum est modo de effectiva inclinatione in entitatem peccati, quatenus præcisè entitas & actio est; vel de inclinatione indirecta in malum in quantum non prohibet, quod etiam contingit ex meritis præcedentis peccati, ut exponit Sanctus Thomas 1. 2. q. 79. art. 1. ad 1.

381. Similiter ibi dicit quod Dominus egit in corde Absalon ut dimitteret bonum consilium, quod planè intelligit de effectiva motione & inclinatione cordis verè activa & *in fine cap.* 21. sic concludit. *His & talibus testimoniis divinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis quantum existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem justo.* Et statim post pauca tale proponit Argumentum. *Si autem potens est sive per Angelos vel bonos vel malos, sive quocunque alio modo operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit; sed aut originaliter tracta est ab ipso Adam, aut crevit per propriam voluntatem: quid mirum est si per Spiritum Sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona qui operatus est ut ipsa corda essent ex malis bona.* Quibus verbis tria apertè dicit. Primum est Deum operari in cotdibus hominum ad inclinandas eorum voluntates in malum pro meritis eorum. Secundò dicit quod Deus sic operans in cordibus hominum eorum inclinando voluntates non facit ipsam malitiam. Tertiò dicit quod operatur inclinando voluntates in illud malum in quantum videlicet est pœna quæ quibusdam infertur. Ubi Sanctus Augustinus intendit quod Deus inclinat hujusmodi voluntates in actiones aliquas quæ revera sunt peccata, non quatenus peccata, sed quatenus pœnæ sunt: præterea ibi dicit. *Agit enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino injustè aliquid velle non novit* & subdit. *Ecce Deus Idololatriæ peccatum volens vindicare, hoc operatus est in ejus corde* scilicet Amasiæ *Cui utique justè irascebatur, ut admonitionem salubrem non audiret, sed eâ contemptâ iret in bellum, ubi cum exercitu suo caderet.* Plura alia similia legi possunt in supradicto *lib. cap.* 20. & 21. & *sequentibus.* Et efficaciùs *libro de Corr. & gra. cap.* 7. Dicit quod Christus Dominus elegit Judam ad effundendum sanguinem suum, quod nequit aliter intelligi nisi de electione ad sanguinem effundendum quoad substantiam actus, non eligendo malitiam illam, sed illam tantùm permittendo, nec aliud Sanctus Augustinus intendit, & intelligitur quod elegit Christus Judam præsciens ipsum effusurum sanguinem suum, & *lib. de prædest. Sancto cap.* 16. Explicans illud act. 4. *Convenerunt Herodes & Pilatus facere quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri*, sic dicit *Tanta quippe ab inimicis Judæis, manus Dei & consilium prædestinavit fieri, quanta necessaria fuerunt Evangelio propter vos.* Quæ prædestinata, prædeterminata, & prædefinita dicit, & quæ facta sunt contra Christum à Judæis intelligi debent de actionibus illorum maximorum peccatorum, in quantum actiones erant ordinatæ in nostram salutem, sub hac enim ratione verè fuere à Deo prædefinita & volita: vel intelligitur quòd actus Judæorum quatenus præcisè actiones erant in genere entis, fuerunt adeo prædefiniti: malitia autem illa maxima illis actionibus conjuncta, permissa tantùm.

CAPUT XXIX.

Variæ intelligentiæ, quæ his D. Augustini testimoniis à Recentioribus adhiberi solent, adducuntur, & refelluntur.

382. MULTIPLICITER à multis prædicta Sancti Augustini loca intelliguntur & explicantur. Primò explicant ij Authores cum quibus disputamus illa loca *ex c.* 20. *& seq. de grat. & libero arbitrio* quòd cùm Sanctus Augustinus dicit Deum operari in cordibus hominum inclinando voluntates eorum sive ad bonum pro sua misericordia, sive ad malum pro sua justitia, intelligit quod Deus per Angelos bonos inclinat homines in bonum, & per malos permittit quòd inclinentur in malum. Et hos malos Angelos dicunt intelligi per illa verba *verùm etiam eas quæ conservant sæculi Creaturam*, id est (ut explicant) eas voluntates malorum Angelorum quæ conservant sæculi creaturam. Hæc explicatio & intelligentia eò tendit, ut Sanctus Augustinus non loquatur de immediata operatione Dei, qua per seipsum immediatè in cordibus sive bonorum sive malorum hominum operetur; sed de Angelorum ministerio quibus ad diversa utitur, ut dictum est. Ita Franciscus Suarez *lib. 2. opusc. cap.* 3. *Stapleton lib* 11. *de just. cap. ult.* Consentit & magister Cano *lib.* 2. *de locis Theolog. cap.* 4. *solut. ad* 7. *vers. sed ita demum.*

383. Secundò explicant ijdem Authores prædicta Sancti Augustini loca, ut intelligantur de quolibet mirabili modo operandi in cordibus hominum inclinando videlicet voluntatem hominis jam vitio suo malam in hoc peccatum potiùs quàm in aliud, ad hunc finem ut talem hominem vel alium puniat & affligat: sive inclinando in minus peccatum, ut gravius evitetur, quod justum est & licitum (sicut licet minus peccatum suadere ut majus evitetur) Sic Deus, cum dæmon sit paratissimus ad homines tentandum, ajunt, quod inclinat illius malam voluntatem, ut potiùs hunc quàm illum tentet: & hac ratione Semei relatus à Sancto Augustino *lib. de grat. & lib. arb. cap.* 21 fuit inclinatus à Deo ad maledicendum David; quia jam suâ malâ voluntate odiũ in David conceperat. Illa autem persuasio Ruben qua fratribus determinatis occidere Joseph, suasit ut potiùs venderetur, licita fuit, quia ad majus evitandum malum, minus consuluit: qua ratione potest Deus voluntatem in gravius malum & peccatum ex se determinatam, inclinare in minus peccatum, ut evitetur illud gravius. Ita prædictus Franciscus Suarez *ubi supra.* D. Cardinalis Bellarmin. *lib.* 2. *de amiss. gratiæ & statu peccati cap.* 6. Hugo de S. Victore *lib.* 1. *de Sacramentis par* 5. *cap.* 29. Staplet. *lib.* 11. *de just. citato cap. ult.*

384. Tertia explicatio est, quòd Sanctus Augustinus citatis locis intelligit quòd Deus operatur in cordibus hominum inclinando eorum voluntates in malum, ad hunc sensum, quòd videlicet Deus aliquid interiùs in homine, vel exteriùs circa hominem operatur, quod licet bonum sit, est tamen illi occasio ruinæ, quam licet Deus non intendat, nec ad illam directè inclinet; tamen admirabili potentia & judicio occultissimo utitur, dum id operatur in homine & in code ipsius, quod licet de se bonum sit & ad id quod honestum est inclinet, tamen ipsi homini futurum est in scandala & occasionem ruinæ. Ita aliqua scripturæ

Digitized by Google

loca Scripturæ interpretatur ipſe Sanctus Auguſtinus *q.18.& 24.inexodum* Greg.Magn.*25.moral.cap.12. & 13.& homil.11. in Ezech.* & Rupertus. *Apocal.* 17. & S.Thom. *Rom.9.lect.3. Et 1. p.q.65.art.1. ad 3. Et 1.2. q.79. art. 1.ad 2.* Vbi ita intelligit illud Sap.14. *creaturæ Dei in odium factæ ſunt & in tentationem & muſcipulam pedibus inſipientium.* Dicitur enim ſic Deus creare; quia licet viſibiles omnes creaturæ ſint bonæ & in bonũ finem à Deo ordinatæ; tamen inſipientes ſuâ malitiâ eis abutuntur in peccatum. Sic etiam intelligitur illud Pſalm.104. *Convertit cor eorum ut odirent eos* Cujus ſenſus eſt ut placet S. P. Auguſtino & Euthimio ibi, quòd Deus magnificavit populum Iſraël, ex quo alij ſumpſerunt occaſionem invidendi & odio habendi, & ideo dicitur quòd convertit cor eorum ut odirent eos, faciendo videlicet bonum; ex quo alij ſumebant occaſionem perſequendi. Pari ratione intelligitur illud Lucæ 2. *hic poſitus eſt in ruinam & in reſurrectionem multorum* & ad Rom. 9. & Iſai. 8. *Ecce ego pono in lapidem offenſionis, & in Petram ſcandali.* Quæ loca ut rectè exponit Fulgentius *lib.1. ad Traſimundum cap.4.* Intelligi debent quòd per ſe poſitus erat Chriſtus Dominus in reſurrectionem multorum, ſed hominum malitiâ fuit illis petra ſcandali.

385. Hanc explicationem proſequitur Magiſter Cano ex Sancto Hieronymo *q.10. ad Hedibiam,* dicens quod ſicut calor unus ſolis alia liquefacit, alia indurat, alia ſoluit, alia aſtringit. Liquatur enim cera, & induratur lutum: & tamen caloris non eſt diverſa natura. Sic Deus eodem lumine, malè affectum ex cœcare dicitur, benè inſtitutum illuminare, eodemque prorſus beneficio indurare illum, hunc mollire, miraculis enim eiſdem editis: emollitus Iſraël eſt, obduruit Pharao: eadem doctrinæ luce Apoſtoli viderunt, Phariſæi cæci facti ſunt, quoniam divina lux tametſi per ſe quidem ad videndum detur per occaſionem tamen in eo cæcitatem efficit qui pravè affectos habet oculos, in eo duritiem qui pravo affectus eſt animo; quod & nos inſuper ex illo Apoſtoli teſtimonio poſſumus confirmare 2. ad Cor. 2. *Quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt. Aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* Quod juxta prædicta eſſe intelligendum S.Thomas *ibi lect.3.ſub finem* exponit, ad quod & juvat illud Auguſtini dictum *Palato non ſano pœna eſt panis qui ſano eſt ſuavis & oculis ægris odioſa lux, quæ puris eſt amabilis.*

386. Quarta explicatio eſt illaque magis communis quòd Sanctus Auguſtinus in prædictis locis loquitur de permiſſione tantùm, non autem de activa aut propria cauſalitate; ita quòd idem ſit Deum inclinare hominum voluntates in malum, & permittere quod inclinentur in malum. Iſta explicatio in multis locis aſſignatur à Sancto Thoma. Iſtas omnes explicationes admittunt recentiores, nullo autem modo admittunt quod Sanctus Auguſtinus intelligatur de voluntate qua Deus efficaciter inclinat hominum voluntates in actiones quæ peccata ſunt, non quatenus peccata, ſed quatenus actiones ſunt.

387. Ut autem aperiamus quid dicendum ſit de iſtis explicationibus. Circa primam advertimus illam contra expreſſam mentem Sancti Auguſtini procedere: non enim in prædictis locis loquitur Sanctus Auguſtinus de inclinatione & immiſſione per Angelos malos tantùm; nec poteſt affirmari quòd per voluntates quæ conſervant ſæculi creaturam intelligat in prædicto loco tantùm voluntates Angelicas. Licet enim dicat Sanctus Auguſtinus in fine illius capitis poſſe illa teſtimonia intelligi de immiſſione per Angelos malos inducentes homines ad malitiam: cætetum dicit eſſe intelligenda etiam de immediata Dei operatione movente verè hominis voluntatem jam inductam per Angelum malum ad peccatum, ad actionem & entitatẽ quatenus actio & entitas eſt, ſecundùm quam habet rationem pœnæ (nullo modo movendo ad malitiam) ut ex dicendis erit manifeſtum. Hoc patet quia Sanctus Auguſtinus in illis locis manifeſtè loquitur de divina operatione, qua hominum voluntates inclinat: & teſtimonia plurima Scripturæ quæ adducit potiſſimè in illo *cap.20. & ſequentib.* id apertè demonſtrant, quæ ob brevitatem omittimus & lectori legenda committimus. Similiter per illa verba, *quæ conſervant ſæculi creaturam*, planè intelligit Sanctus P. Auguſtinus malas hominum voluntates, quæ ſæculi vanitatem conſervant, quas ibi opponit contra bonas quas Deus facit ex malis: & in illis etiam malis hominum voluntatibus docet expreſſis verbis Deum operari inclinando illas in malum pro ſua juſtitia, quod plurimis Scripturæ teſtimoniis confirmat. Et intelligit quod eas inclinat in malum pœnæ vel in ſubſtantiam actus mali, quatenus entitas & actio eſt, ſecundum quam rationem habet rationem pœnæ ut dictum eſt ſupra. Unde divertere ad Angelicas voluntates, & de illis velle totum illum contextum illius cap.20. & ſequentium explicare, eſt manifeſtam vim literæ Sancti Auguſtini inferre ut contextualis ipſa litera prædicat.

388. Secunda explicatio, videlicet quòd Deus inclinet poſitivè hominum voluntates in minus peccatum formaliter, ut evitetur gravius nec eſt ad mentem S. P. Auguſtini, nec aliqua ratione admittenda videtur. Quod priuſquam oſtendamus oportet unum aliud quod in dicta explicatione habetur (quia verum eſt) approbare. Verum enim eſt quod in illa præmittitur quod Deus voluntates hominum vitio eorum malas, in malum inclinat, inclinatione videlicet indirecta, ut dictum eſt; quia nempè illum motum non prohibet. Hoc enim dixit Apoſtolus ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum.* Jam ergo ipſi reprobum ſenſum habebant ad faciendum ea quæ non conveniunt ut Sanctus Thomas exponit *1.2.q.79.art.1. ad 1.* Quòd verò dicit illa explicatio Deum cauſare minus peccatum, formaliter loquendo de peccato, verum non eſt ut præmiſimus. Primò quia Deus permittendo minus peccatum & ad entitatem illius inclinando, quatenus entitas eſt, efficaciter impedit gravius peccatum: quæ ergo neceſſitas eſt ut dicatur ab iſtis authoribus Deum inclinare poſitivè hominum voluntates in minus peccatum formaliter, ut gravius evitetur.

389. Confirmatur, nam ſi eſſet aliud medium quo quis hominem determinatum ad efficiendum majus malum, retrahere poſſet ab illo, non liceret tunc conſulere ei minus malum, ut communis & vera ſententia eſt, quia jam tunc conſilium non eſſet de neceſſario impeditivo majoris mali, unde eſſet de malo ipſo, quod conſulere minus licet. Cum ergo Deus aliis multis mediis & potiſſimè illo, quo minus malum permitteret, poſſet impedire majus malum; ſi inclinaret poſitivè hominem in minus malum & ipſum ad illud moveret, moveret & inclinaret ad peccatum ſub ratione peccati, & ſic peccati Deus cauſa poneretur, quod eſſe contra fidem dictum eſt ſupra.

390. Imo ſi ſententia iſtorum authorum vera eſt, poterit etiam Deus conſulere & in genere moris excitare & invitare hominem ut minus peccatum committat, majori & graviori relicto; quod tamen nulla via concedendum eſt, cum utrumque Deus prohibeat, & gravius & levius: unde ex iſta ſententia illud tandem concluditur, quòd Deus hominem moveat ad id quod ipſe prohibet. Similiter ſequitur, quòd Deus puniat pro leviori illo peccato, ad quod efficiendum ipſum hominem movet, & quòd caſtiget

Digitized by Google

castiget id quod ipsa in homine efficit; quæ admittenda non sunt.

391. Præterea quomodo non vident ij Authores quod incidunt in Syllam cupientes vitare Charibdin. Clamant enim sæpius quod si Deus vult hominum voluntates efficaciter inclinare in actionem peccati etiam quatenus actio est: ex consequenti vult inclinare in peccatum & vult quod homo peccet. Cum ergo hoc contra nos objiciunt, quo modo ipsi non attendunt quod id multo magis ipsi concedunt, videlicet Deum posse positivè inclinare hominum voluntates in minus peccatum formaliter, ut evitetur majus. In ipso enim peccato formali inveniunt quandam rationem boni, secundùm quam potest à Deo causari, videlicet quod sit impeditivum majoris mali: & in actione & entitate naturali quæ est in peccato, & quæ ut sic nullam habet malitiam id invenire nequeunt, quis ista dicat. Certè ipsi sunt qui Deum constituunt secundùm hunc dicendi modum peccati causam, quem proindè meritò impugnamus.

392. Minus autem obstat axioma illud Licet consulere minus malum ut evitetur majus. Tum quia hoc extendere ad Deum ut etiam ipse possit consulere minus peccatum ut majus evitetur, sicut videtur iste author extendere, dum vult quod ad illud inclinet & inducat horrendum esset: quia jam, ut dictum est supra, Deus poneretur peccatum sub ratione mali consulere: & ex consequenti causa moralis inducès ad peccatum constitueretur: & præterea, quia illud axioma cujuscunque cõparatione à plerisque Theologis negatur, qui concedere renuunt id alicui licere. Ita sanctus Antoninus *cap. super eò in fin. de usuris*, Caïet. *2. 2. quæst. 78. art. 4. notab. 3. ad finem.* Silvest. *verbo matrimonium 7. quæst. 5. dicto 9.* Conradus *quæst. 26.* Covar. *4. decret. 1. p. cap. 4.* Item Gabr. *in 4. dist. 15. quæst. 11.* Ex recentioribus Valentia *2. 2. disp. 5. quæst. 21. puncto 4.* Manuël Sa *in summa verbo peccatum nu. 8.* Addunt tamen Caïetanus & Covarrivias licere offerre materiam minoris mali, non inducendo, nec consulendo ad illud.

393. Verum est oppositam sententiam, nempè licere consulere minus malum ut gravius evitetur, communiorem esse, valdeque fundari in S. P. Augustino *lib. 2. de adult. conjug. cap. 15.* & refertur *cap. si quod verius 37. quæst. 2.* & in S. Gregorio *lib. 23. moral. cap. 18.* & habetur *cap. novit dist. 13.* Quam propterea sequuntur Abb. *cap. super eo infin. de usuris.* Adrianus, Scotus, Navarrus & alij plures. Sed tunc in ista sententia illud axioma, licet consulere minus malum ut evitetur majus, cum omnibus istis restrictionibus est recipiendum & intelligendum, ut tuta sententia sit. Primò ut homo cui consilium præbetur sit omnino determinatus ad majus malum. Secundò ut non sit alia via ad retrahendum ipsum ab eo. Tertiò ut non intelligatur de persona publica quæ ex officio utrumque & majus & minus malum potest & tenetur impedire. Quartò ut nec intelligatur comparatione Dei: tum quia aliâ viâ majus malum potest impedire: tum quia ipse præcipit ne illud minus malum fiat, etiam ad illud majus evitandum. Quintò ut non extendatur ad exequentem & facientem ipsum malum, is enim semper peccabit minus malum faciendo, quia tenetur ipse & majus & minus evitare. Quòd si ex conscientia erronea, vel ex culpa utrumque evitare non potest, majus peccatum vitare tenetur ut S. Thomas & Theologi dicunt.

394. Tertia autem explicatio similiter & quarta, quia à Sanctis Doctoribus supra relatis adhibentur, rectissimè sunt; & per eas omnia S. P. Augustini & S. Thomæ testimonia in hac parte optimè intelliguntur. Quod enim plurima ipsorum de permissione tantùm procedant manifestum est: quod autem alia non permissivè solùm, sed etiam de instinctu & inclinatione interiori, quam Deus in hominum voluntatibus verè efficit inclinando eorum voluntates in bonum (quo instinctu malus malè utitur) inducta ex S. P. Augustino testimonia potissime contra Julianum *& lib de gratia & lib. arb. cap. 20.* satis suadent. Unde S. Thomas *super epist ad Rom. cap. 9.* ad illa verba *in hoc ipsum excitavi te.* Sic S. Augustinum intelligit, ut sequentibus duobus capitibus ostendetur. Per instinctum autem quo Deus movet voluntatem ab bonum & applicat voluntatem ut per intellectum consilietur & eligat hìc & nunc & in tali signata materia, permittens quod intellectus & voluntas circa media deficiant; Deus effectivè operatur quidquid entitatis & actionis est in peccato, ut supra explicatum est, & infrà iterum explicatur: nec video quo alio modo præter istum Deus verè causet quid quid entitatis est in actione peccati. Unde illa tertia explicatio diversa non est ab illa quam sequenti cap. ex S. P. Augustino fundamus; sed illam includit ut ex dictis & dicendis apertiùs constabit. Verùm priusquam ipsam ex S. P. Augustino probemus. Libet aliam quintam explicationem exprimere, quam sustinet Magister Cano. *lib. 2. de locis Theolog. cap. 4. solut. ad 7.* Qui aliquas ex prædictis interpretationibus simul colligens, dicit triplici ratione Deum dici specialiter aliquos indurare aut excœcare. Primò quia gratiæ lumen aufert unde caligo resultat. Secundò quia ad excquenda sua judicia Satana administro utitur, ob idque dicitur ea efficere quæ ministet illius authoritate roboratus efficit. Tertiò quia eodem lumine gratiæ sicut bene affectos illuminat, ita occasionaliter male affectos obscutra & excæcat: & secundum has rationes triplicet dicitur Deus quosdam specialiter obdutare. Cujus magistri sententia sustineri quidem potest, dummodo in secundo suo dicto non intelligat quòd Satana utatur Deus, ipsum movendo ut induret in peccatis homines: quia cum Satanas indurat, ad excœcationem & indurationem inducit, quæ revera in homine peccata sunt: unde si Deus demonem moveret ut talem excœcationem efficeret, etiam Deus diceretur positivè eam causare; & sic peccati causa esset, quod dici nullo modo potest. Intelligendus est ergo quod Deus permittat demonem ita positivè excœcare ad sua exequenda divina judicia: & quia specialiter permittit demonem positivè excœcare, dicitur Deus specaliter quosdam indurare per illius ministerium. Ex omnibus ergo relatis explicationibus, tum in isto capite, tum in præcedenti, illæ duæ veriores & communiores sunt, nempe quod Deus excecat, seu inclinat ad malum, primò quia non prohibet illud pro demeritis prioris malæ voluntatis. Secundo quia causat in anima bonum, licet prævideat quod homini ex ejus defectu erit occasio mali. Utraque traditur à S. Thoma *1. 2. quæst. 79. art. 1. & 2.*

CAPUT XXX.

Quòd secundùm S. P. Augustinum actio quæ est in peccato quatenus actio, est à Deo volita atque præfinita, pleniùs ostenditur.

395. PLANE' Sanctus Augustinus in præcitatis locis non loquiturde permissione solùm peccati, sed etiam de vera ac propria causalitate qua Deus per potentiam inclinat & movet hominum voluntates per influxum generalem supra expositum in quosdam motus & actiones (quæ de se sunt peccata) non qua ratione peccata sunt; sed qua ratione sunt motus & entitates aut realitates, quas Deus ordinat ad

Digitized by Google

ad vindictam aliquorum, vel propter alios multos fines suæ divinæ providentiæ. Quod ex proprio contextu ipsius probatur. Primò namque dicit Deum operari motus illos in cordibus hominum, & quod inclinat illorum voluntates, & quod per potentiam id facit ut constat ex illius verbis: sed ista verba in doctrina S. Augustini non sonant nec sonare possunt permissionem tantùm absque causalitate: ergo non loquitur tantùm de permissione secludendo veram causalitatem. Minor patet quia S. Augustinus ad fundandam & defendendam contra Pelagianos veram ac propriam causalitatem Dei supra humanas voluntates, his verbis utitur. Operatur in cordibus hominum per potentiam, inclinat quocunque vult humanas voluntates: igitur quando utitur his verbis apertum est in S. Doctore quod de efficaci & vera causalitate loquitur. Imo ipse Doctor Sanctus ad tollendam omnem dubietatem *in fine illius cap. 21. de grat. & lib. arb.* Postquam dixit quod Deus operatur in cordibus hominum inclinando eorum voluntates ad mala à quibusdam præstanda, sic concludit. *Si autem potens est* (scilicet Deus) *sive per Angelos, vel bonos, vel malos, sive quocunque alio modo operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab ipso Adam, aut crevit per proprium voluntatem: quid mirum est si per Spiritum Sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est ut ipsa corda essent ex malis bona.* In hoc argumento S. Augustini quo à fortiori intendit probare Deum per Spiritum Sanctum operari in cordibus hominum bona, est manifestum quod si antecedens tantùm procedit de permissione, non autem de vera ac propria causalitate, nullum penitus esset S. Augustini argumentum: intelligitur ergo illud antecedens de vera ac propria causalitate, qua Deus causat realitates & entitates quæ sunt in peccatis, quatenus pœnæ sunt. Ad probandum enim quòd divina gratia verè ac propriè operatur & causat in nobis velle quod justum est; adduxit ex Scriptura Sancta loca quibus probat Deum verè & propriè causare aliquos motus qui peccata sunt, licet non quatenus peccata, sed quatenus per illas entitates & actiones punit Deus: ut sic argumentum à fortiori teneat in operibus bonis quæ à Deo causantur in nobis, nosque ipsos inclinat & movet ad illa. Et quidem si ista verba (*operatur Deus in cordibus hominum, inclinat Deus per potentiam hominum voluntates*) evidenter excludunt solas excitationes & suasiones ut in S. Augustino est compertissimum: quomodo non magis per talia verba excludit Sanctus Doctor solam divinam permissionem.

396. Præterea S. Augustinus locis citatis cum ait Deum inclinare hominum voluntates in mala illa opera, hanc facit exceptionem & limitationem, quod videlicet Deus per hoc non causat malitiam, nec ad malitiam hominem movet aut inclinat: sed tamen ad illa inclinat ut sunt aliorum pœnæ: ergo manifestè loquitur de vera ac propria causalitate. Patet consequentia quia si de permissione tantùm loqueretur, non oporteret facere hanc distinctionem in actibus illis de ratione culpæ, sive pœnæ, sed absolutè deberet dicere quod Deus permittit illas culpas etiam in ratione culpæ ad illorum vel aliorum punitionem.

397. Vltimò ipse S. Augustinus non indiget nostris illationibus licet contextualibus, ipse enim formalibus & expressis verbis *lib. 5. contra Iulianum cap. 3.* docet istum locum Scripturæ ad Rom. *Tradit illos Deus in reprobum sensum*, & similia, non esse intelligenda de permissione tantùm; ita quòd ad actiones illorum peccatorum nulla alia causalitate moveat Deus, nisi permissivè tantùm, Imo planè docet quod sic intelligere & explicare præcisè divinæ Scripturæ testimonia, est sensus Pelagianorum negantium Deo veram causalitatem supra hominum voluntates. De hoc enim reprehendit Julianum *in prædicto cap. 3.* cum dicit *Quid est autem quod dicis, cum desideriis suis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi. Quasi non simul*, (ait Augustinus) *posuerit hæc duo idem Apostolus, & patientiam & potentiam, ubi ait, si autem volens Deus ostendere iram & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem. Quid horum tamen dicis esse quod Scriptum est & Propheta si erraverit, & loquutus fuerit, ego Dominus seduxi Prophetam illum & extendam manum meam super eum, & exterminabo eum de medio populi mei Israel. Patientia est, an potentia?* Et iterum *An & hîc dicturus es quod ait, ego Dominus seduxi Prophetam illum. Intelligendum esse, desertum*: Potuitne S. Augustinus clarioribus verbis asserere se non loqui tantùm de permissione, sed etiam de vera ac propria causalitate, qua Deus per suam potentiam movet hominum corda ad aliquos motus, qui peccata sunt, licet non quatenus sunt peccata; sed quatenus actiones & flagella sunt ad aliorum punitionem ordinata. Sed quis audiat recentiores explicantes tam clara verba non de potentia effectiva & operativa sed permissiva: cum supra hanc permissionem (quam solam admittebat Julianus ut defenderet hominem inchoare & incipere actionem suam) instet S. Augustinus quod causalitatem per potentiam debeat confiteri. Dicebat enim Julianus Deum permittere peccata ad aliorum punitionem, & sic intelligebat & explicabat prædictum locum Apostoli, *Tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Sed contra ipsum ait S. Augustinus quòd non solùm Deus permittit mala ut mala sunt, sed etiam entitates sive motus per potentiam causat, efficiendo videlicet illorum entitates ut aliorum sunt punitiones. Itaque sententia S. Augustini in summa est quod Deus peccata tantùm permittit: cæterum entitates sive motiones, quæ in peccato sunt, verè ac propriè causat, & ad illas, ut aliorum sunt pœnæ, Deus hominum voluntates inclinat. Vnde S. Thomas *super Paulum ad Rom. cap. 9.* Sic intelligit S. P. Augustinus lib. de gratia & lib. arb. cap. 20. cum dicit *quod Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum*, quod nempe non permissivè solum intelligat hic hominum voluntates inclinare ad mala, sed quod instinctu quodam interiori moveantur homines à Deo ad bonum & ad malum; sed alio & alio modo: ad bonum directè & per se; ad malum autem occasionaliter movendo homines ad bonum ex quo ipsi suâ malitiâ operantur malum; ita tamen quod Deus illa excitatione ad bonum, causat quidquid entitatis est in actione mala. Verba S. Thomæ inferiùs inducentur.

398. Ex dictis apparet quàm falsò author ille citatus ubi supra, dicat quod Catholici quidam viri hallucinantur in exponendis Sacris Scripturis & S. Augustini sententiis, ut illam Physicam prædeterminationem mordicùs tenenat: imoverò decipitur ipse ut enim mordicus primam operis inchoationem homini tribuat, & Deo neget: veram Dei causalitatem (negãdo illam Physicam prædeterminationem seu efficacem motionem) de medio aufert, & Scripturæ loca & S. Augustini sententiam labefactat, dum dicit Deum permissivè solùm, non autem effectivè hominum voluntates inclinare in actiones quæ sunt in peccatis quatenus actiones sunt, vel quatenus pœnæ aliorum sunt, vel quatenus habent quid simile boni.

CAPVT

Digitized by Google

CAPUT XXXI.

Ex SS. Anſelmo, & Thoma probatur, Deum prædiffinire actionem quæ eſt in peccato, quatenus actio & entitas eſt.

399. SANCTUS etiam Anſelmus *de caſu diaboli cap.* 19. Dicit, quod omnis voluntas inquantum eſt, bona eſt, & quod tantùm eſt mala in quantùm injuſta eſt & *in cap.* 20. dicit quod actus quo Angelus voluit eſſe ſimilis Deo, quia peccatum erat, à Deo fuit permiſſium. Diſtinguens autem ampliùs dicit quod in quantùm voluntatis converſio, ſive motus voluntatis eſt aliquid, bonum eſt, & Dei eſt: in quantùm vero juſtitiâ caret aliquod malum eſt, & quod malum eſt, non eſt Dei, ſed volentis. Et iterum hoc confirmat dicens. Quare, quod aliquid eſt, à Deo fit, & ejus eſt: quod verò nihil eſt id eſt malum, ab injuſto fit, & ejus eſt. Contra quem ſic inſtabat diſcipulus. Quod Deus naturas omnium retum faciat, fatendum eſt; quod verò ſingulas actiones perverſarum voluntatum, videlicet ipſum pravum motum voluntatis quo ipſa mala voluntas ſe movet', faciat; quis concedat. Et loquebatur diſcipulus de vera ac propria cauſalitate efficiente quam conſtituebat Magiſter reſpectu illarum operationum: nam de permiſſione ſupra eodem cap. confeſſus fuerat nullum eſſe inconveniens quod à Deo permitterentur. Cui reſpondet Magiſter. Quid mirum ſi dicimus Deum facere ſingulas actiones, quæ fiunt mala voluntate; cum fatemur eum facere ſingulas ſubſtantias, quæ fiunt injuſta voluntate & inhoneſta actione? Et cap. ult. idem concludit. Sed clariùs lib. de concordia præſcientiæ & prædeſt. cap. 7. agens ex profeſſo de hac difficultate ſic dicit *Omnis quippe qualitas, vel omnis actio & quidquid aliquam habet eſſentiam à Deo eſt, à quo omnis juſtitia, & nulla injuſtitia. Facit igitur Deus omnia, quæ juſtè vel injuſtè à voluntate fiunt, id eſt bona opera & mala: in bonis quidem facit & quod ſunt, & quod bona ſunt: in malis verò facit quod ſunt non quod mala ſunt* & poſt pauca *& ſicut Deus non facit injuſtitiam ita non facit aliquid injuſtum eſſe, qui tamen facit omnes actiones, & omnes motus; quia ipſe facit res à quibus & ex quibus & perquas & in quibus fiunt: & nulla res habet poteſtatem volendi aut faciendi niſi illo dante: ipſum quoque velle, quod aliquando juſtum eſt, aliquando injuſtum, non eſt aliud quam uti poteſtate volendi, & voluntate quam Deus dat, in quantum eſt, bonum eſt & à Deo eſt* & iterum, *eſt autem aliquid rectè eſſe & hoc eſt à Deo: non eſſe vero recte, non eſt aliquid nec eſt à Deo,* & concludit ſic *Itaque facit Deus in omnibus voluntatibus & operibus bonis & quod eſſentialiter ſunt; & quod bona ſunt: In malis verò non quod mala ſunt, ſed tantùm quod per eſſentiam ſunt.* Potuit ne clarioribus verbis S. Anſelmus affirmare Deum concurrere & cauſare omnem actionem quæ eſt. Ecce ſæpè in terminis repetit quòd Deus facit hominem uti voluntate ad actionem peccati, quatenus actio eſt, non quatenus mala eſt.

400 Sed venio jam ad S. Thomam magnum Auguſtini defenſorem ejuſque vivam intelligentiam, qui *in 2. diſt. 37. q. 2. art. 2.* Tractans in terminis quæſtionem iſtam utrũ actio peccati inquantũ actio ſit à Deo ſic reſpondet. *Alia opinio dicebat actus peccatorũ nullo modo, nec etiam in quantum actus ſunt à Deo eſſe, & hæc opinio tangitur in præſenti, quam ad præſens nulli vel pauci tenent quia propinquiſſima eſt errori duplici. Primò quia ex ea videtur ſequi quod ſint plura prima principia: hoc enim eſt de ratione primi principij ut agere poſſit ſine auxilio prioris agentis & influentia ejus: unde ſi voluntas humana actionem aliquam poſſet producere, cujus actor Deus non eſſet, voluntas humana rationem primi principij haberet; quamvis ſolvere hoc nitantur dicentes, quod etſi voluntas per ſe poſſit actionem producere ſine influentia prioris agentis, non tamen habet eſſe à ſe ſed ab alio, quod etiam exigeretur ad rationem primi principij. Sed hoc videtur inconveniens ut quod à ſe eſſe non habet, à ſe agere poſſit; quia omnis virtus ab eſſentia procedit, & operatio à virtute, unde cujus eſſentia ab alio eſt, oportet quod virtus & operatio ab alio ſit. Et præterea quamvis per hanc reſponſionem evitaretur quod non eſſet primum ſimpliciter, non tamen poſſet vitari quin eſſet primum agens ſi ejus actio in aliud prius agens non reduceretur tanquam in cauſam.*

402. His rationibus concludit S. Thomas quod aſſerere actionem peccati, quatenus actio eſt, non eſſe à Deo, eſt propinquiſſimum errori videlicet Manichæorum duo conſtituentium principia. In ſecunda autem parte articuli, alia ſubjuncta ratione, probat quod etiam ſit hoc aſſertum propinquiſſimum errori, videlicet & Manichæorũ & Pelagianorum, in quantum derogat talis aſſertio divinæ cauſalitati. Cujus & ratio eſt (inquit) quia derogaretur divinæ cauſalitati & perfectioni, ſi aliqua actio verum eſſe habens, à Deo non produceretur: unde ita S. Thomas concludit. *Et ideo cum prima opinione dicendum quod actus in quantum actus à Deo eſt, & ut ſic non habet aliquid quod deformitatem habeat, quod qualiter ſit, ita conſiderari oportet: in omnibus enim in quibus incidit defectus ex cauſa ſecunda; & non ex cauſa prima, oportet quod quidquid eſt in effectu deficiente eſſentia & bonitatis, totum à prima procedat: quod autem defectus reducatur in cauſam ſecundum deficientem: patet in claudicatione quæ eſt à virtute greſſiva mediante tibia, per cujus tibiæ curuitatem obliquitas in greſſu claudicantis relinquitur: unde quidquid eſt ibi de greſſu totum eſt à virtute greſſiva, ſed defectus, vel obliquitas greſſus non eſt à virtute greſſiva ſed à tibia tantum. Similiter etiam eſt ordo Dei ad voluntatem cauſatam, ſicut cauſæ primæ ad cauſam ſecundam: ideo ex parte Dei nullus defectus incidere poteſt: voluntas autem cauſata ad defectum poſſibilis eſt, & ideo quidquid eſt in actu, deficiente, ſcilicet peccato de ratione actus & entis & boni totum hoc à primo agente ſcilicet Deo procedit mediante voluntate: ſed ipſe defectus qui eſt in actu, hoc modo eſt à voluntate quod à Deo non procedit: & ideo quodcunque nomen deformitatem ſimul cum actu ſignificat, ſive in generali, ſive in ſpeciali, non poteſt dici quod hoc à Deo ſit ſimpliciter: unde non poteſt dici abſolutè quod peccatum ſit à Deo, ut homicidium, aut aliquid horum, niſi cum hac additione, inquantum eſt actus & inquantum eſt ens.* Hæc S. Thomas. Quod autem in articulo loquatur S. Thomas de Dei motione prævia & antecedenti reducent agens in actum, ad agendum actionem quæ eſt in peccato quatenus entitas & actio eſt, fiet manifeſtum ex ſtatim dicendis.

Videant ergo authores (cum quibus diſputamus) quam apertè S. Thomas damnet eorum ſententiam in terminis, & illam propinquiſſimam duplici errori eſſe, planè affirmet. Legant qualiter tempore S. Thomæ pauci, aut nulli audebant aſſerere actionem peccati, quatenus actio eſt, non eſſe à Deo: ſimiliterque quod actio quæ eſt in peccato, quatenus actio eſt ſit à Deo. Docet idem S. Doctor in *1. Sent. diſt. 40. q. 4. art. 2.* & *diſt. 42. q. 2. art. 1.* Idem docet *in 2. diſt. 44. q. 1. art. 1.* Videatur in *3. cont. gent. cap. 162.* & *quæſt 3. de malo art. 2. ad Rom. 11. lect. 5.*

402. Prætereà ipſe S. Thomas *in 2. ſcripto ſuper ſent. in libro 2. diſt. 37. art. 1.* ſic dicit. *Reſpondeo dicendum, quod hæreticum eſt dicere aliquod ens in quantum ens non eſſe à Deo, nec ſolum fidei contrarium eſt,*

Digitized by Google

ſed etiam rationi. Et *art. 2. immediatè ſequenti* dicit actionem quæ eſt in peccato, in quantum actio eſt, eſſe ens : ergo de primo ad ultimum concluditur ex Sancto Thoma, quòd negare actionem, quæ eſt in peccato eſſe à Deo, ſit fidei & rationi contrarium. Videant ij Authores cum quibus diſputamus, quomodo concedant actionem quæ eſt in peccato non eſſe à Deo volitam, nec cauſatam ut fiat. Divinâ providentiâ crediderim factum & ordinatum, ut S. Thomas qui ferè nunquam propoſitiones qualificat vel cenſurat, in hac materia prædictam propoſitionem qualificaret contra novitates horum temporum, quæ actionem quæ eſt in peccato, quatenus actio eſt, Deo negant.

403. Præterea S. Thomas *1.2.q.79. art.1.* docet hanc propoſitionem (Deus non eſt cauſa peccati) ut fides docet. Et ſtatim *art. 2.* affirmant hanc aliam. Deus eſt cauſa omnis actionis quæ eſt in peccato, ut entitas & actio eſt, quam etiam in ſupradictis locis docet ad fidem ſpectare. Et quod eſt attentiùs conſiderandum *in hoc articulo 2.* Loquitur de Dei motione prævia, qua Deus hominem reducit de potentia in actum reſpectu actionis quæ eſt in peccato quatenus actio eſt ; non autem quatenus defectuoſa eſt. Sic enim in ſecunda ratione concludit ad probandum quod actio quæ eſt in peccato ſit à Deo, quatenus actio eſt. *Omnis actio cauſatur ab aliquo exiſtente in actu : omne autem ens actu reducitur in primum actum, ſcilicet Deum ſicut in cauſam ; unde relinquitur quod Deus ſit cauſa omnis actionis, in quantum eſt actio.* Itaque ideo ſecundum S. Thomam, Deus eſt cauſa actionis quatenus actio eſt, quia eſt reducens agens in actum reſpectu actionis talis : ergo manifeſtè de cauſa prima movente agens de actionem illam, loquitur. Quod apertius declarat *q. 3. de potentia art. 6. in argum. 20. & illius ſolutione* Tale enim ibi format argumentum. *Omne agens agit ex præſuppoſitione primi agentis : ſed liberum arbitrium cum peccat, non agit ex præſuppoſitione divinæ actionis. Nam aliquod peccatum eſt, ſicut fornicatio vel adulterium, quod non poteſt à ſua deformitate ſeparari, quæ non poteſt eſſe à Deo : ergo oportet quod liberum arbitrium ſit primum agens, vel quod reducatur ad aliud prius agens, quam Deum.* Cui argumento ſic reſpondet. *Ad vigeſimum dicendum, quod in actu peccati, quidquid eſt entitatis aut actionis reducitur in Deum ſicuti in primam cauſam : quod verò eſt ibi deformitatis reducitur ſicut in cauſam in liberum arbitrium, ſicut quòd eſt de greſſu in claudicatione reducitur in virtutem motivam, ſicut in primam cauſam : quidquid eſt autem ibi obliquitatis provenit ex virtute cruris.* Ubi apertè docet, quòd ut evitemus id quod ſecundum Catholicam veritatem evitandum eſt, videlicet liberum hominis arbitrium eſſe primum agens, debemus aſſerere ipſum agere etiam cum peccat, ex præſuppoſitione actionis prioris agentis, ſcilicet Dei, cauſantis quidquid eſt entitatis, non deformitatis in tali actione.

404. Clariùs hoc docuit S. Thomas *in 2. ſent. diſt. 37. q. 2. art. 2. in ſolutione ad 2.* ubi ita dicit. *Ad ſecundum dicendum, quod illud dicitur ad motum cooperari, quod inclinat ad actionem ſecundum quod actio deformitati ſubſtat, unde mala eſt : hoc autem Deo non convenit & ideò non oportet ut ad malum cooperari dicatur, quamvis actionis illius cauſa ſit, in qua malum conſiſtit, ſecundum quod influit agenti, eſſe, poſſe, & agere, & quidquid perfectionis in agente eſt* Et *ſolutione ad tertium* hoc magis explicans ita dicit. *Ad tertium dicendum, quod Deus dicitur cauſa bonarum operationũ, non ſolum quantum ad eſſentiam actus, ſed etiam quantum ad perfectionem, ſecundum quam bona dicuntur, utrumque enim agenti influit, & ut agat, & ut benè agat. Sed in malis actionibus quamvis ſit cauſa earum quantum ad eſſentiam, non tamen eſt cauſa quantum ad defectum, & ideò abſolutè dicendus eſt cauſa bonorum operum, non autem peccatorum.* Quibus verbis apertè docet, quod Deus influit in potentiam voluntatis ut agat quidquid actionis, non defectus eſt in peccato. Manifeſtum eſt ergo, eum loqui de motione prævia ad ipſius voluntatis concurſum, & influxum. Ubi etiam omnia recentiorum argumenta luce clariùs ſolvit, & in ſolutione ad quintum ejuſdem articuli dicit, quod licet in aliquo effectu plura inſeparabiliter conjuncta ſint, non oportet ut quidquid eſt cauſa ejus quantum ad unum, ſit cauſa ejus quantum ad alterum. In quo omne argumentum recentiorum penitus detruncat. Vnde cum in multis ſuæ doctrinæ locis explicat S. Thomas illud *(Tradidit Deus illos in reprobum ſenſum)* dicit quod intelligitur permiſſivè. Manifeſtè loquitur de peccato ut ſic, quod ut diximus ex S. P. Auguſtino ſolùm poteſt eſſe à Deo permiſſum, ut etiam concilia definiunt. Cæterum cum loquitur de actione peccati in quantum actio eſt, non permiſſivè ſed à Deo dicit factam effectivè ut conſtat ex citatis locis, & *ex q. 1. de potentia art. 6. ad 5. & 6.*

405. Modum autem, quo Deus operatur effectivè entitatem quæ eſt in peccato, quatenus entitas eſt, exponit Sanctus Thomas *1.2.q.9. art. 6. ad 3.* Et *q. 3. de malo art. 2.* Et potiſſimè ſuper Paulum *ad Rom. 9.* ad illa verba. *Quoniam in hoc ipſum excitavi te,* quem modum etiam nos ſupra tradidimus, eumque S. Thomas ſub his verbis explicat ad illum locum Apoſtoli. *Alio modo poteſt intelligi excitavi te in peccatum, ut deterior fiat. Quod quidem non eſt intelligendum hoc modo, quod Deus in homine cauſet malitiam, ſed eſt intelligendum permiſſivè, quia ſcilicet ex juſto ſuo judicio permittit aliquos ruere in peccatum propter præcedentes iniquitates, ſicut ſupra primo dictum eſt. Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum. Sed aliquid amplius videtur mihi in hoc eſſe intelligendum quia videlicet inſtinctu quodam interiori moventur homines à Deo ad bonum & ad malum. Unde Auguſtinus dicit in libro de gratia, & lib. arbitr. quòd Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit ſive ad bona pro ſua miſericordia, ſive ad mala pro meritis eorum.* Et poſt pauca. *Aliter tamen ad bona : aliter ad mala* ſupple excitat. *Nam ad bona inclinat hominum voluntates directè & per ſe tanquam actor bonorum : ad mala autem dicitur inclinare vel ſuſcitare homines occaſionaliter : in quantum ſcilicet Deus homini aliquid proponit, vel interius, vel exterius : quod quantum de ſe eſt, eſt inductivum ad bonum : ſed homo propter ſuam malitiam perverſè utitur ad malum : & ſimiliter Deus quantum eſt de ſe interius inſtigat hominem ad bonum puta Regem ad defendendum jura Regni ſui, vel ad puniendum rebelles : ſed hoc inſtinctu bono malus homo abutitur ſecundum malitiam cordis ſui.* Quibus verbis primò docet illud Apoſtoli *(In hoc ipſum excitavi te)* non ſolùm permiſſivè eſſe dictum, ſed etiam effectivè. Secundò id tradi à S. P. Auguſtino *libro de grat. & lib. arb. cap. 21.* cum ait, *Deum operari in cordibus hominum, inclinando eorum voluntates in malum pro meritis eorum.* Operari enim inclinando voluntates, non eſt operari permiſſivè. Tertiò explicat quod per inſtinctum interiorem Deus inclinat voluntates hominum in malum occaſionaliter, modo expoſito : & per hunc modum Deus operatur in cordibus hominum, quidquid entitatis eſt in peccato. Itaque omnium primò Deus ob ſua alta judicia permittit peccatum. Secundò inſtinctu interiori inclinat hominum voluntates in bonum quodcumque illud ſit, ſive ſit tutela regni in Regibus, ſive aliud particulare bonum pro aliis, ſive univerſale bonum pro omnibus, ut dixit *1.2. quæſt. 9. art. 6. ad 3.* Quo inſtinctu applicat voluntatem

Digitized by Google

tatem & intellectum hîc & nunc, ut in hac particulari materia consilietur & eligat, non dirigens intellectum ne erret; sed ut diximus permittit, quod erret, & quod subinde mala sequatur electio. Quartò quia homo non est in debito ordine, sed ponit impedimentum illi promotioni sufficienter moventi ad bonum (quod impedimentum vel est error in intellectu, ignorantia vel inadvertentia; vel malitia in voluntate, vel omnia hæc simul) Deus non ulterius prosequitur dando in particulari auxilium efficax ad benè consiliandum & eligendum; sed præmovet ad entitatem peccati, & actionem in particulari ut actio est, permittens malitiam, ut supra manet expositum cap. 9. Unde quod errans sit judicium & electio prava ex homine est: quòd autem applicetur ad particulare agendum, ad conciliandum & eligendum ex Deo habet: & sic quidquid actionis & entitatis est in tali judicio & electione, ex vi divini concursus, sive ex vi illius instinctus Dei provenit; ut supra cap. 9. satis explicavimus, & hîc iterum sub brevitate repetere visum est.

406. Hanc sententiam rectè Magister Cano explicat *libro de locis cap. 4. solutione ad* 8. dicens, quòd Deus est causa naturalis omnium motuum & actionum secundùm quod pertinent ad esse naturæ; non autem est causa moralis eorum secundum videlicet quod ipsæ genus moris ingrediuntur. Quam veram doctrinam copiosius nos infra *in tertio hujus operis libro* explicatur sumus, nunc satis sit illam breviter exposuisse.

407. Sed dicunt Recentiores se quoque fateri actionem peccati, ut actio & entitas est, esse à Deo, non per voluntatem prædefinientem & concursum determinatum, sed per voluntatem conditionatam & concursum indifferentem. Sed hæc ignorantibus dicant, non Theologis. Voluntas enim illa conditionata non est rerum causa, imò potiùs ex ipsa concluditur, quòd rerum causa non sit, sed quod velit creaturam esse suæ actionis principium & causam, si ipsa creatura tamen voluerit ut sæpius dictum est: similiter concursus indeterminatus nullo modo concursus est. Vocare enim concursum & indeterminatum; est vocare reipsa non concursum. Nam actio quæ fit ab agente determinata est & particularis: ergo si concursus ex vi sua est indeterminatus ad illam actionem sicut ad quamlibet aliam, non magis ex vi sua producet illam quàm aliam: sed aliam nullo modo producit: ergo nec istam; & sic convincitur quòd Deus ad hanc particularem actionem non concurrat. Quod & isti Authores alibi sæpè expressis verbis concedunt, cum dicunt hominem determinare illum concursum, & incipere seu inchoare suam actionem. Jam igitur inchoatio illius actionis sit sine Deo, & cum inchoare actionem sit planè aliquid reale: jam concedunt expressè quòd aliquid reale fiat sine Deo: quod contra veritatem omnem procedit. Nec fastidiat aut vitio imputetur, quòd ita diffusè de hac prædefinitione ad actionem quæ est in peccato, disputemus; quia unum ex capitibus præcipuum est, contra quod ij Authores cum quibus agimus, semper insistunt. Unde sicut in hoc secundo libro de Dei prædefinitione tractamus respectu illius actionis & entitatis, quæ in peccato est: ita in sequenti libro tertio Deum præmovere & prædeterminare ad eandem actionem & entitatem, quatenus præcisè actio & entitas naturalis est, dabimus manifestum, sicut supra cap. 9. præmisimus.

CAPUT XXXII.

Actionem, quæ est in peccato, quatenus actio & entitas est, à Deo prædefiniri rationibus demonstratur.

408. NON desunt autem demonstrativæ rationes ad hujus veritatis pleniorem confirmationem, quæ ex Doctoribus Sanctis, veraque Theologia deducuntur. Prima est, quia etiam ipsi Authores cum quibus disputamus admittunt sicut principium indubitatum, Deum proprio & reali influxu concurrere ad hos actus pravos liberi arbitrij ut reales actus sunt, influxu illo, qui communis & generalis est omnibus effectibus secundarum causarum. Cum ergo iste generalis concursus procedere debeat à Dei voluntate prædefiniente, & volente, & determinante ut tales actus reales fiant; convincitur quòd etiam iste generalis concursus procedens à voluntate Dei prædefiniente sit necessarius ad illos actus pravos, & intrinsecè malos, quatenus reales entitates sunt. Concursus enim indeterminatus nullo modo est concursus generalis Dei; imò ejus generalem concursum de medio tollit. Unde si de hoc loquantur reipsa concursum non admittunt.

409. Præterea id explicatur magis. Nam omne ens quocumque modo sit, habetur à primo ente: ergo actus peccati ut ens est, oportet quòd sit à primo ente: ergo actus peccati ut ens est, est à Deo volitum, & præfinitum. Patet consequentia, quia quidquid à Deo causatur, verè à divina voluntate est præfinitum ut fiat. Primum antecedens ad fidem pertinere docet Sanctus Thomas locis supracitatis *ex 2. sent.* Quia aliàs aliquod ens verè existens, à Deo non esset, & sic Deus non esset causa universalis omnium entium; quod est contra fidem, imò contra naturalem rationem. Prima verò consequentia, quod in ipso peccato sit aliqua vera actio & entitas, manifesta est, nisi velimus cum Manichæis aliquam naturam, & entitatem malam affirmare; imò si entitas aliqua & actio realis non esset in peccato, peccatum saltem commissionis non esset, ut de omissione modò taceamus. Unde Sancti Patres superiùs inducti pro indubitato reliquerunt esse in peccato entitatem & actionem, quæ in ratione entitatis & actionis nonnisi bona potest esse. Secunda autem consequentia seu ultima clara est, & manet probata. Sic enim Deus in tempore res causat, sicut ab æterno causare decrevit & præfinivit: imò ipsa causalitas qua in tempore Deus res verè efficit, effectus est illius æternæ prædefinitionis, qua ab æterno sic eos in tempore causare præfinivit: vel effectus est illa causalitas divinæ providentiæ prædefinientis, & exequutio illius, quod sæpissimè S. Thomas asseruit.

410. Insuper omnis actio secundùm quod actio reducitur in Deum ut primum agens: ergo actio quæ est in peccato quatenus actio est, in primum agens debet reduci; sed primum agens operatur per intellectum & voluntatem: ergo omnis actio ut sic à Deo per voluntatem habetur: ergo à divina voluntate prædefinitur; nam voluntas non efficax nec prædefiniens, sed conditionata & inefficax rerum causa non est, ut sæpius demonstravimus. Primum antecedens in quo tota vis rationis consistit patet, quia omnis actio causatur ab aliquo existente in actu, cum nihil agat nisi secundum quod est in actu: omne autem ens reducitur in primum actum, sicut in causam. Unde quod ille Author opusc. ait. *Concedo ergo loqui Concilium de actu malo secundum se, etiam ut actus est à tali creata voluntate liberè, positivéque factus.* Hunc verò negat posse refundi in Deum ut in primum Au-

Digitized by Google

thorem & causam propriam. Hoc pot est dupliciter intelligi. Primo modo, ut loquatur de actu malo, hoc est de peccato secundùm se ut est actus à libera voluntate positivè factus, secundùm nempe quod habet annexam deformitatem, ut sic enim fit positivè à voluntate creata, & secundam hanc rationem verum est, quòd non fit à Deo; quia non fit ab ipso actus ille ut habet annexam malitiam, sicut fit à voluntate creata. Secundo modo potest intelligi, quod actus ille ut actio præcisè est, sive ut ens est, non fiat à Deo, & hoc modo adeo falsa est illius sententia, ut Sanctus Thomas eam supradicta censura qualificet; & sic videtur ille Author procedere.

411. Ecce isti Authores fatentur id quod S. Thomas docet esse proximum duplici errori, videlicet quod actio quæ est in peccato quatenus entitas & actio est, non sit à Deo nec in illum refundatur sicut in primam causam. Verbis enim expressis isti Authores concedunt, quod talis actus quatenus actus positivè factus à voluntate creata, non refunditur in Deum sicut in causam. Ideo autem ipsi dicunt quod in Deum sicut in causam non refunditur, quia ille actus etiam quatenus actio est secundum illos non est volitus à Deo voluntate antecedente, nec prædefiniente, nec voluntate complacentiæ; & ex consequenti nulla voluntate divina est volitus, & sic in Deum sicut in causam non refunditur.

412. Item actio quæ est in peccato, ut actio & entitas est, bona est: ergo à Deo efficaciter prædefinitur. Patet consequentia, quia omne bonum quod in rebus est, à Deo est volitum & prædefinitum. Antecedens patet quia illa actio peccati entitas est: ergo bona est. Tantùm enim de bonitate participat, quantum de actione & entitate, ut notum est. In quo etiam exorbitat prædictus Author opusculorum, dum dicit illum actum qui est in peccato, ut actus & entitas est, quia solùm habet naturalem bonitatem, non autem honestam & moralem, non esse à Deo. Quid enim sibi vult in hoc dicto! An vult bonitatem naturalem non esse à Deo, sed solùm moralem? Quo modo ergo Deus erit universalis motor omnium rerum, si naturalis entitas ab ipso non procedit ut jam supra ex Sancto Thoma demonstravimus. Imò ex propriis verbis Authoris hujus apertè concluditur, quod sicut in genere moris non habet ille actus bonitatem, ita in genere moris Deus ad illum non moveat: sicut autem habet bonitatem naturalem, ita Deus ut Author naturæ ad illam moveat. Itaque nulla bonitas sive moralis, sive naturalis est, quæ à Deo sicut à primo agente, & sicut à prima causa non sit.

413. In quo etiam aliud videtur advertendum, quod Doctores cum quibus disputamus minus distinctè procedunt, imò diversa videntur inculcare. Cum enim quæstio sit de entitate naturali quæ in peccato est, quæ ut sic ad agens moris non pertinet. Quomodo ipsi divertunt ad agens moris, & ex malitia morali volunt malam reddi actionem realem naturalem. Duæ quæstiones sunt valde diversæ, imò diversi generis & ordinis; & ex malitia morali nullo modo reddi potest mala actio naturalis, quatenus actio naturalis est, sed semper bona sua bonitate naturali perseverat, quam proinde necesse est Deum causare & velle, nisi universalis ejus influentia & causalitas denegetur, ut in tertio libro copiosè ostendemus.

414. Præterea prædictus Author concedit, quod licet actus peccati secundùm quod est actus hominis solùm sit permissus per divinam providentiam, & sic eadem permissio sit revera medium quo Deus suam ostendit bonitatem, non est tamen necesse ut actus ipse sit medium, sed materia circa quam Deus suam justitiam vel misericordiam manifestat: etsi interdum ratione entitatis habet aliquam utilitatem, qua Deus benè utitur ad aliquem fine providentiæ suæ. Jam ergo secundum istum Authorem actus peccati ratione entitatis non est solum materia circa quam, sed habet aliquam utilitatem qua Deus benè utitur ut medio ad aliquem finem providentiæ, quam medij rationem non potest habere actus secundùm quod adjunctam habet malitiam: ergo illa entitas ordinabilis est à Deo in finem providentiæ suæ; nec ex consequenti malitia ordinatur in finem talis providentiæ, quia malitia ordinabilis non est. Separantur ergo jam ista duo, & entitas quæ est in peccato, & malitia, ita quod Deus entitate utitur ut medio ad finem providentiæ non simul utendo malitia: poterit ergo velle & causare entitatem illam, non volendo, vel causando malitiam. Nam illud quo Deus utitur ad finem suæ providentiæ à divina voluntate est volitum, ut sic ordinetur in finem divinæ providentiæ. Certè prædictus Author sibi ipsi respondeat. Si enim non potest Deus velle absolutè & prædefinitivè illam entitatem quatenus entitas est, nisi simul velit & prædefiniat malitiam conjunctam: ergo nec poterit uti illa entitate vel illo actu ratione entitatis ut medio in finem suæ providentiæ, nisi etiam utatur conjuncta malitia in eundem finem providentiæ: vel si potest uti actu peccati ratione entitatis ut medio in finem suæ providentiæ, non utendo simul malitia conjuncta, ut planè iste Author fatetur, poterit etiam velle illum actum ratione præviæ entitatis, & illum prædefinire ad finem suæ providentiæ, non prædefiniendo malitiam.

415. Tota vis argumenti hujus in hoc consistit, quod iste Author vult, quòd peccatum ratione entitatis habeat aliquam utilitatem qua Deus bene utatur in finem providentiæ, hic autem bonus usus illius entitatis debet esse usus ut medij ordinabilis in finem providentiæ. Nam si loquatur de usu rei, non ut medium est, etiam ipse usus potest competere ipsi peccato; quia commune proloquium Theologorum est, quod Deus utitur peccatis hominum in bonum ut docet D. Thomas tum alibi, *tum 2. 2. quæst. 78. art. 4.* dicens. *Quod Deus utitur omnibus peccatis ad aliquod bonum.* Non tamen utitur eis, ut mediis, quia repugnat quod peccata media sint ad bonum finem ordinabilia; sed utitur eis, vel tanquam materia circa quam, vel sicut occasione ex qua omnipotens, bonum deducit. Cum ergo prædictus Author entitati quatenus entitas est, concedat aliquem usum quem non concedit ipsi peccato, necesse est quòd intelligat de usu in ratione medij, ut dictum est, & tunc ratio facta currit.

CAPUT XXXIII.

Aliæ rationes inducuntur ad ostendendum actionem, quæ est in peccato, quatenus actio & entitas est, à Deo prædefiniri.

416. AMPLIÙS Deus concursu simultaneo concurrit ad entitatem quæ est in peccato quatenus entitas est, non concurrendo ad malitiam, ut ipsi Authores expresè fatentur: ergo potest prædefinire & prædeterminare illam entitatem ratione præcisæ entitatis, non prædefiniendo vel prædeterminando malitiam. Patet consequentia, quia concursus simultaneus magis conjunctus est cum actione peccati, quàm concursus prævius sive prædeterminans: cum secundum ipsos concursus simultaneus sit illa actio quæ est in peccato, considerata prout provenit à Deo; concursus autem prævius ab ipsa actione peccati distinguitur, quia illam antecedit. Si ergo concursus

Digitized by Google

curſus Dei ſimultaneus qui magis conjunctus eſt cum actione peccati poteſt attingere & de facto attingit ipſam actionem peccati, quatenus actio eſt, non attingendo ipſam malitiam : multo à fortiori concurſus prævius ſive prædeterminans qui longiùs ab actione peccati diſtat, poterit movere hominem ad illam entitatem, quatenus entitas eſt, non prædeterminando aliqua ratione ad culpam, ſive ad malitiam.

417. Sed dicunt, Deum concurſu etiam ſimultaneo non concurrere determinatè ad actionem peccati, quatenus actio eſt, ſed ſolùm illo ſuo indifferenti concurſu, unde non concurrit ad malitiam. Cæterum contra ipſum indifferentem concurſum plura in tertio libro dicitur ſumus. Ad præſens autem dicitur, quod nec iſte concurſus indifferens tollit argumenti difficultatem. Nam in homine volente determinare divinum concurſum ad peccatum, Deus vult ſimul cum illo ad illud peccatum concurrere, ſi iſta duo ſunt inſeparabilia, & non poſſit Deus concurrere ad entitatem illam, niſi ſimul concurrat ad malitiam. Non poteſt autem dici quòd ſuppoſito, quod homo vult committere peccatum, quod Deus quaſi ſtractus & determinatus ab homine velit ad illud peccatum concurrere : ſicut nec poteſt honeſtari quod volente uno homine peccare, & determinare alium ad peccandum, ille alius cum illo ſimul peccatum velit committere. Vnde hoc quaſi convicti argumento iſti authores conſequenter dicunt, Deum aliquo modo eſſe cauſam peccati. Sic enim aſſerunt. *Deus malorum noſtrorum in particulari non dicitur cauſa ſimpliciter, ſed cum addito diminuente* (univerſalis) *eam actionem cauſalitate ſua, & univerſali concurſu minimè intendens.* Quæ tamen propoſitio concedi non debet, nec à Theologo admitti, Deus enim noſtrorum peccatorum cauſa univerſalis nullo modo eſt. Nec iſta dictio, *univerſalis*, ratio diminuens eſt ut malè prædictus author arbitratur. Unde ſi ſemel admittatur, Deum noſtrorum peccatorum cauſam univerſalem eſſe ; pariter videtur convinci, quòd author culpæ Deus conſtituatur, quod contra veritatem procederet catholicam.

418. Nec illæ reſtrictiones quod videlicet Deus non intendat culpam, multum juvant ad excuſandam ſimilem propoſitionem ſemel admiſſam ſemelque prolatam. Admiratione quippe digni ſunt iſti authores, ex una enim parte clamitant contra nos (qui entitatem quæ eſt in peccato ut entitas eſt, dicimus à Deo prædefiniri) dicentes, quòd Deum conſtituimus authorem culpæ : ex alia parte ipſimet concedere non formidant Deum eſſ cauſam univerſalem noſtrorum peccatorum, licet illa non intendat, quod tamen nullo modo concedi poteſt. Cum ergo ut modo probatum eſt non poſſint ij authores concedere quod Deus ſimultaneo illo concurſu ad peccatum concurrat, ſupereſt ut fateri teneantur per illum concurrere ad actionem quæ eſt in peccato non ad peccatum ipſum, ut alij ex ipſis concedunt ; & ſic argumentum primò factum concludit, quod etiam concurſu prævio id poſſit efficere, cum malitia peccati non magis ſit conjuncta cum concurſu prævio, quàm cum ſimultaneo, imò magis ſimultaneus ſit conjunctus cum actione hominis, quàm prævius, ut dictum eſt ſupra. Illi autem authores relati qui fatentur Deum ſimultaneo concurſu concurrere ad actionem quæ eſt in peccato, quatenus nempe actio & entitas eſt, verè loquuntur ; quia etiam in illorum ſententia illum indifferentem concurſum à Deo homini datum, ipſa hominis voluntas facit ut determinatè ſecum ad hanc, vel illam actionem concurrat : ergo jam divinus concurſus ab homine determinatus, determinatè cum homine hanc in particulari actionem quæ eſt in peccato cauſabit, nec aliud etiam in illorum ſententia intelligi poteſt. Vnde ſecundum noſtrum argumentum ſemper in ſuo robore, & vi perſeverat.

419. Vltimò, differentia ſpecifica (ſive formale malis moralis) conſiderata quatenus eſt quid poſitivum & reale, eſt à Deo & volita & cauſata, abſque eo quòd malitia ipſa à Deo etiam ex conſequenti cauſetur : ergo multo à fortiori actio naturalis quæ eſt materiale ipſius peccati, ut actio & entitas poſitiva eſt, erit à Deo volita & cauſata, abſque eo quod inde inferatur quod Deus ſit cauſa etiam ex conſequenti malitiæ, & deformitatis. Antecedens ſupponatur ex iis, quæ dici ſolent à diſcipulis S. Thomæ præcipuè à Cajetauo, imò ab ipſo S. Thomæ 1.2. *quæſt.* 79. *art.* 2. *ubi ſolutione ad quartum.* Illud argumentum quod iſti recentiores pro magno faciunt, ſolvit, ſic dicendo. *Ad tertium dicendum quod ſicut dictum eſt ſupra, actus & habitus non recipiunt ſpeciem ex ipſa privatione in quo conſiſtit ratio mali, ſed ex aliquo objecto, cui conjungitur talis privatio : & ſic ipſe defectus qui dicitur non eſſe à Deo, pertinet ad ſpeciem actus conſequenter, & non quaſi differentia ſpecifica.* Quibus verbis tria dicit S. Thomas. Primum eſt, deformitatem ſive defectum peccati ut ſic puram privationem eſſe. Secundum ſpecificam differentiam mali moralis, non eſſe illam deformitatem, ſeu defectum illum, vel illam privationem. Tertium & ultimum eſt, differentiam conſtitutivam cujuſcumque mali moralis conſiſtere in aliquo bono, cui conjungitur illa deformitas, ſeu privatio boni. Hæc tria planè conſtant ex prædicto loco Sancti Thomæ, & 1.*p.* *q.* 48. *art.* 1. *ad* 2. & 3. *contra gent. cap.* 9. illa clariùs proponit, ſed de hoc aliàs, modò ſolum aperitur qualiter à fortiori teneat argumentum. Si enim ſecundum S. Thomam concurrit Deus ad ſpecificam formalitatem mali moralis, quæ quid poſitivum eſt, non concurrendo ad privationem rectitudinis illi annexam, quantò magis poterit concurrere ad entitatem ipſius, ſive ad actionem quatenus actio eſt pertinens ad eſſe naturæ. Notandum tamen quòd ratio procedit de malo morali, & poſitiva illius differentia, non de peccato quatenus ſpecies ſubjectiva eſt mali ſimpliciter, ſub ipſo contenta. Valde enim diſtant hæc duo malum morale, & peccatum ut malum ſimpliciter ; licet enim idem ſint materialiter, formaliter tamen diſtinguntur, ut clariùs exponemus tertio libro. Nam malum morale formaliter eſt quid poſitivum, & poſitivam habet differentiam ad quam ſequitur privatio rectitudinis & rationis, ſeu averſio : at peccatum formaliter ut eſt malum ſimpliciter, ad illius propriam rationem formalem ſeu differentiam pertinet illa rationis privatio, ſeu illa averſio, quod copioſè citato loco expendemus. Vnde licet malum morale formaliter ſit quid poſitivum, tamen peccatum formaliter ut malum ſimpliciter, quid privativum eſt.

420. Inſuper S. Thomas hanc eandem veritatem docet ubique, dicit enim priùs Deum inclinare voluntatem ad omnem actum quàm ipſa ſe inclinet. Aſſerit autem hoc 3. *contra gent. cap.* 67. *ratione* 4. & *cap.* 89. *ratione* 5. & *quæſt.* 3. *de potentia art.* 7. & 1.2. *quæſt.* 9. *art.* 4. & *quæſt.* 10. *art.* 4. & 1. *part. quæſt.* 83. *art.* 1. *ad* 3. & alibi ſæpius. In quibus locis talem format rationem ex Ariſtotele in Ethic. ad Eudemium pro hac veritate manifeſtanda. Voluntas aliquando eſt in potentia ad eliciendum ſubſtantiam actus mali : ergo debet reduci in actum à Deo ad illam eliciendam. Antecedens patet, quia antequam voluntas peccet, in potentia eſt ad producendam ſubſtantiam actus quæ eſt in peccato. Conſe-

Digitized by Google

quentia autem probatur, quia omne quod est in potentia ad exercitium alicujus actus, debet reduci ad actum respectu talis exercitij ab aliquo quod sit in actu respectu illius, sed nullus alius præter Deum est semper in actu: ergo à solo Deo debet voluntas reduci de potentia sua in actum volendi substantiam illius actus; cum autem ipsa creata voluntas se reducere de potentia in actum non possit, nunquam poterit elicere illam substantiam volitionis, & sic nunquam poterit peccare. Sicut ergo ad divinam providentiam spectat permittere, quod defectibilis voluntas ex nihilo producta aliquando deficiat, ita consequenter ad divinam providentiam spectat illam reducere de potentia in actum, quoad actus substantiam & entitatem.

421. Confirmatur hoc magis & explicatur. Deus permittit peccatum, & posita illa permissione infallibiliter homo peccat: ergo Deus prædefinit movere hominem ad entitatem peccati, ut entitas est. Patet consequentia, quia si permissio detur sine ista voluntate prædefiniendi, non esset certum quod homo peccaret, ut ex dictis modo constat, quia se reducere de potentia in actum non posset. Quare ad permissionem quia Deus vult v.g. permittere homicidium, sequitur quod Deus velit movere manum hominis ad illam actionem, quatenus actio & entitas est; aliàs nunquam divina permissio impleretur: ex ipsa enim voluntate permittendi peccatum quodammodo Deus se obligavit ad præfiniendam actionem quæ est in peccato, quatenus actio est. Cum enim peccatum non sit nisi in bono, si Deus vult peccatum permittere, necesse est quod bonum velit causare, in quo est ipsa deformitas & peccatum.

422. Confirmatur ampliùs. Nam voluntas priusquam eliciat substantiam actus quæ est in peccato, est indifferens respectu illius: ergo priùs debet determinari à Deo, quàm illam eliciat: patet consequentia, quia non potest voluntas indifferens & indeterminata elicere actum determinatum: actus enim determinatus non procedit à potentia indeterminata, ut commune est Philosophorum Proloquium; nec potest determinari à se ipsa, quia nullo modo est in actu formali, aut virtuali, seu eminenti respectu actualitatis talis actus: ergo debet priùs natura determinari à Deo quantùm ad substantiam illius actus, nam ab alio quolibet extrinseco determinari non potest.

423. Amplius voluntas creata respectu cuiuscumque volitionis ut actio & entitas est, non est primum liberum, nec primum se determinans: ergo non movet se ad talem operationem, quatenus entitas est, nisi moveatur à Deo. Consequentia patet, quia id quod non est primum liberum, sed secundum, indiget quod moveatur & applicetur ad operandum quidquid reale producit, à primo libero, quæ ratio supra à Sancto Thoma est constituta.

424. Præterea S. Thomas 12. *quæst.* 87. *art.* 2. docet, quòd actio peccati ut est laboriosa, est pœna alterius peccati, licet peccatum ut peccatum per se, pœna alterius non sit: quod est clariùs dicere quod actio quæ est in peccato, in quantum talis actio vel entitas est, est alterius pœna & ut sic bona, quia pœna ut pœna bona est: ergo Deus potest velle & præmovere hominis voluntatem ad illam sub hac ratione pœnæ: sicut ergo substantiæ laboriosæ actus mali, est intrinseca malitia, quo tamen non obstante, Deus præmovet ad substantiam illius actus ut est pœna vel ut est laboriosa non præmovendo ad malitiam; similiter etiam potest præmovere ad substantiam talis actus ut entitas positiva est, non præmovendo ad malitiam.

425. Insuper Deus est prima causa unionis animæ rationalis ad corpus, præmovens causam secundam ad actionem unitivam illius, licet ab illa ut procedit ab homine ut instrumento Adami sequatur in anima culpa originalis; nec tamen Deus consequenter præmovet hominem ad culpam originalem: ergo similiter licet ex actione homicidij quatenus procedit à causa deficiente videlicet ab homine, sequatur deformitas peccati, non tamen sequitur ex actione Dei præmoventis & prædeterminantis hominem ipsum ad substantiã actus, quatenus entitas positiva est.

426. Vltimo Deus conservat entitatem illius actionis: ergo Deus illam producit. Patet consequentia, quia eadem est actio qua Deus producit, & conservat: si autem illam producit utique ut causa prima, & ex consequenti movet secundam causam ad producendam illam actus entitatem. Hoc enim de ratione causæ primæ est, movere & applicare secundas ad suas reales operationes, ut ubique docet S. Thomas *quæst.* 3. *de potentia art.* 7. 3. *contra gent. cap.* 67. 1. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *ad* 3. 1. 2. *q.* 10. *art.* 4. & alibi sæpe. Item si illa actio habetur à voluntate humana se primò ad illam determinante, antequam ad illa determinetur à Deo sub ratione præcisè entatis suæ, convinci videtur actionem illam comparatione divinæ voluntatis & causalitatis esse fortuitam & casualem, quod dici nullo modo potest. Patet sequela, quia si actio non est à Deo sicut à primo agente movente hominem ad illam, non erit ab ipso sicut à primo providente, & ordinante illam in finem: nam divina providentia tantùm se extendit ad illa, ad quæ concurrit divina causalitas, quia providentia est ordinatio rerum in finem, unde eveniet præter divinam intentionem & à casu comparatione divinæ providentiæ.

CAPUT XXXIV.

Contra hujusmodi prædefinitionem divinam respectu actionis quæ est in peccato, recentiorum argumenta proponuntur ex testimoniis SS. desumpta.

427. MVLTA elaborata congerunt argumenta prædicti authores, quibus maximè diffunduntur, ut probent actionem quæ in peccato est, quatenus actio & entitas est, à Deo non esse volitam, prædefinitam, sive causatam. Quæ omnia in hunc tendunt finem, quòd si Deus illam prædeterminat hominis voluntatem, cum malitia & deformitas intrinseca sit illi actioni; ex consequenti Deus prædefiniret, vel prædaterminaret hominem ad malitiam & peccatum, quod hæræticum & blasphemum est. Videbis autem illos multùm laborare in probanda hac illatione. Hinc enim opponunt argumenta contra divinæ voluntatis prædefinitionem. Hinc alia cumulant contra temporalem prædeterminationem in voluntate receptam, quæ ex divina prædefinitione dimanat. Nunc ergo iuxta naturæ ordinem illa sunt proponenda & solvenda argumenta quæ contra Dei prædefinitionem procedunt; nam alia secundi ordinis quæ contra prædeterminationem voluntati impressam procedunt, ad tertium hujus operis librum spectant, ubi proponenda sunt, atque solvenda. Primò ergo sic opponunt. Plurima sunt scripturæ testimonia in quibus dicuntur hujusmodi mali actus omnino alieni à divina voluntate; quæ autem Deus prædefinit non sunt ab ejus voluntate aliena, cum ea verè amet, & efficaciter velit: ergo illos malos actus Deus non prædefinit: Patet major, nam Habauch primò habetur. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Vbi ad literam sensus est de scientia approbationis; est autem eadem

Digitized by Google

eadem, vel major ratio de voluntate prædiffiniente, non enim potest Deus non approbare quæ absoluta voluntate vult fieri, unde est generalis illa loquutio: *Non Deus volens iniquitatem tu es* Et specialiter de voluntate prædiffiniente intelligitur & illud Jeremiæ 19. *Repleverunt locum istum sanguine innocentium & ædificaverunt excelsa Baalim quæ nec præcepi, nec loquutus sum, nec ascenderunt in cor meum.*

428. Preterea opponunt ex *Concilio Arausic. 2. can.* 23. dicente *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet* Displicent autem peccatorum actus Deo: non ergo ex Dei voluntate fiunt. Et expressius *can.* 25. *Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos esse non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus*, Ergo Deus ad malum culpæ non prædiffinit, vel prædeterminat *Item in Concilio Valentino Gallico* sub Lothario *can.* 3. sic habetur. *Fatemur prædestinatione Deum ea tantum statuisse quæ ipse vel gratuita misericordia, vel justo judicio facturus erat. In malis verò ipsorum malitiam præsciisse, quia ex ipsis est; non prædestinasse, quia ex illo non est* Et iterum ibi, *Aliquos ad malum prædestinatos esse divina potestate, non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint cum omni detestatione, sicut Arausicana Synodus illis anathema dicimus.* Similiter in sexta Synodo *act.* 4. inter blasphemias Theodori refertur, quod dixerit disposuisse Deum, ut homines peccarent, quia ita eis expediebat.

429. Præterea opponunt Sanctorum testimonia. Leo 1. *Serm.* 16. *de Passione* super illa verba *Convenerunt in civitate ista &c.* inquit *Nunquid iniquitas persequentium Christum ex Dei est orta consilio, & illud facinus quod omni majus est crimine manus divinæ præparationis armavit. Non hoc plane de divina justitia sentiendum est, quia multum diversum, multumque contrarium est id quod in Iudeorum malignitate præcognitum, & quod in Christi est passione dispositum.*

430. Leo 9. in Epist. ad Petrum Antiochenum inter alias suæ fidei professiones *Credo* (inquit) *prædestinasse Deum solummodo bona, præsciisse autem bona & mala.*

431. Sanctus Augustinus de prædest. sanct. cap. 10. *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus. Præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata &c.* In qua sententia S. Augustinus est totus, quod videlicet Deus prædestinat quæ facturus est, præscit autem peccata non autem illa prædestinat: non ergo Deus actiones peccatorum prædiffinit; quia idem omnino est illa non prædestinare, & illa non prædiffinire.

432. Sanctus Prosper ad objectiones Vincentianas responsione quarta dicit [Insansum omnino & contra rationem est, dicere voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri, & damnatorem diaboli ejusque famulorum, velle ut diabolo serviatur.] Et in 10. [Detestanda & abominanda opinio, quæ Deum cujusque malæ voluntatis, aut malæ actionis credit authorem, cujus prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra justitiam est. Universæ enim viæ Domini misericordia, & veritas. Adulteria enim maritatarum & corruptelas virginum non instituere novit sancta Divinitas, sed damnare: non disponere, sed punire.] Et in 11. [Nihil talium negotiorum Deus prædestinavit, ut fieret; nec illam animam nequiter turpiterque victuram ad hoc ut taliter viveret præparavit.] In quibus omnibus sermo est de actionibus ipsis quæ pravè ab hominibus fiunt. Item de vocatione gentium cap. 4. [Certissimè noverimus nullum fidelium à Deo non discedentem relinqui, nec cujusque ruinam ex divinam esse constitutione dispositam.] Et ad cap. Gallorum cap. 1. [Prædestinationis fides multa sanctorum Scripturarum autoritate munita est, cui nullo modo fas est ea quæ ab hominibus malè aguntur, adscribi.] Non potuit clariùs de actionibus ipsis materialibus loqui, illa enim sunt quæ malè aguntur. Idem sumitur ex cap. 6. 7. 11. 12. 14. & 15.

433. Sanctus Fulgentius (ut dicunt) de hoc integrum librum scripsit ad Monimum, ut ostenderet prædestinasse tantummodo bona; præsciisse autem tantummodo mala quæ ipse non erat facturus. Multaque sunt loca quibus hoc planè docet. In particulari autum sic dicit. [In se habuit (quod absit) iniquitatis originem, si hominem à se factum prædestinavit peccatorem] Item. [Posset peccatum ex prædestinatione Dei esse, si posset aliquis hominum justè peccare] Rursus. [Nunquam ad hoc Deus prædestinaret, quod ipse dispoſuerat præcepto prohibere.] Et iterum [Si dixerimus prædestinatum à Deo aliquod opus malum, nos Deo misericordi, & justo tale opus ascribimus, quod absit, ubi nec misericors potest esse nec justus] Et iterum dicit. [Illla Deo indigna noverimus, in quibus, nec bonitatem, nec justitiam invenimus.] Nec sufficit recurrere ad formale peccati. Tum quia Fulgétius de ipsis actibus voluntatis quibus homo peccat, loquittur: Tum quia rationes Fulgentij optimè procedunt de ipsis actibus, nam prædestinare tales actus non est opus justitiæ, nec est opus misericordiæ. Citant etiam S. Hieronymum & Tertullianum qui docent Deum non facere consilis voluntatis suæ mala, nec concedere quæ ipse damnat: Cum autem actus peccatorum damnet illos nec vult, nec causat.

CAPUT XXXV.

Adversarium ad idem rationes proponuntur.

434. INSUPER rationibus id confirmant. Primò quidquid Deus prædiffinit, prædestinat: quod autem prædestinat, procurat, inchoat, facit, ut fiat; sed Deo repugnat procurare, inchoare, & facere, ut fiat actus peccati: ergo ipsi repugnat quod illos prædiffiniat. Major pro prima parte patet, nam prædiffinitio, & prædestinatio solis nominibus differunt. Secunda autem pars ejusdem majoris constat; quia quod Deus prædestinat, providet ut fiat, & facit ut ipsa fiant, ut ex S. Augustino lib. de præd. Sanct. & S. Fulgentio ad Monimum satis fit manifestum. Minor autem patet, quæ enim major repugnantia quàm Deum facere ut fiant actus peccatorum.

435. Præterea, quia sequitur quòd Deus non solùm permittat peccatum; sed quod ipsum velit, & prædiffiniat. Patet, quia Deus non solum voluit permittere quòd Judas venderet Christum; sed ut dicunt voluit quòd venderet Christum: unde dicendum esset quòd ideò Judas vendidit, quia Deus voluit & decrevit, quod dici non potest.

436. Præterea Deus prohibet ipsummet actum malum ettam pro materiali, ut patet tum ex forma legis *Non concupisces.* Tum quia leges sunt de ipsis humanis actibus: Tum quia deformitas non contrahitur ab homine nisi per actum, unde nec prohibitur nisi prohibendo actum: ergo non potest Deus ex se talem actum velle, & prædiffinire: nam si quod destruxit, iterum ædificiat, prævaricatorem certè se constituit. Quæ enim major prævaricatio & repugnantia voluntatis quàm velle, & prædiffinire quæ prohibet. Unde S. Ambrosius 1. exameron cap. 8. *Eradicari hanc vult Deus* (id est malitiam) *de animis singulorũ, quomodo eam ipse*

Digitized by Google

ipse generaret, Certè divina voluntas prima, & suprema regula est omnis bonitatis: unde si absoluto decreto vult efficaciter ut aliquis actus à me fiat, non peccabo illum faciendo, cum conformem me primæ bonitatis regulæ: teneor enim me conformare voluntati divinæ in volito formali, videlicet in his quæ ipse efficaciter vult me velle: unde si talis prædefinitio actus peccati esset alicui revelata, videlicet Deum efficaciter statuisse me occidere hominem, illum occidendo non peccarem.

437. Quarta ratio sic formatur. Illud obiectum est turpe & contra rationem; ergo Deus non potest illud absolutè velle: ergo non potest prædiffinire, quod idem est. Cur enim Deus non potest me velle mentiri, certè non alia ratione nisi quia menadciũ est obiectum turpe, & per se contra rationem. Dices non velle Devm, ut ego dicam mendacium, nam sub his vocibus includitur formalis deformitas, sed velle Deum ut velim dicere hæc verba quæ in me sunt mendacium, quod est materiale tantum. Sed hoc non satisfacit, quia Deus in ea prædifinitione non vult in abstracto & confusè me dicere hæc verba, sed hîc & nunc & cum hac existimatione & cognitione: ergo revera vult me loqui contra mentem quod est mentiri: & idem est evidens in voluntate homicidij, aut turpis concubitus.

CAPUT XXXVI.

Solvuntur argumenta ab authoritatibus SS. petita, & proposita supra cap. 21.

438. HÆc autem argumenta minus movere debent Theologum, ut à prædicta veritate recedat; sed in his duobus quasi fixis debet permanere. Primò Deum peccatum non velle, ipsum non prædiffinire, aut prædestinare. Secundò quamcumque entitatem quæ est in peccato quatenus entitas & actio est, quia ut sic bona est, esse à Deo volitam & prædiffinitam. Utrumque enim fundamentum habetur ex fide, ut jam supra ex S. Thoma est demonstratum. Primum tenendum est contra hujus temporis hæreticos, Lutheranos, & Calvinistas, qui blasphemè dicunt Deum velle peccata ipsa, prædestinare, atque causare. Secundum autem contra Pelagianos qui negant Deum velle aut prædefinire entitem, & actionem quæ est in peccato, quatenùs præcisè actio & entitas est. Utrique enim quia sine distinctione procedunt, pertinaciter errant. Hæretici enim hujus temporis non distingunt inter actionem quæ est in peccato, & peccatum ipsum, putantes quòd quidquid ad illam actionem movet, movet ad peccatũ. Vnde ad utrumque cõtendunt Deum movere. Pelagiani verò minus etiam inter actionem quæ est in peccato, & peccatum ipsum distinguentes, sub hoc prætextu, quòd Deus non movet ad peccatum, negant Deum ad illam actionem quatenùs actio est, movere, illamque causare. Vnde cum inter bonum & malum discernere nolunt, vel nesciunt, putant quòd cum Deus entitatis & bonitatis constituitur author, etiam culpæ constituatur effector. Qua simili ratione Pelagiani putabant damnari bonum nuptiarum, quia libido quæ illas concomitatur, reprehendebatur. Vnde S. P. Augustinus *lib. de pec. orig. cap. 37.* contra illos dicit. *Verùm quia jam ista conditione mortalium, nunc simul aguntur concubitus & libido, eo fit ut cum libido reprehenditur, etiam nuptialis concubitus licitus & honestus reprehendi putetur ab eis qui nolunt discernere ista, vel nesciunt. Nec attendunt illud esse nuptiarum bonum, unde gloriantur nuptiæ, id est, proles, pudicitia, Sacramentum; illud autem non esse nuptiarum sed carnalis concupiscentiæ malum, de quo erubescunt & nuptiæ.* Hæc Sanctus Doctor. Ergo eadem omninò ratione, quia cum entitate & actione aliqua inseparabiliter conjungitur malitia, qui inter hæc duo nolunt, vel nesciunt distinguere, arbitrantur quòd dum entitas & actio approbatur, in Deum que authorem refunditur, ipsa simul culpa approbetur, & in Deum refundatur. Et cum Scriptura Sacra sanctaque Concilia damnant culpam, illiusque negant Deum authorem, negent etiam illius entitatis quatenus entitas est Deum esse primum effectorem & motorem. Distinguenda ergo sunt ista duo maximeque distinguenda & separanda à viro Theologo, & mediâ viâ Catholicâ inter duos extremos errores est procedendum. Sic enim discedendum est à Manichæo qui Deum negabat primum authorem aliquarum entitatum, & à Pelagio qui cum ipso in hac parte conveniens affirmabant hominem suam inchore actionem, ut tamen cum hujus temporis hæreticis Lutheranis, & Calvinistis minimè conveniamus, qui dicunt Deum movere ad peccatum, & culpam. Et sic discedendum est ab his hæriticis, negando Deum movere ad culpam, ut cum Manichæo non conveniamus, negando aliquam entitatem vel actionem quatenùs entitas est, à Deo sicut à primo movente procedere,

439 Igitur ad omnia simul argumenta in contrarium primò generali respondetur solutione, nullomodo sequi ex eo quòd Deus prædifiniat entitatem & actionem quæ est in peccato quatenùs entitas & actio est, quòd malum culpæ siue peccatum prædestinet aut prædiffiniat. Quia ex illo primo, quod de fide est, hoc secundum quod manifestè contra fidem peocedit, nulla ratione consequitur. Vnde S. Thomas 1. 2. q. 79. utrumque docet, & quod Deus causa peccati non est, & quod est causa cujuscunque actionis quæ est in peccato: & ratio fundamentalis hujus est quam assignat S. Thomas 1. 2. *quæst. 79. art. 2.* Quia licet Deus causet quidquid entitatis & actionis est in peccato; non tamen est causa hujus quod illa entitas sive actio sit cum defectu, unde non est causa peccati. Ille enim solùm est causa peccati qui est causa ut actio illa sit cum defectu seu deformitate: sicut virtus motiva est causa cujuscunque motionis quæ est in claudicatione, non tamen est causa ut motio fiat cum claudicatione: & hujus iterum ratio est, quia ut sanctus Thomas dicit *quæst. 3. de malo art. 2. ad 2.* Deformitas peccati non consequitur speciem actus secundum quòd est in genere naturæ, secundum quam rationem à Deo causatur; sed tantùm consequitur deformitas ad illam rationem, secundum quam rationem à solo homine fit. Imò si homo operaretur illam actionem secundum illam præcisam rationem quam habet ut à Deo provenit prædiffiniente & determinante, nullo modo peccaret.

440. Quomodo autem ista cohæreant explicatum est supra, cum diximus Deum prædiffinire actionem quæ est in peccato suppositâ sua permissione, & prædiffinire illam non quantùm ad omnia quæ habet, sed quatenus præcisè actio & entitas est in esse naturæ. Quæ fuerunt duæ differentiæ sæpe signatæ *cap. 10.* cum aliis duabus ibi explicatis, quibus differt à prædiffinitione qua Deus bonam actionem in esse moris prædiffinit, ut ibi manet expositum.

441. Hac ergo generali solutione suppositâ, ad singula in particulari per ordinem respondetur. Et ad relata Scripturæ testimonia, dicendum ea solùm docere quod Deus non respicit ad iniquitatem, nec illam vult aut præcipit, nec illa in cor Dei ascendit, quo nihil est verius: nam omnes istæ propositiones formales sunt, sensumque formalem, ut jacent, important etiam secundum regulam dialecticorum, quæ dicit quod

Digitized by Google

quod verba significantia actum animi interiorem appellant proprium conceptum supra terminum in quem feruntur. Cum ergo prædicta Scriptura testimonia dicant Deum non respicere ad iniquitatem, nec illam velle; sensus planus est, quod iniquitas à Deo non est volita, nec causata. Ex hoc autem nullo modo sequitur quod entitas quæ est in tali actione, quatenus entitas est, à Deo non sit volita & prædiffinita. Non ergo ascendit in cor Dei iniquitas aut peccatum aut malum culpæ: verè autem in cor ejus ascendit entitas illius actionis, ut entitas illius actionis, quia bona est à Deo in bonum finem ordinata. Nec in prædictis Scripturæ testimoniis sermo est de ipsis operibus quatenus præcisè actiones seu entitates sunt, sed quatenus sunt actiones elicitæ ab humana voluntate cum malitia annexa & intrinsecè conjuncta, secundum quam rationem verè peccata sunt, verèque à Deo prohibita, & nullo modo ut sic à Deo volita vel causata.

442. Ad Concilium Arausicanum dicendum eodem modo, quod planè loquitur de voluntate qua homo peccat & committit actum simul cum malitia, quæ voluntas Deo displicet & ad illam ut sic Deus non movet. Similiter cum definit Deum non prædestinare ad malum videlicet culpæ (ut verba sonant) de culpa & de peccato formaliter loquitur; quia prædestinare appellat proprium concepti m supra terminum in quem fertur, ut communis est Theologorum, imò dialectorum sententia. Peccatum autem sive malum culpæ formaliter dicit actionem simul cum adjuncta malitia quam (ut diximus ex Sancto Thoma) Deus non prædiffinit. Consultò autem dicit Concilium se non credere aliquos ad malum esse prædestinatos, sed id anathematizare; quia à Pelagianis & Semipelagianis imponebatur Sancto Augustino & defendentibus ejus doctrinam (quam Concilium approbat & defendit) quod Deum constituerent ad malum culpæ homines prædestinare, sicut modo defendentibus Augustini doctrinam idem objicitur; quod tamen tantùm abest quod ex doctrina Sancti Augustini & Sancti Thomæ sequatur, quod potius uterque Doctor Sanctus convincit, quod qui modo dicunt quod si Deus prædiffiniat actionem quæ est in peccato quatenus actio est, ex consequenti prædiffinit peccatum: ipsi sunt qui cum Pelagio convenientes in assertiva sententia, pessimam Manichæi, & hereticorum hujus temporis approbant illationem: illi enim errando contendebant non posse Deum prædiffinire seu movere efficaciter ad actionem quæ est in peccato, nisi simul peccatum ipsum efficeret, & hanc pravam illationem, hi authores modo contendunt approbare.

443. Ad tertium ex Sanctorum Patrum testimoniis dicendum, nihil aliud in ipsis contineri, nisi quod Deus ad mala culpæ, sive ad peccata non prædestinat, nec illa vult, vel causat. Mala autem culpæ, sive peccata, ut sæpiùs est dictum, dicunt actionem cum deformitate adjuncta, quam Deus nullo modo prædiffinit: non autem dicunt actionem quatenùs præcisè rationem entis habet à Deo non esse volitam aut præfinitam. Advertendum autem quod non dicimus solam formalitatem, vel solam malitiam esse à Deo prohibitam in similibus actibus, sed totum peccatum asserimus esse malum, & à Scripturis Sanctis sacrisque Conciliis & Ecclesiæ Doctoribus Deo nullo modo attributum, sed ipsi omnibus modis denegatum. Similiter dicimus prædicta omnia testimonia de ipsis actionibus peccatorum loqui, & non de sola peccati deformitate: At verò actus peccatorum, sive peccata, sive mala culpæ dicunt essentialiter actus cum deformitate conjuncta, quos Deus nullo modo vel prædiffinit vel prædestinat.

CAPUT XXXVII.

Argumenta à ratione desumpta diluuntur.

444. AD rationem quarto loco propositam dicendum, quod quidquid Deus prædiffinit, prædestinat, procurat, inchoat, facit ut fiat. Similiter dicendum, quod actus peccatorum Deus nec prædiffinit, nec incohat, aut facit ut fiant; quia actus peccatorum absolutè & sine restrictione aliqua prolati, peccata sunt, quia dicunt conjunctam malitiam: bene autem Deus prædiffinit, & prædestinat, & facit ut fiant entitates & actiones quæ sunt in peccatis, hac præcisa ratione quatenus videlicet entitates & actiones sunt, modo quo supra exposuimus in præcedenti capite, & cap. 10.

445. Ad aliam rationem dicendum, quod Deus prohibet illos actus ut fiunt ab homine, scilicet deficienter, non tamen prohibet illos ratione præcisè entitatis quam prædiffinit; quare secundum diversam rationem, & vult Deus illam entitatem, & illam non vult. Vult enim illam quatenus est à se, & consequenter quatenus est ipsa entitas; non autem vult illam quatenus est à causa secunda deficienter: Et sic nulla ratione sequitur quod Deus operetur id quod prohibet, vel quod ædificet id quod destruit; nec quod homo conformetur voluntati Divinæ in volito formali, operando actionem deficienter & cum defectu, quia Divina voluntas nullo modo vult quòd illam cum tali defectu operetur.

446 Ad rationem aliam dicendum, quod illud objectum est turpe ut terminat actum turpem à prava voluntate provenientem verbi gratia homicidium, vel mendacium quatenus homicidium est & quatenus mendacium est. Est autem homicidium in quantùm occiditur homo privata authoritate contra rationem & legem; est verò mendacium quatenus fit contra mentem. Hæc autem objecta quatenus talia & turpia Deus non vult, vel prædiffinit; sicut nec actiones hominum vult quatenus ad talia objecta deficienter tendunt, sed tantùm illas actiones vult, inquantum entitatem habent, à se in bonum finem ordinatam. Et quamvis Deus non velit illam actionem in confuso, vel in abstracto, sed hîc & nunc velit istum exercere quidquid entitatis est in actione mala mendacij, non tamen vult aliqua ratione vel illum mentiri, vel dicere contra mentem; quia in illa singulari actione etiam ut hîc & nunc exercetur, sunt duo necessariò distinguenda, & entitas ut à Deo provenit, & entitas cum defectu ut fit ab homine; & ad primum quod Dei est, Deus concurrit, non ad secundum quod à solo homine fit. Sicut de verbis Caïphæ constat apertè, cum dixit. *Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo ne tota gens pereat.* Non enim valet consequentia. Deus movebat illius hominis linguam ad illam loquelam, non in abstracto sed in singulari, at in singulari conjunctam habebat illam iniquam intentionem iniquumque consilium: ergo Deus movebat ad illam iniquam intentionem sive consilium. Certè nulla est consequentia, quia illa actio in singulari duo includebat, alterum sanctum, ut à Spiritu Sancto procedebat

Digitized by Google

quod Deus causabat, & ad quod illius linguam movebat : alterum verò malum quod Deus permittebat tantùm. Et certè vel hoc exemplum convincit, quod Deus moveat & intendat actionem, quæ prout fit ab homine est intrinsecè mala, non tamen quatenus mala est, sed quatenus habet entitatem in bonum finem à Deo ordinatam. Quomodo autem Deus in particulari & non in confuso, vel generaliter causet quidquid entitatis est in peccato, satis explicavimus supra cap. 10. & in ppræcedentibus. Quæ doctrina applicanda est pro clara argumentorum solutione.

447 Quod autem dicitur quod quædam obiecta sunt secundum se turpia, debet intelligi, non quod secundam suam præcisam rationem entitatis turpia sint, quia illam præcisam rationem etitatis poterat Deus producere se solo, vel in lapide constituere, in quo nullam haberent rationem malitiæ, sicut se solo potest occidere hominem, quæ occisio nec homicidium est, nec turpe objectum habet. Et idem dico de actibus ex se malis, entitatem enim quæ est in actu blasphemiæ, vel odij Dei, ut præcise entitas est, à Deo potest produci & in lapide constitui, in quo nullam deformitatem haberet. Est autem ad hoc explicandum manifestum exemplum præter illud modò allatum, & illud aliud de tibia curva, quod semper sanctus Thomas adducit. Etenim Deus creando hominem cum libero arbitrio, ipse homo defectibilis productus est; & tamen illa defectibilitas ex Deo non fuit, sed quia ex nihilo producebatur. Si ergo in actione creandi quæ sola Dei actio fuit, homo defectiblis producitur, & tamen defectibiltas ex Deo non fuit sed ex homine quia fuit ex nihilo, quantò magis in actione in qua liber homo operatur, licet illa actio defectuosa sit, nullo modo Deo tribuetur, sed tantùm quidquid actionis & entitatis in illa est.

448. Veruntamen adhuc notandum est aliter Deum prædiffinire actionem moralem undique bonam, & aliter actionem quæ est in peccato quatenus actio, & entitas est. Actionem enim moralem bonam prædiffiinit Deus fieri ab homine, & prædiffinit hominem ad illam excitare, invitare, & simul præmovere, vel prædeterminare per influxum specialem, inclinando directè & per se voluntatem ut determinatè tendat in actionem talem. Cæterum ad actionem quæ est in peccato, ut diximus, non prædiffinit Deus hominem invitare, vel excitare, vel aliqua morali causalitate movere aut per influxum specialem inclinare primò & per se ac directè voluntatem, ut determinatè tendat in entitatem actionis malæ : sed tantùm occasionaliter, occasione sumpta ex homine supra satis declarata *in cap.* 10. Quod omnino in hac materia & causa considerandum est, cum illis quatuor differentiis ibi signatis, inter prædiffinitionem actionis undique bonæ, & actionis quæ est in peccato quatenus actio est. Vult etiam ut author naturæ movere hominem ad entitatem & actionem quatenus bona est naturaliter, quia sine hac prædifinitione entitatis, peccatum permissum nunquam ab homine fieret, ut dictum est. Item in operibus bonis præfinit Deus & quod sint, & quod bona sint, & quantum ad omnia quæ habent, illa Deus prædefinit. In operibus autem malis prædefinit Deus quod sint, non autem quod mala sint, sicut expressè docet Sanctus Thomas *in 2. sent. citato loco.* Quæ differentia valdè insinuatur in Concilio Tridentino *Sessione 6. de justificat. can. 6.* ut copiosius dicemus in tertio hujus operis libro.

449. Advertendum autem ultimò in hac materia, quòd licet per possibile, vel impossibile admitteretur Deum non prædeterminare actionem quæ est in peccato quatenùs actio est modo dicto, id est ratione suprà exposita ; necesse esset omninò admittere prædeterminationem, & prædefinitionem ad opera supernaturalia : Nec enim est neneccssaria consequentia, quod si detur prædeterminatio ad actus supernaturales, detur ad actionem quæ est in peccato ; quia in actibus supernaturalibus specialis ratio currit, præter illam generalem quæ sumitur ex subordinatione secundæ causæ ad primam. Vnde etiamsi illa generalis ratio & subordinatio negaretur, contra rationem omnem ; adhuc ex speciali ratione esset Divinæ voluntatis prædifinitio, seu prædeterminatio constituenda ad supernaturalia opera. Quod copiosè satis monstrabimus *In 3. & 4. libro hujus operis.*

450. Quomodo autem Scholastici antiqui & gravissimi doceant Deum & prædiffinire & prædeterminare ad actionem quæ est in peccato, quatenùs actio & entitas est, commodiùs probabimus *In 3. hujus operis libro* Agentes de prædeterminatione voluntati humanæ impressa à Deo ad agendum.

CAPUT XXXVIII.

Quod peccatum inquantùm pœna est, sit à Deo prædiffinitum.

451. VT tandem materia ista de prædifinitione entitatis quæ est in peccato concludatur, examinare oportet, an Deus sit causa unius peccati, in quantum pœna alterius, & quomodo id sit intelligendum ; in qua materia sunt quædam certa, alia autem in quibus non ita Doctores conveniunt, quæ omnia sub brevitate aperiuntur.

452. Primum ergo in quo omnes Doctores Sancti, & Theologi sine contradictione conveniunt, est, quod unum peccatum est pœna alterius peccati, imò & sui ipsius. Hæc est expressa sententia sancti Patris Augustini multis in locis suæ doctrinæ potissimè *libro 5. contra Iulianum cap. 3.* Et *libro de nat. & grat. cap. 22.* Sancti Gregorij *homil. 11. super Ezech.* Et *lib. 25. moral. cap. 9.* Sancti Thomæ *1. 2. quæst. 87. art. 2.* Et alibi frequentius. Magistri cum Schola *In 2. dist. 36.* Qui omnes hanc veritatem colligunt ex illo ad Rom. 1. *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum.*

453. Secundò conveniunt, quòd peccatum per se inquantùm peccatum, prout scilicet egreditur ab agente, non est, nec esse potest aliquo modo pœna peccati. Quod hac ratione demonstrant, quia peccatum inquantùm peccatum, qua ratione egreditur ab agente est voluntarium, pœna autem ut sic est involuntaria : ergo peccatum inquantùm peccatum, secundum videlicet quod ab agente procedit, non potest esse pœna alterius peccati. Ratio est sancti Patris Augustini *lib. 83. quæstionum q. 77.* qua utitur Sanctus Thomas *in 2. dist. 36. art. 3. & quæst. 1. de malo art. 4. & 1. 2. quæst. 87. art. 2.*

454. Tertiò conveniunt, quòd peccatum per accidens potest esse alterius pœna, & hoc tripliciter. Primo modo tanquam removens prohibens, per peccàtum enim subtrahitur auxilium divinæ gratiæ, quæ subtractio auxilij quædam pœna est, & à Deo fit; subtracto autem tali auxilio aliud peccatum sequitur, & sic illud secundum peccatum dicitur pœna alterius primi peccati ; sicut subtractio auxilij ad quam per

pœna

Digitized by Google

accidens sequitur peccatum etiam dicitur pœna præcedentis peccati. Secundo modo unum peccatum est per accidens pœna ex parte substantiæ actus, in quantùm actus qui est in peccato afflictionem quandam inducit: ut patet in ira, & invidia, quæ interiùs inducunt afflictionem ex parte substantiæ actus, ut est manifestum. Similiter actus quidam exteriores ex parte substantiæ actus, ut est manifenum, afflictionem important, ut sunt illi quibus homines lassantur & opprimuntur, cum illa explent, de quibus dicitur *Lassati sumus in via iniquitatis.* Tertio modo est peccatum, per accidens pœna peccati ex parte effectus subsequentis, quia videlicet naturam corrumpit, vel quia ignominiam, & dedecus causat vel infirmitatem. Est autem differentia quod primo modo unum peccatum est per accidens pœna alterius præcedentis, non autem sui ipsius. At verò duobus posterioribus modis peccatum non solum est per accidens pœna alterius, sed etiam sui ipsius. Doctrina hæc est aperta S. Thomæ 1.2. *quæst* 87. *art.*2.

455. Tota autem difficultas est an deordinatio, malitia ipsa, seu deformitas peccati, aut peccatum ipsum quatenus avertit à Deo, qua ratione non est per se volitum, possit esse alterius pœna à Deo ut ab agente inflicta, in quo Doctores non conveniunt. Quædam enim sententia est quod deordinatio aut deformitas peccati nullo modo potest esse peccati pœna. Ita tribuitur Cajetano 1. 2. *quæst.*87.*art.*2. licet alibi videlicet *lib.*2.*reg. cap.* 12. contrarium videatur affirmare. Secunda sententia admittit posse deformitatem ipsam esse pœnam peccati, dicunt tamen illam à Deo non causari activè & efficienter, sed tantùm permissivè propter intrinsecam illius deformitatis malitiam. Tertia sententia est aliorum, qui utrumque concedunt, quod videlicet deordinatio & deformitas potest esse pœna peccati, & quod inquantùm pœna, est non solùm à Deo permissivè, sed etiam causativè. Sic Conradus 1. 2. *quæst.* 87. *art.* 2. & videtur expressa sententia Magistri *in* 2. *dist.*36. quam multi Theologi sequntur.

456. In hac ergo materia resolutoriè dicendum videtur. Primò quod deformitas culpæ, sive actus ipse ut deformis potest esse pœna peccati. Sententia est expressa Sancti Patris Augustini lib.1. confess. cap.12. ubi dicit: *Iussisti Domine, & sic est, ut omnis inordinatus animus sibi ipsi sit pœna.* Quem locum explicans S. Thomas quæst. 1. de malo art.4. ad 3. sic dicit. *Ad tertium dicendum quod ipsa inordinata actio secundùm quod à voluntate procedit rationem culpæ habet. Secundùm verò quod eligens ex hac incurrit impedimentum debitæ operationis, hoc pertinet ad rationem pœnæ* & clarius in solutione ad secundum præmiserat. *Ad secundum dicendum quod ipse actus non est volitus in quantum est inordinatus, sed secundum aliquid aliud quod dum voluntas quærit, in prædictam inordinationem incurrit, quod non vellet, & sic ex eo quod est volitum habet rationem culpæ, ex eo verò quod inordinationem invitè quis quodammodo patitur, immiscetur ratio pœnæ.*

457. Hæc sententia sancti Thomæ videtur expressè desumpta ex S. P. Augustino *lib.* 83. *quæstionem quæst.* 77. dicit enim. *Non enim consequens, ut si patiamur timorem, ideò non sit peccatum, quia multa sunt peccata quibus patimur, sed non in quantum patimur.* Quam sententiam sicut Augustini amplectitur Magister sent. *in* 2. *de* 36. In quo loco S. Thomas *art.* 3. expressè docet quòd culpa causat pœnam ex parte aversionis, inquantùm scilicet per culpam quis privatur gratia & Deum amittit, & naturæ bonum in eo corrumpitur. Et iterum ibi docet quod non potest esse sine pœna quod actio deformis, & rectitudine rationis privata, in ipsa rationali natura inveniatur. *Et in* 1. *dist.* 46. *quæst.*1. *art.* 2. *ad* 4. dicit: *Quod defectus qui consequitur ipsum actum peccati in eo quod dum inordinatè prosequitur parvum bonum deficit à magno bono, pœna est ex iusta Dei ordinatione proveniens; ut cum aliquis quærit delectationem corporis & amittit delectationem Dei & propter hoc dicit Augustinus quod omnis inordinatus animus sibi ipsi est pœna.* Hæc S. Thomas. Sic sentit Conradus 1.2. *quæst.* 87. *art.*2. Caiet. 2. *Reg. citato loco* planè docet peccatum ipsum, sive deformitatem rationem pœnæ habere. Et forsitan 1. 2. *quæst.* 87. *art.* 2. contrarium non dicit, quia ibi tantùm dicit, quod inordinatio peccati non habet rationem pœnæ nec ut egreditur à peccante voluntariè nec ut peccatum inhæret voluntati, quod verum est. Aliud est autem quod voluntas patiatur ab ipsa deformitate quodammodo involuntariè, secundum quam rationem peccata habent rationem pœnæ, quod Cajetanus ibi uon negat.

458. Nec S. Thomas 1.2. *quæst.*87. *art.*2. contrarium dicit implicitè, aut explicitè, imò in tertio modo quo docet peccatum posse esse per accidens pœnam peccati ex parte effectus, virtualiter docuit quòd potest esse pœna ex parte effectus, inquantum privat gratia & Deum amittit, & ex parte aversionis, & non conversionis tantum, ut expressit in secundo loco citato. Ibi enim magis explicavit quanam ratione peccatum est pœna peccati ex parte effectus, videlicet quoad aversionem. Igitur secundum Sanctum Augustinum, & Sanctum Thomam ipsa inordinatio peccati per se, ut peccatum videlicet est, & ut secundariò est volita ab agente, nullo modo est pœna, sed tantum est culpa: ipsa autem deformitas in quantum est involuntaria quodammodo, & secundum quid, & in quantum homo invitè quodammodo illam patitur, pœna est, & nullo modo culpa.

459. Dicendum secundò (quod à multis viris doctis defenditur) quòd quando peccatum ratione inordinationis, & deformitatis est pœna sui, vel alterius; sit à Deo non solùm permittente, sed etiam efficiente. Hæc à multis viris doctissimis defenditur, à Magistro Conrado, & aliis gravissimis authoribus. Antequam sententia ista probetur, notandum deordinationem ut recipitur in passo dupliciter considerari. Primo modo ut est malitia formalis subjecto inhærens, à qua formaliter homo denominatur peccator, & sub hac ratione etiam non intelligunt esse à Deo effectivè sed tantum permissivè, aliàs Deus esset causa quod peccatum inesset homini, & quod ipsi inhæreret, illumque peccatorem denominaret, quia esse in homine illam deformitatem, est peccatum esse in homine, uti benè Caietanus docet 1. 2. *quæst.*87. *art.*2. Deus autem non est causa quod peccatum sit in homine. Secundò modo consideratur illa deordinatio recepta in homine secundum quod est pœnalis, afflictiva illius, vel ut corruptiva alicujus boni, & sic habere potest rationem pœnæ, & in isto sensu concedunt citati authores talem deordinationem posse esse à Deo effectivè. Quæ sententia fundari videtur in Sancto Patre Augustino *lib.* 5. *contra Iulianum cap.*3. ubi tractans ex professo quomodo Deus operatur in cordibus hominum aliqua peccata, ut sint aliorum pœnæ, planè dicit quòd id facit non solùm deserendo, sed per potentiam, videlicet, efficiendo. Et *lib. de gratia, & lib. arb.cap.*22. idem diffusius prosequitur.

460. Præterea super illud Isay. 45. *Ego Dominus creans malum.* Et Amos 3. *Si est malum in civitate quod Dominus non fecerit.* Sanctus Hieronymus, & communiter Sancti Patres per malum intelligunt quæcunque pœnalia sine distinctione hu-

Digitized by Google

jus vel illius, quæ dicunt fieri propriè, & activè à Domino. Item sanctus Thomas 1. *p. quæst.* 48. *art.* 6. absolutè affirmat & sine limitatione quod malum pœnæ est à Deo, & S. P. Augustinus *lib.* 1. *retract. cap.* 26. dicit quod quando dicitur Deum non esse authorem mali, id non debet intelligi de malo pœnæ. Ratione probatur: nam pœna eo modo est à Deo quo culpa non est ab ipso; sed culpa est à Deo permittente, & deserente solum: ergo pœna in culpa reperta non solum est à Deo permittente, sed efficiente. Maior patet quia pœna datur propter culpam: ergo alio modo debet esse pœna à Deo, quàm culpa, aliàs ordo rectus non servaretur. Et hoc videtur fundamentum hujus sententiæ.

461. Præterea Deus eo modo est causa pœnæ qua punit, sicut est causa punitionis; sed Deus est causa efficiens punitionem: ergo est causa efficiens & volens illam inordinationem qua punit. Confirmatur quia pœna ut pœna, bona est, & in bonum finem ordinatur: ergo ut sic potest esse efficienter à Deo, etiamsi reperiatur in actu inordinato. Antecedens patet ex S. Thoma 1. 2. *quæst.* 87. *art.* 2. *ad secundum.* Vbi manifestè supponit quod peccatum ut pœna ordinatur in punitionem peccati: ergo bona est, & ordinatur in bonum.

CAPUT XXXIX.

Quod deformitas culpæ, quæ est pœna, sit tantùm à Deo permissa, seu peccatum sit duntaxat permissum.

462. HÆc sententia Conradi licet à multis probetur, nobis tamen minimè probatur: tum quia in S. Thoma fundamentum non habet, imò potiùs contraria sententia ut dicemus, in ipso fundatur expressè; tum etiam quia in deformitate ipsa essentialiter & intrinsecè mala, vix invenire possumus rationem boni à qua honestetur, & à Deo effectivè causetur. Imò si ostium hoc semel aperitur, in quocumque peccato intrinsecè malo posset quis imaginari aliquem ordinem ad puniendum, vel ad alium rectum finem, secundum quem tale peccatum à Deo dicetur propriè causari, quod admitti non debet. Item quia in his materiis cautissimè loquendum est, ne occasio præbeatur, ut Deus causa peccati constituatur. Vnde magis in hac parte placet contraria sententia Magistri Cano. 2. *lib. de locis cap.* 4. *ad* 7. *argumentum.*

463. Sed dicunt authores prædictæ sententiæ, quod sicut Deus est causa entitatis naturalis quæ est in peccato, ita potest esse causa deformitatis ut pœna est; quia pœna ut sic est bona sicut entitas illa naturalis & positiva: Imò dicunt quod qui admittunt Deum esse efficientem causam formalis peccati ut entitas est, tenentur consequenter affirmare quod Deus sit efficiens causa illius deformitatis, ut pœna est

464. At verò utraque ista ratio minùs efficax est, quia entitas peccati naturalis cum pertineat ad genus naturæ, non ad genus moris, est evidens quod malitiam moralem ut sic prævenit, & ex consequenti est evidens quod bona est, & à Deo authore naturæ debeat causari. Deformitas autem peccati cum intrinsecè mala sit in seipsa, nihil bonitatis admittit, nec entitatis, ut sic à Deo positivè causetur. Quod si ibi reperitur quod simul sit pœna, erit quædam pœna inseparabilis à malitia & quæ essentialiter habet malitiam; unde Deo efficienti tribuenda non est, ut ex S. Thoma probabimus modò.

465. Similiter nullo modo sequitur illud secundum quod prætenditur, quia formale peccati in positivo ordine consistit habente privationem & deformitatem annexam secundum quod provenit à causa deficiente, ut dictum est supra; unde rectè possumus distinguere in formali peccato illud quod est positivum & Deo authori tribuere, deformitatem autem ipsam ipsi negando. Cæterum in ipsa essentiali deformitate, nec aliquid positivum, aut bonum invenimus quod Deo authori tribuamus. Imò S. Thomas 1. 2. *quæst.* 79. *art.* 2. *ad* 3. pro certo habet quod si actus peccati essentialiter consisteret in privatione & in deformitate, Deus non posset esse causa talis actus, quia hoc essentialiter in deformitate consisteret: ergo S. Thomas in ipsa essentiali deformitate non invenit aliquid entis, vel boni quod à Deo propriè fiat. Hoc enim reputat evidens argumentum. Quod qui est causa alicujus, est causa ejus quod convenit sibi secundum suam speciem: cum ergo ipsa deformitas quæ dicitur pœna, sit in sua essentia deformitas, si Deus esset causa illius pœnæ deformis, esset causa illius deformitatis, quia in illa ratione pœnæ essentialiter involvitur deformitas ipsa; & hanc rationem S. Thomæ in isto articulo citato attentiùs consideret prudens lector, & doctus, ac profundus discipulus Doctoris sancti.

466. Dicendum ergo videtur, quod peccatum ipsum, seu inordinatio, seu deformitas ipsa, quæ est pœna peccati solùm à Deo habetur permissivè, nullo modo autem effectivè. Veritas ista est expressa S. Thomæ in 2. *dist.* 36. *quæst.* 1. *art.* 3. *solutione ad primum.* In quo articulo postquam dixerat, quod ipse actus deformis quatenus privat ratione est pœna, investigans autem quomodo & qualiter à Deo causetur, sic dicit *solutione ad primum.* [Ad primum ergo dicendum quod omnis pœna à Deo est, sed non eodem modo. Est enim quædam pœna à Deo sicut ab agente, sicut sunt pœnæ sensus, quæ per quandam actionem causantur, oportet enim omnis actionis reductionem in primum agens fieri sicut in causam: quædam verò pœnæ sunt à Deo non sicut ab agente, sed potius sicut à non agente, ut subtractio gratiæ, ex eo enim quod Deus gratiam non influit, causatur in isto gratiæ privatio. Vtroque autem modo invenitur pœna annexa culpæ, quia illa pœna quæ efficitur per peccatum ex parte suæ conversionis est pœna sensibiliter hominem affligens, ut iræ perturbatio, & labor inordinatus in peccato; & hoc quidem à Deo est & justè ordinatur, ut qui delectationem contra Dei ordinationem appetit, præter suam intentionem afflictionem incurrat in hoc etiam ubi propriæ libidini obsequitur. Illius autem pœnæ quæ est subtractio gratiæ, quæ est effectus unius peccati & causa alterius, est causa Deus, sicut non agendo. Et similiter aliarum pœnarum similium: & hoc constat iustè ordinatum esse, ut qui contraria gratiæ appetit, gratiam amittat, & Dei auxilium, qui contra Deum agit; & per hunc etiam modum est causa pœnæ illius, qui est ipse actus deformis peccati; non quia ipsum causet, sed quia ipsum permittit, eum non impediendo.] Hæc S. Thomas. Potuitne formalioribus & clarioribus verbis S. Thomas docere, quod pœna quæ est actus ipse deformis non sit à Deo ut ab agente, sed solùm à Deo ut permittente. Vbi resolutionem tam apertam in S. Thomæ invenimus, quid opus est vel aliam inquirere, vel aliam assignare, quæ non ita securè procedit.

467. Fortè facit tibi difficultatem argumentum illud, quod pœna non debet esse à Deo permissivè solùm sicut culpa, sed etiam effectivè. Hanc difficultatem tibi solvit S. Thomas ipse, dicens, quod omnis pœna à Deo est, sed non eodem modo: nam quædam est à Deo sicut ab agente, quædam verò

sicut

Digitized by Google

ſicut à non agente, ſed ſolùm ſicut à permittente, ut habetur expreſſum in litera. Imò in ipſa id apertè comprobatur; nam ſubſtractio auxilij abſque dubio pœna eſt, & tamen à Deo poſitivè concurrente, ſive efficiente non habetur, ſed potius procedit à Deo non agente, ſed deſerente propter præcedens peccatum. Et ſimiliter peccatum ſubſequens, quod per accidens ſequitur ad illam ſubtractionem auxilij, pœna præcedentis peccati eſt, & tamen ſolum à Deo permittitur & ex Deo deſerente habetur, & ſic peccatum præcedens punit, dum in aliud labi permittit.

468. Et 1.2. *quæſt.*87.*art.*2. *ad primum.* expreſsè dicit, quod aliqui puniuntur à Deo dum permittit eos in aliqua peccata profluere. Verba enim ejus ſunt: *Ad primum ergo dicendum, quod hoc etiam quod aliquando qui puniuntur à Deo, dum permittit eos in aliqua peccata profluere, ad bonum ordinatur.* Permittendo ergo peccata Deus punit; non ergo omnis pœna habetur à Deo effectivè, ſed quædam permiſſivè, illa videlicet, quæ peccatum eſt.

469. Igitur S. Thomas totam hanc materiam reſolvit, tum *in ſententiis*, tum 1.2. In quibus locis docet. Primò quod peccatum per ſe inquantum videlicet voluntariè egreditur ab agente, non poteſt eſſe pœna. Secundò quod per accidens peccatum poteſt eſſe pœna. Tertiò quod hoc fit tripliciter. Primò in quantum peccatum permittitur, ex eo quod Deus auxilium non dat (ubi loquitur de peccato ipſo ſecundum quod actus deformis eſt) Secundò modò eſt pœna peccatum ex parte ſubſtantiæ actus non permiſſivè, ſed effectivè, ut dictum eſt. Tertiò ex parte effectus ſecuti ad peccatum, qui effectus ut explicavit clarius *in ſecundò ſent. ubi ſupra*, & tenet ſe ex parte converſionis, inquantum corrumpit naturam, & ex parte averſionis, ut privat gratia.

470. Sed occurrit dubium circa primum modum, quia peccatum ipſum quod permittitur eſt volitum & à voluntate deficiente egreditur: ergo ut inordinatus actus eſt, non poteſt eſſe pœna, hæc enim involuntaria eſt debet: ergo non poteſt ſub hac ratione permitti ut pœna. Ad hoc in terminis reſpondet S. Thomas *in quæſt.* 1. *de malo citata art.*4.*ad* 2. quod actus inquantum inordinatus non eſt volitus, ſivè omnibus modis voluntarius: nam ſi ſic eſſet actus inordinatus non poſſet eſſe pœna, nec poſſet ut pœna permitti. Eſt igitur pœna actus inordinatus in quantùm illam inordinationem quis quodam modo invitè patitur; pati ergo quodammodo contra voluntatem, illam inordinationem ut ſic, eſt pœna; & quod homo illam ſic patiatur eſt à Deo permiſſivè ſecundum Sanct. Thom. Igitur cum Deus unum peccatum permittit in pœnam præcedentis, ſecundum quod illud peccatum voluntariè ab homine committitur; pœna alterius non eſt; quia illa pœna eſſet voluntaria, quod contra rationem pœnæ eſt, nec ut ſic divina permiſſio habet rationem pœnæ; ſed quatenus homo quodammodo involuntariè patitur illam inordinationem, & ut ſic, tanquam pœna a Deo permittitur; & iſta eſt ſine dubio Sancti Thomæ ſententia.

471. Ad fundamenta autem contrariæ ſententiæ reſpondetur, quod S. P. Auguſtinus & alij Sancti Doctores cum dicunt peccata eſſe peccatorum pœnas, & quod ad illa Deus non ſolum permiſſivè, ſed etiam per potentiam operando concurrit, loquuntur de ipſis peccatis per accidens (ut exponit apertè S. Thomas) & de ſecundò & tertiò modo quo Deus activè concurrit ad ſubſtantiam actus ut eſt pœna peccati, & ad effectum conſecutum; non autem loquuntur de ipſa deformitate quam quis invitè quodammodo patitur, vel quam incurrit, ut dictum eſt ſupra.

472. Similiter cum S. Thomas & Doctores alij dicunt malum pœnæ eſſe à Deo, & hoc ſine limitatione affirmant, loquuntur apertè de malo pœnæ quod ſolum eſt malum pœnæ, nec intrinſecè deformitatem culpæ involuit. De alio autem malo pœnæ quod principaliter eſt deordinatio, & minus principaliter habet quod ſit pœna, non loquuntur; quia expreſsè ipſe S. Thomas in locis citatis loquens de illo, docet, quod habetur à Deo tantùm permiſſivè.

473. Secundò reſpondetur, quod S. Thomas in loco 1.part. cum dicit quod malum pœnæ eſt à Deo, debet intelligi, vel activè, vel permiſſivè ſolùm, ut explicuit ipſe S. Doctor *art.*2. *ex ſent. citato.* Parique ratione cum 1.2. *quæſt.*87.*art.*10. *ad* 2. ſupponit, quod peccatum inquantum pœna eſt bonum, loquitur de peccato non per ſe & ut progreditur ab agente; nam ut ſic malum eſt, nec eſt pœna, ſed de ipſo peccato loquitur per accidens, ut dictum eſt ex eodem S. Thoma.

474. Ad aliud dicitur, quod quando pœna non eſt intrinſecè culpa, tunc alio modo vult Deus pœnam quàm culpam; quando autem illud pœnale principaliter & eſſentialiter eſt deformitas, tunc non alio modo vult Deus illud pœnale, quàm culpam ipſam, ſed tantum id vult permiſſivè, ut dictum eſt; quia in tali deformitate non poteſt diſtingui bona ratio pœnæ quæ à Deo propriè cauſetur; unde propriè pœna non eſt, ſed culpa, & ut de culpa, de illa philoſophandum eſt.

Digitized by Google

TRACTATVS SECVNDVS DE DILECTIONE DEI ÆTERNA, QVA HOMINES AD REGNVM VOCAVIT, ET AD GLORIAM ELEGIT.

CAPUT I.

Proponitur locus insignis Apostoli ad Romanos cap. 9.

1 QUAMVIS Doctor Gentium & Magister eorum Apostolus Paulus, secundum datam sibi sapientiam (ut Coapostolus ejus, Apostolorum Princeps testatur in omnibus Epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem) in omnibus Epistolis suis mirabilem semper doctrinam Ecclesiæ proponat; in illa tamen quam ad Romanos scripsit, & præcipuè in capite illius nono & sequentibus, quasi omnia transcendens & super omne tempus & sæculum se elevans, absconditum illud divinæ prædestinationis reserans Sacramentum, sic dicit. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Et iterum. *Igitur non est volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei.* Et iterum. *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat.*

2. Quia tamen omni tempore fuerunt qui hanc Apostolicam doctrinam variis & peregrinis explicationibus ad sua propria placita traxerunt; ideo & ipsis resistendum, & contextus Apostoli, intentio, litera in sua puritate servanda, ac defendenda erit juxta Sanctorum Patrum communem sensum, quem semper tenuit & docuit Sancta Mater Ecclesia. Et quia ipsa (quæ columna est, & firmamentum veritatis) sententiam S. P. Augustini in materia de prædestinatione & gratia multoties approbavit, laudavit, & fidelibus sequendam proposuit, ut constat ex Cœlestino primo post Innocentium, Bonifacium, Zosimum, et Leone I. in Concilio Arausicano II. Hormisda, atque Gelasio, Pontificibus summis. Ideo ex hujus S. Patris & eximij Doctoris doctrina, & contextus Apostoli & vera de prædestinatione sententia manifestanda erit. Quamvis autem in multis suæ doctrinæ locis hanc Apostolicam doctrinam, in qua se fundavit contra Pelagianorum errores mirabiliter explicet, in breviori tamen compendio illam quasi comprehendit *in Enchirid. cap.* 98. Sic dicens.

3. *Quis porrò tam impiè desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, ubi voluerit, & quando voluerit in bonum non posse convertere, sed cum facit per misericordiam facit, cum autem non facit per judicium non facit, quoniam cujus vult miseretur, & quem vult indurat. Quod cum diceret Apostolus gratiam commendabat, ad cujus commendationem de illis in Rebeca utero geminis fuerat jam loquutus, quibus nondum natis, nec aliquid agentibus boni seu mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori; propter quod adhibuit alterum propheticum testimonium, ubi scriptum est, Iacob dilexi Esau autem odio habui. Sentiens autem quemadmodum posset hoc quod dictum est permovere eos, qui penetrare intelligendo non possunt hanc altitudinem gratiæ, quid ergo dicemus ait? Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit. Iniquum enim videtur ut sine ullis bonorum, malorumvè operum meritis unum Deus diligat, odiatque alterum. Qua in re si futura opera vel bona hujus, vel mala illius, quæ Deus utique præsciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret non ex operibus, sed diceret ex futuris operibus, eoque modo istam solueret quæstionem, imò nullam quam solvi opus esset faceret quæstionem. Nunc verò cum respondisset, absit, id est, absit ut sit iniquitas apud Deum; mox ut probaret nulla hoc iniquitate Dei fieri, inquit, Moysi enim dicit, Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericors fuero. Quia enim nisi*

Digitized by Google

insipiens Deum iniquum putet, sive judicium pœnale ingerat digno, sive misericordiam præstet indigno. Denique infert & dicit. Igitur non volentis, nec currentis sed miserentis est Dei. Ambo itaque gemini natura filij iræ nascebantur, nullis quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo damnationis obstricti: sed qui dicit, miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero, Jacob dilexit per misericordiam gratuitam, Esau autem odio habuit per judicium debitum. Quod cum deberetur ambobus, in altero alter agnovit, non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum, quod in eadem causa idem judicium non incurrit, sed de divinæ gratiæ largitate, quia non volentis nec currentis, sed miserentis est Dei, Altissimo quippe, ac saluberrimo sacramento universa facies, atque (ut ita dicam) vultus Sanctarum Scripturarum bene intuentes, id admonere invenitur, ut qui gloriatur in Domino glorietur. Cum autem Apostolus misericordiam Dei commendasset in eo quod, ait, igitur non volentis nec currentis, sed miserentis est Dei. Deinde ut etiam judicium commendaret, quoniam in quo non fit misericordia, non iniquitas fit, sed judicium. Non est quippe iniquitas apud Deum, continuo subjecit atque ait, dicit enim scriptura Pharaoni, quia ad hoc te excitavi, ut ostendam in te potentiam meam & ut annuntietur nomen meum in universa terra; quibus dictis ad utrumque concludens, id est ad misericordiam & judicium, inquit. Ergo cujus vult miseretur & quem vult indurat. Miseretur scilicet magna bonitate, obdurat nulla iniquitate ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur: sola enim gratia redemptos discernit à perditis, quos in unam perditionis concreverat massam ab originali deducta causa communis. Hoc autem qui eo modo audit, ut dicat, quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejus quis resistit? tanquam propterea malus non videatur esse culpandus, quia Deus cujus vult miseretur & quem vult indurat. Absit ut pudeat nos hoc respondere, quod respondisse videmus Apostolum. O homo tu quis es qui respondeas Deo; nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Hoc enim loco quidam stulti putant Apostolum in responsione defecisse, & inopia reddendæ rationis repressisse contradictoris audaciam; sed magnum habet pondus quod dictum est, O homo tu quis es? Et in talibus quæstionibus ad suæ capacitatis considerationem revocat hominem, verbo quidem brevi, sed reipsa magna est redditio rationis: si enim non capit hæc, Quis est qui respondeat Deo? Si autem capit, magis non inveniet quid respondeat. Videt enim si capit universum genus humanum tam justo judicio divino in apostatica radice damnatum, ut etiam si nullus indè liberaretur, nemo rectè posset Dei vituperare justitiam; & qui liberantur sic oportuisse liberari, ut ex plurimis non liberatis, atque in justissima damnatione derelictis ostenderetur, quid meruisset universa conspersio, & quo etiam istos debitum judicium Dei deduceret, nisi ejus indebita misericordia subveniret, ut volentium de suis meritis gloriari, omne os obstruatur, & qui gloriatur in Domino glorietur.

4. Hos antiquiores nunc omitto, qui ut S. Doctor & Pater Augustinus refert, ausi sunt proferre Apostolum in responsione defecisse, & pressum inopia reddendæ rationis, illa verba protulisse. *O homo tu quis es, qui sic respondeas Deo?* His, inquam, omissis qui contra agnitam Apostoli sententiam contendebant prædestinationem, & reprobationem ex prævisis operibus fieri. Fuerunt etiam ex antiquioribus errantes alij, ut Faustus Reghiensis Episcopus, Cassianus, & cæteri qui Semipelagiani sunt dicti, qui Pelagio adhærentes prædictam Epistolam Pauli ad Romanos potissimè caput illud nonum falsis & adulterinis explicationibus invertere conati sunt, contendentes ipsum non loqui ibi de prædestinatione & reprobatione, sed de dilectione respectu bonorum temporalium hujus præsentis vitæ: nec pro prædestinatione & reprobatione operum prævisionem negare, sed vel opera legis, vel quid simile, prout infra exponemus. His etiam prætermissis, qui efficacissimè per Sanctos Patres, Augustinum, Prosperum, Hilarium, Fulgentium, antiquaque concilia damnati sunt, sicut apertè contra literam & mentem Apostoli procedentes: ad alios temporis hujus sermonem convertendo, (ut omittam etiam Catherinum qui revera eadem cum Cassiano, & Fausto contra doctrinam Apostoli tradidit cum Joanne quodam à Bononia, & Camerario) Legi cujusdam Ferdinandi de las infantas libellum de prædestinatione Parisijs impressum anno 1601. In quo clarissimè literam & mentem Apostoli corrumpens, suadere ostentat prædestinationem & reprobationem fieri ex operum prævisione; cui sententiæ adeò adhæret ut oppositum sentientes non semel hæreticos appellet, contextumque Apostoli adulterinis expositionibus ita corrumpat, ut dicat illud (*ijs qui secundum propositũ vocati sunt sancti*) intelligi de proposito legis, vel proposito hominis: in quo etiam tractatu ita exorbitat, ut dicat Apostolum citato cap. 9. Epistolæ ad Romanos loquutum in illa fuisse per errorem contra illum antiquum populum. Hujus autem tractatus supra 1. lib. part. 1. tract. 6. cap. 2. mentionem fecimus, & quomodo perpetuò per Sanctam Sedem prohibitus fuerit exposuimus; undè nec amplius est nominandus, vel impugnandus.

5. Post hunc, alium vidi librum cujusdam Pauli Eugubini Patavij prælo mandatum anno 1603. in quo etiam contra literam Apostoli contendit prædestinationem & repaobationem fieri ex meritorum prævisione, parique ratione & illud ex Apostolo modò relatum, *ijs qui secundum propositum vocati sunt* de proposito non Dei, sed hominis dicit esse intelligendum.

6. Referam etiam quid Romæ, dũ ista controversia tractaretur à quodam Authore dictum est & prolatum, cum authoritate Apostoli ex hoc cap. 9. Epist. ad Rom. strictius premeretur, Apostolum non fuisse Metaphysicum, ut hanc prædestinationis & reprobationis materiam denudaret, cui & protinus responsum fuit; non didicisse quidem Apostolum in Scholis Metaphysicam, sed supremum omnium Metaphysicum Spiritum Sanctum per os illius, hanc verissimam de prædestinatione doctrinam, Ecclesiæ proposuisse. Attendant ergo viri nedum Theologi, sed in quacumque alia arte periti, si viris Catholicis liceat ita de magno Apostolo loqui. Si enim semel hæc licentia & porta aperiatur, ad quodlibet Scripturæ Sanctæ dictum penitus destruendum porta aperitur, nihilque firmum remanebit. Alius idem dixit alibi de Apostolo Petro, quod in primo nostro libro relatum est, & nos hoc de Paulo audivimus.

7. Contra illam falsam vanam, inanem, & fallacem Metaphysicam, qua quidam ducti, veram & Catholicam Ecclesiæ Metaphysicam obscurare prætendunt, hæc dixerim, ut appareat qualiter omni tempore magis, vel minus apertè, tanto Apostolo multi restiterunt, nedum contra ejus doctrinam balbutientes, sed quod majus est, & temeraria, & blasphema voce in ipsum insilientes.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT II.

Opponunt Recentiores, quòd Apostolus in prædicto testimonio, & capite non loquatur ad literam de electione Prædestinatorum, & malorum reprobatione.

8. NON attendentes quidam alij, ut oportet, ad Pauli intentionem & literam, opinantur, non tam agere Apostolum de spirituali reprobatione Esau, & prædestinatione Iacob, quàm de Regno & Primogenitura temporali, ad quam electus fuit Jacob relicto fratre suo Esau; non ex operibus, sed ex sola Dei voluntate vocantis. Quam sententiam sibi magis suadent cum Camerario quodam, & Joanne à Bononia, quàm illam, quam esse sententiam Sancti Patris Augustini & Patrum Græcorum ipsimet Authores agnoscunt. Istorum sententia relata fuit supra *lib. 1. part. 1. tract. 6.*

9. Probant primò, quia locus ille Geneseos 25. quo utitur Paulus videlicet, *major serviet minori* non de prædestinatione spirituali electorum, aut de reprobatione malorum procedit, sed de Primogenitura temporali, quam Esau amisit, & Jacob consequutus est, ut constat Geneseos 27.

10. Probant secundò quia ille alius locus Malach. 1. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (quem & Paulus inducit) non de electione Jacob ad gloriam, & reprobatione Esau loquitur, sed de Regno & hereditate temporali, in qua prælatus fuit Iacob Esau fratri suo; quod sic ex contextu aperitur. Postquam enim præmiserat Propheta in nomine & persona Domini, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, continuò explicans in ordine ad quæ bona fuerit prædictus amor, vel odium subdit. *Et posui montes ejus in solitudinem & hæreditatem ejus in dracones deserti.* Ubi odium dicit fuisse circa temporalia, similiter & alterius fratris amorem etiam circa temporalia.

11. Tertiò idem probant ex Pauli contextu efficaciùs ut arbitrantur. Scut enim utitur Apostolus exemplo Iacob, & Esau, ita utitur exemplo alio aliorum duorum fratrum, videlicet Isaac, & Ismaëlis, licet expressè Ismaëlem non nominet. Quis autem dicat Paulum putasse Ismaëlem reprobatum à Dei gratia & æterno Regno, cum hoc ex scriptura non constet? Non igitur loquitur Apostolus de electione aut reprobatione spirituali, sed de electione seu reprobatione circa temporalia. Hoc est hujus Authoris primum dictum, & hæc illius fundamenta.

12. Dicit secundò prædictus Author illa duo testimonia ex veteri testamento allata fuisse ab Apostolo in sensu historico & literali, qui videlicet procedit de hæreditate & primogenitura temporali, quod secundum dictum cum ex primo manifestè deducatur, non amplius probat.

13. Tertiò dicit, quod nihilominus Paulus prædictus capite nono loquitur de spirituali electione, non quidem Isaac & Iacob, sed populi gentilitij, & de spirituali reprobatione non Ismaëlis & Esau, sed populi Iudaïci, quod quasi pro certo prædictus Author præsupponit.

14. Omitto aliud quartum hujus Authoris dictum & explicationem, quæ potius corruptela Apostoli est: dicit enim id non colligi ex hoc contextu, Esau odio habui antequam quidquam mali egisset. Putat enim illud verbum (*odio habui*) non debere conjungi cum eo (*antequam quidquam boni vel mali egisset*) sed esse sensum contextus, quod Iacob sine operibus prælatus fuerit Esau, quod ex eo probat Apostolus, quia Esau fuit odio habitus, scilicet propter propriam iniquitatem: sed ista explicatio apertam vim facit literæ, nec est digna ut aliter impugnetur.

15. Aliorum sententia est, quod Apostolus nomine Iacob & Esau, non est loquutus de personis, sed de populis ab illis descendentibus, ut probant illa verba *major serviet minori*, quod ut ajunt, non in illis duabus personis apparet impletum, sed in populis ab eis descendentibus, quia Idumæus qui fuit ex Esaü servivit Israëlitico, qui descendebat ex Iacob. confirmant id ex illo, quod Geneseos 25. proponitur. Rebecæ revelatum, *duo populi sunt in utero tuo &c.*

16. Alius autem commentator seu expositor super Genesim *cap.* 25. duas constituit conditionales conclusiones, quibus materiam istam exponit. Altera est. Quod si Paulus testimonia illa scripturæ ex Propheta, & Genesi accipit in sensu historico, quem habent in propriis suis locis, & secundum quem à propriis authoribus scripta sunt; videtur dicendum beatum Apostolum non esse loquutum de divina electione Iacob quantum ad gratiam, & de prædestinatione ejus ad vitam æternam, sed quantùm ad excellentiam bonorum temporalium in quibus prælatus est fratri suo Esau. Hoc probat argumentis modò factis, quod videlicet illa loca in suis propriis scriptoribus non loquuntur de electione ad vitam æternam, aut de æterna reprobatione. Quod autem Paulus testimonia prædicta in sensu literali inducat de electione Iacob, & reprobatione Esau circa temporalia bona, probat præterea argumento hoc, quod in hac parte sit quartum in ordine. Paulus commemoravit testimonium illud de Iacob, & Esau tanquam rem notissimam Iudæis, & ex illis scripturæ locis exploratissimam: Erat autem Iudæis notum Iacob fuisse dilectum & electum à Deo, Esau verò reprobatum & quasi odio habitum, propter insignia bona, quæ dederat Iacob Deus & posteris ejus, non autem Esau, idque ex locis illis scripturæ cognitum habebant. Quod autem Iacob fuisset prædestinatus ad vitam æternam, Esau verò reprobatus, id non erat illis compertum nec notum ex istis locis Scripturæ. Non igitur Paulus de hac electione vel reprobatione loquutus est, sed tantùm de illa quæ pertinet ad temporalia bona.

Idipsum sic confirmat, quia ut docet Sanctus Hieronymus & Doctores alij, in veteri testamento de præmio vitæ æternæ aut nullus sermo fit, aut certè perquàm rarus; quod ergo de electione Iacob & reprobatione Esau in sacris literis proditum est, nõ ad vitam æternã, sed ad bona temporalia referendum est.

17. Secundam autem conclusionem, talem constituit iste Author. Si Paulus citavit illa loca Scripturæ loquens de divina dilectione & electione Jacob, atque odio & reprobatione Esau, quantùm ad vitam æternam; videtur dicendum ea testimonia Paulum non citasse secundum literalem & historicum sensum, sed mysticum & allegoricum.

18. Postquam autem prædictus Author has duas conclusiones constituit conditionales, concludit utrumque esse probabile, videlicet adduxisse Apostolum loca illa in sensu literali quem retinent in suis propriis Authoribus, & ex consequenti non loquutum fuisse nisi de electione ad bona temporalia; & etiam esse probabile quod in sensu mystico illa adducat, & ex consequenti quod loquatur de electione ad dona gratiæ.

19. Cardinalis Toletus super Epist. ad Roman. in illa verba *Jacob dilexi* potissimè annot. 21. duo in summa dicit. Alterum illa Scripturæ veteris loca in sensu literali intelligi de bonis temporalibus, spiritualiter autem significare vocationem ad fidem Ecclesiæ. Alterum quod Paulus in hoc secundo sensu loquitur, videlicet, de electione ad fidem Ecclesiæ. Undè conveniunt

Digitized by Google

niunt prædicti Authores Paulum loqui de electione populi Gentilis ad Christi fidem, & de reprobatione Judaïci ab eadem fide; non autem volunt quòd loquatur de singulorum electione & prædestinatione ad vitam, & de malorum reprobatione; quamvis ille author secundo loco inductus id fateatur esse probabile. Itaque opinantur loqui Apostolum de majori, vel minori abundantia generali gratiæ quam videmus Deum conferre diversis populis & nationibus, quia illis fides prædicatur, & non istis. Quam differentiam fatentur revocandam in divinam voluntatem.

20. Potest autem hæc ipsorum sententia ultimò confirmari, quia aliàs omnes illi, & singuli ad quos Paulus scribebat essent prædestinati, si de singulorum prædestinatione loquitur; hoc autem dici non potest: loquitur ergo Apostolus in genere de prædestinatione & electione omnium qui ad Ecclesiam vocati fuerant, nec videtur aliud posse colligi *ex Epist. ad Rom. cap. 9. & 11. & ex cap. 1. ad Ephes.* licet ex sic vocatis aliqui pereant.

21. Accedit quod S. P. Augustinus *in lib. expositionis Epist. ad Rom. inchoatæ* apertè docet, quòd Apostolus in Epist. ad Roman. hoc docere intendit, omnibus venisse gratiam Evangelij Domini nostri Jesu Christi, quam propterea, etiam gratiam vocari ostendit, quia non quasi debitum justitiæ redditum est, sed gratuitò datum. Intentio ergo Apostoli etiam secundum Augustinum de vocatione & electione ad Ecclesiam, non autem de electione prædestinatorum, aut reproborum à Deo in particulari, exponenda est.

CAPUT III.

Præsupponuntur, ac præconstituuntur quædam fundamenta pro dicendis necessaria.

22. QUIA prædicti Authores ex his duobus testimoniis colligunt non loqui Apostolum de singulorum prædestinatione certa ad vitam, & de malorum æterna reprobatione, in quo ut etiam ipsi fatentur, contra S. Augustinum, Chrysostomum, ac cæteros Sanctos Patres Græcos loquuntur, laboriosiùs oportet ista duo testimonia examinare; sed ante omnia generalia quædam sunt præsupponenda fundamenta, ut commodiùs ad perfectam horum locorum intelligentiam deveniamus.

23. Præsupponendum ergo primò, quod testimonia ista non habent unum sensum literalem in suis propriis locis ex quibus desumpta sunt ab Apostolo, & alium sensum literalem in ipsa Pauli Epistola. Universaliter enim dicendum putamus, nullum Scripturæ veteris testimonium alium sensum literalem habere in veteri testamento, & alium diversum in novo, etiamsi à novo testamento inducatur; per hoc enim sensus prædictorum locorum non multiplicantur, licet explicentur, vel firmentur, quod ad præsens probare necessarium non videtur.

24. Supponatur secundò non semper testimonia ex veteri testrmento citata à Christo & Evangelistis, vel Apostolis in sensu litterali adduci, licet id frequenter eveniat. Hæc secunda pars hujus secundi præsuppositi patet. Nam Christus Dominus *Matth. 22.* dicit. *Quomodo ergo David vocat eum in spiritu Dominum, dicens, Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis.* Qui locus in sensu literali adducitur à Christo ut dictus ad literam de ipso Christo. In quo etiam loco explicatur aliud testimonium ex Psalmo 109. de ipso Christo ad literam, & inducitur aliud ex Psalmo 117. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli,* quod testimonium ipse Christus explicavit de seipso *Matth. 21.* cum ait, *Numquam legistis in scriptura lapidem quem reprobaverunt &c.* Item *Act. 2.* explicatur de sepultura Christi sine ulla corruptione, & hoc ad literam, illud quod habetur in Psalmo 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et sunt alia plurima testimonia veteris testamenti ad literam inducta in novo testamento, de quibus aliàs. Prima autem pars hujus præsuppositi constat eadem facilitate, tum quia aliquando in ipsa scriptura novi testamenti exprimitur induci talia testimonia in sensu spirituali & allegorico, ut est illud ad Galatas 4. *Scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit, quæ sunt per allegoriam dicta.* Illi ergo duo filij Abrahæ per allegoriam erant duo testamenta & illa spiritualiter significabant; tum etiam quia licet id non exprimatur in scriptura, communis tamen Sanctorum interpretatio docet multa similia loca à Christo, Evangelistis, & Prophetis spiritualiter induci, ut est illud quod *Joan. 3.* de exaltatione serpentis spiritualiter ad significandam mortem suam inducit Christus; & in eodem spirituali sensu Matth. 12. historiam Ionæ ad suam mortem, & resurrectionem declarandam. Et Apostolus Petrus 1. cap. 3. inducit arcam in spirituali sensu ad significandam Ecclesiam. Vide plura testimonia in S. Hieronymo super Galatas 4. & lib. de Pascate. Notissimum est illud Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo* quod inducitur *Joan. 19.* impletum in Christo Domino, quod tamen testimonium in sensu allegorico & spirituali adductum esse ab Evangelista docet S. P. August *tract. 120. in Joan.* Chrysost. *homil. 84. in Joan.* Theophilactus, & S. Thomas *ibi* Vide Commentatores S. Thomæ super *1. p. q. 1. art. 10.* & expositores in illud Exodi 12. & Ioan. 19. qui communiter affirmant in sensu spirituali adduci illum locum ab Evangelista. Similis est ille alius Apostoli locus *1. ad Corinth. 9.* Ubi inducit illud ex Deuter. 25. *non alligabis os Bovi trituranti* in sensu spirituali dictum esse de Prædicatoribus Evangelij quibus sustentatio debetur, & in sensu spirituali fuisse adductum à Paulo, docet S. Thomas super illum locum Apostoli Chrysost. *homil. 21. super Epist. 1. ad Corint.* Illud etiam Oseæ 11. *Ex Ægypto vocavi filium meum* in spirituali sensu induci *Matth. 2.* de regressu Christi ex Ægypto, docet planè S. Hieronym. super illum locum. Gloss. ibi. Theophilactus. S. Thom. Cajet. & alij super illum locum; licet aliqui putent in sensu literali intelligi de Christo, sed prima communior est explicatio.

25. Tertiò præsupponatur, quod quando testimonia veteris testamenti inducuntur in novo à Christo, Evangelistis, aut Apostolis ad confirmandas res novi testamenti, efficax imò efficacissimum sumitur argumentum ex illo loco in sensu spirituali explicato in litera novi testamenti. Communis est regula & ab omnibus sine contradictione recepta, faciléque constat ex modo dictis. Quis enim dubitet infallibile sumi argumentum ex illo Exodi 12. *Os non comminuetis ex eo* ad probandum illud fuisse de Christo principaliter dictum, postquam Evangelista dicit illum locum in Christi morte fuisse impletum. Et idem dicendum de cæteris adductis & multis aliis quæ adduci possent si præsens institutio id admitteret. Et ratio id convincit, ideo enim communiter docent Doctores non sumi efficax argumentum ex spirituali sensu, quia non est certus & indubitatus: cum ergo litera novi testamenti dicat illum esse spiritualem sensum, ex illo necesse est quod sumatur firmum & efficax argumentum: Doctores autem qui dicunt ex spirituali sensu non sumi argumentum efficax pro rebus fidei confirmandis, loquuntur de illo quando non traditur vel in novo testamento, vel à Conciliis ad res fidei confirmandas, vel quando non est ab omnibus communiter Ecclesiæ Doctoribus receptus.

26. Præterea quia sensus spiritualis in testimoniis

Digitized by Google

veteris testamenti est nobilior literali, quia est de principaliori objecto : undè à Sanctis Doctoribus grano comparatur, & literalis paleæ : cum ergo est indubitatus certum conficit argumentum.

27. Præterea quia sensus spiritualis veteris testamenti magis principaliter intenditur à Spiritu Sancto, quod & Sanctus Paulus non obscurè dicit 1. *ad Corint.* 9. cum enim dixisset *non alligabis os bovi triturranti* subdit, *numquid de bobus cura est Deo?* Idest, non est Deo principalis cura de bobus, nec propter boves hæc principaliter dicta sunt. Vndè de nobilitate sensus spiritualis veteris testamenti figurantis novum, multa dicunt Sancti Doctores Ambros. *Apocal.* 12. Hieronym. *super cap.* 4. *ad Galat.* & *Ezech.* 46. S. P. August. 3. *de doctr. Christ. ferè per tot.* S. Gregor. *in prologo super Cant.*

28. Vltimò supponendum quatuor esse Scripturæ sensus, historicum videlicet, allegoricum, tropologicum, & anagogicum: Historicus seu literalis texit historiam : allegoricus mysteria Christi & Ecclesiæ figurat ; tropologicus sive moralis, quid agendum vel vitandum sit declarat : anagogicus quid ad supernaturalem patriam pertinet indicat. Ita S. P. Augustin. *lib.* 1. *de Genesi ad literam in princip.* Et *lib. de utilit. creden.* Et *libro de vera religione.* S. Thom. 1. *p. q.* 1. *art.* 10. & alibi.

CAPVT IV.

Vera illius loci intelligentia assignatur : Major serviet minori.

29. IGITUR his præmissis ad veram intelligentiam illius loci (*major serviet minori*) accedamus, & quotuplex illa sit, ostendamus, & de quibus personis loquatur, & in ordine ad quæ bona, manifestemus. Prædictus locus ita habet. *Duæ gentes sunt in utero tuo & duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, & major serviet minori.* Circa quem dicendum primò, intelligi de ipsis singularibus personis Iacob & Esaü, quod & textus ipse videtur affirmare, cum ait, duæ gentes sunt in utero tuo, id est juxta communem explicationem duo capita gentium, vel duo homines qui erunt diversarum gentium capita, unde præcedentes omnes interpretationes qua ratione negant esse illum locum intelligendum de illis duabus personis, siniſtræ sunt & rejiciendæ, & contra communem Sanctorum Patrum & Doctorum sententiam.

30. Sed nunc quæres quomodo Esaü superatus sit à Iacob, & quomodo illi servivit, cum hoc in Scriptura non inveniatur ; imò potius legitur Iacob ob timorem Esaü, Patriam reliquisse, & revertentem postea valde Esaü fratrem timuisse, imò septies adorasse, ut scriptura commemorat, & Dominum suum appellasse.

31. Ad quod dicendum, quòd Esaü dicitur servisse Iacob non directè, sed indirectè & occasionaliter, inquantum videtur persequutio quam ei intulit in ejus bonum cessit, secundum illud prov. 1. *qui stultus est, serviet sapienti,* ita Sanctus Thomas *super hunc locum Pauli,* & Hugo Cardinalis *super cap.* 25. *Genes.* Petrus Lombard. super *Epist. ad Rom. cap.* 9. Ita etiam exponit B. Bruno Carthusiorum fundator vir sanctitate, & literis insignis *super cap.* 9. *Epist. ad Rom.* Deducitur ista explicatio ex Sãcto P. Augustino *serm.* 78. *de tempore.* Vel potest secundò dici, quod Esaü servivit Jacob fratri, quia videlicet Iacob accepit Dominium & potestatem super eum, licet illa in exercitio non fuerit usus. Hanc autem potestatem & Dominium accepit cum ejus Pater illi benedicens dixit, *esto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filij matris tuæ.* Vel tertiò dicatur, quod servivit Esaü Iacob, cum à se abstulit Primogenituram, & in fratrem transtulit, quo facto scipsum Dominio fratris minoris subjecit.

32. Sed dices ulterius, sensus iste est literalis, aut non ? Quod enim non sit ad literam, videtur expressa sententia Sancti Augustini *serm.* 78. *de tempore* cujus & verba sunt. *Quod autem dictum est populus populum superabit, & major serviet minori : secundum literam in Esaü vel Iacob non videmus impletum. Non enim corporaliter Beato Iacob Esaü servisse commemorat scriptura.* Ex alia autem Parte Sanctus Thomas super hunc locum Pauli videtur affirmare hunc literalem sensum esse, quia tres adhibet sensus & istum in secundo loco ; & ex omnibus dicit tertium esse figurativum. Vnde constat alios duos non figurativos, sed literales esse.

33. Ad hoc videtur dicendum, quod loquendo de servitute directa & propria & in exercitio exhibita, Esaü non servivit Iacob, & hoc docet Augustinus in litera non haberi, & hoc ipsum fatetur Sanctus Thomas ubi supra : loquendo autem de servitute indirecta & occasionali, docet Sanctus Thomas quod ex litera constat Esau servisse fratri suo Iacob.

34. Secundus sensus prædicti loci est & ille etiam literalis *major serviet minori*, id est major populus Idumæorum proveniens à majore fratre Esaü qui vocabatur Edom, unde Idumæi, serviet minori populo Israëlitarum descendenti à minore Iacob, quod ad literam expletum habetur 2. *Reg.* 8. Quando David ex Iacob progenitus superavit Idumæos, & illos sibi fecit tributarios. Istum esse sensum literalem hujus loci sine contradictione affirmant Interpretes omnes super illum locum Gen. 25. cum gloss. interlin. ordinaria & Lyran. Videatur S. P. Augustinus *serm.* 78. *de tempore*, & multis aliis locis, & Lippomanus *super illum locum Gen.* & S. Thom. *super cap.* 9. *ad Rom.* qui sensus videtur manifestus in litera, dicit enim, *Populusque Populum superabit, & major serviet minori*, id est, major populus, ubi certè de populis videtur sermo, cum dicitur *major serviet minori.*

35. Tertius sensus allegoricus & figurativus est, *major serviet minori*, id est, major populus Judæorum qui primò adoptionem filiorum accepit, serviet minori populo gentilium, qui posteriùs ad fidem vocatus est. Istum esse hujus loci figurativum & allegoricum sensum docent Interpretes cum glossis super utrumque locum, & *Gen.* 25. & *ad Rom.* 9. S. Thom. In hoc ultimo loco, S. P. Augustinus *serm.* 78. *de tempore.* Vbi exprimit quomodo Iudæorũ populus major, servit minori, videlicet, ut capsarius, quia per literas veteris testamenti quas Iudæi conservant, in fide Christi confirmatur populus Christianorum : & in tantum docet S. P. Augustinus hunc esse allegoricum sensum illius loci, ut *lib.* 16. *de Civit. Dei cap.* 35. dicat, quod nemo ferè Doctorum aliter interpretatur locum prædictum.

36. Quartus sensus illius loci est moralis, seu tropologicus *major serviet majori*, id est populus malorum & reproborum, serviet populo bonorum & electorum. Vocatur autem populus malorum major, quia major est numerus malorum & reproborum, quàm prædestinatorum. Hunc esse sensum spiritualem hujus loci, docent Chrysostomus, Ambrosius, S. Thomas *super Epist. ad Rom.* Abulens. Hugo, Beda *super illum locum Gen.* 25. Petrus Lombard. *in cap.* 9. *Epist. ad Rom.* Sed præcipuè S. P. Augustinus *serm.* 78. de tempore, ubi postquam præcedentem sensum allegoricum explicavit, statim hunc secundum moralem apposuit dicens. *Sed & alio modo populus major serviet minori.*

Quo

Digitized by Google

Quo inquis ordine? Illo utique quo mali ſerviunt bonis, non utique obſequendo, ſed perſequendo. Quomodo ergo mali ſerviunt bonis; quomodo perſequutores martyribus, quomodo Lima vel mallei auro, quo modo molæ ſerviunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia, ut illi coquantur illi conſumantur. Quomodo, inquam, mali ſerviunt, quomodo in fornace Aurificis palea ſervit auro, ubi ſine dubio palea conſumitur, aurum probatur. Eundem locum expreſſius interpretatur de omnibus reprobis, & de univerſis prædeſtinatis *quæſt. 2. ad Simplicianum, Epiſt. 105. & 106. & in Enchirid. & in libris contra Pelagianos & Semipelagianos frequenter.* Illud tamen adverte, iſtum ſenſum eſſe tropologicum ſive moralem, loquendo de diverſis moribus bonorum & malorum, nam ſi intelligatur quatenus reprobi excluduntur à Cæleſti patria, ad quam admittuntur electi, poteſt dici ſenſus anagogicus, de quo tamen modò non diſputamus.

CAPUT V.

Adhibetur explanatio illius loci: Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui.

37. CLARIOR multò eſt locus iſte, quam præcedens, & intentioni Apoſtoli magis accommodatus; intelligitur enim (ut litera aperte ſonat) de illis perſonis duabus Jacob & Eſaü: intelligitur & de prædeſtinatis & reprobis univerſis: imò non ſolùm procedit de prædeſtinatis & reprobis in ſpirituali ſenſu, ſed etiam in literali de illis videtur intelligi, ut ſenſit Franciſcus Ribera *Super iſtum locum in impreſſione Rom.* 1590. Ubi dicit ſe mutaſſe priorem ſententiam, qua ſenſerat iſtum ſenſum eſſe ſpiritualem, cujus verba ſunt *Mihi olim Paulus allegoricè videbatur verba Malachiæ accepiſſe, non hiſtoricè, & Hieronymus idem ſubindicat dicens. Quem locum Apoſtolus Paulus myſtica diſputatione eventilans ſcribit ad Rom. &c. Verum nunc hiſtorico ſenſu citata eſſe à Paulo exiſtimo, quod & Paulus Burgenſis ſenſit in additione prima hujus capitis.* Et tunc ſenſus eſt, Jacob & electos ab æterno dilexi ſupernaturali amore ad Beatitudinem, & Eſaü & reprobos odio habui; & dedi Jacob & electis terram promiſſionis, & Eſaü & reprobis ſolitudines draconum in mortem æternam. Rationes, quæ nos inducunt in hanc ſententiam, duæ ſunt potiſſimè. Altera, quod iſto modo non dubium quin clarior multò reddatur Epiſtola & intentio Pauli ad Rom. 9. quam multi his temporibus reipſa eneruare procurant. Secunda ratio quæ magis urget eſt, quia litera planè loquitur de dilectione qua Deus dilexit; ſed dilectio Dei in ſcripturis abſolute prolata erga homines, non bona temporalia demonſtrat, ſed præciputè divinum amorem circa ſupernaturalem beatitudinem, ut optime docet S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 114. *art. ultim* Cujus articuli doctrina ad propoſitum conſideretur.

38. Similiter cum dicitur Deus, odio habere aliquem, intelligi non poteſt de voluntate dandi minora bona temporalia; ſi enim qui minora illa bona temporalia accepit, aliàs ſalvandus eſt, quomodo poteſt dici odio habitus: procedit ergo litera de æterna dilectione circa prædeſtinata, & de odio circa reprobos.

39. Id etiam patet ex illis prioribus Apoſtoli verbis *Vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret,* quibus utique ſolet Paulus prædeſtinationis myſterium explicare, ut patet ex illis: *His, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti* ad Epheſ. 1. Præterea ſe loqui de prædeſtinatione & reprobatione Apoſtolus declarat exemplo figuli, qui quædam vaſa facit in honorem, & quædam in contumeliam ex eadem maſſa. His enim vocibus dubium non eſt, prædeſtinationem & reprobationem ſignificari: non enim eſt vas in contumeliam niſi qui damnatur, nec in honorem niſi qui ſalvatur. Ad hæc illa oppoſito contra ſe ab Apoſtolo facta hoc ſatis declarat, nunquid eſt iniquitas apud Deum? Quæ niſi intelligatur de prædeſtinatione & reprobatione ante omnia præviſa merita, nulla apparenti ratione poteſt opponi. Similiter Scripturæ inducta teſtimonia, *Miſerebor, cui miſerebor &c.* Hanc prædeſtinationis miſericordiam ſatis oſtendunt, & principaliter illa, *Igitur cujus vult, miſeretur, & quem vult indurat,* Quæ aliter intelligi nequeunt: & tandem illa, *Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gratiæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam* Adeo rem conſtiruunt manifeſtam expreſſis & formalibus verbis, ut mirandum ſit, quod ab aliquo oppoſitum poſſit affirmari.

40. Sententia hæc eſt S. P. Auguſtini *quæſt. 2. ad Simplici.* Vbi explicans hæc verba, *Iacob dilexi, Eſaü autem odio habui,* Poſtquam docuit Eſaü nullis prævisis propriis demeritis fuiſſe odio habitum, ut Apoſtolus ait, cum dicit *Non ex operibus & antequam boni vel mali egiſſent,* Statim movet quæſtionem dicens: *Quo merito Eſaü odio haberetur antequam naſceretur? Quod enim fecit Deus ea quæ diligeret, nulla quæſtio eſt. Si autem dicamus eum feciſſe quæ odiſſet, abſurdum eſt, occurrente alia Scriptura & dicente; neque enim odio habens aliquid conſtituiſſes, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti. Quo enim merito Sol factus eſt Sol, aut quid offendit Luna ut tanto illi eſſet inferior, vel quid promeruit ut ſyderibus cæteris tanto clarior crearetur? Sed hæc omnia bona creata ſunt quæque in genere ſuo. Non enim diceret Deus, Solem dilexi, Lunam autem odio habui; aut Lunam dilexi, ſtellas autem odio habui; ſicut dixit Iacob dilexi, Eſaü autem odio habui: ſed illa omnia dilexit: quamvis excellentiæ diverſis gradibus ordinata, quoniam vidit Deus, quia bona ſunt, cum dicto ejus ſunt intuita* Quibus verbis manifeſte docet Prophetam de vero odio fuiſſe loquutum, quo Deus odio habuit Eſaü in illa prima corruptionis maſſa prævisum, ut alibi explicat; non autem fuiſſe loquutum de voluntate qua minora bona temporalia Eſaü tradidit, & majora ſeu potiora Jacob: nam ſi de iſta loqueretur nullo modo affirmaret Propheta Eſaü odio fuiſſe habitum; quia cum Deus illa minora temporalia bona feciſſet, & voluntate ſua Eſaü tradidiſſet, & majora Jacob; jam ſequeretur, quod Deus odiſſet ea quæ ipſe feciſſet, quod eſt contra Scripturæ inductam auctoritatem; ſequeretur etiam quod dici poſſet ratione eadem, Deum odiſſe Lunam, & Solem diligere, quia minorem lucem Lunæ tradidit, & clariorem Soli, quod dici nullo modo poteſt: loquitur ergo Propheta de vero odio reprobationis, & de vero prædeſtinationis amore, ut docet S. Auguſtinus.

41. Vidit certè S. Doctor futuras has hominum explicationes de odio, vel amore reſpectu temporalium bonorum, & illas omnes præcludit *in Enchirid. cap.* 98. Hunc eundem Prophetæ locum in ordine ad electionem gratiæ, & reprobationem declarans. *Et tract. 11. in Ioan.* Prædictum locum Prophetæ ad literam intelligit de prædeſtinatione Jacob, & reprobatione Eſaü: dicit enim, *Libera erat Rebeca uxor Iſaac. Legite, peperit geminos, unus erat bonus, alter malus. Habes apertè Scripturam dicentem Dei voce, Iacob dilexi, Eſaü autem odio habui: Iſtos duos genuit Rebeca, Iacob & Eſaü; unus indè eligitur, alius reprobatur,* Aperrè ergo ſecundum S. Auguſtinum, Scriptura dicit Jacob dilectum & prædeſtinatum, & Eſaü odio habitum & reprobatum.

Digitized by Google

42. Sanctus etiam Thomas illum locum intelligit ad literam de prædestinatis, & reprobis, nam 1. *p. quæst 23. art. 3.* (Cujus titulus est an Deus aliquem hominem reprobet) in argumento sed contra, probat Deum reprobare ex illo Malach. 1. *Jacob dilexi Esaü autem odio habui*, Vbi apertè pro odio habere, intelligit reprobationem explicatam fuisse à Propheta, quem locum ad literam inducit S. Thomas, ut in similibus quæstionibus adducere solet: nec enim in spirituali sensu similia loca solet afferre, ut notissimum est versatis in doctrina sancti Doctoris. Quod magis explicans *solut. ad primum* ait. *Inquantum igitur quibusdam non vult hoc bonum, quod est vita æterna, dicitur eos habere odio, vel reprobare.* Igitur per odio habere dictum à Propheta, reprobationem intelligit.

43. Sed objicies S. P. Augustinus *tract. 11. in Joan.* Immediate ante illa citata verba, dicit, bonos figuratos fuisse per Jacob, reprobos autem signatos per Esaü: ergo Esaü figurabat reprobos, non ergo ad literam, sed per figuram & spiritualiter significantur reprobi per Esaü, & ex consequenti, cum ait Propheta, *Jacob dilexi Esaü autem odio habui*, Per Esaü figurantur reprobi & per Jacob dilecti designantur, & non ad literam.

44. Confirmatur, & augetur difficultas, quia S. Thom. 1. *p. quæst. art.* 10. Dicit apertissimè illum esse sensum literalem quem voces significant, illum autem esse sensum spiritualem qui significatur per res significatas per voces, & nullam aliam differentiam essentialem constituit inter literalem, & spiritualem sensum: sed ista vox *Iacob*, & similiter ista vox *Esaü* significant illas duas singulares personas: at verò ipsa persona Jacob significat electos, & persona Esaü reprobos: ergo electi signati per Jacob, & reprobi per Esaü, spiritualiter & figuraliter intelliguntur, & nullo modo ad literam, cum non per voces, sed per res importatas per voces significentur.

45. Ad argumentum cum confirmatione dicendum ita esse, quod literalis sensus est quem voces significant, spiritualis autem quem res significatæ per voces declarant: cæterum non requiritur ad sensum literalem, quod res significentur per voces in propria significatione, satis est si significentur per voces in significatione impropria & translativa. Cujus ratio est, quia sensus literæ non sumitur ex quavis significatione verborum, sed ex illa quæ subest intentioni dicentis, vel scribentis; unde sensus metaphoricus hac ratione literalis est, secundum communem concipiendi modum, si enim quis de alio dicat, quod est Leo, vel vulpes, sensus literalis hujus locutionis non est quod homo sit animal tale, sed quod sit fortis, vel cavillosus. Undè illud Apocalipsis *Vicit Leo de tribu Iuda*, Ad literam intelligitur de Christo fortissimo, significato per vocem *Leo* in improprià & translativa significatione.

46. Similiter Christus hoc genere locutionis ad literam dicit, *Ego sum vitis*, Vbi Christus per vocem *Vitis*, veram vitem propriè significat, translativè autem eadem vox Christum Dominum importat, & ad literam de ipso dicitur in hoc & similibus testimoniis. Sic ergo ad præsens dicendum, quod vox *Iacob*, propriè quidem & primò illam singularem personam significat; similiter & vox *Esaü*: significatione autem impropria & translativa significant illæ voces prædestinatos & reprobos, propter similitudinem quam habent cum illis personis. Vnde hac ratione ad literam per illas vaces non solùm illæ duæ personæ singulares significantur, licet illæ quidem principaliter, sed etiam impropriè & translativè significantur electi, & reprobi.

CAPUT VI.

Quod Apostolus cap. 9. ad Romanos, *Ad literam loquatur de electorum prædestinatione, & malorum reprobatione.*

47. MIRANDUM sanè, quòd aliquis dubitet intentionem Apostoli ad literam de electione prædestinatorum, & malorum reprobatione procedere, post sanctorum Patrum, & potissimè S. Augustini notissimam & clarissimam interpretationem Qui intelligit Apostolum de prædestinatis, & reprobis ad literam loqui, quod & litera ipsa, ut aperiemus, satis ostendit. Quod si dubitatio nulla de re adeò nota potest oriri. Quis audiat recentiores plures temporibus istis non modò de hoc dubitare, sed assertivè & tenaciter affirmare Apostolum de electorum prodestinatione, & malorum reprobatione non loqui? Quis ferat eos planè asserere se Sanctorum Patrum Græcorum doctrinam non sequi, & S. Augustini cæterorumque interpretationem rejicere, & cujusdam Ioannis à Bononia obscuri nominis viri, & Camerarij alterius nullius authoritatis se amplecti sententiam? Quis non videat his vatiis & peregrinis explicationibus intentionem & literam Apostoli *In isto cap. 9. ad Rom.* depravari? Quod autem Apostolus in isto capite ad literam & ex intentione principali, de electorum prædestinatione, & reprobatione loquatur, hæc omnia satis apertè manifestant.

48. Primo communis ferè S. Patrum intelligentia, tam Græcorum, quàm Latinorum, qui omnes unanimiter Apostolum loqui de prædestinatione, & reprobatione affirmant. Quomodo ergo S. Patres omittuntur, & Ioannes à Bononia, & Camerarius admittuntur? Est ne hoc quod Concilium Tridentinum *Sess. 4. decret. de edit. cap. præterea*, Ad coërcenda petulantia hominum ingenia tam strictè præcipit, ne quis suæ providentiæ innixus, Scripturam sacram in rebus fidei & morum interpretetur contra unanimem Patrum consensum.

49. Sanè Alexander primus *Epist. 1.* explicans illa verba Marci 7. & Matth. 15. *Relinquentes enim mandatum Dei tenetis traditiones hominum*, Sic dicit. *Quid enim aliud est rejicere mandatum Dei, quàm privato consilio, & judicio humano novis rebus constituendis liberius delectari? Unde & alibi Scriptũ est* (inquit) *ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui. Terminos indubitanter transgreditur* (inquit Pontifex Sanctus) *qui statuta Patrum postponit, atque confundit.* Quomodo non postponunt statuta Patrum, qui relictis illis, post Camerarium & Ioannem à Bononia, pergere non formidant.

50. Secundò S.P. August. ut est apertissimum, ubique Apostolum interpretatur in isto loco de prædestinatione electorum, & malorum reprobatione. Imo ex loco isto desumpsit S. Doctor firmum suæ doctrinæ fundamentũ ad defensionem divinæ gratiæ contra Pelagianos, & Semipelagianos, ut ex multis suis Epistolis, & opusculis constat. *In cap. enim 16. de prædest. sanct.* Nihil aliud facit nisi totum cap. 9. cum 11. interpretari de certa prædestinatione, & vocatione electorum secundum propositum. Idipsum dicit cap. 19. *Sine penitentia*, ait, *sunt dona & vocatio Dei de qua dictũ est, non ex operibus, sed ex vocante, &c.* Sine pœnitentia inquam, *id est sine mutatione stabiliter fixa sunt*, ut ipsemet S. Doctor explicando præmiserat *In fin. cap. 16.* Vbi apertè interpretatur prædictum locum Pauli de vocatione secundum propositum Dei prædestinantis, Eodem modo interpretatur *de dono perseverantiæ cap. 11. & 12.* in principio & in fine. Idem prosequitur apertiùs *cap. 18.*

51.

Digitized by Google

51. Longum esset recensere loca quibus Sanctus Augustinus intelligit Apostolum loqui ad literam de prædestinatione, & reprobatione. Id ipsum enim affirmat *epist.* 105. dicens, *Electionem gratiæ nullis fieri operum præcedentibus meritis; alio loco apertissimè idem Apostolus ostendens. Sic ergo, inquit, & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Secundum hanc ergo gratiam etiam Propheticum testimonium consequenter assumens sicut scriptum est, inquit, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et ita manifestè secundum Apostoli literam judicat Sanctus Augustinus ipsum loqui de prædestinatione, & reprobatione, ut *epist.* 106. sic dicat. *Major serviet minori, non ex operibus: sed ex vocante dictum intelligitur, ut secundum electionem Dei propositum maneret, non meritum hominis anteiret. Non enim dicit, electionem voluntatis humanæ, sive naturæ, cum par esset in utroque mortis damnationisque conditio, sed electionem procul dubio gratiæ quæ non invenit eligendos sed facit. De qua & in consequentibus eiusdem epistolæ loquens, ait. Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Cui loco satis iste concordat, ubi commemoratur, non ex operibus, sed ex vocante dictum. Major serviet minori. Vt quid ergo præclarissimo gratiæ commendatori de infantum libero arbitrio, & nondum natorum actibus tam imprudenter resistitur.* Hæc S. Augustinus. Sunt in S. Doctore innumera alia testimonia, quibus semper docet Apostolum in epistola ad Rom. cap. 9. & sequenti, loqui de electorum prædestinatione, & malorum reprobatione, quæ ob brevitatem omittuntur. Cum autem doctrina S. Augustini in materia de prædestinatione & gratia sit à tot summis Pontificibus approbata, & fere tota ipsa fundetur in hac Apostoli intelligentia; non apparet quomodo dici possit Apostolum de prædestinatione & reprobatione non loqui. Si enim ut certissimum est, sententia S. P. Augustini in materia prædestinationis & gratiæ, ipsa est fides Ecclesiæ, ut graviores ex his authoribus cum quibus agimus dicunt, & totus huius approbatæ S. Augustini sententiæ fundamentum potissimum est Apostolum loqui de prædestinatione & reprobatione, non potest hoc fundamentum quasi ab Ecclesia non esse approbatum, dum doctrina in illo fundata expressè tenetur. Nullo ergo modo à Theologo dici potest non loqui Apostolum ibi de electione, & reprobatione.

52. Ad quod si attenderet Leonardus Lessius, non diceret *in suo libro de gratia efficaci disput. de prædest. sect. 3. §. alij.* Quod alij meliùs (P. Augustino videlicet) exponunt de electione ad beneficia hujus vitæ partim temporalia, partim spiritualia prædictum Apostoli testimonium, cujus sententia dum Augustino præfert si prædictam aliorum intelligentiam, ei qui doctrinam S. P. Augustini approbavit in hac materia quasi videtur contrariari.

53. Sanctus etiam Thomas 1. *part. quæst.* 23. *art.* 5. *in corpore* contra Origenem ponentem causam prædestinationis ex parte prædestinati, docet, sententiam illius esse reprobatam ab Apostolo *Rom.* 9. illis verbis, *cum nondum nati essent, aut aliquid egissent, boni, vel mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori.* Vbi de æterna prædestinatione, & reprobatione dicit locutum Apostolum. Et *quæst.* 6. *de verit. art.* 2. *ad* 7. dicit quod ista verba Apostoli pertinent ad prædestinationem Iacob, ut sancti communiter exponunt. Eodem modo de æterna prædestinatione intelligit præfatum locum Apostoli 3. *contra gent. cap. ultimo.* Sic explicat Magister cum Schola, & communiter scholastici *in* 1. *dist.* 40. & 41.

54. Vt autem à minus necessaria allegatione SS. Patrum in re clara abstineamus. Concilium Valentinum tempore Lotharij Imperatoris anno 855. expressius docet loqui ibi Apostolum de prædestinatione & reprobatione. Sic enim habet can. 3. *Sed & de prædestinatione Dei placuit, & fideliter placet iuxta authoritatem Apostolicam quæ dicit: an non habet potestatem Figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam. Vbi & statim subjungit, quod si volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ apta, sive præparata ad interitum, ut ostenderet divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ suæ quæ præparavit in gloriam, fidenterque fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* Expressè ergo Concilium docet loqui Apostolum in prædicto loco de prædestinatione, & reprobatione, idque ex apertis verbis Apostoli convinci, quæ modo à Concilio, & à nobis relata sunt. Vnde qui contrarium suadere laborant, & Concilio contradicunt, & ipsi Apostoli literæ manifestè adversantur. Quomodo ergo cum hac doctrina stare potest quod jam supra ex Leonardo Lessio relatum est.

CAPUT VII.

Ex contextu ipso manifestatur Apostolum loqui de electorum prædestinatione, & malorum reprobatione.

55. Sed quid opus est in re clarissima tot SS. Patrum testimonia cumulare, cum ipsa Apostoli litera hoc clamet, nec expositore indigeat, sed solum Lectore: nec enim aut clarioribus, aut magis repetitis sermonibus potuit Apostolus manifestare, se de divina prædestinatione, & reprobatione loqui *in cap. enim* 8. sic incepit *scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti*, id est electis, & prædestinatis, qui sunt secundum propositum vocati, omnia cooperantur in bonum, & statim immediatè subjungit. *Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* An dicent nec etiam in his verbis loqui Apostolum de prædestinatis, cum formalibus verbis prædestinatos nominet, continuóque subdit. *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & iustificavit; quos autem iustificavit, illos & glorificavit.* Dicant etiam in his verbis & in isto contextu non fieri sermonem de prædestinatis, cum totum processum, & omnem effectum prædestinationis enumeret. Et statim *quid ergo dicemus ad hæc, si Deus pro nobis, quis contra nos?* Idest si Deus secundum propositum vocatos & prædestinatos in bonum conducit, quis poterit impedire? Et continuò sic prosequitur. *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Quibus verbis confirmat quod omnia cooperantur in bonum vocatis secundum propositum & prædestinatis, à quo bono nullus potest eos impedire; quia non solùm Deus prædestinavit, vocavit, & justificavit electos; sed adhuc proprio filio suo non pepercit propter ipsorum salutem, statimque sequitur, *quis accusabit adversus electos Dei?* Ac si clariùs dicat. Contra electos prædestinatos, & vocatos quis accusabit? *Deus qui iustificat, quis est qui condemnat? Christus Iesus qui mortuus est, imò qui &*

Digitized by Google

resurrexit, qui est ad dexteram Dei qui etiam interpellat pro nobis? Sensus est, nullus accusabit accusatione efficaci, nullusque condemnabit electos, prædestinatos, & à Deo iustificatos. Non inquam eos vel accusabit, vel damnabit Christus, qui pro illis mortuus est, qui resurrexit ut eis vitam daret, qui sedet à dextris Dei, & interpellat pro nobis, ideſt pro prædestinatis, & vocatis.

56. Prosequitur Apostolus. *Quis ergo nos separabit à Charitate Christi? Tribulatio, &c.* usque *nec creatura aliqua poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* In his verbis stabilitatem, firmitatem, ac immutabilitatem dilectionis divinæ erga electos coneludit Paulus hoc modo. Si Deus electos suos quos prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui vocat, iustificat, glorificat, si nemo contra eos potest prævalere, si nemo accusare, damnarevè potest, pro quibus Pater proprio filio non pepercit, pro quibus ipse filius mortuus est, resurgensque, ac sedens ad dexteram Dei postulat, & interpellat: nemo certè poterit prædestinatos separare à dilectione Christi. Quid clarius? quid apertius? quid manifestiùs? An poterit aliquis dubitare toties repetitum sermonem de electis, de prædestinatis, de vocatis secundum propositum, de ipsis prædestinatis non procedere.

57. Et statim finito cap. 8. continuat Apostolus cap. 9. sic dicens: *veritatem dico in Christo Iesu*, usque ad illud *qui est super omnia Deus in sæcula Amen*, Vbi tristitiam & magnum suum dolorem exprimit, quia Iudæorum populus ex quo secundum carnem est Christus, & quorum erat adoptio filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, non pertinebat ad electos, ad prædestinatos, & ad vocatos secundùm propositum; quia videlicet major illorum pars reprobata fuit, & solum reliquiæ per electionẽ gratiæ salvæ factæ sunt, immediatè autem subjungit: *Non autem quod excidcrit verbum Dei. Non enim omnes qui ex circumcisione sunt Israël, hi sunt Israëlitæ: neque qui semen sunt Abrahæ omnes filij Abrahæ: sed in Isaac vocabitur tibi semen id est, non qui filij carnis, ij filij Dei, sed qui filij sunt promissionis.* Quid aliud intelligit per filios promissionis, & pet filios Dei, nisi electos, & prædestinatos, & continuò subjungit: *Promissionis enim verbum hoc est, secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius, non solum autem illa, sed & Rebeca ex uno concubitu habens Isaac Patris nostri. Cum enim nondum nati essent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret; non ex operibus sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Vbi Apostolus palam dicit Isaac esse filium promissionis, computari in semine Abrahæ benedicto, & esse filium Dei per æternã videlicet prędestinationem, & electionem: tacitè autem de Ismaële videtur asserere ipsum non computari in semine Abrahæ, nec inter promissionis filios, vel inter filios Dei per prædestinationem & electionem: Claréque de Iacob dicit, quòd computetur in semine inter filios promissionis, & filios Dei per æternam prædestinationem, & electionem, & dilectionem; Esau autem esse reprobatum. Et ut ostenderet Apostolus se loqui in his verbis sicut in toto præcedenti contextu de prædestinatis, apposuit illa verba, *ut secundum electionem propositum Dei maneret*, id est, ut illud propositum firmum esset, de quo à principio inceperat: *iis qui secundum propositum vocati sunt sancti*, Vtrobique enim eadem repetit verba ad declarandam utrobique, de prædestinatis & secundum propositum vocatis se historiam texere.

58. Qui hæc legit, & apertum literæ contextum vel mediocriter considerat, quomodo potest asserere, nisi literæ manifestavis fiat, Apostolum de prædestinatione, & reprobatione non loqui: cum Apostolus non solùm toto contextu præcedenti, sed etiam magis ac magis in subsequentibus id ipsum aperiat dicens: *Quid ergo dicemus, nunquid iniquitas apud Deum absit.* Si de bonis temporalibus loquebatur Apostolus, quæ erat necessitas ut cùm admiratione diceret, *Quid ergo dicemus, nunquid iniquitas apud Deum? absit.* Qui enim ex eo quod Deus sine operibus det aliquibus bona temporalia quæ aliis negat, autumare potest iniquitatem esse apud Deum: similiter cum subdit. *Moysi enim dicit miserebor cujus misertus sum & misericordiam præstabo cui miserebor.* Quis dicat tam multiplicatam & repetitam misericordiam solum bona temporalia respicere. Eeodem modo cum dicit: *non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis*, Quis dicat de bonis temporalibus loqui. Parique ratione cum addit. *Dicit enim scriptura Pharaon; quia in hoc ipsum excitaui te, ut ostendam in te virtutẽ meam & ut annuncietur nomen meum in universa terra*, Ubi sensum adducens hominis reprobi, quid aliud declarat, quàm se loqui de reprobatione, quam supra millies exposuerat: & cum concludit: *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Nonne apertissimè prædestinationem & vocationem aliquorum secundum miserentis propositum manifestat, & aliorum reprobationem, & in peccatis indurationem? An & hìc poterunt dicere, nomine obdurationis intelligi privationem primogenituræ temporalis, quis ista sapiat, vel quis hæc audiat.

Præterea quod subdit Apostolus, *Quid ergo quæritur, voluntati ejus, quis resistit.* Quomodo intelligi potest objectum pro prælatione tantum bonorum temporalium. Ridiculum certè esset hanc, Apostolum ob bona temporalia, movere quæstionem; sed & in responsione hujus objectionis luce clariùs demonstrat se de prędestinatione, & reprobatione fuisse locutum, ait enim inter cætera: *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Quæ verba etiamsi vi trahantur, aliud non possunt sonare nisi prædestinationem, & reprobationem. Quod adhuc apertius sequentia verba declarant, dicit enim: *Quos* scilicet præparatos in gloriam) *vocavit non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus.* Hìc statuit vocationem secundum propositum, quam semel atque iterum præmiserat secutam ad præparationem, sive prædestinationem ad gloriam; quos enim præparavit ad gloriam, vocavit secundũ propositum, non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, sicut & prius dixerat: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit*, eandem prædestinationem exponit cum post pauca dicit: *Et erit in loco, ubi dictum est eis, non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei vivi:* ideſt electi erunt ibi & prædestinati; qui propriè dicuntur filij Dei vivi. Rursus prædestinationem nominat, cum subinfert: *Si fuerit numerus filiorum Israël tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient.* Quomodo reliquiæ salvæ fient, nisi electæ sint, & prædestinatæ ad gloriam: de hac ergo salvatione quam consequuntur Reliquiæ illæ à Deo prædestinatæ, loquitur manifestè. Hoc ipsum declarat *in cap.* 11. cum dicit: *Dico ergo, nunquid repulit Deus populum suum? absit. Nam & ego Israëlita sum ex semine Abraham de Tribu Beniamin. Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*, ideſt prædestinavit, ut communis est expositio. Vide S. Augustinum *de bono perseuerantiæ cap.* 18.

59. Multa alia relinquo, quia ex dictis fit manifestissimum

Digitized by Google

festissimum ita Apostolum de prædestinatione & reprobatione loqui, ut qui contrarium nituntur suadere ipsi Apostolo contradicant.

60. Unde quatuor illæ explicationes quæ illi testimonio adhibentur ultimatè à Leonardo Lessio *in supradicta relata disputatione de prædestinatione sect. 3. §. ad quintum, & §. alii, & §. verum*, & contextui Apostoli minus conveniunt, & omnibus supra inductis adversantur. Prima est quòd non negat Apostolus opera prævisa, sed facta. Secunda quod non sit sermo de absoluta ad gloriam, sed ad gratiam. Tertia quod procedat de dilectione bonorum hujus præsentis vitæ, sive temporalia sint, sive spiritualia. Quarta quod excludantur opera legis externæ, de quibus Iudæi gloriabantur. Omnes enim istæ, literæ videntur contrariæ, & inscrutabili illi prædestinationis mysterio ab Apostolo prædicato, quia per omnes fere has explicationes satis mysterium prædestinationis penetrabile constituitur. Quæ enim profunditas quòd Deus ex prævisis bonis operibus homines prædestinet ad gloriam. Vnde hanc traditam à Pelagianis confutat ubique Augustinus *epist. 105. lib. 2. ad Bonif. cap. 7.* Alia etiam de operibus legis extorta explicatio fuit Fausti Reghiensis. Alia verò de electione immediata ad gratiam, quam in Sancto Augustino prætendit fundare penitus contra S.P. Augustini doctrinam manifestè procedit, ut agentes de electione ad gloriam copiosè exponemus. Tandem illa de bonis huius vitæ etiam textui Apostoli, ut visum est manifestè repugnat.

61. Sed & illud magis mirandum, quod prædicta sectione habet §. verùm *verùm*, inquit, *ut melius intelligatur totum Apostoli discursum nihil illi sententiæ favere* (scilicet quæ ponit immediatam electionem ad gloriam) *notandum est, non esse scopum Apostoli, ut multi putant, ostendere Deum in vocatione ad fidem, aut electione ad gratiam justificationis, non habere ullam rationem operum bonorum, aut malorum, etiam internorum, sed omnia facere ex nudo beneplacito ante omnem operum prævisionem concepto, non ista est mens ejus. Quorsum enim ista doctrina pertineret, nisi ad injiciendam hominibus desperationem, & Deum accusandi, ipsi incredulitatem & injustitiam suam imputandi: neque enim hoc modo excitaret ad fidem Christi quod ipse intendit; sed torporem induceret & supinam quandam oscitantiam à Deo omnia expectantem, si fortè ipsi sint inter illos electos. Sed scopus ejus est docere, Deum inconferenda salute gratia justificationis & donis Spiritus Sancti non habere rationem operum externorum, præsertim legis quæ Iudæi tanti faciebant, & ob quæ putabant sibi omnia deberi, sed fidei tantùm & interni effectus in Deum & in Christum.* Hæc ille.

62. Quæ intelligentia & explicatio à Fausto Pelagiano ad enervandam Apostoli doctrinam circa gratuitam prædestinationem, & illi testimonio illudendum, priùs apposita fuit, deinde à Catherino, Erasmo, & cæteris hujus farinæ. Est etiam prædicta explicatio non solùm contra S. Augustini expressam doctrinam in omnibus libris contra Pelagianos; sed etiam contra Pontifices summos videtur militare, qui S. Doctoris Augustini sententiam in materia prædestinationis, & gratiæ approbarunt, ut dictum est supra.

63. Adversatur etiam SS. Patribus, qui communiter, ut dictum est, Apostolum intelligunt de prædestinatione fuisse locutum absque prævisione operum.

64. Oppugnat etiam Concilium Valentinum inductum, quod docet Apostolum de prædestinatione bi loqui. Imò ut probatum est, totum contextum corrumpit, & intentionem Apostoli invertit, qui prædestinationem fieri ex aliquibus hominum operibus prævisis negat. Sed & illud non dissimulandum quod prædictus Author in hac explicatione, nedum electionem immediatam ad gloriam negat fieri ante operum prævisionem, verùm vocationem ad fidem, & electionem ad gratiam justificationis fieri negat sine ratione bonorum, vel malorum operum: in quibus primum effectum prædestinationis (qui est vocatio ad fidem) & electionem ad gratiam justificantem dicit fieri ex operibus; & sic primam gratiam & totam prædestinationem ex operibus ponit, ut cum gratia non sit. Et quod majus est, dicit quod si Apostolus hoc non intenderet desperationem hominibus injiceret. Iam ergo si Apostolus dicit gratiam ex operibus non fieri, desperationem hominibus injiciet, jam si gratiam ex operibus poneret, negando illam esse gratiam, illam desperationem auferret; jam non contra Thomistas non contra Sanctum Augustinum, sed contra Apostolum audent ista proponere, conditione tamen apposita (si ita intelligat) quam nec ignorare possunt, ita intelligere, sed verba temperant, cum doctrina satis cognita sit.

65. Vnam solam excusationem prætendere potest quam & insinuat, imò aliquando expressè tradit, se loqui de operibus bonis ante electionem ad gratiam justificantem, imò ante vocationem ad fidem, factis tamen ex priori Dei inspiratione. Sed quod non loquatur de solis illis, sed etiam de aliis omninò antecedentibus omne donum gratiæ, alibi explicavit, cum dicit quod facienti quod in se est ex solis naturæ viribus certò Deus gratiæ auxilium donat. Et cum alibi asseruit quod ut aliquis sit vocatus, multiplex potest ratio assignari: & inter has rationes, aliquas statuit quæ procedunt de operibus ante omnem gratiam, ut in particulari adversus ipsum in fine hujus libri ostensuri sumus.

CAPUT VIII.

Solvuntur argumenta in contrarium adducta.

66. EX dictis non erit difficile Argumentis in oppositum satisfacere. Ad primum enim dicendum quod licet ille locus *Genesis 25.* non loquatur ad literam de prædestinatione electorum, ac malorum reprobatione, in sensu tamen spirituali & allegorico de prædestinatione, & electione procedit, ut dictum est. Et in isto spirituali sensu adducitur ab Apostolo. Nec sequitur ex eo quod ille locus ad literam non procedat de prædestinatione & reprobatione, quod Apostolus ad litteram de ipsis non loquatur. Sicut absurdè colligeret quis Evangelistam Ioannem non loqui ad literam de Christi Domini morte, quia locus ille: *Os non comminuetis ex eo*, ab ipso inductus, non loquitur ad literam de Christi morte; quod in multis aliis exemplis poterit demonstrari. Efficacissimè autem ex illo spirituali sensu explicato in litera novi testamenti, concludit Apostolus intentum suum, quod de prædestinatis procedit.

67. Ad secundum dicendum quòd licet ille alius locus *Malach. 1.* ad literam etiam de prædestinatione & reprobatione non loqueretur, est tamen dicendum, quod Apostoli litera de prædestinatione & reprobatione procedit, ratione modò facta. Cæterum jam diximus locum prædictum ad literam

Digitized by Google

literam procedere de prædestinatione & reprobatione. Quia enim Apostolus de re adeò gravi & difficili loquebatur, ad confundendos Iudæos qui tantùm de carnali generatione gloriabantur, plurimis usus fuit veteris scripturæ testimoniis, quibusdam in sensu spirituali abscondito illum referando, aliis verò in sensu literali, sicut fuit ille, *Iacob dilexi, Esau autem odio haberi.*

68. Ad tertium in quo efficacius insistit prædictus Author citatus, dicendum primò Apostolum expresè de Ismaële non loqui, sicut de Esaü. Vnde non ita ex isto loco, vel ex alio constat Ismaëlem esse reprobatum, sicut constat expresè de Esau. Qua ratione Lyranus *Genes.* 17. Super illa verba Domini ad Abraham *super Ismaël quoque exaudivi te*, dicit esse opinionem Rabinorum Ismaëlem fuisse salvatum, quorum opinionem ipse approbat. Quæ videtur apparenter colligi ex illo loco *Genes.* 17. Ibi enim refertur orasse Abraham Deum pro Ismaële in hunc modum. *Vtinam Ismaël vivat coram te*, cui Deus respondit. *Super Ismaël quoque exaudivi te.* Si ergo orationem Abraham exaudivit Dominus, & ille orabat pro æterna ejus salute, videtur quod illam fuerit assecutus. Lippomanus etiam super *Genes.* 25. ubi mors Ismaëlis narratur, idem dicit quod Lyranus: cujus & fundamentum potest esse, quia ibi dicitur quod decedens Ismaël appositus est ad populum suum. Quibus verbis solet uti divina Scriptura in morte iustorum, ut ex locis multis constare poterit.

69. Sed pro alia parte, quod videlicet Ismaël reprobus fuerit clarè id asserit Sanct. Hieronymus super istum locum *ad Rom.* 9. sic enim dicit. *Non solum autem illa sed & Rebeca. Non solum autem Ismaël, & Isaac: qui quamvis ex uno quidem Patre, diversa tamen matre sunt generati, non sunt unum apud Deum, sed etiam Iacob & Esau.* Idem videtur insinuare *super cap.* 4. *ad Galat.*

70. Sanctus etiam Pater Augustinus *de Civitate Dei libro* 15. *cap.* 3. & potissimè in expositione *epistol. ad Galatas tom.* 4. *post medi.* sic dicit de Ismaële. *Quod ille de ancilla, quæ Agar vocabatur, vetus testamentum significet, ideſt, populum veteris testamenti, propter iugum servile carnalium observationum, & promissa terrena quibus irretiti & quæ tantummodo sperantes de Deo, non admittuntur ad hæreditatem spiritualem cœlestis patrimonij.* Quibus verbis Ismaëlem figuram malorum, & malos ipsos non pertinere ad beatitudinem non obscurè significat. Et *lib.* 1. *contra donatist. cap.* 10. *in fin.* ait. *Sed qui superbiunt & legitimæ matri non adjunguntur, similes sunt Ismaëli de quo dictum est, ejice ancillam & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Vbi per Ismaëlem figurari Schismaticos declarat. Et enarrat. *in Psalm.* 119, in illa verba, *Habitavi cum habitantibus Cedar*, dicit Ismaëlem qui persequebatur Isaac figurare omnes carnales & peccatores, qui persequuntur iustos. Et *tract.* 12. *in Ioann.* affirmat Ismaëlem fuisse peccatorem, persecutorem iusti, & symbolum damnatorum & carnalium: quibus verbis multò magis inclinat ipsum fuisse reprobum.

71. Sanctus Gregorius *lib.* 20. *moral. cap.* 29. illum inter reprobos videtur collocare illis verbis *quis prospicere poterit.* Rupertus præterea explicans illum locum, *Genes.* 17. magis inclinat quod reprobus fuerit. Magis autem clarè & assertissimè Sanctus Thomas *super cap.* 9. *ad Roman. lect.* 2. docet illum fuisse à Deo reprobatum, quod ex Apostolo colligit in illo loco. Dicit enim Sanctus Thomas intentionem Apostoli fuisse docere, *quod de filiis Abraham fuit unus electus, & reprobatus alter; quia tamen hoc poterant aliqui adscribere vel diversitati matrum; quia Ismaël natus de ancilla, Isaac de libera; vel diversitati meritorum Patris; quia Ismaëlem genuit incircumcisus, Isaac autem circumcisus. Vt igitur omne subterfugium excluderetur, inducit exemplum ubi unus eligitur & alter reprobatur eorum, qui non solum ab uno Patre, sed ab una matre sunt geniti.* Hæc Sanctus Thomas. Et quidem quod implicitè & virtualiter id dicat Apostolus Paulus sic aperitur. Nam litera dicit. *Nec qui semen sunt Abrahæ, omnes filij.* Quod explicans idem Apostolus ait. *Ideſt, non qui filij carnis, hi filij Dei.* Per filios autem carnis potissimè intelligit ibi Apostolus Ismaëlem, de quo ad Galat. 4. dixerat secundum carnem fuisse natum, ubi etiam utitur eisdem verbis de filiis carnis, & filiis promissionis, sicut in hoc loco ad Rom. Igitur docet Apostolus Ismaelem non computari inter filios promissionis, nec inter filios Dei. Et hæc sententia sicut magis conformis literæ & intentioni Apostoli, & sicut expressa S. Thomæ, & aliorum doctorum, sequenda est ac tenenda.

72. Ad argumentum autem Lyrani dicendum cum glossa interlineari, quod cum Dominus dixit, *super Ismaël quoque exaudivi te*, intelligitur quodammodo exaudivi te, quantum videlicet ad bona temporalia, non vero ad æterna. Quæ explicatio ex ipsa scriptura colligi videtur, nam postquam dixit Dominus, *super Ismaël quoque exaudivi te*, quasi explicans in ordine ad quid illum exaudierit, subdit, *Ecce benedicam ei & augebo & multiplicabo eum valde. Duodecim Duces generabit*, Quæ verba ab omnibus expositoribus de bonis temporalibus intelliguntur. Adde quod fortè Abraham postulabat longiorem vitam Ismaëli, cum oravit, *Vtinam Ismaël vivat coram te*, vel si salutarem ab eo petebat, ad tempus Deus ipsam illi concessit, & sic quodammodo fuit exauditus.

73. Ad aliud quod Lippomanus adducebat de morte Ismaël, quia videlicet dicitur *Genes.* 25. quod Ismaël *deficiens mortuus est, & appositus ad populum suum.* Respondet S. Hieronymus *super cap.* 1, *Sophon.* quod per hoc quod simpliciter dicitur in scriptura aliquem apponi ad populum suum, si non aliud addatur, nullum argumentum sumitur de illius salutè. Cum autem additur plenus dierum, vel in senectute bona, vel quid simile, tunc hæc de morte iustorum dici solent. Et per hoc patet ad argumentum 3. illius recentioris.

CAPUT IX.

Alia solvuntur argumenta.

74. POTEST etiam breviùs argumento tertio illius recentioris responderi, quod quidquid sit de Ismaële, an sit reprobus, vel non: de Jacob tamen & Esau id apertè docet Apostolus, & ex Malachia probat, ut dictum est. Cum autem prædictus author dicit. Quis autem dicat Paulum putasse Ismaëlem reprobatum, cum hoc ex scriptura non constet, dicat & nobis, an Paulus & Spiritus Sanctus qui in ipso, & per ipsum loquebatur, alligatus sit veteri testamento, itaut quod in ipso expresè non habetur, non possit ab ipso in ipso dictari? Attendat etiam quos sanctos numerat Apostolus *in epist. ad Hebr.* quos tamen esse sanctos Scriptura antiqua non ita expresè declarat, videlicet, Gedeon, Barach, Sampson, Iephte.

75. Illud

Digitized by Google

75. Illud autem aliud tertium hujus recentioris dictum quo affirmat Apostolum in prædicto *cap.* 9. loqui de spirituali electione, non quidem Isaac ac Iacob, sed populi gentilitij, & de spirituali reprobatione non Esaü, sed populi Iudaici, hoc inquam dictum desumpsit ex Fausto *lib.* 2. *de gratia & humanæ mentis arbitrio cap.* 6. Cujus Fausti Doctorina propter falsitatem quam habet in materia de prædestinatione & gratia, damnata est per Ecclesiam, inter quas falsitates una est, Apostolum non loqui de prædestinatione Iacob, & reprobatione Esaü.

76. Ad quartum desumptum ex alio recentiori, dicendum quod fortè Judæi ex illo loco Malachiæ citato intelligebant Iacob prædestinatum, Esaü reprobatum, saltem sapientiores illorum sic intelligebant. Secundò quod licet non sic Iudæi sentirent, tamen Apostolus hoc ipsum explicando docebat, sicut multa ex veteri Scriptura in Epistola ad hæbreos & alibi, eis exponebat in vero sensu, quem ipsi non intelligebant,

77. Ad aliud ibi adductum dicitur, quod licet in veteri testamento non fiant frequenter promissiones æternorum bonorum, tamen aliquando licet rarò inveniuntur, ut etiam ille auctor fatetur. Inter quas una est ista quæ deducitur ex Malach. *cap.* 1. *citato* rationibus supra inductis. Secundò dicendum, quod licet frequenter non inveniantur promissiones spirituales factæ, invenitur tamen frequenter dictum de multis quod servierunt Domino, & quod bene mortui sunt; de aliis verò quod peccatores extiterunt & morte pessima interierunt, ubi aliorum prædestinationem, aliorum verò reprobationem Scriptura manifestat; sicut utriusque diversam sortem & Esaü & Iacob expressit Malach. 1. dicens *Jacob dilexi, Esaü autem odio habui.*

78. Ad aliud ejusdem auctoris, jam dictam est Apostolum in historico sensu adduxisse illud Malach. 2. p. *Iacob dilexi, Esaü autèm odio habui.*

Ad authoritatem autem Sancti Hieronymi ab illo recentiore inductam, qua dicebat Apostolum mystica disputatione eventilasse locum illum Malach. 1. Dicendum primò Sanctum Hieronymum nullo modo sensisse Apostolum in contextu Epistolæ suæ locutum fuisse in sensu spirituali de prædestinatione, & reprobatione, sed tantum ad summum colligi potest ex illius verbis, quod locus ille Malach. 1. ab ipso sit inductus in sensu spirituali, hoc enim sonant verba sancti Doctoris, cum ait locum illum eventillasse Apostolum mystica disputatione. Quamvis autem hoc concedatur, quod ille locus Malachiæ inducatur in spirituali sensu ab Apostolo, tamen Apostolus ad literam loquitur de prædestinatione & reprobatione in toto contextu Epistolæ. Secundò dicendum cum aliis Sanctum Hieronymum, cum dixit Apostolum eventillasse locum mystica disputatione, per mysticam disputationem intellexisse absconditam, & aliud significantem quàm prima fronte verba manifestant; quomodo sancti vocare solent sensum historicum, mysticum cum absconditus est.

79. Ad aliud ex Cardinali Toleto patet ex dictis, Apostolum non loqui ad literam de bonis temporalibus, sed de prædestinatione & reprobatione Jacob & Esaü, & omnium electorum & reprobum.

80. Ad sextum dicendum, Apostolum loqui in particulari de omnibus prædestinatis & reprobis, prædestinatos verò sæpe intelligit per fideles ad Ecclesiam vocatos, licet non sentiat omnes qui intra Ecclesiam sunt, esse prædestinatos; quia nomine vocatorum ad Ecclesiam, Scripturæ more, intelligit principaliorem Ecclesiæ partem, videlicet prædestinatos ipsos. Sæpe enim Scriptura divina omnem terram pro parte ipsius accipit, & pro parte hominum omnes homines, Ecclesiamque totam pro parte Ecclesiæ. Quorum plura poterant adduci exempla, sed quia omnibus erunt in promptu, omittuntur.

81. Ad ultimum ex S. P. Augustino dicendum, ipsum tantùm velle intentionem Apostoli esse, ostendere gratiam Evangelij nulli debitam, sed quibus datur, gratuitò dari; potissime autem loquitur de gratia Evangelij, quàm Deus tribuit secundum propositum, vocatis & dilectis per divinam prædestinationem, ut multoties ipse Sanctus Augustinus declarat. Et ista sufficiant circa Apostoli contextum & literam, in qua nos sequentes S. Augustinum, & Patres, totam materiam prædestinationis divinæ fundabimus, ut ex dicendis constabit.

CAPUT X.

De duplici Dei voluntate, antecedente, & consequente.

82. DECIMA septima recentiorum assertio 1. *lib.* 1. *par tract.* 6. *cap.* 8. relata, circa intelligentiam hujus Apostolici testimonij procedit, *Qui vult omnes homines salvos fieri*, & in summa, ut ibi ex ipsorum relatis verbis fit manifestum, tria dicunt. Primò explicationem S. P. Augustini qua docet ita intelligendum esse locum, ut Deus velit salvare quicunque salvantur, ita quod intelligatur de solis prædestinatis, non esse ad mentem Apostoli, nec probari à Doctoribus tum Augustino antiquioribus, tum posterioribus. Et in hoc primo conveniunt omnes recentiores ibi relati: Secundum, in quo etiam omnes conveniunt, est hanc esse veram intelligentiam illius loci ut Deus æqualiter velit omnes homines salvos fieri per voluntatem antecedentem, hac subintellecta conditione, si ipsi tamen voluerint. Tertiò in particulari invehitur Ludovicus Molina ibi relatus in S. P. Augustinum, dicens quod quia sanctus Augustinus non sic illum locum explicavit, sicut ipse explicat, ideo confugit ad alias tres explicationes, superaddens quod dum sanctus Augustinus erat sub illa quasi caligine, ad hoc non attendit.

83. Quia vero falsa hujus Apostoli testimonij intelligentia, & præsentibus, & præteritis temporibus fuit singulare fundamentum eorum qui efficaciam divinæ gratiæ oppugnarunt, ut ex dicendis dabimus manifestum; oportet pauló accuratius rem istam examinare, & veram illius loci intelligentiam secundum sensum quem Sancti Patres, & Ecclesia ipsa perpetuò docuit aperire, & falsum funditus eradicare.

84. Sed ante omnia de illa distinctione voluntatis, in voluntatem antecedentem, & consequentem dicendum erit, quia ex vera intelligentia distinctionis hujus, pendet vera intelligentia prædicti testimonij Apostolici, *Qui vult omnes homines salvos fieri.*

Distinctio hæc de Dei voluntate antecedente & consequente antiqua est satis. Traditur in terminis à Damasceno *libro* 2. *fid. Orrhod. cap.* 29. Vbi apertè distinguit voluntatem præcedentem, & voluntatem Dei consequentem. Quid autem secundum Damascenum velit Deus per voluntatem præcedentem, & quid per consequentem dicemus inferius. In libro autem contra Manichæos aliquantulum ante finem, hanc distinctionem extendit ad humanam voluntatem, in qua etiam hanc duplicem voluntatem, & antecedentem, & consequentem distinguit.

Digitized by Google

85. Sanctus etiam Anſelmus in Matth. *cap. 6.* in illa verba, *fiat voluntas tua*, Duas voluntates in Deo diſtinguit, aliam miſericordiæ, cui homo contradicit, aliam quæ (ut ait) eſt de effectibus rerum, de qua dicitur, *Omnia quæcumque voluit fecit*, huic nemo poteſt reſiſtere.

Hæc Sanctus Anſelmus. Vbi per voluntatem miſericordiæ intelligit voluntatem antecedentem inefficacem, de qua ait, quod illi homo contradicit: Per voluntatem autem quæ eſt de effectibus certiſſimè efficiendis, intelligit plane voluntatem Dei efficacem & conſequentem. Vbi & aliud pro vera ſancti Anſelmi intelligentia notandum, quod loquens de voluntate miſericordiæ, ideſt, antecedente, dicit quod illa non eſt cogens, ex quo videtur inferri aliam conſequentem, contra quam illa prior diſtinguitur, eſſe cogentem. Quod tamen ſic eſt intelligendum, ut non loquatur de cauſa cogente propriè, vel de neceſſitate ſine libertate, ſed de neceſſitate illationis & conſequentiæ, ſeu infallibilitatis, cum qua optime cohæret humana libertas. Vnde per verbum, *Cogens*, intelligit Dei voluntatem efficaciter facientem ut humana voluntas operetur & faciat, liberè tamen. Nec enim eſt credibile intendiſſe ſanctum Anſelmum, vel à longe inſinuaſſe, voluntatem Dei quæ eſt de effectibus certiſſimè efficiendis, eſſe cogentem humanam libertatem, aut ab ea innatam ejus libertatem auferentem.

86. Tribuitur etiam prædicta diſtinctio de voluntate antecedente & conſequente Sancto Chryſoſtomo *homil. 1. in Epiſt. ad Epheſ.* In illa verba, *Secundum propoſitum voluntatis ſuæ*, Vbi duplicem Dei voluntatem diſtinguit. Aliam quæ eſt princeps, & quæ præcedit; aliam quæ eſt ſecunda, ſic enim illam vocat. Per illam primam dicit quod Deus explicat quid deſiderat, quod videlicet omnes ſalventur. Per ſecundam dicit punire Deum qui ſunt facti mali. In quo loco ſub aliis verbis æquivalentibus voluntatem Dei antecedentem & conſequentem affirmat. Ex quo fortè loco Damaſcenus clarius hanc diſtinctionem deſumpſit.

87. In Sancto Patre Auguſtino hanc diſtinctionem de voluntate Dei antecedente & conſequente ſub his verbis expreſſam non invenio, ſed ſub æquivalentibus, cum aliam voluntatem efficacem in Dei conſtituit, quæ ſemper impletur; & aliam inefficacem, quæ non impletur. Et in particulari explicat illud Apoſtoli, *Qui vult omnes homines ſalvos fieri* de ſpiritu, & litera *cap. 33.* In Enchiridio cap. 97. lib. *6. Hyponoſt. cap.* 8. de corr. & gratia cap. 14. & 15. lib. 4. contra Iulianum cap. 8. Epiſtola 107. *ad vitalem*, in quibus locis agit de intelligentia illius teſtimonij, & inter alias explicationes de quibus infra, hanc etiam de voluntate antecedente non obſcurè inſinuat, potiſſimè in loco ex ex hyponoſt. citato, & in Enchirid.

88. Sanctus Thomas in multis ſuæ doctrinæ locis hanc diſtinctionem de voluntate Dei antecedente & conſequente ſub his propriis terminis tenet, & docet *In 1. diſt. 46. art. 1. & 4. ſolut. ad 3.* In 4. diſt. 14. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula 3. ad 5. *de verit. quæſt. 6. art. 2. ad 2.* Et *quæſt. 23. art. 2. per totum & 1. p. quæſt. 19. art. 6. ad 1.* Hanc eandem diſtinctionem communiter Scholaſtici admittunt, illamque deffendunt authores cum quibus diſputamus, licet in ſenſu valde alieno ab eo, quo Sanctus Thomas illam intelligit, & ab eo quem veritas poſtulat. Quod jam erit explicandum, ne ſub ejſdem vocibus ab omnibus communiter receptis, ſenſus lateat contrarius.

89. Quinque ergo ſunt, quæ circa hanc diſtinctionem dicunt recentiores. Primò dicunt voluntatem Dei antecedentem ſic vocari, quia antecedit arbitrij noſtri cooperationem; voluntatem autem conſequentem, ideo conſequentem dici, quia conſequitur ad noſtri arbitrij cooperationem, quod ſibi videndur deſumere ex Damaſceno relato loco, & Chryſoſtomo.

90 Secundò aſſerunt voluntatem antecedentem eſſe illam, qua Deus vult nobis fœlicitatem, ſi tamen nos illam amplecti voluerimus, qua ratione talem Dei voluntatem antecedentem vocare ſolent conditionalem ſive conditionatam, quæ videlicet hanc implicitam continet conditionem, volo omnes homines ſalvari, ſi ipſi velint: judicant enim hac voluntate poſita, & adimpleta conditione per hominem ipſum, hominem ſalvari, nec requiri aliam omnino abſolutam priorem voluntatem qua Deus omnino abſolutè velit quod homo ſalvetur. Voluntatem autem conſequentem dicunt eſſe illam qua Deus vult punire peccata.

91. Tertiò affirmant quod voluntas conſequens eſt illa, qua Deus abſolutè vult illud, cujus contrarium vult voluntate antecedente. Vnde dicunt voluntatem conſequentem eſſe tantùm illam, qua Deus vult hominem propter peccatum punire, quòd eſt contrarium voluntati antecedenti, qua omnibus vult æternam fœlicitatem.

92. Quartò deducunt non eſſe idem in Deo voluntatem conſequentem, & voluntatem abſolutam, ſed voluntatem conſequentem ſpeciem eſſe voluntatis abſolutæ. Concedunt namque & ipſi quandam voluntatem complacentiæ, qua Deus poſtquam vidit bonum, quod liberum arbitrium facturum eſt, in eo ſibi complacet, illudque abſoluta voluntate vult.

93. Quintò & ultimo (ajunt) voluntatem Dei antecedentem, qua præciſa ratione antecedens eſt, abſque eo quod adjunctam habeat voluntatem conſequentem, aliquando impleri, aliquando verò non, prout homini placet. Quia ſi vult, facit quod voluntas Dei antecedens de illius ſalute impleatur, & quando vult reddit inefficacem eandem Dei voluntatem. Et in hac doctrina ſic à ſeipſis intellecta & explicata de voluntate Dei antecedente & conſequente, omnem in his materiis fundant doctrinam. Ita Molina habet *quæſt. 19. in Concord. art. 6. diſputatione prima §. ex iis conſtat, & §. porro volitio hac* Et §. *hunc vero actum §. ex his patet §. patet ſecundò & §. juxta hæc ergo*, Et alij qui ſequuntur ejus doctrinam.

CAPUT XI.

De vera intelligentia voluntatis Dei antecedentis & conſequentis ſecundùm Sanctum Damaſcenum, & D. Thomam.

94. ANTEQUAM Damaſceni mentem circa hanc famoſam diſtinctionem de voluntate antecedente & conſequente expendamus, duo breviter oportet prænotare. Primum utramque voluntatem tam antecedentem, quàm conſequentem, eſſe voluntatem beneplaciti, hoc enim expreſſe docet S. Thomas *quæſt. 23. de verit. art. 3. in corpore.* Vnde tam voluntas antecedens quàm conſequens eſt proprie voluntas in Deo, quod eſt proprium voluntatis beneplaciti ut diſtinguitur à voluntate ſigni, quæ verè & propriè voluntas non eſt, ſed methaphorica, ut loco citato docet idem S. Thomas, *Et 1. parte quæſt. 19. art. 11.* Hoc fundamentum quod in ſenten-

Digitized by Google

tia S. Thomæ videtur certum, est contra Alens. 1. p. quæst. 36. memb. 2. & sanctum Bonavent. *In 1. dist. 46. art. 1. quæst. 1.* & Scotum ibi *quæst. unica.* Videtur etiam contra Caïetanum in illud Pauli, *qui vult omnes homines salvos fieri*, & contra Scholasticos alios, quorum sententiam quamvis probabilis appareat, multò tamen verior est ista, quam modò ex S. Thoma supponimus.

95. Ex hoc sequitur non rectè ab aliquibus affirmari idem omnino esse voluntatem beneplaciti, & voluntatem consequentem; quia etiam voluntas antecedens (ut modo dictum est) ad voluntatem beneplaciti pertinet. Similiter & illud sequitur non omnem volitionem beneplaciti semper impleri, quia voluntas antecedens quæ beneplaciti est, non impletur, ut sequenti capite manifestabimus.

96. Secundò supponendum sufficientissimè dividi voluntatem beneplaciti per antecedentem, & consequentem, nec opus esse aliud tertium addere membrum, ut aliqui ex recentioribus opinantur, asserentes præter voluntatem antecedentem, & consequentem posse addi tertiam, videlicet voluntatem purè permissivam. Sic Franciscus Suarez *lib. 2. opusc. de concursu Dei cap. 7. nu. 20. §. ex dictis* licet ibi fateatur voluntatem permissivam ideo non solere distingui ab illis duabus supra relatis, quia virtute in eis continetur. Nullo enim modo illud tertium distinctionis membrum noviter est addendum, tum quia antiqui Doctores illud non addiderunt, tum quia voluntas permittendi simpliciter & absolutè est voluntas consequens; vult enim Deus absoluta sua voluntate consequenti permittere, ut communiter Theologi solent affirmare. Quod expressè docuit S. Damascenus *lib. 2. fid. Orthod. cap. 29.* Vbi expressè voluntatem permittendi, quam ipse permissionem vocat, dicit esse voluntatem consequentem: quam permissionem ibi duplicem constituit, aliam dispensatoriam sive eruditoriam, aliam verò desperatoriam.

97. Similiter nec addendum est aliud tertium membrum prædictæ distinctioni, videlicet voluntatem concomitantem, sive complacentiæ, ut idem author videtur affirmare citato loco, & expressius Gabr. Vasq. 1. p. quæst. 83. cap. 3. §. *his addendum est.* Nam voluntas illa concomitans sive complacentiæ, voluntas absoluta & consequens est, & aliquomodo respicit id quod est ex nobis, ut ex dicendis fiet manifestum.

98. His suppositis ut ad veram intelligentiam & mentem S. Damasceni accedamus, illud pro fundamento in hac aperte habendum est, S. Thomam in intelligentia, & explicatione hujus distinctionis nullo modo Damasceno existere contrarium, sed Damasceni sententiam, & mentem (ut solet) clarè explicasse, licet oppositum dicat Ariminensis qui sine causa vult S. Thomam, & Damascenum in hac parte esse contrarios, cujus tamen sententiam ipse S. Thomas vel præcludere videtur 1. *par. quæst. 19. art. 6. ad 1.* Vbi expressè affirmat se agere de voluntate antecedente, & consequente secundùm Damascenum. *Et quæst. 23. de verit. art. 2. in corp.* inquit. *Voluntas divina per antecedentem, & consequennem convenienter distinguitur; cujus distinctionis intellectus ex verbis Damasceni est assumendus.* Præterea *in 1. sent. dist. 46. quæst. 1. art. 1. in corp.* ait. *Secundum Damascenum voluntas est duplex, scilicet antecedens, & consequens.* Si ergo in omnibus istis locis hanc distinctionem explicat secundum intellectum Damasceni, quomodo potest dici quod in hoc sit illi contrarius. In hoc fundamento etiam ij authores cum quibus disputamus convenire videntur. Sic enim dicit Ludovicus Molina *in Concord. quæst. 19. disput. 1. art. 6. §.* Postremò in ultimis verbis. *Quidquid enim Gregorius Ariminensis in 1. dist. 46. quæst. 1. dixerit, planè idem docuit* (videlicet Damascenus) *quod & sanctus Thomas hoc loco, aliique scholastici cum docuisse affirmant.* Verum est Franciscum Suarez *lib. 3. de attributis Dei positivis cap. 8 §. Quæ quidem expositio*, asserere parum referre an expositio sancti Thomæ ad mentem Damasceni sit; satis est quod non sit contraria, & hoc est primum quod dicit. Asserit secundò se existimare quod sancti Thomæ expositio aliquid addidit expositioni Damasceni, quia voluntas antecedens secundum Damascenum potest esse efficax & inefficax: at sanctus Thomas voluntatem antecedentem ut sic, semper censuit esse inefficacem. Sed hoc secundum dictum, primum videtur oppugnare. Si enim secundum Damascenum voluntas antecedens ut sic, potest esse efficax & inefficax, secundum autem sanctum Thomam semper est inefficax, proculdubio contraria est sancti Thomæ expositio, Damasceno; cujus tamen oppositum hic author præmiserat. Meliùs ergo Molina adversus Ariminensem dixit, quod quidquid dixerit Gregorius, idem docuit Damascenus quod & sanctus Thomas in hac distinctione. Quod etiam idem poterat adversus Suarez proferre, si hæc audisset. Supposito ergo quod uno excepto Ariminense & Suarez, Scholastici alij, ut Molina testatur, & ipse Molina, defendunt idem dixisse atque intellexisse per hanc distinctionem sanctum Thomam & Damascenum, videamus quid expressè dixerit circa illam sanctus Thomas, & de mente Damasceni clariùs constabit.

99. Ex sententia ergo expressa sancti Thomæ dicendum est primò, voluntatem antecedentem, & consequentem non distingui per hoc, quod illa prima antecedat arbitrij nostri cooperationem, illa autem secunda (videlicet consequens) præsupponat & consequatur cooperationem arbitrij nostri; & ex consequenti hoc non intendit Damascenus. Veritas ista contra primum dictum horum authorum procedit, ut ex cap. præcedenti fit manifestum, quæ sic manifestatur. Nam sanctus Thomas 1. *p. quæst. 19. art. 6. ad 1.* Postquam præmiserat illam distinctionem de voluntate antecedente, & consequente secundum Damascenum, explicans quid sit voluntas antecedens, quid verò consequens, sic immediatè intulit. *Quæ quidem distincto non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinæ, in qua nihil est prius, vel posterius, sed ex parte volitorum.* Vbi duo distinctè constituit. Alterum est voluntatem antecedentem esse priorem, consequentem verò posteriorem, quod & ipsa verba *antecedens, & consequens* satis manifestant. Alterum est hanc prioritatem seu posterioritatem considerari respectu diversorum volitorum. Et ibi declarans respectu quorum volitorum hæc distinctio prioris, & posterioris voluntatis desumatur, expressè affirmat quòd voluntas Dei dicitur antecedens sive prior respectu boni in communi & in universali voliti, voluntas verò consequens sive posterior; dicitur comparatione boni in particulari voliti, hîc & nunc, & cum omnibus circunstantiis; ita quod quia prius est secundùm rationem bonum in communi & in universali consideratum, quàm bonum consideratum in particulari & attentis omnibus circunstantiis; ideò voluntas quæ fertur in illud bonum in communi, & in universali, prior est sive antecedens, quàm voluntas quæ fertur in bonum in particulari, quæ hac ratione dicitur consequens, sive posterior illâ primâ. Vnde sicut illa duo objecta ad invicem comparata habent se sicut prius, & posterius; ita voluntas antecedens dicitur prior comparatione consequentis, & consequens dicitur posterior respectu prioris antecedentis.

Digitized by Google

100. Igitur voluntas antecedens, & consequens in hoc essentialiter distinguntur & constituuntur, quòd voluntas antecedens est de bono considerato & volito in universali: voluntas autem consequens est de bono considerato in particulari hîc & nunc & cum omnibus circunstantiis. Expressa est sententia Sancti Thomæ loco proximè citato præcipuè *ex 1. part. quæst. 19. art. 1.* Quomodocunque ergo bonum in particulari & attentis omnibus circumstantiis sit volitum, sive illud sit malum pœnæ, sive justificationis & gratiæ, sive sit omnem nostram præveniens voluntatem, sive sit actum nostræ voluntatis præsupponens, illud tale est volitum voluntate consequente. Probatur, secundum Sanctum Thomam ut dictum est, idem est voluntas consequens & voluntas efficax & absoluta, hæc enim fertur in res in particulari, & omnibus consideratis circunstantiis: sed Deus voluntate absoluta & efficaci aliquando vult punire propter demeritum præcedens, aliquando dona sua largitur ante omnem nostræ voluntatis actum: ergo voluntas consequens abstrahit ab hoc quod antecedat, vel sequatur actum nostræ voluntatis. Igitur illa erit voluntas consequens quæ fertur in objectum in particulari & hîc & nunc, quod repugnat voluntati antecedenti, qua ratione antecedens est.

101. Diximus quod voluntas consequens aliquando præcedit omnem nostram operationem, & quod non est de illius ratione quod illam sequatur: quia voluntas dandi gloriam pro meritis, voluntas consequens est, sed nostra merita præsupponit. Similiter voluntas puniendi consequens est, & ad nostra demerita sequitur. Est etiam & voluntas consequens & efficax quæ omnem nostram præcedit voluntatem, sicut est voluntas prædestinandi, & dandi prima dona gratiæ, ut modo ex Sancto Thoma reliquimus comprobatum. Et voluntas etiam creandi mundum, & incarnationis, quamvis omnem nostram antecedat libertatem, debere secundum Sanctum Thomam dici voluntatem consequentem, etiam citatus Theologus fatetur.

102. Unde bene in hac parte sic dixit Franciscus Suarez ubi supra de attributis positivis. *Quod si interdum voluntas aliqua beneplaciti quam Deus ex se solo habet & efficax est, illam vocaret Divus Thomas, ut opinor, consequentem, quia habetur absolutè & consideratis omnibus quæ ad illam necessaria sunt, ut fuit voluntas creandi vel similis.* Hæc illius Authoris sunt verba in citato §. *quæ quidem expositio*, licet *in* §. *præcedenti secundò exponitur* ipse teneat voluntatem creandi mundum primariam esse & antecedentem, sicut & voluntatem sumendi humanam carnem, & Sanctum Thomam deserens & Damascenum non tenens, quia illa voluntas beneplaciti cum sit de objecto in particulari attentis omnibus circunstantiis, sicut est absoluta & efficax, ita est consequens, ut Sanctus Thomas docet. Cujus doctrina ipsa est mens Damasceni bene intellecta.

CAPUT XII.

Explicatur magis quæ sit voluntas Dei antecedens, quæ verò consequens.

103. COGNITO voluntatem Dei antecedentem, & consequentem non sic nominari, quia antecedat, vel subsequatur hominis voluntatem, per quod evertitur primum recentiorum fundamentum supra relatum. Contra secundum ipsorum dictum dicendum est secundò. Voluntas Dei antecedens non est qua Deus vult nobis fælicitatem æternam, hac subintellectu conditione, si nos illam velimus, ad modum quo hanc conditionem intelligunt Recentiores, ut videlicet, si homo velit nulla alia præveniente Dei voluntate efficaci salvetur. Veritas ista quia fundamentalis est in hac materia sequenti capite probanda erit copiosè. Vnde nunc circa tertium horum Authorum fundamentum. Dicendum est tertiò. Nec Damascenus, nec Sanctus Thomas intendunt quod voluntas consequens sit tantum voluntas puniendi, ita quod semper id quod est volitum voluntate consequenti, sit contrarium illi quod est volitum voluntate antecedente. Ex Damasceno probatur. Sic enim in primis illum intelligit suus Commentator in eodem cap. 29. citato dicens. *Voluntas consequens est, qua secundum operum nostrorum qualitatem & existentiam vult nobis tribuere mercedem, præmium inquam, vel pœnam.* Hæc ille: ergo tribuere præmium pertinet ad voluntatem consequentem secundum Damascenum. Non ergo sola voluntas puniendi est voluntas consequens secundum Damascenum, secundùm quod illius Commentator exponit. Imò aliqui ex Authoribus cum quibus disputamus, re oculatiùs considerata id ipsum affirmant de mente Damasceni. Gabr. Vasquez 1. *part. quæst. 83. cap. 3. §. Chrysostomus* sic dicit. *Vbi observandum est non solum consequentem dici posse secundum hanc sententiam quæ ex vitio nostro originem aliquam habet; sed etiam eam quæ ex bonis operibus nascitur; qualis est efficax voluntas dandi gloriam, quam noluit adducere in exemplum Damascenus; eo quod ipsa gloria quodammodo volita sit à Deo antecedenti voluntate: ergo ut assignaret exemplum illius quod nullo modo antecedenti voluntate à Deo volitum est, attulit pœnam; cujus voluntas ex nobis omninò occasionem capit.* Hactenus ille. Quibus verbis & nostram sententiam, & veram Sancti Damasceni intelligentiam defendit, simulque rationem assignat, quare illud exemplum de voluntate puniendi constituat Damascenus, ut videlicet exemplum adhiberet de voluntate Dei, qaæ tantum esset consequens, & nullo modo antecedens.

104. Similiter Suarez *lib. 3. de attributis Dei positivis cap. 8. §. secundò exponitur* dicit Sanctos exemplum ponere circa voluntatem consequentem de malis pœnæ, licet suo modo locum habeat in aliquibus bonis.

105. Quod autem hoc ipsum doceat Sanctus Thomas id non oporteret probare, cum illud in doctrina ipsius sit compertissimum; sæpè enim docet voluntatem consequentem non solùm esse de malo pœnæ, sed etiam de bono prædestinationis, & gratiæ. Vnde *in 1. sent. dist. 47. art. 1.* dicit quod idem est voluntas consequens, & voluntas absoluta & efficax, quæ semper impletur: sed Deus absoluta & efficaci voluntate non solùm vult pœnam infligere, sed plurima bona homini tribuere: ergo voluntas consequens non solùm est inflictiva mali, sed etiam causativa boni. Idem docet apertè *1. p. q. 19. art. 6. ad 1.* Et *q. 6. de verit. art. 2. ad 2.* Vbi expressè dicit quod Deus prædestinat homines voluntate consequenti & non antecedenti. Idem dicit 1. *ad Corinth. 7. lect. 1. circa finem*, quod Deus voluntate consequente prædestinatos vult salvare.

106. Dicendum præterea quartò contra quartum ipsorum dictum. Voluntas Dei consequens, & voluntas absoluta idem sunt adæquatè, ita quod omnis consequens est absoluta, & omnis absoluta est consequens. Patet ex doctrina Sancti Thomæ *q. 23. de verit. art. 2.* Vbi pro eodem sumit voluntatem consequentem & absolutam. Igitur convertuntur adinvicem ita quod synonima sunt. Idem constat *ex q. 6. de verit. art. 2. relato.* Vbi etiam voluntatem consequentem sumit pro eodem, quo voluntatem absolutam. Sed clariùs *1. p. q. 19. art. 6.* Hoc ipsum manifestat,

Digitized by Google

festat. Vbi sicut pro eodem sumit voluntatem antecedentem Dei, & voluntatem inefficacem; ita pro eodem capit voluntatem Dei consequentem, & voluntatem absolutam seu efficacem. Et patet breviter, quia sicut voluntas absoluta semper impletur, ita voluntas consequens semper impletur: ergo una & eadem est. Præterea ideo Recentiores dicunt voluntatem consequentem non esse adæquatè voluntatem absolutam, quia restringunt voluntatem consequentem ad voluntatem puniendi, extra quam constat Deum voluntatem absolutam habere: sed ut modò fuit ostensum, non potest sic restringi voluntas consequens ad solam voluntatem puniendi, cum etiam pertineat ad voluntatem benè faciendi, & prædestinandi: ergo voluntas consequens non est magis restricta quàm voluntas Dei absoluta. Vnde nec in hac parte oportet ampliùs immorari.

107. Dicendum est ultimò. Voluntas Dei antecedens qua præcisa ratione antecedens est, absque eo quod habeat Dei voluntatem consequentem adjunctam nunquam impletur, quod asserendum est contra quintum horum Authorum fundamentum. Itaque per illam voluntatem antecedentem qua Deus vult omnes homines salvos fieri præcisè sumptam, absque alia absoluta efficaci & consequenti qua velit Deus aliquos salvari, non salvantur homines. Veritas ista in sequenti capite erit abundantiùs probanda, & modò breviter patet; quia illa voluntas antecedens communis est & bonis & malis: ergo per illam præcisè sumptam boni non salvantur.

108. Et per hoc respondetur ad fundamentum Francisci Suarez qui ubi supra censuit ex Damasceno aliquando voluntatem antecedentem esse efficacem, dicens quod electis; & reprobis voluit Deus ex se perseverantiam & salutem æternam, atque adeò utrisque antecedenter, juxta illam expositionem: & tamen electis efficaciter, aliis non, sed tantum secundum quid. Cujus proculdubio fundamentum falsissimum est: per illam enim antecedentem voluntatem communem bonis, & malis qua Deus voluit omnes homines salvos fieri, non fuerunt electi efficaciter in gloriam ordinati, aut eis Deus per illam efficaciter voluit perseverantiam; qui illa, ut dictum est, communis est utrisque, nec per id quod & bonis & malis commune est, secernuntur efficaciter boni à malis, hoc enim quis dicat? Sed præter illam antecedentem voluntatem utrisque communem, erga bonos habuit Deus specialem, efficacem, & absolutam, & consequentem voluntatem, qua in particulari attentis omnibus circunstantiis illos efficaciter volut eligere ad gloriam, & eis donum perseverantiæ ad assecutionem illius finis tribuere. Sicut enim perpetua est Sancti Patris Augustini sententia, quod duplex est vocatio, alia communis qua invitati noluerunt venire, alia secundùm propositum qua de facto quidam venerunt: ita certum debet esse quod alia est volitio salvandi omnes, omnibus communis, cui correspondet vocatio communis; & alia electio secundùm propositum, cui vocatio specialis respondet. Item quia illa est inefficax, à causa autem inefficaci non sequitur effectus: ergo nec per illam consequuntur homines effectum salvationis suæ. Antecedens ex quo manifestè concluso convincitur, est aperta Sancti Thomæ sententia, quàm etiam citatus Theologus cognovit, licet illam non sequatur, cum inducto loco dixit quod secundùm Sanctum Thomam voluntas antecedens inefficax est. Imò clarioribus verbis asserunt quòd voluntatem antecedentem ut sic, semper Sanctus Thomas censuit esse inefficacem: in quo si Authores illius sententiæ acquiescerent, viderent quod posita hac tantùm inefficaci voluntate ex parte Dei, *volo omnes homines salvos fieri*, ipsa non impletur, nec quòd per illam homines qui volunt salventur; reddentes suo consensu illam efficacem: & sic perirent facilè omnes disputationes & contentiones in hac materia. Quia tamen acquiescere nolunt, hoc unum ex isto Authore habemus expresè, quod secundum Sanctum Thomam voluntas antecedens, ut sic efficax non est, nec impletur, per hoc quod illam homines qui volunt, reddant efficacem. Et sic expresè fatentur se in hac materia & in potissimo illius fundamento ex quo tota dependet, contra cognitam Sancti Thomæ doctrinam tenere, ne postea velint suadere quod illum sequantur.

109. Quod si arguas, Damascenus expresè affirmat quod voluntas consequens est ex nostra causa, & ponit exemplum in voluntate puniendi: ergo sive sit voluntas puniendi, sive benè faciendi, debet tamen esse ex nostra causa, & ex consequenti debet supponere actum voluntatis nostræ. Confirmatur quia ipse apertè in hoc distinguit voluntatem antecedentem à consequenti, quòd illa ex Deo ipso existit, ante videlicet actum voluntatis nostræ ad id inclinantis; hæc autem est ex causa nostra id postulante: ergo voluntas consequens secundum Damascenum præsupponit actum voluntatis nostræ.

110. Item quia Sanctus Thomas *in 1. sent. dist. 46. citata art. 1.* Expresè dicit quod voluntas consequens dicitur eo quòd præsupponit præscientiam operum non tanquam causam voluntatis, sed quasi rationem voliti. Et *q. 23. de verit. etiam relata supra* iterum docet ex Damasceno quòd voluntas consequens supponit hominis operationem: ergo secundum Sanctum Thomam ideò dicitur voluntas Dei antecedens, quia nostram antecedit cooperationem; & voluntas consequens, quia ad illam consequitur.

111. Ad primum argumentum respondet in terminis idem Sanctus Thomas *q. 6. de verit. art. 2. ad 2.* ut dictum est supra. Cum enim ibi in secundo loco ad probandum quod prædestinatio sit ex præscientia meritorum, tale constituit Argumentum. *Prædestinatio includit in se voluntatem divinam salutis humanæ, nec potest dici quòd includat solam voluntatem antecedentem, quia hac voluntate Deus vult omnes homines salvos fieri, unde omnes essent prædestinati. Voluntas autem consequens ut dicit Damascenus est ex nostra causa, scilicet inquantum nos habemus diversimodè ad merendam salutem, vel damnationem; ergo merita à Deo præscita sunt causa prædestinationis.* Ad hoc argumentum sic respondet. *Ad secundum dicendum quod prædestinatio includit voluntatem consequentem, quæ respicit aliquo modo id, quod est ex parte nostra, non quidem sicut inclinans divinam voluntatem ad volendum: sed sicut id, ad cujus productionem divina voluntas gratiam ordinat; vel etiam sicut id, quod ad gratiam quodammodo disponit, & gloriam meretur.* Ubi manifestè docet quod voluntas consequens hoc modo est ex causa nostra, non quod supponat actum nostrum quo divina voluntas inclinetur ad volendum, aliàs prædestinatio esset ex præscientia meritorum; sed ideo dicitur esse ex nostra causa, quia divina voluntas ordinat gratiam ad id producendum.

112. Et per hoc patet ad confirmationem, ideo enim voluntas antecedens dicitur ex Deo existere, quia nullam differentiam ex parte hominis includit, aut à Deo ordinatur ad aliquam differentiam in hominibus causandam, sed omnibus est æqualiter communis. At verò voluntas consequens dicitur esse ex parte nostra, quia vel causam ex nobis præsupponit, ut dictum est de voluntate punitiva, vel causam ex nobis meritoriam supponit, ut constat de voluntate dandi gloriam pro meritis, ut Sanctus Thomas docet *in 1. sent. dist. 46. art. 1. citato* vel ordinantur ad dan-

Digitized by Google

dum nobis id, quod ex eſt parte noſtra, ſicut patet de voluntate conſequenti in prædeſtinatione incluſa, quæ prædeſtinatis tribuit illud bonum quod ipſorum eſt, ſicut docet Sanctus Thomas *citata q.6. de verit.art.2.*

113. Ad illud inductum ex Sancto Thoma dicendum, quod ipſe Sanctus Thomas in utroque loco loquitur apertè de voluntate conſequente qua Deus vult punire, quam rectè docuit præſupponere præſcientiam operum. Similiter *in 1. ſent. relato loco*, loquitur de voluntate volendi ſalvare hominem pro meritis, & hanc etiam vocat ibi voluntatem conſequentem: non tamen intendit quod ſola illa ſit adæquata voluntas conſequens. Imò Sanctus Doctor *q.6. de verit. art.2.* expreſsè docet prædeſtinationem bonorum includere voluntatem conſequentem, & ipſe explicat Damaſcenum cum dicit voluntatem conſequentem ſumi ex cauſa noſtra, ut dictum eſt, quòd prædeſtinatio includit voluntatem conſequentem quæ reſpicit aliquo modo id quod eſt ex parte noſtra, non quidem ſicut inclinans voluntatem ad volendum, ſed ſicut id ad cujus productionem divina voluntas gratiam ordinat: ergo ſecundum apertam ſententiam Sancti Thomæ voluntas conſequens etiam eſt reſpectu bonorum, & non ſolum reſpectu punitionis peccati. Similiter ſecundum Sanctum Thomam voluntas conſequens quæ eſt reſpectu bonorum, illa bona opera non ſupponit, ſed antecedit, volendo ordinare gratiam ut talia bona opera ab homine producantur: ſicut ergo voluntas conſequens qua Deus vult pœnam infligere, hominis malam voluntatem præſupponit, & pari ratione voluntas dandi homini gloriam pro meritis, præſupponit merita, & voluntas conſequens eſt: ita voluntas conſequens qua Deus prædeſtinat bona hominis opera, antecedit opera talia ſicut illorum cauſa. Vnde voluntas conſequens non dicitur, quia noſtram operationem conſequatur, ut dictum eſt: ſed quædam Dei voluntas conſequens noſtram voluntatem ſeu actum illius præſupponit; quædam autem noſtrum actum antecedit & iilius eſt cauſa. Eſſentialiter ergo & adæquatè voluntas conſequens eſt, quæ reſpicit id quod eſt ex nobis, ſive ut rationem voliti, ſive ut effectum cauſandum per talem conſequentem Dei voluntatem. Et in hoc eſſentialiter diſtinguitur à voluntate antecedente quæ nihil ex parte noſtra reſpicit, ſed ex Deo primario exiſtit, & omnibus communis eſt, ut diximus.

CAPUT XIII.

De intelligentia illius Apoſtolici teſtimonij 1. ad Timoth.2. QVI VULT OMNES HOMINES SALVOS FIERI.

114. SECUNDUM dictum horum Recentiorum relatum agit de intelligentia illius Apoſtolici teſtimonij, *Qui vult omnes homines ſalvos fieri*, de quo & decima ſeptima principalis aſſertio eorum *1.lib.1.p.tract.6.cap.8.* procedebat. In quo dicunt Deum velle omnibus fælicitatem, velléque omnes homines ſalvos fieri per voluntatem antecedentem, hac ſubintellecta implicita conditione, ſi nos id velimus. Unde inferebant quod voluntas antecedens præcisè & abſque alia efficaciori aliquando impletur. Cum enim nos volumus, illa efficax redditur, & de facto impletur: cum autem nos nolumus bene operari, illa non impletur, ſed inefficax manet. Et ſic dicunt intelligi illud Apoſtoli. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri*, ſi ipſi videlicet velint; ita quòd poſita illa voluntate antecedenti omnibus communi qua Deus indifferenter vult omnes homines ſalvos fieri, qui volunt, ſalvantur, & qui nolunt non ſalvantur: contrarias vero omnes explicationes S. Auguſtini rejiciunt.

115. Verùm priuſquam hanc pravam hujus loci intelligentiam præcludamus, quæ baſis eſt doctrinæ horum Authorum, illud pro certo ſuppono. Actum illum explicatum ab Apoſtolo, iſtis relatis verbis, eſſe omnino liberum in Deo, & non neceſſarium, ut aliqui ſine fundamento arbitrantur. Nam Apoſtolus in illis verbis commendat Dei beneficium & liberum erga homines amorem, ut interpretantur omnes Sancti. Secundò quia cum ſit actus circa creaturas productas, nequit eſſe neceſſarius; unde dici non poteſt illum eſſe actum non liberum, ſed neceſſarium.

116. Quo ſuppoſito contra iſtorum fundamentum, hoc noſtrum conſtituimus. Voluntas antecedens qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, non eſt illa qua Deus vult noſtram fælicitatem hac implicita conditione, ſi nos velimus; ita quod nulla alia voluntas abſoluta & efficax præſupponatur quæ faciat nos velle; ſed quod illa ſola antecedens voluntas ſuppoſita, quando nos volumus, impletur, & quando nolumus non impletur. Nec ſic poteſt explicari illud Apoſtoli. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri*, nec in hoc ſenſu ab aliquo Sanctorum unquam fuit explicatum, ſeu intellectum, ſed in ſenſu valde alieno & diverſo. Veritas iſta aperitur. Primò quia ut Doctores Lovanienſes rectè adnotarunt ſuper cap.14. de corr. & gratia. *Pelagius hoc Apoſtolico teſtimonio abutebatur ad hæreſis ſuæ confirmationem, qua naturalem cuique poſſibilitatem ineſſe volebat, qua ex ſeipſis vocationi acquieſcere, & ad ſalutem æternam pervenire poſſent. Vnde in Commentarijs ſuis hanc verbis Apoſtoli conditionem adjecit (ſi ipſi tamen vocanti Deo conſentire voluerint) quod nimirum omnes, ex ſemetipſis poſſe, contendebat.* Hæc Lovanienſes Doctores. Igitur in hoc ſenſu explicare voluntatem Dei antecedentem, & illud Apoſtoli. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri*, ut videlicet hanc includat conditionem, ſi ipſi voluerint vocationi acquieſcere ex ſeipſis, ab errore Pelagij non recedit.

117. Secundò in hoc ſenſu ſemper Sanctus Pater Auguſtinus damnavit hanc explicationem hujus Apoſtolici teſtimonij. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri*, Si ipſi videlicet voluerint, ut patet tum alibi, tum potiſſimè *Epiſtola 107. ad vitalem*, & *lib.4. contra Julianum cap.8.* In quibus locis hanc intelligentiam damnat, quod videlicet Deus vult omnes homines ſalvos fieri, ſi ipſi voluerint: ita quod quando ipſi ex ſe volunt, ſalutem conſequuntur; & ideò eam non obtineant, quamvis Deus velit eos ſalvare, quia nolunt. Quam intelligentiam damnatam eſſe oſtendit argumento illo ſuo communi parvulorum qui baptizantur etiamſi ipſi non velint, & non baptizantur, non quia nolunt, qui nec velle habent, aut nolle; ſed quia Deus non vult. Verba Sancti Auguſtini in prædicta Epiſtola ſunt. [Quomodo dicitur omnes homines eam fuiſſe [ſcilicet gratiam] accepturos, ſi non illi quibus non donatur, eam ſua voluntate reſpuerent; quoniam Deus vult omnes homines ſalvos fieri, cum multis non detur parvulis, & ſine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem: & aliquando cupientibus, feſtinantibuſque parentibus, miniſtris quoque volentibus, ac paratis Deo nolente non detur, cum repentè antequam detur expirat, pro quo, ut acciperet currebatur. Vnde manifeſtum eſt eos, qui huic reſiſtunt tam perſpicuæ veritati, non intelligere omninò, qua loquutione ſit dictum, quòd omnes homines vult Deus ſalvos fieri; cum tamen multi ſalvi non fiant, non quia ipſi, ſed quia Deus non

Digitized by Google

non vult, quod ſine ulla caligine manifeſtatur in parvulis]

118. In libro autem quarto contra Julianum cap. 8. ait [Sed ponis Apoſtolicum teſtimonium, & ab eo dicis pulſantibus aperiri, qui omnes homines vult ſalvos fieri: ut videlicet intelligamus docentibus vobis, ideo non omnes ſalvos fieri & in agnitionem veritatis venire, quia ipſi nolunt petere, cum Deus velit dare: nolunt quærere cum Deus velit oſtendere: nolunt pulſare, cum Deus velit aperire. Sed hunc ſenſum veſtrum infantes illi ipſa ſua taciturnitate convincunt, qui nec petunt, nec quærunt, nec pulſant: imo etiam cum baptizantur reclamant, reſpuunt, reluctantur; & accipiunt, tamen & inveniunt, & aperitur eis & intrant in Regnum Dei, ubi ſit eis æternitatis ſalus & agnitio veritatis; longè pluribus infantibus in iſtam gratiam non adoptatis ab eo, qui vult omnes homines ſalvos fieri & in agnitionem veritatis venire. Quibus dicere non poteſt, volui, & noluiſtis, quia ſi voluiſſet, quis eorum qui nondum habent voluntatis ſuæ arbitrium, voluntati ejus omnipotentiſſimæ reſtitiſſet] Damnat ergo apertè Sanctus Auguſtinus hanc explicationem, quod Deus vult omnes homines ſalvos fieri, ſi tamen ipſi voluerint manifeſtéque in utroque relato teſtimonio docet præfatam intelligentiam de Pelagianorum venire doctrina, imo ſententiæ eorum eſſe fundamentum. In multis enim aliis ſuæ doctrinæ locis, quæ brevitatis ſtudio prætermittimus, eandem explicationem condemnat.

119. Inſuper Sanctus Pater Auguſtinus in libro illo de geſtis Pelagij, cujus in primo noſtro à principio mentionē fecimus 1. p. tract. 1. apertè dicit, objectū Pelagio fuiſſe in Synodo Palæſtina poſſe hominem eſſe ſine peccato ſi velit, tanquam hoc in ſola poteſtate hominis eſſet, ita quod volitionem illam communem qua Deus vult omnes ſalvos fieri (quam ut ex dictis modo conſtat, ipſe planè admiſit) dicebat quod homo ſua innata libertate volendo benè operari, efficacem reddebat, & ſic poterat eſſe ſine peccato, ſi ipſe volebat; & hanc ſolam poteſtatem arbitrij (præſuppoſita illa voluntate Dei antecedente, & inefficaci) explicabat per illam appoſitam conditionem, ſi homo voluerit. Timendum eſt ergo ne ſimiliter cum modo audimus Deum velle homines ſalvos fieri, ſi tamen ipſi voluerint (per hanc appoſitam conditionem) ſolam arbitrj poteſtatem reddentem illam volitionem Dei efficacem, velint intelligere. Imò jam id timendum non eſt, cum illud ipſi expreſsè afment, licet in alio à Pelagio differant qui nullam gratiam in voluntate ad id neceſſariam eſſe dicebat, quamcunque iſti Authores ponant.

120. Præterea Sanctus Proſper Epiſtola ad Auguſtinum in hoc eodem ſenſu abuti poſteriores Pelagianos hoc teſtimonio Apoſtoli manifeſtè docet: ergo nec voluntas Dei antecedens hanc conditionem includit modo nunc à Recentioribus explicato, nec ſic poteſt explicari prædictum Apoſtoli teſtimonium. Sancti Proſperi citata Epiſtola verba ſunt. *Vt & qui voluerint fiant filij Dei, & inexcuſabiles ſint qui fideles eſſe noluerint: quia juſtitia Dei in eo ſit, ut qui non crediderint pereant, bonitas in eo appareat ſi neminem repellat à vita, ſed indifferenter univerſos velit ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Idem de Semipelagianis refert Sanctus Hilarius *epiſtola alia ad Sanctum Auguſtinum* illis verbis. *Atque illius ſententiæ expoſitionem, non eam quæ à te deprompta eſt, ſuſcipiant; id eſt, ut nonniſi omnes homines ſalvos fieri velit, & non eos tantùm qui ad Sanctorum numerum pertinebunt; ſed omnes omninò, ut nullus habeatur exceptus.* Igitur utroque Sancto Doctore referente, Semipelagiani in hoc ſenſu intelligebant illud Apoſtolicum teſtimonium, ut Deus ſic velit omnes in univerſum homines ſalvos fieri, ut ſi ipſi vellent apprehendere juſtitiam, ſalvarentur, ſin minùs perirent. Quod clariùs Sanctus Proſper citata Epiſtola explicavit dicens. *Univerſis tamen hominibus propitiationē quæ eſt in Sacramento Sanguinis Chriſti ſine exceptione eſſe propoſitam, ut quicunque ad fidem & ad baptiſmum accedere voluerint, ſalvi eſſe poſſint.* Vnde idem Sanctus Doctor *lib. 1. de vocat. gent. cap. 12.* Poſtquam illam divinæ gratiæ efficaciam aſtruxit, quæ quibuſdam præ aliis ſalutem præparat ſempiternam, ita inquit. *Sed cum legerint hæc vel audierint, qui amant calumnioſa certamina, dicent nos per hujuſmodi diſputationes Apoſtolo contradicere diffidentes, quòd Deus vult omnes homines ſalvos fieri & in agnitionem veritatis venire.* Quod de Pelagianis dixiſſe compertum eſt, qui ex hoc Apoſtoli teſtimonio deducebant Deum reſpectu omnium hominum hanc generalem habuiſſe voluntatem, ut qui voluerit veniat & ſalvetur, & qui noluerit pereat. Qua ratione huic teſtimonio ſic à ſe pravè intellecto clamabant, repugnare S. Proſperum, cùm efficacem reſpectu ſalutis aliquorum in particulari conſtituebat voluntatem, ut hic Sanctus Doctor affirmat, ſimul reprobando illorum prædictam falſam intelligentiam, & veram ſubjungendo: ſed illam infra adhibebimus, nunc enim falſam hanc interpretationem excludere procuramus, quam Fauſtus ille Rhegienſis clarè tradidit *lib. 1. de gratia, & hum. ment. arb. cap. 10.* dicens. *Quaſi fons quidam in medium mundi hujus expoſitus, & in commune conceſſus, ad hauriendum univerſis patet, ut largitori merito reus ſit, qui haurire neglexerit.* Quod potiſſimè ex falſa illa intelligentia illius Apoſtolici teſtimonij deducebat. Igitur Semipelagianorum damnata eſt interpretatio.

121. Præterea Sanctus Fulgentius *lib. de Incarnatione, & gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cap. 29.* Poſteriorum illorum Pelagianorum eum quibus agebat, ſupradictam falſam intelligentiam ita explodit. *Illud verò Apoſtolicum teſtimonium. Qui vult omnes homines ſalvos fieri & in agnitionem veritatis venire, non ſicut oportet, intelligunt, qui hanc Dei voluntatem, ſicut in vaſis miſericordiæ, ſic & in vaſis iræ accipiendam exiſtimant, minus conſiderantes veraciſſimam Scripturæ ſententiam quæ divinæ commendans omnipotentiam voluntatis, inquit. Omnia quæcunque voluit, fecit in Cœlo, & in terra, in mari, & omnibus abyſſis. Ipſi Deo rurſus dicitur ſubeſt enim tibi cum velle, poſſe. Quomodo igitur omnia quæ vult facit, ſi volens hominem ſalvum fieri, cujus ſalus nonniſi à bona incipit voluntate, ipſum velle non in homine Deus inchoat, ſed ut ab homine naſcatur, expectat.* Damnat ergo illorum ſententiam qui ex illo Apoſtoli deducebant Deum omnibus generaliter velle ſalutem, ſi tamen ipſi eam accipere vellent; ita quod ut de facto illam conſequantur, eorum Deus expectet voluntates, quod & modo audimus. Quod enim Deus velit omnes homines ſalvos fieri, ſi tamen ipſi voluerint, expreſsè iſtis temporibus traditur, & quod Deus expectet hominum voluntates ut ſalvi fiant, apertè publicant; imò quod homo debet ſuam inchoare ſalutem manifeſtè pronunciant, ut ex aſſertionibus eorum relatis *lib. 1. part. 1. tract. 6.* ſit manifeſtum.

122. Inſuper Sanctus Proſper *ad cap. Gallorum reſponſ. 8.* Reſpondens illi objectioni factæ contra prædeſtinationem ſecundum propoſitum Dei, quod videlicet ex ea ſequatur quod non omnes homines velit Deus ſalvos fieri, ita reſpondet. *Si circa univerſitatem generis humani ſalvandam & in agnitionem veritatis vocandam, ita indifferens per omnia ſæcula aſſerenda*

Digitized by Google

asserenda est voluntas Dei, usquequaque neminem hominum prætermisisse monstretur, impenetrabilis iudiciorum Dei altitudo pulsatur. Et rursus ibi. *Causas verò operum & iudiciorum Dei, qui ex toto ad humanas voluntates & actiones refert, quas tamen in parvulorum adoptione aut abdicatione non invenit: & dispensationes Dei ex liberi arbitrij vult mutabilitate variari, profitetur sibi scrutabilia iudicia, & vestigabiles vias ejus, & quod Doctor gentium Paulus non audebat attingere, hîc se existimat referatum posse vulgare.* Vbi apparet quod ex hac indifferenti voluntate Dei, qua quidem ponebant Deum quantum est ex se, omnes velle salvare, ita quod qui vellent apprehenderent salutem, & alij illam rejicerent, infert Sanctus Prosper quòd contra Apostolum tollitur illud inscrutabile mysterium iudiciorum Dei. Rursus docet quod hac indifferenti Dei pro omnibus voluntate posita, ita quod quilibet ex illa accipiat quod sibi placuerit, sive in bonum, sive in malum, sequitur quod ex toto, causæ iudiciorum Dei ad hominum voluntates & actiones referantur. Ex toto inquam dicit, & tamen non contra Pelagium ipsum, sed contra Massilienses hæc asserit, qui necessitatem gratiæ habitualis fatebantur, quo non obstante dicit, quod ex toto iudicia Dei ad humanas referebant voluntates & actiones.

123. Item quia posita illa voluntate Dei antecedente qua Deus vult omnes homines salvos fieri, si ipsi voluerint, ita quod nihil aliud ex parte Dei requiratur ut velint, vel faciens eos velle, constat quod illi homines qui vellent se discernerent à cæteris non volentibus, & hoc ipsum quod vellent non haberent à Deo, sed ex sua innata libertate; quod contra Apostolum procedere, est manifestum. Antecedens patet, quia voluntate illa communi antecedente, homines non discernuntur, quia omnibus communis est & reprobis & prædestinatis; per id autem quod est omnibus commune, unus non discernitur ab alio: ergo alter discernitur ab alio per hoc quod ex se vult, concomitante vel subsequente illum ut pedissequa gratiâ divinâ, ut infra copiosè erit demonstrandum; hoc autem admitti nullo modo potest: ergo nec explicatio & interpretatio talis.

124. Præterea ex illa voluntate antecedente sic explicata, ut recentiores volunt, Deus omnes sufficienter vocat, ut etiam ij Authores affirmant, & qui ex se volunt consentire vocationi, salvantur, alij verò minimè: ergo qui sic ex se volunt consentire, reddunt illam vocationem Dei efficacem, qui autem nolunt, illam inefficacem & cassam constituunt, quod consequenter & ex hoc principio deducunt, & expressè fatentur ij authores, ut *ex assertione 76. ex ipsis relata lib. 1. part. 1. tract. 6.* fit manifestum. Hoc autem quid est aliud quàm efficaciam conversionis ex parte hominis qui salvatur constituere, & efficaciam divinæ operationis negare? Quid est aliud quàm gratiam in sua efficacia ex homine pendere, & non ex Deo? Quid est aliud quàm Deum dare tantum auxilium ut possimus, velle autem & operari esse ex nobis, ut malè Pelagius sentiebat, ut retulimus supra *lib. 1. part. 1, tract. 1. cap. 5. & 6.* Igitur negandum est omnino voluntatem Dei antecedentem prædictam conditionem hoc modo à Recentioribus explicatam includere. Similiterque omninò negandum est ita intelligi secundum talem conditionem illud Apostoli, *Qui vult omnes homines salvos fieri*, si ipsi velint: ita quod præter illam Dei voluntatem nihil aliud ex parte Dei requiratur quod ipsos faciat velle.

125. Sed opponunt quod à multis Sanctis Doctoribus ita explicatur illud testimonium, *Qui vult omnes homines salvos fieri*, si ipsi tamen voluerint: ergo legitima est interpretatio talis, nec damnari potest. Antecedens probant ex Sancto Athanasio *3. libro de assumptione hominis.* Ex Sancto Chrysostomo *in eundem locum Pauli, & lib. 1. de Providentia* paulò post medium. Ex Sancto Hieronymo *super eundem locum Apostoli primæ ad Timoth. 2.* & ex Sancto Ambrosio ibidem, ubi sic ait. *Si Deus utique qui omnipotens dicitur, omnes homines vult salvos fieri, cur non impletur eius voluntas?* Et respondet. *Conditio latet, vult enim Deus salvos fieri, sed si accedant ad Deum, & ipsi velint.* Et in eodem sensu dicunt intellexisse illum locum Sanctum Patrem Augustinum *de spiritu, & litera cap. 33.* Et Authorem illius libri ad articulos sibi falsò oppositos *art. 2.*

126. Ad quod tamen dicendum Sanctos Doctores ab his Recentioribus citatos, in alio valde diverso sensu procedere, cum dicunt quod Deus vult omnes homines salvos fieri, si ipsi voluerint: in multis enim aliis suæ doctrinæ locis, Ambrosius, & alij testantur passim quod Deus voluntate antecedente vult omnes homines salvos fieri, si ipsi velint, ideſt, quod vult omnes homines salvos fieri liberè volentes & non invitos, vel renitentes: sed præter hanc communem & generalem antecedentem voluntatem, in quibusdam facit ut velint sua divina absoluta efficaci & consequente voluntate. Unde Sanctus Ambrosius quem pro se potissimè adducunt apertè *lib. 7. in Lucam ad illud ex cap. 9. finite eos, & nolite prohibere*, sic dicit: *Deus quos dignatur vocat, & quem vult, Religiosum facit.* Quem Doctorem Sanctum in isto loco inducit Sanctus Pater Augustinus *lib. de gratia Christi cap. 46.* contra Pelagium, & Celestium qui suam damnatam sententiam in Sancto Ambrosio fundare conabantur, de ipsoque sic dicit, *O sensum hominis Dei, ex ipso hausturn fonte gratiæ Dei. Deus*, inquit, *quos dignatur vocat, & quem vult, Religiosum facit. Videte si non Propheticum illud est miserebor cujus misertus ero, & misericordiam præstabo cujus misericors fuero.* Videant ergo & attendant ij Authores S. Ambrosium vtrumque dicentem, utrumque pariter affirmantem, & quod Deus vult omnes homines salvos fieri, si ipsi voluerint, & quod Deus quos vult, facit ut velint, facit religiosos & bonos. Verum est ergo & maximè verum, quod Deus voluntate antecedente vult omnes homines salvos fieri, si ipsi voluerint: at vero ipse quos vult, voluntate efficaci & consequenti facit ut velint. Quæ explicatio aperta sententia S. Augustini est in multis locis, quibus docet quod nostrum est credere, sed Deus facit ut credamus: quod nostrum est consentire, sed quod præparatur voluntas à Domino: quod nostrum est velle, sed quod Deus operatur & velle & perficere pro bona voluntate. Et S. Thomas sic in terminis explicat istam conditionem in scripturis aliquando appositam (si volueritis) *in 3. contra gent. cap. 90.* ubi enumeratis scripturæ testimoniis, quæ hanc conditionem sonare videntur, sic dicit. *Hæc autem verba ad hoc inducuntur, ut homines esse liberi arbitrij ostendantur, non ut eorum electiones à divina providentia subtrahantur.* Itaque cum dicitur, si volueris conservare mandata conservabunt te, illa conditio sonat hominem esse liberi arbitrij, non autem quod ejus libera electio non causetur à Deo & à divina providentia, quæ facit ut homo velit. Et in hoc sensu vocatur à scholasticis voluntas antecedens, voluntas conditionata, sive velleitas, ideſt, non absoluta & efficax, quæ per se sola sufficiat ut homo bene operetur, beneque velit.

127. Ista igitur sit prima hujus Apostolici loci intelligentia legitimaque explicatio, ut videlicet cum S. Damasceno & S. Thoma, Prospero, imo cum Augustino,

Digitized by Google

guſtino, ſive cum authore illius libri ad articulos ſibi falsò impoſitos intelligitur de voluntate antecedente, non quæ explicatur ab his recentioribus & quæ modo impugnata manet, ſed quæ traditur à Sanctis Doctoribus, & potiſſimè à S. Thoma, qua vult Deus generali & inefficaci voluntate, non abſoluta & efficaci, ſed conditionata & velleitate omnes ſalvos fieri; ita tamen, quod qui de facto ſalvantur, præter illam antecedentem voluntatem Dei, præveniantur ab ejus efficaci & abſoluta voluntate conſequente faciente eos operari, ut ſalventur. Hæc eſt voluntas Dei antecedens quam ſemper omnes Doctores & Scholaſtici venerati ſunt, illamque tradiderunt. Vnde ut ad præſens alios omittam, verba Sanct. Thomæ ſunt. 1.part.quæſt.19. art.6. ad 1. [Ad primum ergo dicendum quod illud verbum Apoſtoli, quod Deus vult omnes homines ſalvos fieri, poteſt dupliciter intelligi, uno modo, ut ſit accommoda diſtributio ſecundum hunc ſenſum, Deus vult ſalvos fieri omnes homines, qui ſalvantur; non quia nullus homo ſit, quem ſalvum fieri non velit: ſed quia nullus ſalvus ſit, quem non velit ſalvum fieri, ut dicit Auguſtinus. Secundò poteſt intelligi, ut fiat diſtributio pro generibus ſingulorum, & non pro ſingulis generum ſecundum hunc ſenſum: Deus vult de quolibet ſtatu hominum ſalvos fieri mares & fœminas, Judæos & Gentiles, parvos & magnos, non tamen omnes de ſingulis ſtatibus. Tertiò, ſecundum Damaſcenum intelligitur de voluntate antecedente: non de voluntate conſequente. Quæ quidem diſtinctio non accipitur ex parte ipſius voluntatis divinæ, in qua nihil eſt prius vel poſterius, ſed ex parte volitorum.]

Ad cujus intellectum, inquit, conſiderandum eſt, quod unumquodque ſecundum quod bonum eſt, ſic eſt volitum à Deo. Aliquid autem poteſt eſſe in ſui prima conſideratione, ſecundum quod abſolutè conſideratur, bonum vel malum: quod tamen prout cum aliquo adjuncto conſideratur: quæ eſt conſequens conſideratio ejus, è contrario ſe habeat. Sicut hominem vivere eſt bonum, & hominem occidi eſt malum ſecundum abſolutam conſiderationem. Sed ſi addatur circa aliquem hominem quod ſit homicida, vel vivens in periculum multitudinis, ſic bonum eſt eum occidi, & malum eſt eum vivere. Vnde poteſt dici quod Iudex juſtus antecedenter vult omnem hominem vivere: ſed conſequenter vult homicidam ſuſpendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem ſalvari, ſed conſequenter vult quoſdam damnari ſecundum exigentiam ſuæ juſtitiæ. Neque tamen id quod antecedenter volumus, ſimpliciter volumus, ſed ſecundum quid, quia voluntas comparatur ad res ſecundum quod in ſeipſis ſunt, in ſeipſis autē ſunt in particulari. Vnde ſimpliciter volumus aliquid ſecundum quod volumus illud conſideratis omnibus circumſtantiis particularibus: quod eſt conſequenter velle. Vnde poteſt dici quod Iudex juſtus ſimpliciter vult homicidam ſuſpendi, ſed ſecundum quid vellet eum vivere, ſcilicet in quantum eſt homo. Vnde magis poteſt dici velleitas quam abſoluta voluntas. Et ſic patet, quod quidquid Deus ſimpliciter vult, fit, licet illud quod antecedenter vult, non fiat.

128. Itaque in ſumma Deus vult voluntate antecedente omnes homines ſalvos fieri, ſi ipſi voluerint dum tamen in eis qui de facto ſalvantur, ipſe faciat ut velint: & hæc eſt doctrina Sanctorum Patrum, qui modo relati ſunt. Et in hoc ſenſu intellecta illa voluntas conditionata ſub illa conditione, eſt vera voluntas antecedens quam Sancti tradiderunt. Et illa explicatio ſub illa conditione, Catholica eſt; at vero intellecta illa conditio ſi ipſi voluerint, ita quod ſi ipſi voluerint, faciant illam Dei voluntatem efficacem & de facto ſalventur, vel inefficacem & de facto damnentur, in hoc inquam ſenſu Pelagiana eſt illa explicatio, ut diximus, nec illa eſt aut eſſe poteſt voluntas Dei antecedens, quam Sancti & Theologi admittunt. Imo ut modò ex S. Proſpero dictum eſt, ex tali voluntate Dei ſic indifferenti tota cauſa judiciorum Dei ex toto, ad humanas voluntates & actiones refertur, & ex toto ab ipſis pendens conſtituitur, & ex toto inſcrutabilia Dei judicia ſatis penetrabilia ponuntur. Quod manifeſtè contra Apoſtolum militat. Oporpet ergo diligenter attendere & tollere verbi æquivocationem. Eadem enim propoſitio ſub illa conditione in uno ſenſu Catholica, in alio verò Pelagiana eſt.

129. Ex quo ſequitur voluntatem antecedentem ut purè antecedentem nunquam impleri, quod etiam contra hos authores aſſerendum eſt, quia illa non eſt Dei voluntas abſoluta & efficax, ſed ſolum velleitas: ergo ut ſic nunquam impletur; quia ſola voluntas Dei efficax eſt, quæ impletur; à cauſa enim inefficaci non producitur effectus: Potiſſimè quia illi qui dicunt illam aliquando impleri, id ideo dicunt, quia homo ita vult ut divina voluntas impleatur. Hoc autem nullo modo poſſe dici, ex modo dictis fit manifeſtum. Vnde S. Thom. *1.part. quæſt.23.art.4.ad 3* inquit, *quod Deus vult omnes homines ſalvos fieri antecedenter, quod non eſt ſimpliciter velle, ſed ſecundum quid, non autem conſequenter, quod eſt ſimpliciter velle.*

130. Præterea in omnibus exemplis quæ adduci ſolent, patet quod voluntas antecedens non impletur, ut de judice volente antecedenter hominem, in quantum homo eſt, vivere, quem voluntate conſequente vult occidere: & de projiciente merces in mari, quas vellet conſervare: de voluntate Chriſti volente vivere antecedenter, cum tamen efficaciter voluerit mori voluntate conſequente. In omnibus enim iſtis exemplis voluntas antecedēs ſive velleitas impleta non fuit.

131. Item qui voluntas antecedens ſecundùm S. Thomam non impletur, & in hoc illam diſtinguit etiam à voluntate conſequente, quæ ſemper impletur. Sentit ergo S. Thomas quòd illa prima nunquam impletur, quia illa propoſitio in S. Thom. doctrinalis eſt, aliàs nō rectè illā diſtingueret à volūtate cōſequente.

132. Sed dicunt ij authores, quod voluntas dandi omnibus auxilia ſufficientia, eſt voluntas antecedens, & tamen ſemper impletur, quia omnibus de facto dantur. Ad quod reſpondemus (abſtrahendo modò ab illa quæſtione an omnib⁹ de facto dentur vel non dentur auxilia ſufficientia quam infra copioſius examinabimus, & oſtendemus non omnibus ſupernaturalia interna auxilia ſufficientia dari.) gratis nunc conceſſo quod omnibus dentur, & quòd ex vi illius voluntatis qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, tribuātur; negandum eſt quòd illa voluntas antecedens ut antecedens eſt impleatur; quia ut antecens velleitas eſt, & velleitas à S. Thoma vocatur *1.part. ubi ſupra.* Vnde quod quidam dicit, quòd non rectè vocatur velleitas, advertere debebat quod ita à S. Thoma vocatur, quod ſufficit ut certè ſic nominetur; velleitas autem ut ſic minus impletur, ut in allatis exemplis conſtat. Dixi quod illa voluntas ut antecedēs eſt non impletur; quia nihil inconvenit quod eadem comparatione alterius objecti ſit conſequens & impleatur. Eſt enim illa volitio antecedens ſeu velleitas reſpectu illius quod expreſsè ſignificat, à quo & antecedens denominantur, nempe hujus quod eſt omnes homines ſalvos fieri, reſpectu cujus patet quòd inefficax eſt, ſeu velleitas quæ non impletur: at reſpectu alterius objecti poteſt eſſe conſequens & abſoluta voluntas quæ ſemper impletur, reſpectu videlicet hujus quod eſt proponere promoventia in finem omnibus communia, tam naturalia quàm gratuita externa, ſicut ſunt potentiæ naturales, & præcepta legis. Hæc enim pro omnibus generaliter propoſita, eſſe effectum qui conſequitur ad illam

Digitized by Google

illam volluntatem qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, expreſsè S. Thom. docet (ut infra dicemus) *in 1. diſt. 46. quæſt. 1. art. 1.* Et eadem ratione poſſet quis dicere quòd dare omnibus interna auxilia gratiæ ſufficientia ſit effectus illius voluntatis qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri; ſed reſpectu huius non eſſet illa voluntas velleitas, ſed abſoluta voluntas. Quamvis autem cõmuniter ij authores hoc ultimum dicant, quòd videlicet in virtute illius voluntatis qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, dentur omnibus, nullo dempto, ſupernaturalia auxilia ſufficientia; nos tamen aſſerimus quod nec omnibus dantur de facto, ita quod omnes illa recipiant, nec per illam voluntatem dantur. Et quidem hoc poſterius quod ſcilicet ex vi illius volitionis non omnibus dentur ſufficientia auxilia gratiæ, non aliis verbis, quàm ipſius Franciſci Suarez eſt aperiendum. Is enim author 1. *libro de eſſentia prædeſtinationis cap. 15. §. præterea omnes*, Ex profeſſo probat quòd ex vi hujus volitionis non fit aliqua mutatio in multis ex hominibus: quod enim non fiat mutatio naturalis, ſupponit & benè: quod autem non fiat aliqua ſupernaturalis, ſic oſtendit: nam mutatio ſupernaturalis non ſemper fit in omni homine ordinato ad illum finem. Multi enim homines nunc procreantur à Deo in quibus nulla mutatio fit in toto tempore vitæ, ut patet in multis parvulis: nec eſt incredibile idem contingere in multis adultis infidelibus. Sentit ergo planè non ſolùm quod ex vi illius volitionis non dentur omnibus auxilia ſufficientia, ſed quod abſolutè ſive ex vi illius, ſive alterius non dantur omnibus ſufficientia auxilia, aliàs mutarentur profectò aliquo modo illa recipiendo, ut eſt manifeſtum. Quod rectè probat in multis parvulis decedentibus ſine baptiſmo, quibus eſt evidens nullum fuiſſe de facto auxilium ſufficiens collatum, quod infra copiosè probaturi ſumus. Imò id ipſum dicit eſſe credibile contingere in multis infidelibus, quod videlicet de facto nihil omnino ſupernaturale recipiant, de quo tamen in 4. libro diſſeremus. Hæc author prædictus citato loco, ubi & in §. ſequenti videtur ſibi minus conſtare, dum ait Deum velle conferre & de facto cõferre hominibus media ſufficientia ad ſalutem, quod ſi de omnibus in univerſum hominibus intelligat, ut planè intelligere videtur, nec appareret qua ratione ſibi conſtet, vel quomodo iſta ejus dicta ſimul cohæreant. Si enim omnibus Deus auxilia ſufficientia de facto confert, procul dubio illa ipſi recipiunt, ſi autem ea recipiunt, per illa procul dubio aliquo modo immutantur.

133. At quidquid ſit de hujus authoris, minori in ſui in ſuis dictis conſonantia. Quod ex vi hujus volitionis antecedentis, qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, non ſequatur dare Deum omnibus hominibus auxilia quæ vocari ſolent ſufficientia, id manifeſtè docet S. Thom. *in 1. ſent. diſt. 46. q. 1. art. 1.* Vbi poſtquam explicuit quòd voluntas antecedens eſt, qua Deus omnes homines vult æqualiter ſalvare, quatenus homines ſunt æqualiter convenientes in natura humana, ſubdit. *Et hoc vocatur voluntas antecedẽs qua omnes homines vult ſalvos fieri ſecundũ Damaſcenum: & ejus voluntatis effectus eſt ipſe ordo naturæ in finem ſalutis, & promoventia in finem omnibus communiter propoſita, tam naturalia, quàm gratuita, ſicut potentiæ naturales, & præcepta legis, & hujuſmodi.* Vbi exponendo quiſnam effectus ſequatur ad illam voluntatem qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, narrat naturalia & gratuita, quæ ſunt præcepta legis & hujuſmodimodi, videlicet ſacramenta generaliter pro omnibus ordinata. Non autem facit mentionem auxiliorum internorum gratiæ ea numerando inter effectus illius voluntatis, qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri; quia videbat quòd ex virtute illius voluntatis non ſequitur ut effectus ejus, quòd omnes in univerſum homines recipiant interna auxilia gratiæ: ſed ut diximus, de hac quæſtione ex profeſſo dicturi ſumus in quarto noſtri operis libro.

134. Adendum tamen quod ſi ex parte hominum non eſſet impedimentum, Deus in virtute illius voluntatis qua vult omnes homines ſalvos fieri, omnibus de facto daret ſufficientia auxilia gratiæ quibus ipſi verè poſſent ſalvari. Quia tamen in plurimis eſt hoc impedimentũ, ideo omnibus talia ſufficientia auxilia gratiæ non dantur, ſed ob id iuſto iudicio denegantur. Hoc autem impedimentũ, vel eſt actuale, vel ſaltem originale peccatum; unde exiſtentes ſub aliquo illorum nihil ex ſe poſſunt facere ut tollant gratiæ impedimentum, & ſic propter tale impedimentum gratia interna quæcunque illa ſit, ſive ſufficiens, ſive efficax, juſtè eis denegatur. Sententia eſt expreſsè S. Thomæ *3. contra gent. c. 159 & 161.* hæc ſunt attentè conſideranda. Itaque quòd gratia homini negatur ſemper ex illius culpa eſt, quia videlicet ipſe impedimentum gratiæ ponit, quod ſi non apponeret gratiam reciperet. Qua ratione inquit S. Auguſt. quod ſi Angelo vel primo parenti, in quibus nullum erat præcedens peccatũ quo gratiæ impedimentũ ponerent, non eſſet datum auxilium quo poſſent perſeverare, nec eis imputaretur quod non perſeverarẽt. Similiter ſi Deus hominem crearet ſicut Adam abſque commixtione, quia nullum peccatum haberet, nec impedimentum gratiæ poneret, vel Deus gratiæ auxilia illi daret, vel non illi imputaret ea ad quæ gratiæ auxilia requiruntur; ſed de his quæſtionibus in 4. libro copioſiùs eſt agendum. Modo tantum dicimus quod ex vi hujus voluntatis qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, Deus quantùm ex ſe eſt paratus omnibus gratiã dare, niſi ex parte ipſorũ impedimentũ ſupra explicatũ ſit. In qua volitione proinde duo manifeſtantur. Primum quòd omnis boni Deus prima cauſa eſt. Secundum quòd negationis gratiæ, quod malum eſt homini, ipſe homo eſt prima cauſa ut S. Thom. explicat *12. q. 112. art. 3. ad 2.* & ſic ſemper verificatur illud per Oſeam *cap. 13.* dictum, *perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum.* Sed alias intelligentias hujus Apoſtolici dicti ſubjungamus.

CAPUT XIV.

De aliis veris intelligentiis prædicti Apoſtolici teſtimonij, QVI VULT OMNES HOMINES SALVOS FIERI.

135. PRÆTER veram intelligentiam hujus Apoſtolici teſtimonij modò explicatam de voluntate antecedente, ſunt aliæ veriſſimæ & rectiſſimæ à Sanctis Eccleſiæ Doctoribus aſſignatæ, quas pro illorum debita defenſione oportet numerare.

Igitur ſecunda intelligentia illaque rectiſſima illius loci Pauli eſt, quam tradit S. P. Auguſt. *epiſt. ad Vitalem, in Enchirid. cap. 203. de prædeſt. ſanct. c. 8.* quam ſequitur Anſelmus ſuper illum locum Pauli. S. Proſper *1. de vocat. gent. à cap. 9.* uſque ad *14.* & Petrus Diaconus cum ſuis ſociis *lib. de Incarnat. & grat. cap. 7. apnd Fulgentium,* & Fulgentius ipſe *lib. 3. de Verit. prædeſt. cap. 11.* & S. Thom. *1. p. q. 19. art. 6. ad 1.* Similiter Magnus Gregorius *lib. 5. in primum Reg. cap. 4.* Super illa verba *porrò philiſthiim abiere in loca ſua* de prædeſtinatis exponit. Hi omnes Doctores Sancti qui præcipuè contra Pelagianos & Semipelagianos ſcripſerunt, videtes ipſos ſic intelligere hoc teſtimoniũ Pauli, ut Deus æqualiter velit omnes ſalvos fieri, huic pravæ explicationi contradicentes, dicunt ſenſum Apoſtoli eſſe quòd Deus vult ſalvos fieri omnes, qui ſalvantur; ita quod nullus ſalvus

ſit

Digitized by Google

sit nisi quem Deus vult salvum fieri, quæ est distributio accommoda, ut communiter dicitur. Qua ratione & illud dicitur, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ideſt, omnis qui illuminatur, ab illo illuminatur, non autem quod omnes illuminentur. Et similiter de Magistro docente pueros in aliqua civitate, rectè dicimus, hic omnes pueros hujus civitatis docet, non quod omnes in universum illius civitatis pueros doceat, sed quia nullus nisi ab illo docetur.

136. Tertia explicatio est ejusdem S. P. Augustini *In Enchirid. cap.* 103. Et *de corr. & gratia cap.* 14. Quam sequitur sanctus Thomas 1. *p. quæst.* 19. *art.* 6. *ad.* 1. Quod videlicet in illo loco, *Qui vult omnes homines salvos fieri*, Distributio fiat non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum; ita ut sit sensus, cujusque status vult aliquos salvos fieri, in cujus confirmationem adducit sanctus Augustinus illud *Matth.* 13. *& Luc.* 11. Decimatis mentham & rutam & omne olus, id est quamlibet speciem oleris.

137. Quarta explicatio est ejusdem etiam sancti Augustini *De correct. & gratia cap.* 15. Vt sit sensus, vult omnes homines salvos fieri, id est, facit nos velle omnes homines salvos fieri, secundum illud ad Galat. 4. *Misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba Pater*, id est clamare nos facientem, quia interim dum nobis minus constat quos Deus vult salvos fieri, sanctum & Deo gratissimum est ut pro omnibus à Deo salutem postulemus. Quinta explicatio est sanctæ Thomæ in eundem locum Pauli, & Caïetani asserentium, sensum illius loci esse non de voluntate beneplaciti id est, quæ formaliter sit in Deo, sed de voluntate signi, qua Deus proponit omnibus hominibus præcepta salutis, per ipsosque stat quod non salventur.

138. Omnes istæ quatuor explicationes in isto capite relatæ, & potissimè tres priores veram intelligentiam illius loci continent, & satis bene explicant hoc Apostoli testimonium: & tanquam Sanctorũ Doctorum explicationes venerandæ sunt & recipiendæ. Asserere, autem sicut hi authores asserunt, illas esse extortas & Peregrinas seu minus rectas, non est solùm sanctis Ecclesiæ Doctoribus contradicere (quod & gravissimum est) sed sed reipsa est idem Sancto Augustino & Sancto Prospero objicere, quod antiquitùs eisdem sanctis Doctoribus objiciebatur. Sanctus enim Prosper *lib.* 1. *de vocat. gent.* postquam *in cap.* 9. probavit ex Scripturis Sanctis quod verbum (*omnes*) sæpè ponitur pro aliquibus, ita ut sit distributio accommoda, & quod sic debet intelligi illud Apostoli. *Qui vult omnes homines salvos fieri*, statim *in cap.* 12. sic incipit. *Sed cum legerint hæc, vel audierint, qui amant calumniosa certamina, dicent nos per hujusmodi disputationes Apostolo contradicere diffinienti quod Deus vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Cum ergo his temporibus videamus Sanctorũ Patrum explicationes rejici, & affirmari explicationes illorum extortas esse, peregrinas, frustraneas, & non rectas; Quid aliud audimus quàm Sanctos Patres Apostolo contradicere? Cavcant autem qui sic loquuntur, ne de illis verificetur & illud, quod amant calumniosa certamina.

139. Ut autem apertissimè constet authores ipsos qui hæc modò publicant, nihil aliud objicere quàm quod olim Semipelagiani sancto Augustino opponebant, præter modò dicta ad hominem ita concludimus; quia Franciscus Suarez *lib.* 11. *de essentia prædestinationis cap* 8. *nu.* 39. §. *aliud inditium*, Loquens expresè de Gallis illis Semipelagianis, qui doctrinam sancti Augustini oppugnabant, sic inquit *Item non ferebant quod Augustinus verba illa Pauli* 1. *ad Timoth.* 2. *vult omnes homines salvos fieri, de voluntate beneplaciti & efficaci, ac proinde de solis prædestinatis, & non de omnibus hominibus intellexerit variisque in locis interpretatus fuerit, quoniam supponebant, ut verum est, Paulum ibi loqui de voluntate quam Deus ex se habet ante omnia hominum merita, & hanc nolebant esse particularem ad quosdam, sed universalem ad omnes, ac proinde non esse efficacem & absolutam, sed simplicem & conditionatam.* Hæc ille. Ad quæ si priùs advertisset, non dixisset *In relect. de libertate voluntatis divinæ sect.* 2. *nu.* 8. §. *Prior difficultas*, quod explicatio sancti Augustini circa illum locum de prædestinatis, non est consentanea illis verbis Apostoli, nisi de numero illorum esse velit, quos retulit modo: quod quia nec est credendum, oportet quod si ab illis velit differre, quod per hæc ultima, correcta velit sua priora saltem tacitè: & certè ex professo illa retractare debuerat. At quidquid de hoc sit; illud ex ultima & magis limita sententia ejus, & nos dicimus: quotquot rejiciunt explicationem Augustini de solis prædestinatis procedentem, idem apertè modò contra sanctum Augustinum contendere, quod Semipelagiani primitus contendebant, illosque in hoc uniformiter esse sequutos. Constat etiam Cassianum in damnata illa collatione 13. quæ est de protectione Dei cap. 7. sanctum Augustinum reprehendisse, qui prædictum locum Apostoli non ad omnes, sed ad solos prædestinatos referebat, quem sequuntur, qui id modò dicunt.

140. Nos autem potiùs frustraneum putamus immorari in probando, has Sanctorum Patrum explicationes legitimas esse quia eorum sola authoritas, credimus quod apud omnes deberet sufficere: ut autem eorum argumentis satisfaciamus qui Sanctorum prædictas explicationes oppugnant, breviter erit explicandum quàm rectè sint prædictæ Sanctorum Patrum interpretationes. Et primum illud sit, quod S. Prosper affirmat loco citato, quod videlicet aliis locis Scripturæ omissis (ex quibus constat Deum in nobis facere, ut velimus) vel iste solus Pauli sufficit ad probandum contra hos authores Deum non sic velle omnes homines salvos fieri, ut æqualiter se habeat ad omnes, si ipsi ex seipsis vocationi voluerint consentire, sed quod ipse facit salvos quicunque salvantur. Nam sic habet contextus Pauli 1. *ad Timoth.* 2. & sic incipit Apostolus, *Obsecro igitur primò omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate: hoc enim bonum est, & acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Si ergo Apostolus præcipit orare pro omnibus hominibus, ut videlicet accipiant fidem, accipiant charitatem, accipiant perseverantiam: & denique si orat Ecclesia ex Apostoli præcepto ut Deus salvos faciat homines: ergo illos Deus salvos facit: ergo illis dona quibus salventur largitur: non ergo Deus solùm voluntate antecedente omnes æqualiter vult salvare, & illi de facto salvantur qui vocatione Dei volunt ex se consentire, ut ij authores affirmant. Si enim ita Deus vult omnes homines, quantùm est ex se, æqualiter salvare, necesse non esset à Deo postulare, ut Deus illos salvos faciat, quia in illorum libera potestate hoc esset constitutum. Quod autem quis in sua habet potestate, irriserè ab alio peteret. Hac ratione utitur S. Prosper ubi supra, ad probandum ex isto loco Apostoli, falsam esse illorum intelligentiam, quam supra impugnavimus, & quam contra S. Augustinum & Sanctos Patres defendunt.

141. Præterea sæpè Scriptura clarissimis & aper-

Digitized by Google

rissimis testimoniis interdum, & pro parte terræ, totam terram, & pro parte mundi totum mundum, & pro parte hominum omnes homines solet accipere, ut est illud Apostoli 2. ad Corint. 5. *Vetera transierunt ecce facta sunt omnia nova.* Ubi videtur dicere omnes homines renovatos, cum tamen non omnes fuerint renovati: & cum *ad Colos. cap.* 1. ait. *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, & per ipsum reconciliari omnia in ipso.* Nunquid non ita loquitur ac si nullum relinquat hominem, qui non fuerit reconciltatus? Vel cum dicit ad Heb. cap. 1 *Novissimis istis diebus loquutus est nobis in filio, quem constituit heredem universorum.* Certè ita loquitur, ac si nullus sit qui in hæreditatem Christi non fuerit transcriptus. Item cum ipse Dominus *Joa.* 12. ait: *Si exaltus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Nunquid non ita profertur sententia, ut universorum videatur promissa conversio. Aut cum de Ecclesia Prophetatur, & dicitur Isa. 40. *Omnis vallis replebitur, & omnis mons & collis humiliabilitur.* Nunquid ullus hominum videtur omissus, qui non significetur Christo esse subdendus. Item cum *Joël.* 2. ait: *Et effundam de spiritu meo super omnem carnem* Aut illud Psal. 144. *Allevat Dominus omnes qui corruunt & erigit omnes elisos.* Non ita ponuntiatur, quasi ab hoc munere nullus fuerit exemptus. Cum ergo frequenter utatur scriptura hac distributione accommoda, ut omnes, pro parte hominum constituantur. Quare istis authoribus durum videtur, quod S. Augustinus, totque sancti Patres explicent illud, *Qui vult omnes homines salvos fieri,* pro ipsis tantum qui salvantur.

Item tertiò fit argumentum, quo semper. S. Augustinus de Pelagianis triumphavit. Multi pueri ante baptismum moriuntur; sed circa istos non potest salvari Dei voluntas antecedens, qua velit eos salvare, si ipsi vel sui parentes voluerint: ergo ista voluntas antecedens sic dependens ab homine, ut homo illam reddat efficacem, non reperitur in Deo. Patet minor, quia sæpè parentibus currentibus, procurantibus, & festinantibus pro baptismo, puer moritur; non quia parentes nolunt; non quia impedimentum præstant, sed quia Deus non vult, ut habet S. Augustinus *Epist.* 107. *ad Vitalem,* quæ est celebris in hac materia: non vult autem Deus illos salvare seu illis per baptisma subvenire, quia propter originale peccatum juste illos punire vult. Vnde tandem si primam attendamus radicem, ideo illi non salvantur, quia in primo parente peccantes, salvari noluerunt, & ideo Deus eos salvare non vult, quia primitùs illi salvari noluerunt; deserverunt enim in primo parente Deũ, & deserti sunt, sed de hoc aliàs.

CAPUT XV.

Proponuntur recentiorum argumenta contra praedictas S. Augustini interpretationes.

142. NON cessant ij authores sententiam S. Augustini (quam vident suæ vehementer esse contrariam) acrioribus verbis redarguere, & valde irreverenter impugnare. Vnde primò sic opponunt quasi per locum ab injuriis, ut dicitur, Augustinus extortas adhibuit explicationes illas contra Apostoli intentionem & mentem. Cujus objectio de parvulis (ob quam confugit ad illas tres explicationes quæ procedunt de solis prædestinatis) cessat, ut ajunt, per illam suam supra adhibitam; & à nobis impugnatam. Dicunt etiam S. Augustinum sub illa sua quasi caligine existentem in materia de prædestinatione ad hæc non attendisse. Vnde ejus explicationes nec à Doctoribus Augustino antiquioribus nec posterioribus recepiuntur. Hæc omnia dicit ille novus concordator arbitrij.

143. Secundò nisi explicetur illud testimonium, quod videlicet Deus *vult omnes homines salvos fieri,* si per ipsos non steterit, intelligi non potest qua ratione verè dicatur Deum ordinasse omnes homines in vitam æternam, & posuisse illos in manu consilij sui, quod apertè cum Scriptura sacra repugnat.

144. Tertiò quia Apostolus de eisdem omnibus hominibus dicit, quod illos Deus vult salvos fieri, de quibus præmiserat quod pro eis fierent orationes & obsecrationes; sed orationes pro omnibus in universum hominibus voluit fieri: ergo de omnibus in universũ procedit, cũ dicit quod illos Deus vult salvos fieri: ergo extortæ sunt, & contra Apostoli intentionem & mentem, illæ tres explicationes quæ non de omnibus in universum hominibus procedunt.

145. Quartò in Deo est formaliter voluntas qua vult ut nos impleamus præcepta & consilia quæ nobis tradit, si nos quoque idem velimus: ergo nequit intelligi & interpretari ille locus de voluntate signi, quæ non sit formaliter in Deo. Antecedens patet, quia voluntas qua Deus vult nos sua servare præcepta, non est voluntas metaphorica, sicut cum dicitur Deus irasci, vel quid simile: igitur est formaliter in Deo.

146. Ultimò quia aliàs si non de omnibus hominibus intelligitur locus ille, invitationes ad pœnitentiam atque ad vitam æternam, quæ ex persona Dei in Scripturis proponuntur, potius fictiones dicendæ essent, comparatione eorum, qui non convertuntur. Veteratoris enim esset præcepta subditis dare, nec velle quod illa implerent, & nihilominus velle illos punire. Hæc illorum sunt argumenta quibus omnes alias quatuor relatas supra explicationes (præter illam suam de voluntate antecedenti malè intellecta ut diximus) impugnant, atque rejiciunt.

147. Ad primum argumentum quod in S. P. Augustinum injuriosè procedit, eisdem verbis respondemus, quibus S. Prosper *cont. col. cap.* 41. Cassiano & Fausto, similia verba de magno Doctore Augustino objicientibus. *En cujus dogmatis sunt Magistri qui ut Catholicarum mentium castitatem gratiæ defensoribus calumniando corrumpant, præcipuum nostro tempore in doctrina Ecclesiastica virum rabido ore discerpunt; creduntque se omnia authoritatum munimina posse convellere, si hanc Pastoralis specula validissimam turrim crebra Pelagiani arietis illisione pulsaverint. Dignum quippe est, ut quorum sequuntur sententiam, imitentur insaniam. Neque enim alia possunt dicere, quàm quæ damnatorum querelis, & procacissimis Juliani sunt vulgata convitiis.* An non talia sunt, quæ iste author contra S. Augustt. opponit? *Cessat* (inquit) *objectio S. Augustini.* Et iterum. *Confugit Augustinus ad illas tres explicationes extortas.* Et iterum. *Dum esset Augustinus sub illa quasi caligine non attendit.* Qui hæc dicit, in primis quomodo doctrinam sequitur Augustini in hac parte, sicut sui defensores Romæ contendebant defendere. Non cessat, nec cessabit objectio S. Augustini de parvulis: imo agentes infra de parvulorum prædestinatione & reprobatione ita premere authorem istum, sicut Julianum, Cassianum, & Faustum, dabimus manifestum. Quid est quod dicit S. Augustt. sub illa esse quasi sua caligine. Jam ergo doctrina S. Doctoris in hac materia toties per Ecclesiam approbata & confirmata, sub caligine manet, & Molina videt? Quid est quod ait illas S. Augustini inteterpretationes non fuisse probatas à Doctoribus S. Augustino antiquioribus & recentioribus. Nisi enim de antiquioribus & posterioribus oppugnatoribus gratiæ ista dicantur, vera non sunt. Interpretationes enim S. Augustini ab omnibus defensoribus gratiæ, & ab universis rectè sentientibus in hac parte approbantur, & recipiuntur; imò quòd est considerationis magnæ, prædictæ explicationes ab Ecclesia ipsa probatæ videntur, & à Pontificibus summis, qui doctrinam hujus

Sanctissimi

Digitized by Google

Sanctissimi Patris atque Doctoris maximè in materia prædestinationis & gratiæ suam fecerunt. Si enim, ut graviores ex his authoribus dicunt, doctrina S. Augustini in hac materia & causa, ipsa est fides Ecclesiæ, & quasi tota in his explicationibus fundatur ab illisque illius doctrina dependet, quomodo non etiam explicationes ipsæ reipsa per Ecclesiam & summos Pontifices manent approbatæ? Aut quomodo qui eas verbis irreverenter excludit, non per Cœlestinum Pontificem magnum *Epist. ad Epis. Gal. cap.* 1. reprehenduntur cum illis qui similia doctrinæ S.P. Augustini primitùs oppositerunt, dum ait. *Augustinum Sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos etiam à meis semper prædecessoribus haberetur.* Itaque si licet audire, postquam sic Pontifex ille summus S. P. Augustinum concelebrat, Molina eum sub quasi caligine esse dicit, & extortas illius esse explicationes contendit; sed quare nisi quia nec solum Cassianum, Faustum, & Julianum in hac mali loquentia sequitur, sed & Catherinum & Erasmum qui idem de illis expositionibus asseruerunt. Quæ quidem licentia contra Sanctos Patres, potissimè, quorum doctrina Ecclesia approbavit in materia aliqua, quid est aliud quam petulantibus ingeniis januam, imò patentissimam portam aperire, per quam damnatæ jam olim & subinde exterminatæ hæreses iterum revocentur in orbem, ut ante aliquot annos rectè Duacensis Schola contra alium ejusdem familiæ, reprehendentem etiam prædictas explicationes S. P. Augustini dictavit. Sed quare; (ut alia Schola Lovanienſis etiam tunc asseruit) istæ interpretationes S.P. Augustini operosiùs impugnantur, nisi ut ejus doctrina eversa, alteri quæ Massilienſibus potissimum placuit, certior aditus fieret, eâque deinde periculoso dogmati fundamentum sterneretur.

148. Quod ut clariùs constet, illud ut certissimum oportet præsupponere, explicationes S. Augustini quæ procedunt non de omnibus in universum hominibus, sed per accommodam distributionem, nullo modo contradicere illi alteri de voluntate antecedente à S. Thoma traditæ & explicatæ, sed cum illa optimè cohærere: sicut enim illa de voluntate antecedenti & inefficaci procedit respectu omnium in universum hominum, ita aliæ interpretationes sancti Augustini de voluntate consequente rectè intelliguntur, ut diximus, Vnde sanctus Thomas omnes simul sicut sibi optimè concordantes admittit. 1. *p. q. 19. art. 6. ad* 1. & Sanctus Prosper jam supra relatus explicationes prædictas sancti Augustini defendit, & illam de voluntate antecedente amplectitur. Similiter author illius libri ad articulos sibi falsò impositos, ex verbis & dictis sancti Augustini hanc de voluntate antecedente, sicut aliis ex Sancto Augustino inductis, consonam tradit. Itaque & verum est Deum volunte inefficaci antecedenti & velleitate velle omnes homines salvos fieri, si ipsi velint: & verum est simul in aliquibus solùm facere ut velint, ut de facto salventur. Nec unquam sanctus Augustinus illam primam negauit. Bene autem adversus Pelagianos negavit semper illam illorum explicationem, quæ ita dicebat Deum velle omnes homines salvos fieri, si ipsi velint, ut nulla alia voluntas efficax faciens eos velle, esset necessaria, sicut & modò à nobis negatur adversus istos authores. Ista enim voluntas antecedens sic ab illis intellecta & explicata contraria est aliis sancti Augustini explicationibus, & per explicationes sancti Augustini perfectè excluditur: nec Doctores sancto Augustino antiquiores aut posteriores illam falsam intelligentiam horum recentiorum admittunt, sed illam veram à nobis supra signatam, per quam ut modò diximus, nullâ viâ aliis explicationibus sancti Augustini contradicitur. Et per hoc patet ad primum.

194. Ad secundum dicendum verè salvari quòd Deus providētia generali ordinet homines in beatitudinem, illorumque salutem in manu ipsorum constituat, per hoc quod voluntate inefficaci & antecedente velit omnes homines salvos fieri, licet præter illam, voluntate absoluta & consequente salvare velit, quicumque salvantur. Itaque non requiritur ut Deus providentia generali homines ordinet in beatitudinem, & ut illorum salutem in eorum manu constituat, quod ita velit omnes homines salvos fieri, ut æqualiter & indifferenter se habeat ad omnes, & illi de facto salventur qui voluerint: Pelagianorum enim iste est sensus damnatus, ut ostendimus supra.

160. Quod aurem salvetur quod Deus ordinet homines in beatitudinem per illam voluntatem antecedentem à nobis explicatam, qua vult omnes homines salvos fieri, ostendit S. Thomas, *In 1. dist. 46. art.* 1. dicens *Quod effectus hujus voluntatis antecedentis est ipse ordo in finem salutis, & promoventia in finem omnibus proposita communiter, tam naturalia quàm gratuita, sicut potentiæ naturales, & præcepta legis & hujusmodi.* Hæc S. Thomas. An verò præter præcepta legis naturæ, de quibus loquitur S. Thomas, per quæ Deus ordinat aliquo modo quantùm est ex parte sua homines in vitam æternam providentia generali, omnibus de facto tribuat auxilium supernaturale gratiæ interius, infra erit commodius disputandum.

151. Ad tertium jam supra cap. præcedenti ex sancto Prospero dictum est, potius ex illo contextu totum contrarium deduci illius quod argumentum prætendit: si enim Deus vellet omnes æqualiter salvare quantùm est ex parte sua & solum requireretur quod homines id vellent, id petendum non esset à Deo, quod tamen ibi Apostolus præcipit; ergo præter illam voluntatem sic antecedentem & inefficacem respectu omnium, habet Deus aliam absolutam & efficacem qua de facto vult salvare aliquos, eis efficacia salutis remedia tribuendo: & hanc nos petimus à Deo indifferenter pro omnibus hominibus, quia nescimus quinam sint illi quos Deus vult efficaciter salvare. Vnde si evidenter nobis constaret per revelationem divinam quod in particulari hos Deus voluntate absoluta & efficaci salvare non vult, nec pro illis ut salvarentur, esset orandum. Concedendum est ergo quod ex illo contextu, hæc duo apertè deducuntur, & quod voluntate antecedente de omnibus intelligitur, & quod voluntate efficaci & consequente de solis prædestinatis procedit, quam efficacem Dei voluntatem postulamus. Et utramque interpretationem sibi optimè cohærentem docuit S. Augustinus ut diximus.

152. Ad quartum quod procedit contra illam explicationem S. Thomę de voluntate signi, secundū quam inter alias explicariones, intelligit illud Apostoli super illum locum, respondetur optimè posse intelligi quod Deus ponat præcepta & consilia etiamsi formaliter non velit quod id impleatur, sicut posuit præceptum Abrahæ ut immolaret filium, quod tamen non volebat Deus: sic ergo licet admittatur Deum non velle omnes homines salvos fieri, sed tantùm velle quosdam salvare, quosdam verò non; tamen voluntate signi, qua omnibus ponit præcepta ut salventur, potest dici quod illos vult salvare. Præceptum enim pertinet ad voluntatem signi ut cōmuniter est opinio, quia non est de ratione prȩcepti ut quod prȩcipitur sit volitū, licet aliquando quod à Deo prȩcipitur, propriè volitū sit. Vnde S. Thom. prima parte non numerando inter alias,

Digitized by Google

hanc explicationē de voluntate ſigni, non retractavit ſententiam, quam habuit ſuper Paulum, ut quidam prætendunt, quaſi illa interpretatio aliquid inconvenientis habeat. Ex eo enim quòd illam non numerat prima parte, unde fit conſequens quod illam retractavit? Itaque abſque inconvenienti defendi poteſt illa S. Thomæ interpretatio; nec enim ita eſt neceſſarium defendere quod Deus voluntate antecedente velit omnes homines ſalvos fieri, ut illud non poſſit explicari reſpectu omnium hominum de voluntate ſigni, per præcepta atque conſilia ſignificata. Rurſus non aſtringimur fateri, præcepta omnia quæ Deus omnibus ponit, oſtendere Deum habere formalem voluntatem de omnium ſalute. Aliud eſt ergo optimam eſſe illam interpretationem de voluntate antecedenti reſpectu ſalutis omnium, & aliud ita eſſe neceſſariam ut ſine periculo negari non poſſit, poſita voluntate ſigni tantùm; ſicut alia Sanctorum Doctorum habet explicatio.

153. Ad ultimum dicendum ſicut ad ſecundum nullo modo eſſe irriſiones, illas invitationes ad pœnitentiam, & uitam æternam; niſi ita interpretemur illum locum Apoſtoli, quòd videlicet Deus æqualiter ex parte ſua, & indifferenter velit omnes homines ſalvari; ita ut nihil aliud requiratur niſi ut qui voluerint, ſalvi fiant; & qui noluerint damnentur: ad modum quo fons omnibus æqualiter patet, ut qui vult accipiat & bibat; & qui non vult, ſiti pereat. Pelagianorum enim damnata interpretatio eſt iſta, ut jam diximus, & illam in terminis Fauſtus habet *in 1. & 2. libro de grą. & humanæ mentis arbitrio.* Similiter damnatum eorum argumentum eſt, deducere irriſiones eſſe, invitationes ad bonum, niſi illa interpretatio prava acceptetur, ut ex epiſtolis Proſperi & Hilarij ad S. Auguſtinum de Semipelagianis refertur in terminis. Vnde his proſcriptorum hominum damnatis argumentis uti non debebant ij authores. Quomodo enim irriſio eſt, velle Deum omnes homines ſalvos fieri, & omnibus præcepta ſalutis imponere; ita ut qui non ſalvantur, ex culpa ſua non ſalventur; licet quoſdam in particulari velit Deus abſoluta & efficaci voluntate ſalvare. Itaque qui ſalvantur, ex Deo volente efficaciter ut ſalventur, ſaluantur; qui autem pereunt, ex ſua culpa vel originali, vel originali & actuali, vel etiam ſola actuali pereunt, quod ſibi debent imputare. Sed de hoc copioſiùs in materia divinæ prædeſtinationis tractabimus, & modò cum decima ſeptima aſſertione horum Recentiorum quæ in pravo ſenſu interpretatur illud Apoſtoli teſtimonium, *qui vult omnes homines ſalvos fieri*, concludamus.

154. Videatur ultimò S. Anſelmus qui libro de voluntate Dei in fine, ita concludit. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, id eſt nulli ſalvantur, niſi quos iuſte ſalvari, vel de omni genere hominum aliqui ſalvantur, vel vult omnes ſalvos fieri, id eſt, non cogit aliquem damnari.*

CAPUT XVI.

Qui dixerint electionem ad gloriam fieri ex præviſione meritorum.

155. QUIA Recentiorum ſententia 1. *libro 2. p. tract. 6.* relata conſtituit electionem ad gloriam ex meritorum præviſione, & idem reipſa dicunt de dilectione ad gloriam quæ prior ratione eſt electione ipſa, & dilectio & electio talis initiativè prædeſtinatio eſt; cum ut Deus prædeſtinet priùs ratione diligat & eligat ad gloriam; acuratiùs à prima radice incipiendo: videndum erit quorum & quænam ſit ſententia quæ electionem ad gloriam ex præviſione dicit fieri meritorum, non autem illam conſtituit omnino gratuitam, & immediatam eſſe ad gloriam.

Sed omnium primò illud ex S. Thoma ſupponimus 1. *p. q. 23. art. 4.* Quod in Deo dilectio præſupponitur electioni ſecundum rationem, quia voluntas Dei qua vult bonum alicui, diligendo, eſt cauſa quòd illud bonum ab eo præ aliis eligatur. Hæc S. Thomas. A qua doctrina ſine cauſa recedit Franciſcus Suarez *libro 1. de eſſentia prædeſtinationis cap. 11. §. Nihilominus cenſeo.* Vbi tenet eſſe unicum & eundem actum dilectionem & electionem, & intelligit planè unum eſſe ratione, nec priorem ratione eſſe dilectionem in Deo electione ipſa: fatetur tamen per illas voces connotari diverſas habitudines; & ad S. Thomam reſpondet nunquam dixiſſe eſſe plures actus, quamvis de illis ut de pluribus loquatur ad explicandas varias relationes, inter quas prima eſt ad objectum, inquantum voluntas Dei vult illi bonum; deinde verò reſultat altera quæ eſt prælationis ad alios. Hæc ille. Sed tandem vel ratione ipſa convictus, ſententiam S. Thomæ ſuſtinet. Si enim ut fatetur, ille unus & idem actus priùs ratione refertur ad objectum, & ſic conſtituitur formaliter dilectio, & poſteriùs refertur ad alios quibus aliquos præfert, & ſic conſtituitur formaliter electio: ergo priùs eſt in Deo ille actus, qua ratione dilectio eſt, & poſterius qua ratione eſt electio, ut S. Thomas clariſſimis verbis affirmat. Quod autem inquit, quòd in dilectione ſemper clauditur electio in actu exercitio, quod fuit ejus fundamentum ut non diſtingueret hos actus ratione, dicendum quod electio in Deo expreſsè & formaliter eſt actus poſitivus divinæ voluntatis, volentis hos præ alios eligere ad gloriam; iſte autem actus neceſſariò eſt poſterior ratione actu ſimplici diligendi, & iſtum præſupponit ut rationem ſui. Nec enim plurima Scripturæ teſtimonia, quæ expreſſimè electionem nominant, debemus aut poſſumus intelligere, de illa implicita & virtuali quæ clauditur in dilectione reipſa, & hoc eſt attendendum.

156. Quo ſuppoſito, fuit prima ſententia Ocham *in 1. diſt. 41.* & ibi Gabr. *q. 1. art. 2.* quæ mordicus defenditur à Catherino *lib. 1. de prædeſt. cap. ult. & lib. 3. à principio* quod circa aliquos homines qui ſalvātur ante omnem meritorū præviſionem, ſive abſolutam, ſive conditionatam (nam conditionatam Catherinus non novit, ſed de abſoluta loquutus eſt) præceſſit in Deo efficax propoſitum quo ipſos elegit ad gloriam, ut fuit Beatiſſima Virgo, Apoſtoli, & alij inſignes Sancti, quos propterea per certa media prædeſtinavit ut cum effectu gloriam conſequerentur. In quibus libertatem meritorum ad conſequendum ſalutem cum illa efficaci antecedente electione & prædeſtinatione ad gloriam componere neſcivit. Et iſte fuit ab eo primus excogitatus ordo prædeſtinatorum. In alio deinde ſecundo ordine conſtituebat generaliter omnes alios qui ſalvantur, quos dicebat ſalvari etiamſi præelecti non ſint ad gloriam: unde ex hoc ſecundo inferebat duo. Alterum non omnes qui ſalvantur eſſe prædeſtinatos. Alterum verò numerum ſalvandorum non eſſe certum, donec libertate ſua cum divina gratia perſeverent uſque ad mortem. Quod autem eſt conſiderandum ex negatione gratuita illorum ad gloriam, negavit ipſos eſſe prædeſtinatos, quia videbat prædeſtinationem ſine illa priori electione ad gloriam in illis præviſis ſalvandis, nulla ratione ſalvari. Fundamenta Catherini ad hos diverſos ordines ſalvandorum fuere planè leviſſima: non enim auſus fuit omnes qui ſalvantur, ponere non electos ad gloriam; quia ex modo loquendi Scripturarum videbat quoſdam poni electos: deinde ex magnis dignitatibus &

præro

Digitized by Google

prærogativis quas Deus aliquibus contulit, & non omnibus : & tandem ex diversis modis salvandi homines, nam aliquos Deus specialissimè prævenit, & continuò adjuvat donec salutem consequantur ; alios verò non ita ; & ob has rationes illos duos ordines salvandorum admisit. Error iste qui infra venit impugnandus pro illa parte quâ illos electos & prædestinatos ponit sine libertate salvari, Luthero atque Calvino apertissimè favet. Sed totus adæquatus error Catherini est quoad utramque partem, & electorum atque prædestinatorum;& non electorum nec prædestinatorum. Fuit etiam olim aliquorum Pelagianorum prava sententia ut clarè constat ex lib.6. hyponosticon adversus Pelagianos in fine illius libri,cujus ibi verba sunt. *Prædestinationem igitur negare quam apud Deum esse breviter probavimus, immanis blasphemia est quam non tantùm sicut soletis dicere, in Apostolis debemus accipere sed in Patriarchis & Prophetis, & Martyribus & Confessoribus in omnibus Sanctis, & dignè servientibus Deo.* Quibus verbis etiamsi amplius hæc Catherini sententia non reprobaretur, satis manet expugnata atque damnata.

157. Aliorum secunda sententia fuit, electionem absolutam & efficacem ad gloriam (hanc enim importat electio ad gloriam) non fuisse in Deo ante prævisa merita, nec ante voluntatem dandi gratiam. Concedunt tamen post prævisionem meritorum subsequi in Deo voluntatem dandi gloriam pro meritis, asserentes priorem, secundum rationem, esse in Deo voluntatem dandi gratiam, posteriorem verò esse voluntatem dandi gloriam : ita quod hoc ordine ista instantia rationis in Deo componunt, ut in omnium primo fuerit in Deo voluntas dandi gratiam, in secundo ex gratia merita præviderit, & in tertio rationis signo voluerit dare gloriam pro meritis. Quamvis authores & defensores hujus sententtæ non ita expresse exponant de qua voluntate dandi gratiam loquantur, an de voluntate dandi gratiam ex Deo ipso efficacem & efficaciter hominem convertentem, an de voluntate tribuente tantùm auxilia inefficacia, id est quæ consistunt in posse bene operari, quibus homo bene operatur illa reddendo suo consensu efficacia : tamen si illorum intentio penetretur de hac secunda voluntate dandi auxilia gratiæ tantùm inefficacia, loquuntur. Qua enim ratione negant efficacem electionem ad gloriam ante meritorum prævisionem, negarent etiam voluntatem dandi auxilia gratiæ ex Deo ipso efficacia ; quia sive ex efficaci electione ad gloriam, sivè ex voluntate dandi efficacia auxilia gratiæ contendunt lædi hominis libertatem, quam ut defendant, utramque efficacem voluntatem negant. Et sicut antecedentem & inefficacem voluntatem in Deo præmittunt, qua vult omnes homines salvos fieri (hanc enim nullus negavit, ante meritorum prævisionem) ita & in virtute hujus opinantur etiam præfuisse in Deo ante prævisa merita, voluntatem dandi auxilia gratiæ inefficacia. Et ista sententia de universis prædestinatis ita philosophatur.

158. Tertia sententia tenet nullo modo præcedere in Deo electionem absolutam efficacem ad gloriam in aliquo priori rationis signo ante meritorum prævisionem, imò addit quod nec etiam post meritorum præscientiam, datur in Deo voluntas dandi gloriam quæ sit prior ratione ad talem meritorum præscientiam ; arbitrantur enim hi authores quod præsupposita illa conditionata & inefficaci voluntate volendi omnes salvare,quam Deus communem habet & prædestinandis & reprobandis, atque præsupposita scientia illa media seu conditionata, qua Deus ante suum decretum cognovit quod si isti homines in tali rerum ordine constituantur & sub talibus gratiæ auxiliis inefficacibus ex Deo, sua innata libertate illa reddent efficacia, bene operando & usque ad finem vitæ perseverando ; Deus unico decreto simplicissimo consummat & perficit prædestinationem cujuscumque hominis salvandi, volendo nempe illum constituere in tali rerum ordine, in quo illum bene operaturum prævidit : unde asserunt quòd per hanc voluntatem Deus prædestinatis vult gratiam & gloriam, non tamen priùs gloriam, quam media gratiæ, nec priùs media gratiæ & postea gloriam. Fundamentum illorum est, quia Deus vult ea omnia illo suo simplicissimo actu voluntatis cum necessaria connexione adinvicem : Ita enim vult gloriam ut non velit eam sine meritis, & ita vult merita ut non velit illa sine sua vocatione, adjutorio & nostra cooperatione : ergo impossibile est ut voluntas absoluta dandi gloriam præcedat in aliquo signo rationis. Patet quia id, quod sine alio esse non potest, non est simpliciter eo prius. Tum etiam quia si voluntas dandi gloriam concipiatur ut prior, ex necessitate concipienda est ut conditionata, scilicet si habuerit merita, unde non erit absoluta & efficax electio ad gloriam. Similiter argumentantur, quòd cum Deus in illo simplicissimo actu non velit merita nisi in ordine ad gloriam, hinc est quod nec priùs vult merita aut illa prævidet, & postea dat gloriam, ratione facta, quia id quod sine alio non est volitum, non est eo priùs ratione volitum. Ista sententia est revera illa, quam in *1.p.tract.6.primi libri* retulimus, Molinæ videlicet, & Gabrielis Vasquez, quam suppresso nomine authoris refert, & ex parte explicat Franciscus Suarez *lib.1. de essentia prædestinat cap.* 8.*§.in hac re prima &c.*Quod enim sic Molina sentiat, patet ex concordia *q.23.art.1.& 2.disp.2. §. præterea, & q.23. art.4. & 5.disp.1. membro 6. §. multi,* & in appendice post indicem Scripturæ *§. Tertius, vers. unde & §. sequenti* incipiente certè, *& q.23. art.1. & 2.disput.2. §. verum*, quæ sunt citata loca de verbo ad verbum supra *lib.1.part.1.tract.6.assertione* 18. Sed omnium clarissimè eam tenet & explicat *quæst.23. art.4.& 5. disput.1. membr.13. in epilogo*, quo dilucidius authoris opinio explicatur, ubi unico simplicissimo actu, quo Deus post scientiam mediam voluit constituere homines in tali ordine rerum, in quo bene operaturi prævidebantur, si ponerentur, dicit fuisse electos & prædestinatos quotquot electi & prædestinati sunt, quo simplicissimo actu dicit electos & prædestinatos per talia merita prævisa ; unde secundum ipsum, in illo simplicissimo actu nec electio ad gloriam prior ratione est ipsa prædestinatione, ut clariùs exposuit *in appendice membri octavi immediatè posito in concord. post indicem locorum Scripturæ* Eadem etiam sententia est Gabr. Vasquez *1.p. disp.89. à cap.2. usque ad 13. inclusivè.*

159. Cum autem isti authores ex alia parte expresse dicant quod Deus illo simplicissimo actu voluit gloriam. ut præmium bonorum operum, dicantque electos fuisse homines ad gloriam ex prævisis meritis, vix salvare possunt non præscisse priùs ratione prævisionem meritorum ante electionem ad gloriam. Dico vix salvare possunt, quia ipsi utrumque sine dubio videntur connectere si quis ad illorum dicta attendat, & quòd ex prævisione meritorum fuit electio ad gloriam, & quod ipsa electio ad gloriam non fuit posterior ratione ipsa meritorum prævisione, sed simul cum ipsa & per ipsam, ut manet explicatum. In qua sententia id est considerandum, illam procedere de prævisione absoluta meritorum, qua Deus videt hominem illum sic constitutum merita habere per quæ gloriam mereatur : tum quia procedit de meritorum prævisione, & merita non sunt sub illa conditione, sed absolutè facta : tum quia procedit de prævisione hominis jam constituti in ordine rerum & bene operantis, quæ non potest esse nisi prævisio absoluta meritorum,

Digitized by Google

ritorum. Tum denique quia hoc authores illius sententiæ intendunt, ut ex relatis locis constat. Et quidem quòd Gabriel Vasquez expressè dicat fieri prædestinationem ex prævisis meritis, indubitatum est; ut constat 1. *p. disput. citat.* Ludovicus vero Molina id imprimis docuit, & publicè sustinuit anno 1566. in Civitate Conimbricensi; quod se vidisse & audisse, & cum illo super hoc disputasse, mihi Romæ dum ista causa tractaretur retulit Doctissimus Magister Fr. Gregorius Coronel ex Augustiniana familia, qui multum etiam pro defensione divinæ gratiæ insudavit: in sua autem concordia prædictus Ludovicus Molina à sua priori sententia non recessit, licet non ita apertis verbis loquatur.

160. Prædictæ omnes sententiæ in aliquo conveniunt, & in aliquo distinguntur. Conveniunt quidem omnes quod non præcedit in Deo absoluta & efficax electio ad gloriam ante meritorum præscientiam respectu omnium prædestinatorum; differunt tamen quia prima, illam admittit respectu aliquorum. Duæ autem posteriores nullorum comparatione illam constituunt. Conveniunt secundo in hoc quod de absoluta præscientia seu prævisione meritorum procedunt, cum ante illam, absolutam & efficacem electionem ad gloriam negant, ea autem, quibus adinvicem distinguntur, ex ipsi sunt satis manifesta.

Quia ergo commune illud, in quo omnes consentiunt, videlicet absolutam & efficacem electionem ad gloriam non præcedere in Deo ante absolutam meritorum prævisionem sicut quid generalius, ita gravissimum est, & ut expendatur nostræ intentionis præcipuum: Ideo ut copiosiùs de illo tractetur, postponendum est aliquantulum, & priùs particularia harum opinionum, si tamen eas opiniones nominare fas est, sunt examinanda.

CAPUT XVII.

Confutatur prima sententia Catherini circa electionem ad gloriam.

161. Illa ergo prima sententia ex Catherino plura continet absurda, & errores plures. Errat primò, quia ab illis quos constituit electos ex efficaci electione antecedente meritorum præscientiam, libertatem respectu assequutionis salutis videtur auferre. Quem esse apertissimum in fide errorem nullus est qui non videat, unde nec improbari amplius meretur, quia secundum hunc dicendi modum, nec Beata Virgo, nec Apostoli libertatem & meritum in suis eximiis operibus habuerunt; in quo ut præmissimus hæreticorum hujus temporis Lutheri & Calvini favet erroribus.

162. Errat secundò quia non omnes qui de facto salvantur, dicit esse prædestinatos, admittens plures salvari qui prædestinati non fuere. Unde rectè Dominicus Soto, & alij doctissimi Sancti Thomæ discipuli illius sententiam in hac parte erroris notant, quidquid author alius dicat *in suo primo libro de essentia prædestinationis cap. 8. n. 31. §. ex hac sententia*, Asserens non esse Catherini sententiam tam gravi censura dignam, quia magis verbis quàm reipsa erravit Catherinus, consequenter loquendo ad suam sententiam. Et rationem excusationis assignat, quia Catherinus solùm vocavit prædestinationem, hanc efficacem electionem ad gloriam ante prævisa merita, & ita non vocat prædestinatos eos qui ita electi non sunt, quamvis sint gloriam consecuturi. Sed ista excusatio planè insufficiens est, nam ex divina Scriptura habetur, quòd qui salvantur prædestinati sunt: ergo oppositum dicere, error erit in fide, ubicumque Catherinus prædestinationem cõstituerit sivè in voluntate sivè in intellectu. Itaque omnes secundum veritatem Catholicam debent fateri, quod omnes qui salvantur sunt prædestinati sive prædestinatio in intellectu, sivè in voluntate ponant. Affirmare autem cum Catherino salvari homines etiamsi nullo modo sint prædestinati, nec per intellectum, quia secundum illum in illo prædestinatio non consistit, nec per voluntatem, in qua ipse prædestinationem ponit, est negare simpliciter & absolutè quod qui salvantur, prædestinati sunt, quod non potest non esse error in fide.

163. Præterea, quia etiam est error in fide asserere quod qui salvantur electi à Deo non sint, unde etiam in hoc erravit in fide Catherinus, cum asserit non esse prædestinatos, id est, non esse à Deo electos qui salvantur. Patet antecedens ex plurimis Scripturæ testimoniis quæ hoc testantur. Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit Nos &c. secundum propositum voluntatis suæ.* Vbi manifestè sermo est de electione gratuita ante meritorum præscientiam, ut ostendit S. Augustinus *libro de præd. Sanct. cap. 18. & 19.* ex illo verbo *ut essemus Sancti*, non ait, qui futuri eramus Sancti, sed ut essemus. Vbi apertè prævisa merita ante electionem negantur. Quod autem loquatur Apostolus in universum de omnibus qui salvantur (per quod expugnatur Catherinus) & verba absolutè prolata denotant, & communis tenet Patrum intelligentia. Patet etiam ex illo Matth. 24. *Ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* & iterùm. *Sed propter electos breviabuntur dies illi.* Item Joan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Sunt & alia similia quæ omittuntur, quia ista satis manifestant errorem esse contendere quod qui salvantur, electi non sint. Igitur error in fide est, negare electos esse qui salvantur, non minus quàm negare esse prædestinatos. Præterea id confirmat illud Ecclesiæ. *Deus cui soli cognitus est numerus electorum in suprema felicitate locandus.* Vbi omnes qui in fælicitate locantur, electi ab Ecclesia nominantur.

164. Quod si qui sint, qui contendant intelligi ista testimonia de electione ad gratiam, & non ad gloriam, infra copiosè hanc esse magnam falsitatem ostendemus. Et modò solùm dicimus hanc propositionem Catherini (salvantur qui non sunt prædestinati, vel qui non sunt electi à Deo) esse errorem, quia prædestinationem & electionem debet admittere, sivè ad gratiam sivè ad gloriam, & non absolutè & simpliciter (ut verba sonant) negare prædestinationem & electionem in his qui salvantur.

165. Insuper iste modus loquendi Catherini à modo loquendi Augustini *libro de prædest. Sanct. & de dono perseverantiæ*, Imo à modo loquendi Pauli dissentit, & ab illo Fulgentij *lib. de fide ad Petrum cap. 35. Firmissimè tenet & nullatenus dubites, Omnes quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus fecit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo, neque perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinavit: nec quemquam eorum, quos non prædestinavit ad vitam, ulla posse ratione salvari.* Quod etiam ille author eum excusans admittit. Sed & ex his inferre debebat errorem esse in fide, nam quod dissentit à doctrina Sancti Augustini in materia prædestinationis, error erit in fide, cum in tali materia, doctrina Sancti Augustini sit per Ecclesiam approbata. Præcipuè quia quod dissentit à modo loquendi Pauli in hac materia, nec potest esse salvum in fide. Item quia cum Fulgentius dixit; firmissimè tene & nullatenus dubites, rem firmam de fide putat se proponere. Vnde ad minus arbitratur Fulgentius errorem esse in fide oppositum sentire, cui & nos assentimur.

165.

Digitized by Google

166. Tandem Catherinus dicit prædestinationem esse solam electionem ad gloriam, & rursus ait, quod non præcedit meritorum præscientiam, sed quod illam consequitur : ergo convincitur tenere quod ex parte prædestinati detur causa prædestinationis, & non quomodocumque sed meritoria, qui est error in fide, cum non admittat efficacem volitionem divinam de dando efficaci auxilio gratiæ quo faceret hominem mereri. Si enim hanc admisisset, ab errore excusaretur ex hac parte, nec ratio modò facta errorem convinceret, ut infrà explicandum erit.

Et ex hoc patet illud tertiũ Catherini dictum etiam esse errorem, quo ait numerum salvandorum non esse certum Deo, donec ipsi sua libertate cum gratia perseverent. De quo etiam à Dominico Soto & Thomistis tanquam errans damnatur, licet à prædicto authore relato etiam ab errore in hoc excusetur. Quia ut ait, non existimavit Catherinus numerum salvandorum non esse certum ex æternitate, donec in tempore perseverent in gratia ut illi objiciunt adversarij ; sed dixit illum numerum non esse certum in divina & ex divina voluntate, sed solùm ex præscientia qua Deus cooperationem hominum vidit.

167. Verùm nec ista excusatio juvat, nec video qua ratione Catherinum qui secundùm communem Doctorum sententiam in materia prædestinationis erravit, *tanto studio* darent liberare; non attendentes quòd *licet* Catherinus sic intelligatur ut explicant, ex alia parte in Semipelagianorum manifestum errorem relabitur, qui ut ex professo probandum erit inferiùs, hoc modo errando, prædestinationem certam secundum præscientiam constituebant, ut patet ex Epistolis Prosperi & Hilarij ad Augustinum : negantes esse numerum prædestinatorum certum ex prædefinitione divina. De quo etiam *1. libro 1. p. tract. 5.* egimus inter explicandos Semipelagianorum errores. Itaque facilè crediderim Catherinum in illo secundo ordine salvandorum collocato, sensisse non fuisse ex divino proposito electos aut prædestinatos, sed bene prævisos atque præscitos bene usuros & perseveraturos, atque salvandos. Vnde numerum illorum non prædestinatum, nec electum, sed certò præscitum constituit, in hoc cum Pelagianis conveniens. An verò Catherinus posuerit numerum prædestinatorum non materialiter pro numero numerato, sed formaliter pro numero numerante electum & prædestinatum, ita quod tot elegerit & prædestinaverit Deus, & non plures. Dicendum quod etiam hoc negavit, & negaturus erat, si consequenter loqui deberet. Sicut enim ob servandam prædestinatorum libertatem, non admisit numerum numeratum seu materialiter sumptum ex divino beneplacito præfinitum, sed prævisum tantum ; ita ut salvaret omnes homines si vellent, posse salvari, nec aliquem esse excluſum, posuit, nec numerum formaliter captum, esse ex divina voluntate præfinitum, sed prævisum tantùm ; quia si statueret certum numerum formaliter ex Dei voluntate præfinitum, necesse ei erat concedere, quòd aliqui salvari non possent, nempe illi, qui expleto illo numero formali remanerent. Vnde omnem numerum prædestinatorum & formaliter & materialiter negavit ex Dei voluntate præfinitum, & tantùm illud posuit absolutè esse prævisum post omnium præcognita prævisa merita seu demerita. Sicut idipsum, & propter eandem rationem priores Semipelagiani dixerunt, negantes numerum prædestinatorum tam materialiter quàm formaliter ex divina voluntate præfinitum, sed tantùm esse prævisum, ut *libro 1. part. 1. tract. 5.* ex ipsis retulimus, & infra statim expendemus.

168. Sed iterum considerandum volumus, qualiter Catherinus negat illos secundi ordinis non esse prædestinatos, sed prævisos tantùm, quod revera consequenter dixit, quia cum sola illa præscientia, ut probaturi sumus, minus prædestinatio salvatur.

169. Concedit etiam Catherinus ipse (quod etiam author illum excusans non negat) se in hac parte dissentire ab Augustino, imo in ejus sententiam gravissimis verbis invehitur, quod nec faceret, nisi ad oppositam damnatam sententiam Semipelagianorum constituentium prædestinationem secundum præscientiam, declinaret, pariter cum illis errando : tum quia dicit electionem aliquorum ad gloriam ante prævisa merita ab eis tollere libertatem, quod fuit Semipelagianorum fundamentum ad talem electionem negandam, ipse autem illam in illis primi ordinis admittit concedens libertatem eorum auferri : tum quia alios secundi ordinis, quos non ponit antecedenter ad prævisionem operum electos, dicit solùm prævisos, ut in omnibus Semipelagiani constituebant.

170. Hæc Catherini sententia quamvis falsissima & magna ex parte cum illa Semipelagianorum consentiens, ut dictum est modò, nullum tamen nobis facessit negotium in hac causa, ex eo quòd clarè quod sentit proponit, nec aliud re, aliud verbis affirmat : facilius namque est illam sic patenter expositam refutare, cum apertè fateatur Catherinus se contra Sanctum Augustinum tenere, & cum manifestè dicat illos secundi ordinis non electos, non prædestinatos, sed tantùm esse prævisos. Quod si sic modò qui generaliter de omnibus idem asserunt (quod Catherinus de illis dixit, quos in secundo ordine collocavit) sincerè & clarè quod sentiunt verbis proferrent, atque confiterentur se contra Sancti Augustini doctrinam sentire, nec electos nec prædestinatos homines dicerent, sed prævisos tantùm, nec prædestinationem agnoscerent, sed bonorum tantum operum prævisionem, ut revera constituunt, omnes eos intelligerent & ab illorum sententia recederent, nec tando studio & impugnatione opus esset. Quia verò de hoc diffusè tractaturi sumus, ad Catherinum ut cum illius sententia semel concludamus, revertamur.

171. Fundamenta Catherini planè frivola sunt, & apud omnes inveniuntur soluta. Qua enim ratione ipse ex Scripturis deduxit quosdam prædestinatos ex antecedente, absoluta, & efficaci electione ad gloriam, id de omnibus affirmare debuit ; quia generaliter Scriptura de omnibus id affirmat, ut ostensum fuit suprà sed breviter, quia plures doctores sunt, qui hoc contra Catherinum probant.

172. Similiter quod ex singulari quadam excellentia & aliquorum dignitate & prærogativa tenet illos fuisse ex absoluta electione ad gloriam prædestinatos, bene quidem : sed debebat proportione servata hoc ipsum de omnibus prædestinatis asserere, quia in statu gloriæ totius salvandorũ numerus oportebat quod ex absoluta & directa esset intẽtione divina ut optimè declarat Bernardus *serm. 78. in Cant.* Quia enim tota illa Civitas electa est, ut esset una Christi sponsa, postea per gratiam præparata fuit, sicut fuit electa. Quis enim dicat quod sponsa ab sponso non eligitur, priùs quàm ei sua dona tribuat ? Vel quis affirmet quòd in illum eminentissimum Regnum *in* æternum regnaturus cum Christo quis intret nisi ex singularissima prædefinitione & electione divina ?

173. Parique ratione quòd electionem aliquorum ad gloriam ipse colligat ex specialissima & continua providentia, & protectione, ac præventione, optimè quidem deducit ; sed advertere debebat in aliis etiam qui ex peccatoribus, salvantur, resplendere eximiam quandam divinam providentiam ; & ad ostensionem infinitæ suæ misericordiæ voluisse Deum illos ad gloriam eligere & eis divinæ gratiæ dona efficacissim præparare. Sicut enim per hunc modum Deus maximam suam omnipotentiam & gloriam manifesta-

Digitized by Google

peccatores salvando & miserendo ; ita ex singulari electione & prædefinitione voluit eos ad gloriam eligere, ut sic clarius suam bonitatem, misericordiam, gloriam & omnipotentiam declararet. Comparatione ergo omnium debuit præcedentem electionem ad gloriam efficacem & absolutam Catherinus astruere, & in omnibus perfectam libertatem profiteri ; quia (ut dicemus) electio talis absoluta & efficax ad gloriam nedum libertatem prædestinatorum non lædit, quin potius illam conservat & perficit ut summi Pontifices, sacra Concilia, & Sancti Patres perpetuo docuerunt, quod & *primò nostro libro part. 2. tract. 3.* apertè satis agentes de divinis prædefinitionibus ostendimus, & infra hoc libro copiosè monstraturi sumus.

CAPUT XVIII.

Impugnatur secunda sententia in eo in quo rectè non procedere dignoscitur.

174. Secunda illa sententia supra inducta tria proponebat. Primum electionem absolutam & efficacem ad gloriam non præcedere rationis ordine ipsam meritorum prævisionem, in quo quia cum aliis consentit, cum illisque pariter infra simul expugnanda est. De illo autem secundo, quo ait potiùs voluntatem dandi gloriam esse posteriorem prævisione meritorum. Dicendum quod in quodam sensu vera est, sed illum illa sententia non prætendit. Est quidem verum quod voluntas aliqua dandi gloriam est posterior ratione, ipsa meritorum prævisione ; nam infra constabit duplicem esse electionem ad gloriam, primam omnino gratuitam, & merita præcedentem ac ipsorum prævisionem, quæ est per modum intentionis. Secundam vero quoad executionem, quæ merita & illorum prævisionem supponit & ex meritis datur. Cæterum ut diximus in hoc sensu non loquitur ista sententia, nec enim illa distinguit hanc duplicem electionem ad gloriam, sed unam tantùm cognoscit, & hanc non antecedere meritorum absolutam prævisionem, sed illa esse posteriorem contendit.

175. Tertium verò quod intendit, voluntatem dandi gratiam, (quam priorem constituit voluntate dandi gloriam) esse tantum voluntatem dandi gratiæ auxilia ex Deo ineffieacia, & quod homo bene utendo illis illaque efficacia reddendo & hoc Deus prævidendo, ex istis prævisis meritis dare velit gloriam, convenit cum tertia, & reipsa ponit ex nobis esse, & non ex gratia quòd efficaciter gloriam consequamur. Unde hanc potissimè in isto libro impugnare procuramus ut ex toto processu patebit, & revera cum Semipelagianorum coincidit damnata sententia, quod diffusè infra erit convincendum.

176. Si autem hæc sententia sentiret priorem esse voluntatem dandi efficacia auxilia gratiæ, ex Deo inquam, ipso, efficacia & non ex arbitrio hominis, & deinde esse voluntatem dandi gloriam ex tali meritorum prævisione, credimus quod à Pelagianorum errore libera esset, quia jã admitteret omnia bona operæ ex gratia & prædestinatione haberi, nec aliquid posse ex nobis esse prævisum, quod prædestinatum non sit. Quamvis contra omnem rationem, priùs in Deo statueret volitionem mediorum quàm volitionem finis: nec rectè salvaret Scripturæ testimonia quæ de electione prima ad gloriam procedunt, ut in toto isto opere erit ostendendum.

CAPUT XIX.

Refutatur tertia sententia in eo quod negat voluntatem dandi gloriam, esse post meritorum prævisionem.

177. Quia ut præmisimus tertia sententia superiùs relata, in eo quod negat absolutam, & efficacem electionem ad gloriam priorem esse rationis signo ipsa absoluta meritorum prævisione, cum aliis inductis consentit, cum illis pariter simul postea venit confutanda. Vnde ad præsens illud quod ut proprium sibi vendicat, venit examinandum. Quod & tale est, ut visum fuit in explanatione illius ; quod nec etiam post meritorum absolutam prævisionem, datur in Deo in posteriori signo rationis voluntas dandi gloriam ; quæ revera in hoc satis peregrina est, illamque ex suis quidam ita qualificat. Hæc sententia nec habet firmum fundamentum, neque est apta ad explicandas rationes divinæ providentiæ & prædestinationis, quas nos sine aliquo ordine prioris & posterioris fundato in habitudine vel causalitate ipsorum effectuum inter se, explicare non possumus. Quod si talis est hæc sententia, quia non admittit distinctionem rationis inter hos actus divinæ voluntatis, ex ea parte qua in specie negat posteriorem esse voluntatem dandi gloriam, post voluntatem dandi gratiam & merita, & post prævisionem illorum ; impossibilis est & inintelligibilis, minusque sacris Scripturis conformis. Passim enim clamant quòd pro meritis nostris nobis Deus reddit coronam justitiæ, & quod gratiam, id est gloriam (quæ gratia consummata est) pro gratia reddit Dominus, & cætera talia. Impossibile est autem quòd qui reddit pro meritis coronam justitiæ, non priùs ratione ipsa merita prævideat in aliquo genere causæ prioris. Quomodo enim dat coronam justitiæ, vel illam vult dare non prævidendo merita quibus redditur. Sicuti ergo isti Authores non negant Deum velle dare gloriam ut præmium & coronam meritorum, ita nec negare possunt, quòd priùs ratione in aliquo genere causæ meritoriæ, & dispositivæ, præcedat in Deo meritorum prævisio.

178. Confirmatur & explicatur magis, quia negare non possumus esse in Deo voluntatem dandi gloriam quæ sit actus justitiæ, vel commutativæ, vel saltem distributivæ (quia ut dictum est Scriptura hoc apertè docet) sicut non possumus negare in ipso voluntatem justitiæ vindicativæ qua pro peccatis infligere vult æternam pœnam, (quam etiam Scriptura constituit) sed illa voluntas haberi non potest nisi post voluntatem dandi gratiam perseverantem usque in finem, & post prævisionem meritorum: ergo ita est quod est posterior ratione ipsis meritis prævisis. Minor constat, quia actus justitiæ necessariò in aliqua prioritate rationis præsupponit merita quibus datur : nec potest intelligi quòd sit redditio justitiæ, nisi præintelligantur opera quibus justitia redditur. Quis enim dubitet ratione priùs in Deo fuisse voluntatem permittendi peccatum & absolutam illius prævisionem, quàm inflictionem æternæ pœnæ pro ipso ? Planè sicut ipsi concedunt in reprobatione, quòd priùs Deus prævidit peccata in reprobis, quàm voluerit eis inferre æternam damnationem : ita & confiteri tenentur quòd in prædestinatione priùs ratione prævidit hominum merita, quàm eis reddere velit gloriam, cum utrobique debita reddat utrisque pro meritis. Nec apparet qua ratione ducantur qui talem ordinem rationis admittunt inter demerita & æternam pœnam quoad executionem,

Digitized by Google

nem, & illum negent inter merita & æternam vitam quoad eandem executionem. Imo planè si consequenter procedere velint ad suam sententiam, tenentur asserere quòd post conditionatam præscientiam, omnium primò voluit Deus homines in tali ordine rerum constituere, volendo priùs ratione eis dare gratiam, & statim prævidit eorum merita, & tandem in tertio signo rationis voluit ex meritis gloriam dare. Omnia enim ista hoc ordine in illo simplicissimo, quem dicunt, actu sine dubio continentur. Cum enim non præsupponant absolutam & efficacem voluntatem finis, quæ prior sit volitione mediorum quoad intentionem, restat ut solùm Deus velit illum finem, nempe gloriam, dare quoad executionem. Finis autem quoad executionem præcisè, posterior est quàm media: & similiter volitio dandi finem in executione, posterior est ratione saltem volitione mediorum, quia præsupponit quòd ex mediis & per media acquiratur.

179. Tandem cum ipsi concedant Christi Domini prædestinationem priorem esse rationis ordine in mente divina, prædestinatione nostra, non obstante quòd non fuit volita sine ordine ad nostram cujus causa erat, ita concedere debent quòd priùs fuit in Deo volitio dandi gratiam & merita ut causam ipsius gloriæ, & sic ut priori consecutione gloriæ. Omnes autem istæ rationes factæ de absoluta prævisione meritorum procedunt, ut est manifestum, non de præscientia conditionata, ut dictum est.

180. Et per hoc patet ad illorum fundamentum pro ea parte qua negant posteriorem esse voluntatem dandi gloriam, prævisione meritorum. Dicendum est enim quòd quamvis Deus non velit dare gratiam nisi in ordine ad gloriam, nec gloriam nisi per gratiam, tamen unumquodque vult secundum naturam propriam, & secundum quod in executione de factores contingunt ita Deus voluit atque disposuit dare. Imo quia ita disposuit, sic eveniunt. Constat verò quòd in executione prior est collatio gratiæ, quàm gloriæ: ergo priùs Deus voluit gratiam conferre quàm gloriam. Similiter constat quòd in executione gratia & merita causæ sunt gloriæ, & ex consequenti priores: cum ergo Deus cognoscat ea esse causam gratiæ, utique cognoscit illa priora esse ipsâ gloriâ, nec video quam majorem difficultatem habeat illud argumentum. In universum enim apertissimum est quòd illud quod cognoscitur ut causa alterius, cognoscitur ut prius eo; & si omnibus modis fuerit ejus causa, omnibus modis cognoscetur ut prius effectu suo. Si autem fuerit causa alterius in uno tantùm genere causæ, etiam in eodem genere causæ cognoscitur ut prius, ut patet de permissione peccati primi parentis & prædestinatione Christi; si enim in genere tantùm causæ materialis prior fuit prædestinatione Christi, illa peccati permissio, ita in hoc tantùm genere priùs cognoscitur quam Christi prædestinatio, licet in genere causæ finalis sit è controverso ut compertum est. Manifestum est autem quòd de medio sublatâ absolutâ & efficaci finis intentione ad gloriam, ut ista sententia aufert; quod talis volitio dandi gloriam absoluta & efficax præcisè restat volitio finis quoad executionem; & ex consequenti restat & in se & in mente divina ut omnibus modis posterior ipsis mediis, & illorum volitione.

CAPUT XX.

De diversitate opinionum hujusmodi Recentiorum circa electionem efficacem ad gloriam.

181. DIximus authores assertionis decimæ octavæ relatæ *1. libro 1. part. tract. 6. cap. 8. & 9.* tenere post præscientiam illam mediam sæpius expugnatam, & post conditionatam & ineffacem voluntatem volendi omnes homines salvos fieri, Deum unico simplicissimo actu voluntatis complere totum electionis & prædestinationis negotium, volendo videlicet ponere homines qui salvandi erant in tali ordine rerum in quo si ponerentur, per illam mediam scientiam prævidebantur bene operaturi, & in bono usque ad finem vitæ perseveraturi.

182. Diximus etiam prædictos authores nec priorem nec posteriorem ordine rationis admittere voluntatem dandi gloriam, ipsa voluntate dandi gratiam ex prævisione meritorum. Et tandem breviter hanc illorum assertionem impugnavimus, pro illa parte qua negat posteriorem esse in Deo rationis ordine voluntatem dandi gloriam prævisione meritorum. Ne autem quis arbitretur in hoc omnes defensores scientiæ mediæ convenire, visum fuit diversa eorum placita circa efficacem electionem ad gloriam exponere.

183. Igitur post Ludovicum Molinam, & Vasquez ita philosophantes sicut denudatum est supra, Cardinalis Bellarminus *lib. 2. de gratia, & lib. arb. cap. 15.* Et Franciscus Suarez *lib. 3. de auxiliis c. 15.* oppositum defendunt: tenent enim efficacem electionem ad gloriam priorem in Deo esse rationis ordine, ipsa prædestinatione mediorum, & voluntate dandi gratiam ac prævisione absoluta meritorum. Sic enim philosophantur, quod omnium primò est in Deo scientia illa media. Secundò quòd divina voluntas vult omnes homines salvos fieri. In quibus duobus cum authoribus priùs allatis conueniunt. Asserunt tertiò quod statim in tertio signo rationis voluit Deus absolutè & efficaciter ad gloriam eligere, & in quarto rationis signo, dicunt quòd sic electos efficaciter & absolutè voluit constituere in tali rerum ordine & auxiliorũ quibus prævidit per illam omnium priorem scientiam mediam illos cooperaturos & bono fine ex hac vita migraturos: ac tandem dicunt quintò quod in quinto & posteriori signo rationis ipsis Deus voluit cum effectu dare gloriam in ratione præmij & mercedis, post prævisionem videlicet absolutam meritorum. Hæc est horum authorum explanata sententia. Et contrariam aliorum, negantium priorem esse in Deo absolutam & efficacem electionem ad gloriam ante prævisa merita per absolutam prævisionem, Cardinalis Bellarminus *ubi supra* reputat non esse conformem Scripturæ sacræ. At Franciscus Suarez dicit illam probabilem *in citato libro de auxiliis*, sed postea *in primo libro de essentia prædestinationis c. 8.* apertè dicit illam esse contra expressam doctrinam sancti Augustini & D. Thomæ, eamque non obscurè ex Apostolo & aliis scripturæ locis deductam. In materia autem prædestinationis sententia oppositæ doctrinæ S. Augustini (cujus sententia in materia prædestinationis censetur ipsa fides Ecclesiæ, ut optimè ait Cardinalis Bellarminus) nec probabilis dici potest, sed multo majori subjacere debet censuræ. Vnde merito prædictus Author relicta probabilitate, quam priùs statuerat, aliis verbis eam condemnat ut visum est modo. Eandem tenet sententiam Arrubal, dum post scientiam mediam, absolutam in Deo præ-

Digitized by Google

determinationem constituit, cum tamen hæc duo adinvicem opponantur ut statim ostendemus. Nec mediam sententiam in hoc isti Authores tenent, inter defendentes efficaciam divinæ gratiæ à Deo ipsa independenter ab humana voluntate, & constituentes ipsam in sua efficacia à libera hominis operatione pendere, & modernus S. Thomæ discipulus qui oppositum dicit, valde à veritate recedit.

184. Tandem ultimo scribens Leonardus Lessius in libro, quem de gratia efficaci inscripsit, cum revera totus contra efficaciam gratiæ procedat, disputatione peculiari de prædestinatione, utrosque nec modo deserens, sed quatenus per mediam scientiam prædestinationem constituunt, eos graviter damnans; palam ipse prædestinationem constituit secundum absolutam operum prævisionem. Adversus cujus doctrinam quæ jam sine pallio procedit, in fine hujus speciale sermonem faciemus. Dixi authorem istum Lessium graviter damnare constituentes prædestinationem per scientiam mediam; quia negans ipse hanc mediam scientiam ad constituendam certam prædestinationem, eandem prædestinationem post absolutam meritorum prævisionem constituit, ut infra dicemus.

185. In hac ergo quæstione, quia ipsos etiam inter sese invenimus diversos (si tamen reipsa diversi sunt) explicandum venit primo, qui illorum magis consequenter ad sua principalia loquantur, & qui minus consequenter procedant. Item an omnes conveniant in substantiali eorum doctrina, & solùm sit differentia in accidentibus; an verò inter illos essentialis in doctrina differentia sit. Hoc enim scire, multum expedit ad perfectam hujus materiæ resolutionem.

186. Dicendum est ergo primò, omnes hos Authores in substantiali sua doctrina convenire, & in potissimo fine qui per illam intenditur, licet diversis viis ad illum consequendum procedant. Explicatur veritas ista, nam omnes conveniunt in illa scientia media constituenda atque defenda (excepto illo ultimo qui clarissimè loquens, prædestinationem secundum absolutam meritorum prævisionem constituit) qua Deus ante suæ voluntatis actum certò cognoscat quid liberum arbitrium ex sua innata libertate acturum est, si in tali ordine rerum collocetur: ergo omnes conveniunt in sua substantiali doctrina. Patet consequentia, nam illa scientiâ mediâ introductâ, sive istâ, sive aliâ viâ, tota ipsorum doctrina perseverat, atque stabilitur. Habetur enim primò, electionem ad gloriam non esse omnino absolutam, ex parte divinæ voluntatis, sed dependere in sua efficacia à voluntate creata, hic autem totius suæ doctrinæ finis existit, hoc singulare ipsorum fundamentum est. Satuitur secundo, quòd divinæ prædestinationis propositum firmum, non antecedat humanas voluntates, sed quod supponat præscientiam saltem sub conditione boni usus arbitrij ipsorum. Statuitur tertio Deum nullum eligere ad gloriam efficaciter, nisi habita priùs ratione & consideratione illius quod liberum arbitrium ex sua innata libertate acturum est, si à Deo in tali rerum ordine constituatur. Habetur tandem quòd bonus usus arbitrij sit quidem à Deo prævisus, non autem verè prædestinatus: Et ut uno verbo concludam, statuitur divinam prædestinationem non secundum Dei propositum esse, sed secundum boni usus arbitrij præscientiam, ut infra apertè monstrabitur: ergo cum omnes in illa media scientia conveniant, conveniunt etiam in hac doctrina modò explicata, quæ essentialiter ex illa consequitur, quod sicut apertissimum, ita nec ab his authoribus negatur, vel negari potest: quomodocumque enim ista enumerata & alia quæ ex ipsis apertè sequuntur, concedantur; absque dubio convenientia est in substantiali doctrina quam ipsi intendunt, & quam nos in hoc opere Deo authore expugnamus. Probatur quia (ut diximus) substantialis doctrina quæ ab ipsis intenditur & profertur, & à nobis impugnatur, illa est quòd divinæ voluntatis propositum & divina electio à voluntate humana dependeat, & à præscientia boni usus innatæ libertatis, à qua humana voluntate efficaciam habeat perducendi hominem ad gloriam: ergo sive vnâ, sive altera viâ, sive post præscientiam absolutam hoc admittatur, sive post illam priorem conditionatam, convenientia substantialis est.

187. Explicatur & declaratur hoc magis, nam omnes citati authores in his tribus fundamentis conveniunt. Primò quòd electio ad gloriam non est omnino absoluta ex parte divinæ voluntatis, & omnino antecedens omnem prævisum vsum humanæ voluntatis sub conditione prævisum. Secundò, quòd si sic omnino absoluta constituatur, tollitur arbitrij libertas, & fatalis inducitur necessitas. Tertiò quòd efficax electio ad gloriam in sua efficacia à voluntate humana dependet, si quidem ponitur post illam mediam scientiam, libertatis humanæ & boni vsus illius exploratricem: unde sicut illa liberi arbitrij bonum usum sumit ab homine, & non ab efficaci Dei gratia cognoscit habere, ita electio ad gloriam eam præsupponens, eundem prævisum usum ex homine præsupponit & efficaciam habet ex illo, unde ex Deo ipso efficax non est. Cum igitur uniformiter omnes citati authores in hoc conveniant, in substantiali doctrina quam impugnamus conveniunt, & in potissimis fundamentis quibus enervatur totaliter divina causalitas, & divinæ gratiæ efficacia: ergo differentia alia modo relata, & explicata accidentalis est, pertinens ad majorem, vel minorem eorum doctrinæ expressionem.

188. Sed in hac sua & suorum communi sententia, profecto consequentiùs locutus fuit Molina, & Vasquez sequens illum, dicêtes quòd primò omnium in divino intellectu præcedit illa media scientia qua Deus præscit quid liberum arbitrium ex se facturum est si in tali rerum ordine constituatur. Secundò quod Deus voluit omnes homines salvos fieri, & omnibus sufficientia auxilia salutis dare. Tertiò quod divina voluntas voluit sic constituere hominem in tali rerum ordine in quo jam absolutè videt ipsum benè uti ex sua innata libertate auxiliis gratiæ ut salvetur, & quod iste actus fuit divina electio, & prædestinatio: ita quod hoc eadem volitione voluit ei dare gloriam ut præmium & mercedem illorum bonorum, quæ jam absolutè prævidebantur procedere ex innata libertate benè utente ex seipsa illis auxiliis gratiæ: & ita in nullo priori voluit Deus priùs eligere efficaciter ad gloriam ante absolutam præscientiam ejus quod innata libertas actura erat ex bono usu auxiliorum.

189. Dicimus consequenter hos loqui ad sua principia, quantùm ad hoc, quod post mediam scientiam constituunt illum simplicissimum actum constituendi hominem in tali ordine rerum, & non efficacem electionem ad gloriam. In hoc quidem consequentius ad sua principia loquuntur, non autem in illo alio supra à nobis impugnato quo negant posteriorem esse in illo simplici actu voluntatem dandi gloriam sicut mercedem & præmium, ipsa absoluta prævisione meritorum. In hoc certè minus consequenter loquuntur etiam ad sua dicta, quibus dicunt propter merita prævisa dari gloriam, ut probatum reliquimus.

190. Quod autem ij consequenter ad sua fundamenta philosophentur, patet, quia cum illa media scientia sub conditione cognoscat quòd si homo ponatur in tali rerum ordine sic operabitur, nihil aliud videtur necessariũ ad operandũ nisi velle de facto hominem

Digitized by Google

minem in tali rerum ordine constituere : ergo iste actus voluntatis regulatur per talem scientiam, & cum ille sit principium sufficiens in illorum sententia ad hoc quod homo operetur & salvetur, ex superfluo alius poneretur ab his qui illam mediam scientiam tuentur.

191. Undè & istorum authorum quidam ultimò scribens (qui & à nobis relatus est modo, & *lib. 1. parte 2. tract. 3.* de prædiffinitionibus, & tractatu de scientia media) apertè dicit superfluum omnino esse illam electionem ad gloriam ponere post illam mediam scientiam, cum non nisi ex superfluo ponatur. Videnda sunt ejus verba quæ utroque loco relata inducta sunt; ut autem labori lectoris consulamus. hîc iterum ipsa repetenda censuimus, quæ sic se habent. *Itaque non opus est nova aliqua voluntate absoluta qua illud opus velit, quaque respectu illius operis habeat se per modom principij effectivi ; hoc enim neque necessarium est, nec intelligibile ; nam conditionata voluntas quæ præcedit determinationem liberi arbitrij abundè sufficit posita illa conditione.* Ita habet prædictus author *disputat de prædestinatione sect. 5. §. Hoc igitur sensu*, & quidem in hoc consequenter loquitur.

192. Quia tamen alij citati Doctores vident minus posse negari efficacem electionem ad gloriam ante prævisa absoluta merita, voluerunt illam admittere, licet non ita consequenter ad sua principia loquantur. Verùm nec absolutam nec efficacem electionem ad gloriam revera admittunt, sed voce dum taxat. Quia illi expresè dicunt hanc efficacem electionem ad gloriam implicite & virtute claudere illam conditionem, quam importat prior illa media scientia, hanc videlicet, si homo constituatur in tali ordine rerum, benè operabitur, & perseverabit. Quomod ergo erit volitio efficax & absoluta, cum reipsa claudat conditionem illam à qua dependet ? Igitur istorum modus dicendi, nec ita consequenter procedit ad sua principia, ut dictum est, nec reipsa aliquid addit ad illum priorem Molinæ, sed voce tantùm absolutam & efficacem electionem ad gloriam admittit. Quod sic aperitur, quia Molina ipse etiam illum simplicissimum actum volendi constituere hominem in tali rerum ordine, in quo si poneretur prævidebatur benè operaturus & salvandus, vocat actum absolutum & efficacem divinæ voluntatis, imo illum vocat absolutam quodammodo voluntatem quòd prædestinati benè operentur & saluentur, ut ex plurimis ipsius verbis notum est.

193. Præterea ista sententia, ante talem electionem ad gloriam (quam dicit omnino gratuitam, & sine meritis prævisis) omnium primò, illam conditionatam scientiam omnibus communem præsupponit (vt est apertissimum) qua Deus ante omne suum liberum decretum certissimè præsciat quod si liberum hominis arbitrium sub tali adjutorio gratiæ dantis tantum posse & sub talibus occasionibus constituatur, operabitur rectè, & usque in finem perseverabit, atque gloriam consequetur ; sed hac posita præscientia, non potest electio ad gloriam gratuita constitui : ergo reipsa nec talis gratuita electio ad gloriam ponitur, sed verbis dumtaxat. Minor ostenditur. Quia vel ille actus qui dicetur electio gratuita ad gloriam, est omnino efficax & absolutus non pendens ab illa priori præscientia nec illam respiciens nec virtualiter includens seu præsupponens ; aut ab alia dependet eamque virtute continet. Primum authores isti non dicent, nec dicunt, quia si ita esset, frustra illa præscientia media præsupponeretur ante talem gratuitam electionem ad gloriam, quod tamen ij authores omnino renuunt confiteri. Nam ut ajunt, si illa electio efficax & omnino absoluta in Deo ponatur sine dependentia ab illa priori præscientia, ex vi illius deberent etiam (ne videlicet frustraretur) præparari efficacia media quibus etiam Deus sine dependentia à tali præscientia cõditionata transmitteret sic electos efficaciter in eandẽ gloriæ consecutionem per quod (ut cõtendunt) libertas periret arbitrij ; quod ut effugiant planè concedunt electionem talem, quam gratuitam vocant, respicere essentialiter præscientiam illam conditionatam, ab ea pendere, objectum que illius virtute claudere, quam & præterea dicunt debere in divina mente præsupponi. Cum ergo hoc apertè ipsi concedant & pro fundamento supponant, nobiscum pariter denudent id quod virtute in illa electione ad gloriam quam dicunt gratuitam claudit, & apparebit non posse reipsa esse electionem talem gratuitam, sed revera meritorum prævisionem absolutam, non minus quàm illum actum quem statuit Molina, supponere : sic enim electio illa ad gloriam virtute includit præscientiam illam mediam & objectum illius sub conditione propositum : ergo talis electio ad gloriam saltem virtute, talis erit, Volo eligere istos ad gloriam volendo eos constituere in tali ordine rerum & circunstantiarum, ac auxiliorum quibus præscio ipsos bene operaturos, perseveraturos, & gloriam consecuturos, quia actus sine dubio omnino est idem cum illo quem statuit Molina, hac solum ratione diversus, quod Molina quoad ordinem verborum reipsa priùs constituit voluntatem dandi media & prævisionem absolutam eorum, quàm dandi gloriam ut diximus. At authores quoad verborum ordinem priùs apponunt voluntatem dandi gloriam, quàm dandi media & ipsorum absolutam prævisionem. Quomodocumque autem sive uno, sive altero modo verba ordinentur, nihil prorsus retulerit, quia semper idem permanet sensus, iste videlcet, quòd Deus vult dare gloriam ex prævisione illorum meritorum, quæ jam absoluta præscientia cognoscuntur, postquam Deus illa media dare constituit, ut clariùs in illo actu quem Molina statuit, ipsi concedunt. Quam doctrinam Molinæ cum dicunt nec sancti Augustini esse, nec sancti Thomæ, nec poni conformiter ad Scripturam Sacram, attendant si hoc ipsum re ipsa de sententia sua sequatur.

194. Quod si dicant illam electionem ad gloriam non includere illum alium actum quem Molina constituit, nec ab illo pendere ; quia illa præfinitio gloriæ prior ratione est, quàm electio medij, qua Deus illam procurat impleri & sic est ratione prior, quàm velle constituere hominem in tali rerum ordine &c. Iste enim actus est electio medij per quod impleri debet electio ad gloriam, unde illa gloriæ electio ut potè prior, ab hac posteriori non dependet. Si inquam hoc dixerint ut dicere solent. Contra ipsos arguit, & illorum sententiam refutat Leonardus Læssius primo libro à nobis relatus, & hîc inducendus qui *disp. de prædest. Arg. & hom. nu. 62. §. nec obstat*, dicit, ex hac illorum prædestinatione induci in arbitrio necessitatem, nec illius perfectam libertatem servari, & talem præfinitionem immutare illam suppositionem, quæ per scientiam mediam habetur. Cum enim opposi issem quod illæ præfinitiones supponunt illas res omnino liberè futuras ex hipothesi, itaut facilè possint non fieri (undè nullam afferunt necessitatem) ita respondet. Respondeo id supponere, si res omnino sibi relinquuntur, & hipothesis simpliciter ponatur, non autem superveniente prædiffinitione : Hæc enim superveniens illas quodammodo immutat, ut quæ secundum se possent impediri, jam non possint : & addit. Itaque perspicuum est hanc suppositionem (quæ videlicet supponitur ex media scientia) non efficere quin præfinitio absoluta aliquam necessitatem afferat, hominemque securum reddat, ita ut non possit de contrario eventu metuere : & sic tollitur omne studium, profectus, & omnis sollicitudo bonorum

Digitized by Google

operum. Hæc ille; Si ergo illa præfinitio electionis ad gloriam absoluta post scientiam mediam, totum destruit quod per scientiam mediam supponebatur, & ita absoluta manet ac si non præsupponeretur media scientia, & per illam tollitur libertas, & impeditur exercitium virtutis. Videat qui hanc electionem absolutã ad gloriam constituit, an hoc illi vellet cõcedere. Quod si sic concedat, jam scientiam mediam negabit reipsa, & nobiscum consentiet, facillimeque ab hac impositione necessitatis se liberabit. Vndè prædictus Lessius sicut illam electionem efficacem ad gloriam rejicit ratione facta, ita prædestinationem constitutam per illam mediam scientiam reprobat, & evidenter illam constituit quæ est secundum absolutam meritorum prævisionem, omnia denudans, & omnia palam faciens, & palliũ scientię medię de medio tollens.

195. Quidquid autem sit de Lessio, & de contrarietate ipsorum adinvicem. Certum est quod absoluta electio seu prædeterminatio, & media illa scientia adinvicem opponuntur, nec admissa scientia media, absoluta prædeterminatio seu electio ponitur, nisi sola voce, quod apertissimum est: nam absoluta divinæ voluntatis prædeterminatio prima radix & causa est humanæ libertatis; at media scientia primam causam libertatis humanæ, divinæ voluntati non tribuit, sed vel humanæ vel alteri creaturæ. Ex natura ergo rei adinvicem opponuntur. Similiter absoluta divinæ voluntatis prædeterminatio efficaciam gratiæ ex Deo ipso constituit, & efficacem independenter ab homine: media autem scientia efficaciam gratiæ non divinæ voluntati, sed homini tribuit, adinvicem ergo contrariantur: non ergo illa est media sententia inter defendentem ex Deo efficaciam gratiæ, & illorum qui efficaciam homini tribuit: & qui dixit ex Thomistis illam esse mediam, ad hæc minus quàm per est attendit. Igitur sola voce, positâ scientâ mediâ admittitur illa vocata absoluta divinæ voluntatis prædeterminatio.

196. Tria ergo concludamus. Primum consequentiùs & clariùs loqui Molinam. Secundum illam electionem ad gloriam, quam alij statuunt, & absolutam vocant, absolutam non esse. Tertium nec esse gratuitam, sed reipsa cum Molina convenire, nisi ut modò dixi, velit illam omnino absolutam esse, sicut illam quam veritas ponit.

CAPUT XXI.

Semipelagiani, & potissimè Massilienses non dixerunt electionem ad gloriam fieri ex prævisione operum merè naturalium, & absque omni gratia.

197. VIDIT quidem D. Robertus Cardinalis Belarminus supra relatus non posse dici conformiter loquendo ad Scripturas & dicta Sanctorum, quod electio efficax ad gloriam non fiat nisi ex absoluta meritorum prævisione, & Franciscus Suarez etiam fatetur, ut visum est supra, illam esse contra apertam sententiam S. Augustini, & S. Thomæ. At verò idem 1. *libro de essentia prædestinationis* §. *hinc ergo* asserit non pertinere ad dogma fidei, sed ad disputationem Thæologicam, asserere non dari in Deo absolutam prædestinationem ante absolutam meritorum præscientiam: sed quia neuter eam sententiam graviosi notat censura, ne quis decipiatur, considerandum est diligentiùs, in multiplici sensu hanc posse quæstionem explicari. Primus est si dicatur fieri electionem ad gloriam ex prævisione operum merè naturalium & antecedentium omnia dona gratiæ, ita quod opera talia, merita de condigno gloriæ constituantur. Et in hoc sensu non est dubium hanc fuisse damnatam ipsius Pelagij sententiam in priori statu hæresis suæ; nam admisit ipse postea necessariam illuminationem supernaturalem ad gloriæ consecutionem, ut 1. libro part. 1. tract. 1. à principio dedimus manifestum. Secundus sensus est si prætendatur fieri electionem ad gloriam ex operum merè naturalium & sine gratia factorum, prævisione, quæ tantum merita tanùm de congruo respectu electionis ad gloriam ponantur; & hic etiam errorem manifestum continet Semipelagianorum. Tertius sensus est si dicatur non fieri electionem ad gloriam nisi ex absoluta prævisione boni operis faciendi ex auxilio sufficienti gratiæ à Deo dato, quod tamen homo pro sua libertate sibi efficax reddat. Et ista sententia quidquid inducti authores dicant nedum est contra apertam S. Augustini, & S. Thomæ sententiam, nec solùm est minus conformis Scripturæ & Patribus, sed etiam Semipelagianorum fuisse errorem convincunt SS. Prosper & Hilarius Epistolis ad S. Augustinum ut inferiùs notum dabimus. Vnde in hoc sensu non potest dici quod non pertineat ad dogma fidei talis assertio, sed ad disputationes Theologicas. Nam quocumque ex his tribus modis verificatur, quod homo ex sua innata libertate causa est suæ efficacis electionis ad gloriam, & ex consequenti suæ prædestinationis, ut infra agentes de prædestinatione dicemus.

198. Quartus sensus est quod ex auxilio dato ex communi & generali providentia homo bene operatur ante electionem, & prædestinationem suam; ita quod talis electio fiat ex prævisione bonorum operum factorum ex generali auxilio communis providentiæ: & hoc quarto modo si illud auxilium efficax ex Deo operatur, verè faciens hominem facere; jam quod homo faciat opera ad pietatem non erit effectus prædestinationis, sed communis & generalis providentiæ, quod dici nullo modo potest: vel si ponatur illud auxilium commune bonis & malis, prout à Deo venit (quod & videtur significari per communem, & generalem providentiam) in supradictum Pelagianorum errorem relabitur, ut infra agentes de prædestinatione ipsa formali ostendemus.

199. Quintus sensus est, si quis petendat fieri electionem ad gloriam ex prævisione boni operis faciendi ex efficaci auxilio gratiæ, quod ex Deo ipso & non est homine efficax sit, ita quod ante efficacem electionem ad gloriam statuat Deus dare quibus vult efficacia dona gratiæ, efficacia inquam ex Deo ipso, quibus Deus verè & activè propriè faciat hominem benè operari, & ex prævisione absoluta horum meritorum hominem eligat ad gloriam in ratione mercedis dandam ob merita talia. Et hoc ultimo modo ponitur quod illud efficax auxilium Dei ex quo bene operatur homo sit effectus prædestinationis, ita quod prædestinatio in illo incipiat, & in voluntate dandi gloriam propter illa merita terminetur, seu compleatur. Et de isto modo dicendi tantùm eis concedam quod sententia hæc immunis sit à Pelagianorum errore, licet sit falsa, & contra rationem, S. Augustinum, & D. Thomam, & minus scripturis conformis.

200. Est quidem falsa & contra rationem qua communiter Scholastici utuntur, quia ut dicemus inferiùs, communiter docent, id quod vera ratio suadet, efficacem intentionem finis priorem esse in divina mente, imò in quolibet bene providente, efficaci electione mediorum, ipsamque efficacem mediorum volitionem, ex efficaci intentione finis procedere. Cum ergo voluntas dandi efficacem gratiam sit volitio efficax mediorum, præsupponere debet in divina mente efficacem finis intentionem, nempè efficacem electionem ad gloriam. Est etiam ratione facta contra apertam ubique S. Augustini & S. Thomæ sententiam ut ex dicendis fiet manifestum. Quod autem minus conformis

Digitized by Google

mis sit Scripturæ Sacræ patet, quia in ipsa, electio gratuita immediata ad gloriam non obscurè traditur, quod & infra efficacius ostendemus: quam tamen gratuitam electionem immediatam ad gloriam hæc sententia non admittit, cum solùm electionem ad gloriam ponat meritis correspondere & ex meritorum prævisione reddendam, præsciri: esset tamen ut diximus hujusmodi sententia ab errore Pelagianorũ immunis, quia nihil prorsus boni in homine constitueret quod à divina voluntate non esset causatum & verè præordinatum. Et talis electio ad gloriam ex bonis operibus habitis ex efficaci Dei gratia diceretur graruita & gratia, quatenus daretur propter opera habita ex efficacia gratiæ, & sic diceretur gratia pro gratia, & etiam redderetur ex justitia, in quantùm bonis operibus redderetur. Et in isto sensu dicunt aliqui Doctores non esse Pelagianum asserere prædestinationem ad gloriam fieri ex prævisione meritorum ex gratia, ex gratia inquam Dei efficaci, & faciente hominem bene operari.

101. Cæterum ille alius modus qui & nunc fingitur, & antiquitus fingebatur, electionem nempe efficacem ad gloriam fieri ex prævisione innatæ libertatis benè utentis ex se ipsa auxiliis gratiæ & facientis illa efficacia ad salutem (quidquid aliqui modo dicant) fuit olim illorum Pelagianorum, qui & Massilienses sunt appellati, error damnatus. Parique ratione est Semipelagianorum error constituere prædestinationem ex tali præscientia bonorum operum: in quo sensu Catholici Doctores id non dixerunt, nec in hoc sensu potest dici non esse dogma pertinens ad fidem, sed esse opinionem Theologicam. Nec enim Massilienses (ut malè putatur) dixerunt electionem ad gloriam fieri ex prævisione operum merè naturalium sine omni gratia. Hoc enim tribuere eis nihil aliud est, quàm apertam illorum sententiam nolle considerare, quæ totum contrarium apertè affirmat, ut statim monstraturi sumus. Imò nec ipsi Pelagiani primi, nec Pelagius ipse hujus pestiferi dogmatis primus inventor id tenuit, saltem in ultimo suæ pefidæ statu, in quo ut supra *lib. 1. part. 1. tract. 1.* ex ipso retulimus, dicebat gratiam illuminantem esse necessariam ad gloriam; sed illam ex meritis nostris dari, malè contendebat. Non ergo vel posteriores, vel priores Pelagiani dixerunt electionem ad gloriam fieri ex prævisione operum merè naturalium sine omni gratia. Sed quidquid sit de Pelagio, hoc in Semipelagianis est apertissimum, ut patebit statim. Non ergo dicant Semipelagianos affirmasse electionem ad gloriam fieri ex prævisione operum merè naturalium, nec enim ipsi hoc affirmant, nec id Semipelagianis attribui potest: verum est Semipelagianos electionem, seu prædestinationem ad gratiam dixisse fieri ex bonis operibus naturæ omnem gratiam antecedentibus, sicut ex meritis de congruo: id tamen non dixerunt de electione ad gloriam quia hanc ipsi constituerunt ex bono usu innatæ libertatis benè utentis excitatione gratiæ & illam efficacem reddentis. Quod si in hoc sensu dicant ij recentiores constituisse Semipelagianos electionem ad gloriam ex prævisione operum naturalium, quia ex innata libertate tale meritum procedebat, & gratiam sibi debitam faciebat (unde revera non ex gratia sed ex naturæ operibus admittebant electionem ad gloriam, ut 1. libro 1.p.tract. 5. inter explicandum Semipelagianorum errores prænotavimus) si inquam in isto sensu dicunt illos admisisse electionem ad gloriam ex naturæ operibus, nec dissentimus, sed ab hoc nec isti recentiores aliqua ratione differunt, ut ostendemus inferiùs. Vt igitur sine æquivocatione procedamus distinguendum de operibus merè naturalibus & dicendum, quod si sermo fiat de operibus merè naturalibus & antecedentibus omnia dona gratiæ (quamcumque illam Semipelagiani admitterent) ut sic non dixerunt ipsi, nec posuerunt electionem ad gloriam ex prævisione operum merè naturalium. Si autem opera merè naturalia dicatur bonus usus arbitrij pro sua sola libertate naturali utentis bene excitatione gratiæ & in gratia jam reddita ut debita, pro eadem innata libertate perseverantis.

202. In hoc sensu admitti potest Semipelagianos, & qui illorum tenent sententiam, posuisse electionem ad gloriam ex operibus mere naturalibus. Verum est quod sermo absolutè prolatus magis primum sensum importat, quàm hunc secundum.

203. Nec similiter dicant (ut eos dicere in præcedenti cap. ostendimus) Pelagianos tantùm erasse, quia dicebant prædestinationem ad gratiam fieri ex prioribus operibus gratiam antecedentibus, non verò quia dicebant prædestinationem ad gloriam fieri ex prævisione operum faciendorum cum gratia. Non inquam hanc procurent excusationem; quia posteriores illi Pelagiani de utroque vere damnati sunt, & quia prædestinationem ad gloriam constituebant ex præviso bono usu arbitrij reddentis gratiam efficacem, & quia prædestinationem ad gratiam dicebant fieri ex prævisione operum merè naturalium & antecedentium prima dona gratiæ, sicut ex quodam merito de congruo, ut 1. *lib. parte 1. tract. 1. & 5.* explicatum est.

204. Sed dato, & nullo modo concesso, quod Pelagiani solùm errarunt in illo primo, constituendo videlicet prædestinationem ad gratiam ex prævisione operum antecedentium gratiam ipsam. Quomodo non considerant qui hanc excusationem prætendunt, se in idem damnatum incidere, cum dicunt Deum certa lege dare prima dona gratiæ facienti quod in se est ex solis naturæ viribus? Si enim Deus prima gratiæ dona dat intuitu illius operis facti ex solis viribus naturæ, est evidens, quod Deus prædestinavit illam gratiam dari illis operibus, sicut aliquo modo illam ex merito saltem de congruo postulantibus: ergo constituunt & ipsi prædestinationem ad gratiam propter opera mere naturalia gratiam antecedentia.

205. Alia etiam tertia evasio venit præcludenda qua dicunt Pelagianos admisisse fidei initium ex nobis, posita tantùm Evangelij prædicatione externa, quod tamen ipsi non dicunt. Precluditur ergo hæc evasio Primò, quia licet & hoc ipsis gratis demus, videant quàm in multis aliis cum ipsis conveniant ut aperiemus statim. Secundò quia secundum S. Augustinum *Epist. 107. ad vitalem in princ. & quæst 2. ad Simplic.* & expressiùs *lib. de gratia Christi contra Pelag. & Celest.* Illæ interiores revelationes & excitationes ad fidem quæ non faciunt hominem credere, sed tantum præcisè alliciunt, invitant & excitant solùm ad credendum, non recedunt à lege atque doctrina, & ex consequenti qui illas admittunt supra purè exteriorem legem atque doctrinam, non putent se per hoc ab illis distinguere, qui tantùm circa actũ credendi, exteriorem admittebant prædicationem. Quod autem interior illa excitatio revelans tantum non recedat à lege atque doctrina copiosè ostendimus supra *lib. 1. part. 1. tract. 1.* in principio inter errores Pelagij: unde nec per hoc recentiores recedunt à lege atque doctrina seu prædicatione exteriori, quam Pelagiani concedebant.

206. Dixi illam puram excitationem non recedere à lege atque doctrina, quia excitatio quæ inducit effectum & dat vires animæ efficacissimas, jam includit efficax adjutorium & est efficax gratia, ut suo loco dicemus apertè: similiter excitatio quæ dat vires animæ quibus possit bene operari, etiam vera est gratia dans verum posse, recedens proinde à lege, atque doctrina. At vero pura excitatio moralis seu objectiva quæ vires animæ non dat, sed præcise excitat ex parte objecti

Digitized by Google

objecti ut anima viribus ſuis operetur, ſicut qui excitat dormientem ut pedibus ſuis fugiat, hæc eſt de qua S. Auguſtinus dixit quod non recedit à lege atque Doctrina: quæ omnia infra lib. 4. copioſius ſunt explicanda.

207. Tertiò quia qui hanc ſibi parant excuſationem & illud tenentur advertere, quòd & ipſi reipſa convincuntur initium fidei in nobis ex nobis conſtituere, cum affirmant poſſe hominem ſolis naturæ viribus aſſentiri revelatis omnibus propoſitis & explicatis, tanquam à Deo revelatis, & quia revelata ſunt. Quod ſine dubio convincitur apertè eſſe initium fidei, ut libro tertio fiet manifeſtum, licet verbis dumtaxat purè exterioribus id negent, ſed ut S. Auguſtinus dicit contra Pelagianos *cap.* 34. minus ſe excuſant, cum res à nobis non ſola verba quærantur. Vnde ad ſummum hæc erit inter utroſque differentia, quòd illi & re & verbis initium fidei nobis ex nobis tribuebant, iſti autem id quidem re dicunt, ſed verbis tantùm id negant.

208. Concludendum eſt ergo nec Semipelagianos conſtituiſſe electionem ad gloriam ex operibus merè naturalibus & antecedentibus omnia dona gratiæ, nec etiam Recentiores cum quibus diſputamus. Concludendum utroſque conſtituiſſe prædeſtinationem ad gratiam intuitu bonorum operum merè naturalium, ut modo incepimus inſinuare, probandum tamen apertiùs in tertio hujus operis libro.

209. Concludendum etiam utroſque reipſa conſtituere initium fidei ex nobis, quod modò etiam ſupponitur, citato nunc loco efficaciter comprobandum. Vnde ad præſens ſecundum quod noſtrum præſens inſtitutum poſtulat, illud aperiemus quod electio efficax ad gloriam non fiat ex prævisione operum faciendorum ex libero arbitio & gratia, ideſt non fieri ex prævisione innatæ noſtræ libertatis bene utentis ex ſe gratia ipſa. Circa quod id primò & principaliter oſtendere inuendimus hanc fuiſſe damnatam olim Pelagianorum ſententiam. Et procedit diſputatio non ſolum de prævisione abſoluta talium meritorum, ſed etiam de illa conditionata, quia quæcumque admittatur, convincitur non fieri efficax electio ad gloriam ex firmo Dei propoſito, ſed ex merito noſtro.

CAPUT XXII.

Error Semipelagianorum fuit, quod efficax electio ad gloriam ſit ex prævisione creatæ libertatis benè ex ſe utentis adjutorio gratiæ.

210. QVI attentiùs conſideraverit Pelagianorum errores, facilè deprehendet ipſorum fundamentalem errorem fuiſſe, efficacem electionem prædeſtinatorum ad gloriam non fieri ſecundum abſolutum omnino propoſitum voluntatis divinæ independenter in ſua efficacia à voluntate creata, ſed fieri cum dependentia à voluntate ipſorum ſalvandorum, & à prævisione innatæ libertatis benè vtentis ex ſeipſa adjutorio gratiæ. Contendebant enim quod ex abſoluto propoſito Dei eligentis ad gloriam ante talem prævisionem tollebatur prædeſtinatorum libertas, quod inconveniens ut vitarent, efficacem electionem ad gloriam conſtituebant pendentem, & quaſi ſuſpenſam quouſque prævideret Deus quid innata libertas prædeſtinatorum factura eſſet cum auxiliis gratiæ, illa reddendo pro innata ſua libertate, vel efficacia vel inefficacia ad gloriam. Hunc enim fuiſſe Pelagianorum fundamentalem errorem refert in terminis S. Proſper *epiſt. ad S. Auguſtinum.* Ita de illis poſterioribus Pelagianis ſcribens: *Hæc enim ipſorum definitio ac profeſſio eſt omnem quidem hominem Adam peccante, peccaſſe, & neminem per opera ſua ſed per Dei gratiam regeneratione ſalvari. Univerſis tamen hominibus propitiationem quæ eſt in Sacramento Sanguinis Chriſti ſine exceptione eſſe propoſitam, ut quicumque ad fidem & baptiſmum accedere voluerint ſalvi eſſe poſſint, qui autem credituri ſunt quive in ea fide qua cœperint per Dei gratiam invandi manſuri ſunt, præſciiſſe ante mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in Regnum ſuum, quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hac vita bono ſine exceſſuros eſſe, præviderit.* Ecce apertè conſtituebant Pelagiani electionem & prædeſtinationem ad Regnum & gloriam ex prævisione innatæ libertatis benè utentis adjutorio gratiæ Quod clariùs explicat atque confirmat idem Sanctus epiſt. eadem propè finem, ſic dicens: *Illud etiam qualiter diluatur quæſumus patienter inſipientiam noſtram ferendo demonſtres. Quod retractatis priorum de hac re opinionibus penè omnium par inventur & una ſententia, qua propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam receperunt; & ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuſcujuſque præviderit, & ſub ipſo gratiæ adjutorio, in qua futurus eſſet voluntate & actione, præſcierit.* Apertiſſimum eſt ergo Pelagianos illos electionem ad regnum, & gloriam conſtituiſſe dependentem ex præſcientia innatæ libertatis benè operantis ſub adjutorio gratiæ, & benè utentis ex ſeipſa tali adjutorio gratiæ, & reddentis illud ex ſua libertate efficax, ut ſic dignè eligeretur ad gloriam.

211. Quod autem negarent electionem efficacem ad gloriam fieri ſecundum abſolutum Dei propoſitum independens in ſua efficacia à voluntate creata, refert etiam in terminis idem Sanctus Proſper eadem Epiſtola, cum dicit: *Hoc autem propoſitum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipſa conditione generis humani eligendorum & rejiciendorum, dicitur facta diſcretio, ut ſecundum quod placuit Creatori, alij vaſa honoris alij vaſa contumeliæ ſint creati, & lapſis curam reſurgendi adimere, & Sanctis occaſionem torporis afferre, eo quod in utramque partem ſuperfluus labor ſit, ſi nec rejectus ulla induſtria poſſit intrare: nec electus ulla negligentia poſſit excidere. Quoque enim modo ſe egerint non poſſe aliud erga eos, quàm Deus definivit accidere: & ſub incerta ſpe curſum non poſſe eſſe conſtantem: cum ſi aliud habeat prædeſtinantis electio cauſa ſit adnitentis intentio. Removeri itaque omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates, & ſub hoc prædeſtinationis nomine, fatalem quandam induci neceſſitatem.* Quibus verbis apertè declarat hunc fuiſſe Pelagianorum errorem, negare videlicet divinum propoſitum, divinam conſtitutionem, & divinam definitionem efficacis electionis ad gloriam fieri ex abſoluta omnino Dei voluntate, nempe ſecundum quod creatori placuit.

212. Præterea quod negarent Pelagiani efficacem electionem ad regnum & gloriam fieri ſecundum Dei abſolutum propoſitum, expreſsè iterum refert S. Proſper citata epiſtola, dum inter alia de quibus à S. Auguſtino edoceri deſiderat, illud eſt unum quod ſub his verbis proponit, *Poſtremo quomodo per hanc prædicationem propoſiti Dei, quo fideles fiunt, qui præordinati ſunt ad vitam æternam, nemo eorum qui cohortandi ſunt, impediatur.* Quod propterea dicit, quia Pelagiani id imponebant Catholicis, quod videlicet per efficacem electionem ad gloriam ſecundum abſolutum Dei propoſitum, & ante prævisionem innatæ libertatis, tollebatur libertas. Manifeſtum eſt ergo & luce clarius manifeſtum, negaſſe Pelagianos electionem ad gloriam ante prævisionem

Digitized by Google

visionem innatæ libertatis ; unde & illud est mirandum quòd adhuc ista tam clara non advertant qui (ut se excusent) dicunt, non fuisse controversiam inter Catholicos, & Pelagianos de prædestinatione ad gloriam ante, vel post prævisionem operum faciendorum ex libero arbitrio & gratia ; sed tantùm quæstionem fuisse de prædestinatione ad gratiam, cum verba modò relata sæpiusque à S. Prospero repetita expresè dicant, quæstionem etiam fuisse de prædestinatione ad regnum & gloriam.

213. Insuper S. Augustinus ubique docet quæstionem fuisse cum Pelagianis de prædestinatione ad Regnum & gloriam ante præscientiam operum, vel post ipsorum præscientiam, ut apertè constat lib. de prædest. Sanct. *cap.* 19. *lib. de dono persev. cap.* 22. *lib. de corr. & grat. cap.* 7. *lib.* 5. *contra Iulian. cap.* 3. *& alibi sæpè.* Quæ loca infra agentes quomodo electio efficax ad gloriam non fiat ex præscientia meritorum commodiùs inducentur. Nunc autem id supponatur ut apertissimum, S. Augustinum contra Pelagianos efficaciter concluisse, efficacem electionem ad gloriam non fieri ex illa meritorum præscientia, sicut ipsi affirmabant.

214. Ampliùs hoc ipsum demonstrant Fausti Semipelagiani Reghiensis Episcopi verba & scripta. Nam *lib.* 1. *de gratia & humanæ mentis arbitrio cap.* 6. exponens illud Apostoli (*non ex operibus*, dicit ibi negari opera legis, non opera quæ fiunt comitante gratia, ex quibus dicit Deum salvare & ad gloriam eligere, & *lib.* 2. *cap.* 3. sic dicit : *Præscientia gerenda prænoscit, post modum prædestinatio retribuenda describit. Illa prævidet merita, hæc præordinat præmia. Præscientia ad potentiam, prædestinatio ad justitiam pertinet, ac sic nisi præscientia exploraverit, Prædestinatio nihil decernit.* Quibus verbis apertè de prædestinatione præmiante per gloriam loquitur, dicens quòd prædestinatio ad glotiam nihil decernit tribuendum, nisi præcesserit priùs in Deo illa præscientia exploratrix nostræ innatæ libertatis benè utentis ex se adjutorio gratiæ.

215. Videatur idem Faustus 1. *lib. cap.* 9. ait enim. *Nec enim in unam partem trahit prædestinatio*, Et *cap.* 11. *Igitur dum liberi interemptor arbitrij in alterutram partem omnia ex prædestinatione statuta & diffinita esse pronuntiat, etiam suprema remedia pœnitentiæ sensu abruptæ impietatis evacuat.* Quibus certam prædestinationem & electionem ad gloriam ex firmo Dei proposito negat. Et eodem lib. 1. cap. 4. *Si ergo unus ad vitam, alter ad perditionem* (ut asserunt) *deputatus est sicut quidam Sanctorum dixit*) *non iudicandi nascimur, sed judicati.* Vbi prædestinationem ad vitam quam agnoscit ponere Sanct. Pater Augustinum ex firmo Dei proposito negat, ei imponens quòd simili modo statuat prædestinationem ad mortem, quod longè à sententia S. Patris Augustini est alienum, ut infra monstrabimus.

216. Sanctus etiam Prosper de eodem Fausto & sequacibus ita refert Epistola ad Rufinum. *Ab hac confessione gratiæ Dei, ideo quidam resiliunt, ne cum jam talem confessi fuerint, qualis divino eloquio prædicatur, & qualis opere suæ potestatis agnoscitur, etiam hoc necesse habeant confiteri, quod ex omni numero hominum per sæcula cuncta natorum, certus apud Deum, definitusque sit numerus prædestinati in vitam æternam populi, & secundum propositum Dei vocantis electi. Quod quidem tam impium est negare, quam ipsi gratiæ contraire.*

217. Eodem modo S. Fulgentius *lib.* 1. *ad Monimum cap. ultimo, & lib. de Incarn. & grat. Christi cap. ultimo*, postquam electionem ad gloriam ex mente S.P. Augustini secundum firmum Dei propositum statuit ita conducit. *Cujus prædestinationis veritatem quæ nos ante mundi constitutionem, prædestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detractat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante ultimum diem vitæ præsentis, impietatis suæ contumaciam, qua Deo vivo & verò rebellis exisit, non abjecerit, manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem, gratis elegit & prædestinavit ad regnum.* Vbi apertissimè gratuitam electionem ad regnum statuit, ac proinde ante illam quæ est post meritorum prævisionem. Igitur negabant Semipelagiani adversus quos ista S. Fulgentius dictabat, certam gratuitam electionem ad regnum, & solam admittebant quæ est pro innatæ libertatis præscientia benè ex se utentis auxiliis gratiæ, ut ex omnibus relatis fit manifestum.

Vnde meritò Lovanienſis schola hanc eandem examinans propositionem, quod videlicet electio ad gloriam efficax non fiat ante prævisionem usus liberi arbitrij & gratiæ, ex quodam testimonio Sancti Augustini *ex Enchirid. cap.* 38. concludit electionem ad gloriam fieri ante talem operum prævisionem, addens & hæc verba. *Quibus verbis declarat* (S. Augustinus videlicet) *electionem Iacob non solum non fuisse ex operum præscientia, quæ fiunt ex libero arbitrio & legis cognitione, quemadmodum illudere hunc locum conatus est Faustus ; sed nec ex præscientia quidem bonorum operum, quæ facit gratia.* Consentit & alia insignis Duacensis Academia ut infra commodius ostendam. Circa quos libros Fausti oportet advertere id quod supra 1. *hujus operis libro part.* 1. *tract.* 5. prænotavimus, illos videlicet eosdem libros esse, quos sicut Pelagianos & contra divinam gratiam & prædestinationem editos Ecclesia sæpius damnavit. Sanctus etiam Thomas 1. *part. quæst.* 23. *art.* 5. post relatam Origenis sententiam & Pelagianorum ; Semipelagianorum opinionem statuit dicens (suppresso illorum nomine, *Vnde fuerunt alij qui dixerunt quòd merita sequentia prædestinationis effectum, sunt ratio prædestinationis : ut intelligatur quòd ideo Deus dat gratiam alicui, & præordinavit se ei daturum, quia præscivit eum benè usurum gratia : sicut si Rex daret alicui militi Equum quem scit eo benè usurum. Sed isti videntur distinxisse inter id quod est ex gratia, & id quod est ex libero arbitrio, quasi non possit esse idem ex utroque ; manifestum est autem, quod id quod est ex gratia est prædestinationis effectus, & hoc non potest poni ut ratio prædestinationis, cum hoc sub prædestinatione concludatur. Si igitur aliquid aliud ex parte nostra sit ratio prædestinationis, hoc erit præter effectum prædestinationis. Non est autem distinctum quod est ex libero arbitrio, & ex prædestinatione ; sicut nec est distinctum quod est ex causa secunda, & ex causa prima. Divina enim Providentia producit effectus per operationes causarum secundarum, ut supra dictum est. Vnde & id quod est per liberum arbitrium est ex prædestinatione.* Idem refert supra cap. 15. Ioannis ad illa verba *non vos me elegistis sed ego elegi vos*, dicens. *Alij autem dicunt* (nempe Semipelagiani) *quòd verum est, quòd merita in actu existentia non sunt causa prædestinationis, sed præexistentia in præscientia Dei, dicentes, quòd quia Deus scivit aliquos bonos futuros, & benè usuros gratia, ideò proposuit eis gratiam se daturum.* Quam sententiam, sicut & 1. *part.* loco citato, ita ibi clarè expugnat.

218. Deinde id convincenti ratione probatur, hunc fuisse Semipelagianorum fundamentalem errorem negare efficacem electionem ad gloriam ante illorum operum prævisionem. Finis enim illorum hic fuit, constituere electionem efficacem ad gloriam pendentem & quasi suspensam ab innata ho-

Digitized by Google

minis libertate benè utente ex se gratia, ita quòd efficax electio ad gloriam à prævisione innatæ, libertatis penderet bene utentis gratiæ adjutorio: & propterea dicebant electionem certam aliquorum ad gloriam non fieri ex absoluto Dei proposito ante talem operum prævisionem. Manifestum est ergo illos erasse constituendo talem electionem ad gloriam sic pendentem ab humana libertate,& à bono usu, quo benè uteretur gratia.

219. Vltimò gratis omnino admitto, quod sancti Doctores contra Pelagianos expressè tantùm loquerentur de prædestinatione ad gratiam absque operibus: implicitè tamen docerent sine dubio electionem ad gloriam fieri etiam ante operum prævisionem. Quia prædestinatio ad gratiam sine operibus sicut ex prima radice ex efficaci electione ad gloriam sine operibus originaliter provenit, ut infra clarè ostendemus. Concludendum est ergo inter alios errores & hunc sicut fundamentalem habuisse Pelagianos,quod electio efficax ad gloriam non fiat ante operum faciendorum cum gratia prævisionem, ne læderetur libertas; sed post scientiam boni usus innatæ libertatis benè utentis ex se ipsa adjutorio gratiæ. Vnde audiendi non sunt, qui tam manifestam veritatem volunt obscurare, ut suam sententiam faciant à Pelagianorum errore diversam.

220. Tria ergo in summa, ut ex dictis constat, dicebant Pelagiani. Primò Deum non eligere ad gloriam efficaciter ex absoluta sua libertate independenter ab arbitrio creato. Secundo, quod si taliter eligeret, tolleretur libertas & fatalis induceretur necessitas. Tertio, quod talis efficax electio erat constituenda cum dependentia à voluntate creata,& cum prævisione boni usus arbitrij benè utentis gratia, & in illa usque ad finem vitæ pro sua innata libertate perseverantis.

CAPUT XXIII.

Quod idem omnino dicant Recentiores.

221. IN his tribus fundamentis recentiores convenire ostendimus supra,sed nimis breviter. Nunc copiosiùs venit explicandum,potissimè ex Ludovico Molina. Iste enim Author *quæst. 23. in Concord. art.4.& 5. dispu.1.memb.6.§.multi.* Refert & damnat sententiam multorum qui ante ullam præscientiam usus liberi arbitrij, etiam ex hypothesi futuri, atque ad eo nulla omnino habita ratione talis usus, dicunt Deum elegisse ad gloriam quos voluit. Verba ipsius sunt hæc, modo relata. Igitur apertissimum est ipsum negare electionem prædestinatorum ad gloriam esse omnino absolatam in Deo, & independentem à præviso usu humanæ voluntatis sub conditione futuro, & præviso per illam suam mediam scientiam: utiturque eisdem verbis quibus illi antiquiores, dum ait se negare Deum elegisse ante talem præscientiam aliquos, quos voluit ad gloriam. Pelagiani enim negabant talem electionem qua Deus quosdam elegit ad gloriam secundum quod voluit & placuit creatori. Similiter idem Author in terminis convenit cum illis in illo secundo modò relato, quòd videlicet ex tali electione absoluta omnino ad gloriam ante illam præscientiam boni usus arbitrij tollatur libertas, & fatalis quædam inducatur necessitas. Quod & sicut suæ sententiæ fundamentum, sæpius repetit, sed expressiùs, & formaliùs in prædicta Concordia *quæst.23.art.4. & 5.disp.1. memb.12.§. Illud addamus*, cujus & verba sunt: *Illud addamus. Posita necessitate boni usus liberi arbitrij prædestinati, effectusque prædestinationis, ac singularium partium illius per comparationem ad solam liberam voluntatem Dei, qua tali adulto eo pacto ex æternitate opitulari statuit secluſa præscientia, qualiter arbitrium pro sua libertate deberet se determinare; nos non intelligere qua ratione ejus sententiæ assertores evadere possint fatalem necessitatem in eo effectu, humanæque libertatis eversionem.* Hæc ille. Mirum præfecto erat si Author iste non solùm illorum sententiam in forma, & substantia teneret, nisi etiam ipsorum propriis verbis uteretur.

222. Quod autem etiam ipse constituat talem prædestinatorum electionem pendentẽ à voluntate creata per illam mediã scientiam,constat apertè ex omni ejus doctrina, sed in particulari *ex quæst. 19. in Concordia art.6.disp.1.§.ex his constat.* Cujus verba sunt. *Ex his constat in Deo optimo maximo constituendam esse volitionem, tum bonitate ac pietate ipsius dignissimam, tum libero arbitrio creato propriã qua,ad præmij Palmam eos perducere cõstituebat ex æternitate & voluerit salvos fieri sempiternamque vitam, mediaque ad eum finem necessaria conferre, sub conditione tamen si per ipsos, aut primum parentem non staret.* Ecce apertis verbis constituit electionem prædestinatorum ad gloriam non esse omnino absolutam, sed dependentem ab humana voluntate, quam dependentiam illa conditio ab eo apposita satis clarè manifestat. *Et in §. sciendum est*, mediate antecedenti sic dicit. *Ex voluntate namque Dei, ut si per ipsos non steterit illam assequantur, dicuntur conditi in sempiternam beatitudinem.* Et consequenter loquendo *eadem quæst. 19. disp. 2.* distinguit duplicem Dei voluntatem absolutam de hominis operatione pertinente ad salutem, aliam omnino absolutam & independentem à creata voluntate, quæ ejus lædit libertatem: aliam cum dependentia à creata voluntate, quæ includit semper illam conditionem, si illa creata voluntas operari voluerit, quam dicit servare libertatem. Igitur manifestum est prædictum Authorem in omnibus illis tribus relatis fundamentis apertissimè, & terminis ipsis cum Pelagianis convenire, ex quibus totam suam consequenter deducit doctrinam.

223. Dices Pelagianos constituisse electionem ad gloriam ex prævisione absoluta boni usus arbitrij & gratiæ, non verò Molinam.

Ad hoc dicendum quòd gratis admisso quòd ipse tantùm constituit efficacem electionem ad gloriam ex præscientia illa conditionata,non absoluta: in substantia tamen cum Pelagienis convenit. Quia sive supponatur præscientia absoluta sive tantum conditionata (ut sæpe diximus) idem semper sequitur inconveniens, quod videlicet efficax electio ad gloriam non fiat ex absoluto Dei proposito, sed dependenter in sua efficacia ab innata hominis liberrate cognita illam præscientiam conditionatam. Quod semper notandum adversus omnes recentiores, qui in defendenda illa media scientia ante electionem ad gloriam, uniformiter conveniunt. Sed illud verum est Ludovicum Molinam sicut & Gabr. Vasquez electionem efficacem ad gloriam non constituere nisi ex absoluta operum prævisione, ut à principio hujus materiæ prænotavimus & exipsorum testimoniis relatis *lib.1.part.1.tract.6.* fit manifestum, quæ propterea repetenda non sunt sed ibi legenda attenteque consideranda circa hanc decimã octavã ipsorum propositionem. Sed omnium clarissimè & patentissimè id ultimò patefecit & diffusè statuit Leonardus Lessius citato libro, secundum illam absolutam meritorum prævisionem, prædestinationem constituens. Qui est omnium finis intentus, & cooperiorium scientiæ mediæ de medio auferens.

224. Insuper sententia hæc apertè constituit certam electionem ad gloriam pendere à bono usu liberi arbitrij

Digitized by Google

arbitrij, constituit Deum expectare ut certò eligat: constituit etiam manere illam electionem efficacem quasi suspensam à bono hominis usu, quem non facit gratia, sed innata libertas: ergo hæc sententia ab illa alia antiquorum relata non discedit. Probatur nam isti Authores dicunt hominem ex se bene uti gratia, & in illa ex se bene perseverare: ergo si eligitur ad gloriam ex prævisione illius boni usus, absque dubio ab homine bene ex se utente gratia, dependet certa electio ad gloriam: nam electio ad gloriam, secundum ipsos fit ex bono usu gratiæ & perseverantiæ in ipsa; sed quod homo bene utatur gratia, & in illa perseveret non est ab ipsa gratia, sed ab ipso arbitrio, ut Recentiores fatentur: ergo quòd homo ad gloriam certò eligatur, pendet ex eo quod ipse homo ex se facturus est, non autem ex eo quod Deus facturus est ut ipse faciat: ergo talis electio ad gloriam ex operibus hominis, & non ex gratia divina fit, ut antiqui illi relati malè constituebant. Unde sicut *libro 1. part. 1. tract. 5.* explicantes errores Semipelagianorum diximus, & in isto libro supra, ista sententia recentiorum ipsam electionem ad gloriam constituit ex operibus merè naturalibus fieri, si opera merè naturalia dicantur boni usus arbitrij bene ex sua innata libertate utentis donis gratiæ, & in eis pro eadem sua innata libertate usque in finem vitæ perseverantis. In eodem enim sensu in quo verificatur quod Semipelagiani electionem ad gloriam ex operibus naturæ constituebant, in eodem adæquatè hæc Molinæ sententia admittit, idemque omnino, quia ejus sententia eadem planè cum illorum sententia est.

225. Explicatur hoc magis, nam ideo Semipelagiani negabant prædestinationem sive electionem certam ad gloriam fieri ante operum prævisionem faciendorum simul cum gratia, ut sic constituerent pendentem & suspensam prædestinationem in gloriam à bono usu liberi arbitrij sua innata libertate volentis bene uti gratia; hic enim erat illorum finis hæc intentio, ut jam declaravimus: sed istum eundem finem eandemque intentionem manifestant ij Authores, constituentes electionem ad gloriam pendentem, & suspensam à bono usu liberi arbitrij: ergo sententia ista ab illa priori, nec verbis, nec intentione discedit. Sed jam ad expugnandam hanc eorum sententiam accedamus.

CAPUT XXIV.

Ex divina Scriptura ostenditur quòd detur efficax, & immediata electio ad gloriam merè gratuitè ante prævisionem operum faciendorum cum gratia.

226. QUOD electio efficax & immediata in ratione doni gratuiti ad gloriam ante omnem fiat operum prævisionem, præter supradicta, multa divinæ Scripturæ confirmant testimonia, quæ manifestè prædicant certam electionem ad gloriam merè gratuito à Deo fieri ante omnem meritorum præscientiam. Quamvis autem inducenda testimonia præcipuè contra absolutam meritorum prævisionem militent: non tamen dubium quin etiam illam conditionatam præscientiam excludant, quæ ponitur antecedere efficacem electionem ad gloriam, de qua tamen in particulari infra in materia de prædestinatione tractabimus.

227. Itaque dicimus primũ actum voluntatis divinæ circa salvandos homines fuisse dilectionem qua eos dilexit, deinde electionem qua eos elegit ad gloriam voluntate absoluta & efficaci, sed merè gratuito & absque aliqua meritorum prævisione. Hoc enim primo docet Apostolus *in cap. 9. ad Rom.* sic enim ait. *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Ideſt quæ præordinavit in gloriam. Vbi certam præparationem & electionem in gloriam dicit fieri merè gratuito & absque operibus, ex gratia videlicet atque misericordia. Nam si electio ad gloriam fieret ex prævisis operibus faciendis cum gratia, ut Recentiores constituunt, jam non fieret talis electio merè gratuito, neque poterat ab Apostolo vocari divitiæ gratiæ, & misericordiæ: imo jam ad justitiam pertineret sicut idẽ Apostolus alibi eam vocat coronam justitiæ.

228. Explicatur hoc magis, & ex contextu Apostoli comprobatur præmiserat enim verba illa *Antequam aliquid boni, vel mali egissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori. Sicut scriptum est Jacob dilexi Esaü autem odio habui.* Vbi Apostolus manifestè agens de prædestinatione eam expressit per dilectionem, & electionem quæ rationis ordine ipsam formalem prædestinationem antecedunt, sicut finis prævolitio antecedit volitionem mediorum: & hanc dilectionem & electionem constituit sine operibus, vel factis, vel prævisis, quia omnia opera negat: ergo loquitur de gratuita dilectione & electione ad gloriam in ratione finis. Nam illa quæ est electio ad gloriam quoad exequutionem, secundum veritatem meritorum supponit prævisionem. Item quia agit de prima radice prædestinationis, & sic agit de dilectione & electione quæ est immediata ad gloriam, & hanc congruentissimè postea explicat per vasa misericordiæ præparata ad gloriam. Quasi clarius dicat, illa dilectio & electio quæ est sine operibus prævisis, qua Deus homines diligit & eligit, est opus gratiæ & misericordiæ præparantis eos ad gloriam. An non tolleretur omnino gratuita misericordia si jam ex operibus homines eligerentur ad gloriam? Et non quomodolicet ex operibus, sed ex bono usu liberi arbitrij bene utentis ex se gratia, cum ille bonus usus non habeatur ex gratia, ut diximus supra.

229. Præterea idem Apostolus *in cap. 11.* dicit reliquias secundum electionem gratiæ salvas fieri. Vbi electionem ad salutem & gloriam dicit esse opus gratiæ, non opus liberi arbitrij bene pro sua innata libertate utentis auxiliis gratiæ & illa reddentis efficacia ad gloriam.

230. Insuper sicut modò diximus cum Apostolus dicit. *Non ex operibus sed ex vocante &c.* Manifestè negat electionem prædestinatorum ad gloriam fieri ex operibus liberi arbitrij bene utentis ex se gratia. Quod magis explicat cum subdit, *Antequam quidquã boni, vel mali egissent, Jacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Quis enim non videat apertè prædicari ab Apostolo dilectionem & electionem prædestinatorum ad gloriam, fieri ante omne opus bonum, & antequam qaidquam boni agat homo, sive ex libero arbitrio solùm, sive ex libero arbitrio bene ex sua innata libertate utente donis gratiæ, ut dignus reddatur gloria?

231. Idem mirificè confirmat illud ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prædestinavit nos &c. secundum propositum voluntatis suæ.* Quòd enim Apostolus ibi loquatur de absoluta & efficaci electione & prædestinatione, ex illo verbo *elegit* satis constat, quod sonat particularem aliquorum præ aliis acceptationem: & ex illo verbo *prædestinavit*, quod etiam aliquorum singularem, & efficacem præordinationem importat. Ac denique id clariùs manifestat illud verbum *secun-*

Digitized by Google

dum propositum voluntatis suæ, Estque ea communis omnium Interpretum intelligentia.

232. Rursus quòd loquatur de electione merè liberali quæ antecedat præscientiam futurorum meritorum concludit S.P. Augustinus *lib. de prad. Sanct. c. p.* 18. *&* 19. ex illo verbo, *ut essemus Sancti &c. Non inquit, quia futuri eramus Sancti, sed ut essemus.* Quia illa particula *(ut)* denotat terminum seu finem, & consequenter effectum illius electionis, non causam aut rationem illius, sive meritoriam seu dispositivam, ut verba testantur: ergo elegit nos Deus ad gloriam, ut ex hac electione sequeretur, quòd essemus Sancti, tam per gratiam imperfectam in via, quàm per consummatam in Patria. Igitur utraque ista sanctitas, effectus est illius primæ electionis ad gloriam: ergo est illa omnino posterior: ergo nulla talis Sanctitas potest præcedere illam electionem ad gloriam: ergo nec potest esse prævisa ante illam electionem; sed potiùs ipsa electio ad gloriam antecedit omnem talem sanctitatem, omnia merita ex illa promanantia, & omnem in universum meritorum prævisionem.

233. Similiter, quod ibi loquatur de electione ad gloriam patet. Primò quia loquitur de sanctitate perfecta, quæ non separatur à gloria *Ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus.* Præterea quia Apostolus non loquitur de quacumque electione ad gratiam temporalem, quia hæc non semper habet prædestinationem adjunctam, quam tamen ibi Paulus conjungit: loquitur ergo de Sanctitate consummata quæ est per gloriam. Quod si dicant loqui de gratia finaliter perseverante, stare non potest, quod ista detur à Deo sine prævia aliqua arbitrij cooperatione: cum ergo ut dictum est loquatur Apostolus de electione quæ antecedit omnem prævisionem meritorum, non loquitur de gratia perseverante. Illa enim verba ad Rom. 9. *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui.* hoc manifestant; quia loquitur de conformitate quam debebant habere sancti, nedum in gratia, sed potissimè in gloria quæ est perfecta conformitas.

234. Ad idē facit ille alius in Actibus Apostolorum locus cap. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternā.* Quo loco apertè significatur præordinationem seu electionem ad vitam æternam, donandæ fidei causam extitisse, ut ideo crederent, quia ad vitam æternam jam prædestinati erant. Non enim ait: & præordinati sunt ad vitam, quotquot crediderunt, ut intelligeretur præscientiam de fide priorem esse vitæ æternæ præordinatione; sed è converso dicitur credidisse eos, qui præordinati erant ad vitam æternam, ut intelligamus non ex præscientia fidei, vel aliorum bonorum operum ex fide & gratia procedentium, esse vitæ æternæ præordinationem & electionem: sed potiùs ipsam vitæ æternæ præordinationem priorem esse præscientiâ fidei, & meritorū, & ipsorum causam existere.

235. Præterea Lucæ 12. apertè monstratur electionem ad regnum, & gloriam merè gratuitam. Dicitur enim *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*, ubi verbum *(complacuit)* divinam misericordiam in eligendo ad regnum, non autem justitiam demonstrat. Idem declarat illud Matth. 24. *Nisi breviati essent dies illi non fieret salva omnes caro, sed propter electos breviabuntur.* Et Marci 13. additur quædam reduplicatio in hunc modum. *Sed propter electos, quos elegit breviabuntur.* Quia ergo electi sunt, ideo dicit quòd ab eis removentur impedimenta salutis, & providetur eis de mediis ut illam consequantur. Hæc autem electio non potest esse, nisi electio ad gloriam. Simile est illud Joan. 10. *Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum & non rapiet eos quisquam de manu mea.* Vbi de omnibus electis ad æterna pascua, dicit, quòd ideo non peribunt, & ideo non rapiet eos quisquam de manu sua, quia videlicet eis vitam æternam dedit per æternam electionem: ac si clarius dicatur, quia oves illæ electæ sunt ad æternam vitam, ideo non peribunt, neque aliquis eas rapiet de manu Christi. Notanda sunt illa verba, *Non rapiet eas quisquam de manu mea.* Non dicit de præscientia mea, vel de manu arbitrij ejus à me prævisi, sed de manu mea, per quæ effectivam efficaciam ostendit, & quòd manu potentiæ suæ illas oues tenet & servat, faciens verè propriè manu sua ut illæ bene operentur, & manu sua illas dirigens benè usque in finem.

236. Accedit & illud Joan. 13. *Non de omnibus vobis dico, ego scia quos elegerim*, & 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, Quæ verba de electione ad gloriam S. P. Augustinus sæpe exponit, præsertim *tract. 86. in Joan.* Et hanc electionem ad gloriam non fieri ex prævisione boni usus arbitrij utentis bene gratia apertè docet Christus dicens, *Non vos me elegistis.* Aliàs ipsi illum eligerent bene utendo gratia, ut ab illo eligi mererentur ad gloriam.

237. Hoc ipsum illud *Psalmi* 17. declarat. *Salvum me fecit, quoniam voluit me*, Quæ causalis indicat quòd illa prima Dei dilectio & electio ad gloriam, causa est omnium quæ Deus confert Sanctis, ut salventur Et ad hunc sensum dicit Ecclesia *Deus cui soli cognitus est numerus electorum in æterna felicitate locandus* Vbi significatur quod non dicuntur simpliciter & absolutè electi, nisi qui ad æternam fælicitatem eliguntur. Item illud. *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.*

238. Alia plura similia loca ob brevitatem omittuntur, quibus Scriptura non obscurè manifestat electionem ad Regnum & gloriam gratuitò fieri ante omnem operum prævisionem, imò causam cujuslibet boni operis existere.

239. Ex quibus omnibus Scripturæ testimoniis tale formatur argumentum. Scriptura sacra docet prædestinationem & electionem ad gloriam ex sola fieri misericordia & gratia: ergo non docet fieri ex prævisione innatæ libertatis bene utentis ex seipsa donis gratiæ. Patet consequentia, quia si sic fieret, jam ex humano merito fieret, & non quomodocunque, sed ex merito innatæ libertatis bene utentis gratia, ut dignè eligatur ad gloriam.

CAPUT XXV.

Supradictorum Scripturæ sacræ testimoniorum falsæ interpretationes præcluduntur.

240. QVIA tota substantia hujus doctrinæ in præcitatis testimoniis continetur, laborant authores cum quibus agimus, ea ad suum sensum inflectere, sinistris explicationibus exponendo. Vnde primum illud ex Apostoli Epistola ad Rom. 9. quod fundamentale est pro ista doctrina, exponit Leonardus Lessius explicationibus quatuor. Prima est quòd per illa verba *non ex operibus*, solùm excludatur opera facta, non autem prævisa. Secunda quod non procedant de electione immediata ad gloriam, sed ad gratiam justificantem. Tertia quia, (ut inquit) alij melius exponunt de electione ad beneficia hujus vitæ partim temporalia partim spiritualia. Quarta quod negentur opera non interna, sed externa legis. Vnde dicit non loqui Apostolum de vocatione ad fidem, & electione ad gratiam justificantem, quasi velit Deum non vocare ad fidem, & eligere ad gratiam justificantem sine ratione operum internorum, sed sine ratione operum externorum legis; quia aliàs desperationem injiceret. Cujus verba supra relata sunt in isto tractatu cap. 7.

241. Verum

Digitized by Google

241. Verùm omnes istæ explicationes eò tendunt, ut potissimum fundamentum prædestinationis & gratiæ penitus evertant, quod præcipuè ex illo cap. Epistolæ ad Rom. desumuntur, quæ proinde omnes per S. Augustinum & S. Thomam, aliosque Sanctos Patres inveniuntur refutatæ. Prima namque quod solùm excludantur opera facta, non autem futura prævisa, frivola est, quam & Pelagiani & Semipelagiani priùs in terminis tradiderunt, eamque S. Augustinus adversus eos expugnat in Enchirid. *cap.* 98. & 99. *Epist.* 105. & *lib.* 2. *ad Bonif. cap.* 6. Et ex contextu, imò ex verbis ipsius Apostoli, falsam illius intelligentiam excludit, dicendo enim *non ex operibus*, Omnia opera præsentia sive futura prævisa excludit. Verba S. P. Augustini *in illa Epistola* 105. sunt *Ideo inquiunt, nondum natorum alium oderat, alium diligebat: quia eorum eorum opera futura prævidebat. Quis istum acutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit quando sibi velut adversantis objecta quæstione, non id potius tam breve, tam apertum, tam (sicut isti putant) verum absolutumque respondit. Cum enim rem stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni aut mali rectè dici potuerit, quòd unum Deus dilexit alium odio habuerit, ipse sibi objecta quæstione motum exprimens auditoris. Quid ergo dicemus? Inquit. Nunquid iniquitas apud Deum? absit. Hic ergo erat locus ut diceret quod isti sentiunt. Futura enim Deus opera prævidebat, quando minori majorem servisturum esse dicebat. Non autem hoc Apostolus dicit, sed potius ne quisquam de suorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gratiam & gloriam commendandam voluit valere quod dixit. Cum enim dixisset. Absit, ut sit iniquitas apud Deum, tanquam ei diceremus: unde hoc ostendis, cum asseras non ex operibus, sed ex vocante dictum esse, major serviet minori. Moyses enim dicit, inquit, miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericors fuero. Igitur non volentis nec currentis, sed miserentis est Dei. Ubi nunc merita, ubi opera vel præterita, vel futura tanquam liberi arbitrij viribus adimpleta, vel adimplenda. Nonne aperiam protulit Apostolus de gratuita gratia, hoc est vera gratia commendatione sententiam? Nonne stultam fecit Deus hæreticorum sapientiam? Quid autem agebatur ut hoc Apostolus diceret, ut eorum geminorum commemoraret exemplum? Quid persuadere moliebatur? Quid inculcare cupiebat? Nempe hoc quod ipsorum oppugnet amentiâ, quod superbiâ non capiunt, quod sapere nolunt. Qui ignorantes Dei justitiam & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Hæc S. Pater & Doctor Augustinus contra illam primam explicationem antiquam, modò renovatam, dicit, quibus eam esse contra expressam Apostoli sententiam & mentem convincit

242. Secunda de electione ad gratiam justificantem, quæ non fiat ex operibus, & hoc tantùm ibi Apostolus intendat etiam à S. P. Augustino rejicitur ubique in libris contra Pelagianos, quibus prædictum Apostoli testimonium intelligit de electione ad gloriam procedere, quam dicit esse gratuitam, & sine operibus fieri, cum illa electio sit prima gratia, ut sequenti cap. clarius ostendemus. Videatur S. Doctor *epistola.* 105. ad Sixtum, *lib.* 2. *ad Bonif. cap.* 7. & 13. *in Enchir. ad Laurent. cap.* 98. & 99. *de prædest. Sanct. cap.* 6. & 17. *de dono perseverantiæ. cap.* 18. & clarius. *cap.* 22. Quæ omnia testimonia expresè expendemus infra in fine hujus libri, cum in particulari agemus contra tractatum illum de prædestinatione, quem prædictus author cõposuit. Reprobatur etiam à S. Thoma super illum locum Apostoli, ubi illud *Jacob dilexi*, explicat de dilectione quæ est actus voluntatis circa finem, nempe gloriam; non circa media, videlicet gratiam justificantem: & post dilectionem, hanc constituit in Deo electionem ratione a dilectione distinctam, qua Deus unum præ alio ad finem eligit: & post utrumque actum circa finem statuit prædestinationem, quæ est circa media in ordine ad finem, sic enim habet lect. 2. *Est autem in his verbis Apostoli considerandum, quod tria ponit in Deo pertinentia ad Sanctos, videlicet dilectionem, per quam intelligitur prædestinatio, & electio Dei, quæ quidem realiter sunt idem in Deo, sed differunt ratione. Namipsa Dei dilectio dicitur secundum quod vult bonum alicui absolutè. Electio autem dicitur secundum quod per bonum quod alicui vult, eum alteri prefert. Prædestinatio autem est secundum quod hominem dirigit in bonum, quod ei vult, diligendo & eligendo: & ideo secundum rationem prædestinatio sequitur dilectionem, sicut & voluntas de fine naturaliter precedit directionem aliquorum in finem.* Ecce secundum S. Thomam Apostolus in citato testimonio tria posuit circa Sanctos. Dilectionem, quia eos absolutè dilexit, volendo eis illum magnum bonum, quod est gloria, & ipsorum finis. Deinde electionem qua eos præ aliis eligit ad talem gloriam & finem, quam eis voluit. Ultimò prædestinationem ordinando eos per certa media gratiæ in talem gloriam & finem. Primum de dilectione ad gloriam exposuit Apostolus illis verbis *Iacob dilexi*. Secundum de electione ad eandem gloriam in illis, *ut secundum electionem.* Tertium de prædestinatione in illis, *ut propositum Dei maneret*, Nam hoc propositum est propositum prædestinationis, ut S. Thomas ibi exponit, secundum illud ad Ephes. 1. *prædestinati secundum propositum voluntatis ejus.*

243. Ut ostenderet autem Apostolus hoc propositum prædestinandi id est dirigendi homines per certa media gratiæ in finem vitæ æternæ, sequi rationis ordine ex electione gratuita ad gloriam, ideo dixit, *ut secundum electionem propositum Dei maneret*, id est, ut propositum prædestinandi, seu dirigendi homines per certa media gratiæ in finem vitæ æternæ maneret, id est, firmum esset, secundum electionem priorem ad gloriam. Quasi clariùs dicat, quia Deus eos præ aliis gratuitò elegit, seu prælegit ad gloriam, ideo propositum prædestinandi seu dirigendi eos per certa media in gloriam firmum manet. Et hoc est quod postea in eodem cap. Apostolus illos vocavit vasa misericordiæ præparata in gloriam id est, vasa quæ ex gratia & misericordia in gloriam sunt per gratuitam electionem præparata. Vnde glosa quæ est Augustini ad illum locum sic habet. *Ad hoc patitur malos & præostendit iram & ad notitiam sui trahit, ut ostenderet in vasa misericordiæ, id est, in electis per misericordiam.* Manifestum est ergo quod non solùm Paulus loquitur de electione ad gratiam justificantem (nam etiam ad illam elegit Deus sine dubio absque operibus) sed potissimè de dilectione & electione gratuita ad gloriam, quam sequitur prædestinatio & vocatio ad fidem & ad gratiam justificantem, per quæ diriguntur in gloriam.

244. Sed gratis admisso, quod solùm Apostolus de electione ad gratiam justificantem loquatur, cum ait, quod sine operibus fit. Quomodo prædictus author etiam asserit non intendere Apostolum vocationem ad fidem, & electionem ad gratiam justificantem fieri sine ratione internorum operum, sed externorum tantùm, legis videlcet, aliàs injiceret animis desperationem. Igitur nisi vocatio ad fidem, & electio ad gratiam justificantem fiat ex operbus, & nisi hoc doceat Apostolus, desperatio animis injiceretur? Absit. Alias desperatio injicerecur; nisi doceret Apostolus vocationem ad fidem, & ad gratiam justificantem gratiam non esse, sed operibus debitam, ita

Digitized by Google

quod gratia non esset gratia. Vnam solam potest prætendere excusationem, quam & aliquando verbis expressit, quod videlicet sentiat vocationem ad fidem, & ad gratiam justificantem non fieri sine ratione operum procedentium ex priori inspiratione divina. Sed non solùm hoc dicit, sed inter multiplicem rationem, quæ, ut ait, assignari potest, ob quam unus vocetur ad fidem, & non alius (inter quas hanc assignat, de operibus factis ex priori inspiratione divina:) Alias duas vel tres adhibet quæ procedunt ex operibus factis sols naturæ juribus; nempe cum homo habet minora impedimenta, quia est pauper & humilis (quæ est una ratio condistincta contra illam operum factorum ex inspiratione divina, inter illas multiplices, quas constituit) Alteram etiam adhibet, quæ est habere minora peccata, quam etiam ut condistinctam ponit inter illas multiplices rationes contra illam assignatam ex operibus factis ex priori divina inspiratione, ut apertè constat *ex sect. 4. illius suæ disputationis de prædestinatione §. pari modo.* Et *sect. 3.* Hinc rursus ait, quod illud, *ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat*, non est ita crudè accipiendum, quasi nulla requiratur ex parte hominis ratio, cur Deus misereatur vel induret, hoc est à peccatis liberet, vel in peccatis indurari permittat: non est hæc inquit mens Apostoli. Attendat lector si clariùs potest opponi intentioni Apostoli, quàm dicendo esse ex parte hominis rationem, ut Deus illius misereatur, seu gratiam donet, cum jam illa nec misericordia esset aut gratia, sed homini debita: & hoc quasi coctum nobis proponit, excludendo illud quod crudum vocat. Manifestum est ergo ipsum sentire quòd vocatio ad fidem, fiat ex operibus etiam solis naturæ viribus factis; licet in eis voce sola neget meritum: nec aliud potuit asserere qui cum aliis contendit, quòd facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, ex certa lege Deus primam vocationem ad fidem seu primam gratiam prævenientem tribuit.

245. Omitto quod vocatio ad fidem primus effectus est prædestinationis secundum illud Apostoli, *quos prædestinavit, hos & vocavit*, & includit omnem dispositionem provenientem ab omnium primo auxilio gratiæ quo Deus hominem incipit disponere & incipit ad fidem vocare, illum ad eam sic disponendo, etiam antequam explicitè eum ad fidem vocet. Vnde nomine vocationis ad fidem illa omnium prima inspiratio includitur & comprehenditur. Quare asserere quod vocatio ad fidem fit ex operibus, & asserere quòd etiam illa prima inspiratio ex naturæ operibus prioribus fiat, est parum tutum in fide, de quo quarto nostro libro copiosius dicemus.

246. Concludamus ergo hanc secundam explicationem qua dicitur Apostolum procedere non de electione immediata ad gloriam, sed ad gratiam iustificantem, esse contra mentem Apostoli.

247. Tertia explicatio, quæ Apostolum intelligit de bonis hujus vitæ, sive temporalibus, sive spiritualibus, ut usum est supra, non solùm contra S. Patres procedit, sed contra Concilium Valentinum superiùs inductum, quod in illo loco Apostolum de prædestinatione & reprobatione exponit. Est etiam contra totum Apostoli contextum, ut est explicatum, & potissimè contra illa expressa verba, quibus concludit, *quòd si Deus volens ostendere iram, &c. ut ostenderet divitias gratiæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

248. Quarta autem quòd Apostolus loquatur de operibus externis legis quæ negentur, non autem de operibus internis; fuit olim Fausti Pelagiani intelligentia excogitata ad corrumpendum illud Apostoli dictum, quod dogmati suo videbat esse contrarium. Vnde nec adhibenda erat, sed expugnanda. His ergò quatuor sinistris explicationibus peremptis, quæ interæ Apostoli non conveniunt. Secundum Sanctos Patres, ex quibus desumpta est, manet illa prior à nobis assignata firma & certa.

249. Adversus secundum à nobis inductum testimonium Rom. 11. *Reliquæ secundum electionem gratiæ Dei salvæ fient.* Objicit supradictus author citata *sect. 3. §. Porro*, Quod non intelligitur de immediata electione ad gloriam, sed ad fidem; quia ut ait, loquitur Apostolus de omnibus qui ex Judæis crediderunt, quos dicit salvos fuisse per fidem secundùm electionem gratiæ, id est per gratuitam electionem, quia sine operibus ad fidem vocati sunt: quia in Scriptura sæpè dicuntur salvati & electi, qui eliguntur ad gratiam, quæ est incompleta quædam prædestinatio.

250. Ad hoc respondeo non esse dubium quod aliquando in Scriptura dicuntur electi & salvi, qui ad fidem & gratiam justificationis vocati sunt. Sed in præcitato testimonio sermonem fieri de prædestinatis & salvis ultimâ & perfectâ salute, S. P. Augustinus ubique exponit & Glosa tradit illis verbis *& considerandum quia secundum electionem gratiæ Dei, id est, secundum prædestinationis donum salvæ factæ sunt.* Sanctus etiam Thomas super illum locum clarè id docet dicens Apostolum ibi loqui de prædestinatis; & contextus Apostoli id satis manifestat. Incipit enim, *Dico ergo: nunquid repulit Dominus populum suum, absit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abrahæ ex Tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam quam præscivit.* Vbi sermonem esse de prædestinatis est satis notum. Et ad hoc probandum inducit exemplum de illis septem millibus. Et concludit. *Si ergo & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ Salvæ fient*, id est, ultimam salutem consequentur.

251. Contra tertium à nobis inductum testimonium ex 1. cap. ad Ephes. *Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti &c.* Opponit supradictus author, ibi non loqui Apostolum de electione absoluta ad gloriam, sed ad fidem & ad gratiam communem justificatis; quia credibile est ignorasse Apostolum qui essent prædestinati: imò videtur nescire suam prædestinationem, quia dixit, *castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Secundò quia cætera quæ ibi habet pertinent ad omnes fideles: ergo ista electio omnibus Sanctis communis est: deinde gratias agit de illorum vocatione & justificatione, quæ eis datæ sunt secundum æternam electionem & prædestinationem ob merita Christi. *Benedictus*, inquit, *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos* (Christianos omnes) *in omni benedictione spirituali in Cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate.* Si priori loco per *nos* significantur omnes justificati ut per se notum est & omnes exponunt, necessariò etiam secundo loco de his omnibus loquitur, quia est continuatio ejusdem sententiæ. Vnde & sequentia, *qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum &c.* Ad omnes justos pertinent: nec video quomodo aliquis contextum Apostoli considerans, possit de hoc dubitare. Et infrà de omnibus vocatis Sanctis, *in quo & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Denique si illa de solis completè electis & prædestinatis essent accipienda, nulla esset connexio orationis, & parùm solatij & utilitatis illa Ephesiis Christianis afferent. Agitur ergo de electione & prædestinatione incompleta, quæ immediatè est ad gratiam justificationis.

252.

Digitized by Google

252. Ad quod respondetur, etiam his parui momenti considerationibus, aliud ex potissimis fundamentis gratuitæ prædestinationis & gratiæ, (quod ex hoc Apostoli testimonio ad Ephes. 1. apertissimè constat) minùs enervari contra omnem Sanctorum Patrum explicationem. Vnde ita clarè pronuntiat objector se non videre quomodo aliquis contextum Apostoli considerans, possit de prædicta sua explicatione dubitare ac si nullum ex Sanctis Patribus vel viderit vel legerit: cum revera potius non appareat quomodo quis possit asserere non fieri sermonem in illo loco de prædestinatis & ad gloriam electis, nisi qui literæ (ne apertè illi contradicat) vim inferre studeat, etiam multiplicata verba, quæ de prædestinatis ad gloriam loquuntur, ad extortam & peregrinam interpretationem ducendo. Nunquid non Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Sedulius, Primasius, omnes in glosa ordinaria inducti ad illum locum, apertissimè illum intelligunt de prædestinatione ad gloriam, & de veris electis & prædestinatis? Omnium verba referre, cum ibi possint videri, minùs oportet. Solius Chrysostomi, quia est ex Sanctis Patribus Græcis quibus nimis confidit hic author, verba proponam. *In omni* (inquit) *benedictione spirituali, Quid enim adhuc desideras? Immortalis factus es: factus es liber: factus es filius: justus es factus: factus es frater: factus es cohæres: simul regnas: simul glorificatus es. Omnia tibi gratuitè data sunt.* Quid clarius? Ecce per illa verba *in omni benedictione spirituali*, omnia enumerata circa prædestinatos intelligit: & id quidem rectè, nisi enim de prædestinatis ad regnandum sermo fieret, nec Apostolus diceret in omni benedictione nos esse benedictos, cum potissimè deficeret una, qua deficiente, nec aliæ benedictiones, non dico, omnis benedictionis, sed nec veræ alicujus benedictionis nomen mererentur. Quid enim prodessent homini aliæ omnes benedictiones, si animæ suæ detrimentum in perpetuum faceret? Iuxta illud Christi Domini Matth. 16. *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur?* Idem amplius explicatur. Nam Sanctus etiam P. Augustinus *libro de prædestinatione Sanctorum cap.* 18. adeo hoc testimonio Semipelagianos (qui negabant prædestinationem secundum Dei propositum, & hanc secundum præscientiam quam objector pariter cum illis defendit, tuebantur) confundit, ut relatis verbis Apostoli ita subjungat. *Quis hæc audiat diligenter & intelligenter, & audeat de hac, quam defendimus, tam clara veritate dubitare?* At Leonardus Lessius dicit se non solùm de hac veritate dubitare, sed non videre quomodo de opposita quis possit dubitare: in quo latenter atque reipsa Sanctos Patres, & potissimè S. Augustinum carpit. Quasi ipsi dubitent, imò apertissimè refellant explicationem, de qua non potest quis dubitare. Hæc licentia his temporibus introducta contra Sanctorum Patrum doctrinam periculosissima est, & petulantibus ingeniis, viam sternit manifestam ad Sanctorum Patrum doctrinam parvipendendam, & noxias novitates in Ecclesiam introducendas.

Accedit quod S. Thomas totum illum contextum, ut verba sonant, de certitudine prædestinationis & de prædestinatis intelligit. Sic enim habet ad illum locum. *Beneficia verò exhibita generaliter humano generi tangit sex, primum benedictionis, in certitudine futuræ beatitudinis, ibi benedictus.* Et rursus. *In omni benedictione spirituali scilicet quantum ad animam & quantum ad corpus, tunc enim erit corpus spirituale 1. Corinth. 15. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Benedictione inquam habita in Cœlestibus, id est in Cœlo.* Et multa similia habet, quibus exponit Apostolum loqui de prædestinatis. Et quidem id verba sonant, *Elegit nos ante mundi constitutionem, prædestinans nos secundum beneplacitũ voluntatis suæ.* Et similia quæ hoc manifestant.

Nec objectiones huic tam perspicuæ veritati obstare possunt. Ad primam enim dicendum quòd licet Apostolus de aliis in particulari minus sciverit, qui essent prædestnati, sciebat tamen plures ex illis prædestinatos cum quibus tunc loquebatur. Vnde in principio Epistolæ duos ordines ponit eorum ad quos scribebat, dicens, *Sanctis & fidelibus*, id est prædestinatis, & aliis fidelibus. Vnde quædam dicit prædestinatis sicut sunt verba relata: alia autem pro communi illa Ecclesia fidelium & sic unico verbo omnia cessant objecta. Quod autem dicit quòd fortè nesciebat Apostolus prædestinationem suam, de tanto Apostolo, qui raptus est ad tertium cœlum, & vidit arcana Dei (& ut S. P. Augustinus & S. Thomas exponunt, divinam essentiam per modum transeuntis) dici nullo modo potest: imò illud oppugnat ipsius Apostoli dictum 2. ad Timot. 4. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.*

253. Adversus quartum Scripturæ testimonium ex actibus Apostolorum cap. 13. *Crediderunt quotquot præordinati erant in vitam æternam.* Opponit primò quod ex eodem Calvinus deducebat electionem absolutam & immediatam ad gloriam. Secundò quod non est credibile revelatam fuisse prædestinationem Scriptori, potissimè, quia fortè omnes qui in illa magna civitate conversi fuerant, non erant prædestinati. Tertiò quia si id sciretur, vergeret in nimiam securitatem illorum, qui ibi crediderant.

254. Ad hoc respondetur, Sacrum textum non asserere quod solùm illi crediderunt, qui præordinati erant in vitam æternam; sed solùm docet quod illi qui præparati in vitam æternam erant, crediderunt. Aliorum autem qui crediderunt, etiamsi præparati sic non essent, nullam mentionem facit. In quo ostendit Spiritus Sanctus finem ob quem prædicatores miserat in illam civitatem, qui erat, ut crederent de facto qui prædestinati erant in vitam æternam; propter ipsos enim prædicatores miserat. Et ad ostendendum finem hunc illa verba dicit, tacendo de aliis, fortè multi crediderunt, licet propter illos prædicatio missa non fuerit. Et per hoc patet ad objectiones, quod absque revelatione speciali Sanctus Lucas potuit illa verba apponere ex illa generali doctrina, qua optimè sciebat quod propter electos & prædestinatos in vitam æternam prædicatores mittuntur, & quod quidquid de aliis sit, saltem isti infallibiliter credunt veritati. Quam veritatem non dicam Sanctus Lucas, sed veri Theologi sciunt, quod nempe prædicato Evangelio credunt qui prædestinati sunt, cum ista vocatio secundum propositum qua homo fit credens, effectus prædestinationis sit secundum Paulum dicentem *quos prædestinavit, hos & vocavit*, nempe vocatione gratiæ, quæ est secundum propositum. Similiter quia alij etiam crediderunt, ut est verisimile, in civitate illa, qui prædestinati non erant, & nullus sciebat se esse de numero præparatorum in vitam æternam, vel non; nec istis poterat esse ridiculosa securitas, nec illis desperatio. Vnde penitus inconvenientia allata cessant.

255. Quod autem additur ex isto loco Calvinum deduxisse absolutam illam electionem seu præparationem ad gloriam. Respondetur in hoc Calvinum non erasse, sed in alio adjuncto, quo contendit ita credidisse ex illa absoluta efficaci electione ad gloriam quòd ex necessitate & sine libertate crediderunt. Quòd enim in hoc secundo erraverit, notum est. Quòd verò in primo error non sit, etiam est manifestum,

Digitized by Google

nifestum, quia id in illo loco habetur expressum. Nunquid non evidenter dicitur, quòd illi qui præordinati erant in vitam æternam crediderunt? Nunquid hoc possumus negare? Nunquid non manifestè deducitur, quòd ideo crediderunt, quia sic in vitam æternam præordinati erant? Non solùm autem ille locus Scripturæ, sed plura alia id docent, & id S. Augustinus semper contra Pelagianos probavit. Si ergo Calvinus solùm deduceret ex illo testimonio absolutã electionem ad gloriã causam fuisse ut illi crederent, & magna cum sua libertate crederent, ut invictissimam haberent & simul liberrimam voluntatem credendi: nec hæresim suam astrueret, & illam quæ fuit Pelagianorum & Semipelagianorum amputaret; sicut nos ex hoc testimonio utramque pariter damnamus.

256. Contra quintum illud Scripturæ testimonium, *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur.* Opponit objector quòd potiùs ex eo sua sententia probatur. Quia ut Dominus ait, *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro.* Id est omnes vincerentur, & perirent: ergo nulli absolutè erant electi ad gloriam ante prævisionem finis; si enim ita fuissent electi ex vi divini decreti debebatur illis auxilium quo difficultates omnes superassent, nec potuissent ullo modo vinci per aliquid posteriùs permissum. Vnde directè, ait, respondeo, per electos non intelligi tali modo electos, sed prævisa perseverantia.

257. Ad hoc dicendum, hanc prævisam perseverantiam effectum esse prædestinationis & electionis absolutæ ad gloriam quoad intentionem, non illius causam, ut Semipelagiani ponebant. Potissimè cùm similiter, cum eis dicatur hanc actualem perseverantiam, donum Dei non esse, sed ex nostra libertate haberi: unde per *electos* electi intelligendi sunt, ut verba sonant, non autem prævisi. Nec ad has extortas explicationes Scripturam sacram possumus retorquere: & ita sensus legitimus est, quod propter electos & prædestinatos breviabuntur dies illi. Et ad Sophisma propositum facilis est responsio. Quòd illi qui absolutè fuerunt in ratione intentionis electi ad gloriam, fuerunt etiam in virtute hujus voluntatis, quæ est circa finem, prædestinati, ut per talia media illum finem consequerentur, ut dictum est sæpius. Inter ista autem media illud erat unum, ut non permitterentur illo tempore Antichristi plures persecutiones pati, sed ut dies illi essent breviati, quia id ex prædestinatione habebatur: cum qua absoluta determinatione stare poterat hæc conditionalis, quod si dies illi non essent breviati, à tribulationibus superarentur. Quare decretum absolutum electionis hoc postulabat, ut ex vi sua, tale quid non esset permissum, sed ut dies propter illos electos abbreviarentur, ut sic per illud medium à divina prædestinatione præparatum, quod erat talis abbreviatio, electi ad gloriam quoad intentionem, ipsam in executione consequerentur, secundùm quod S. Thomas docet *3.p.q.1. art.3.ad 4.* Quod Deus prædestinat salutem alicujus hominis per orationes aliorum implendam. Et S. P. Augustinus docuit, quod si Stephanus non orasset pro Paulo, Ecclesia Dei Paulum non haberet. Sic ergo nisi essent breviati dies illi, non fieret salva omnis caro.

258. Tandem illum alium locum, *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri dare vobis regnum.* Non de complacentia absoluta eligendi ad gloriam ante prævisionem operum intelligit, sed de complacentia dandi regnum sub conditione, si nempe in bono perseveraveritis. Habent enim omnes hujusmodi Sancto Scripturæ locutiones tacitam vel expressam conditionẽ, si perseveraveritis: promissiones enim vitæ æternæ sunt conditionatæ, ut Concilii Tridentini ait *Sess.6.Can.20.* Vnde & voluntas promittens etiam est conditionata, si enim absoluta esset, etiam promissio esset absoluta. Et quod non loquatur de decreto absoluto patet. Primò quia hæc non ad solos Apostolos, sed ad omnes discipulos dicta sunt, inter quos Judas fuit, imo dicta sunt ad omnes credentes. Secundò quia alioquin ibi Christus intendisset omnibus suis discipulis revelare suam prædestinationem. Tertiò quia eos exhortabatur ad pietatis opera, at revelando eis suam prædestinationem, potiùs dedisset eis occasionem licentiosæ vitæ.

259. Ad hæc Respondeo prædictum Lucæ testimonium de voluntate gratuita absoluta ad regnum ante merita prævisa intelligi à glosa ordinaria ibi, & clarius à Lyrano, quorum verba ob brevitatem omittimus, & sic nos illum induximus. Quod autem objicit non esse voluntatem absolutam Dei dandi regnum absque operum prævisione, verum est de regno dando ut mercede, & ut ultimo prædestinationis effectu. Sed ante hanc, est in Deo voluntas absoluta eligendi ad regnum in ratione intentionis, de qua illud testimonium procedit. Quod autem superaddit de promissionibus conditionatis, latè dicturi sumus infra in tractatu quem ordinamus contra disputationem de prædestinatione hujus oppositoris. Nũc breviter dicimus tales promissiones conditionatas non significare esse in Deo voluntatem conditionatam, ut ibi explicabimus. Ad id quod opponit quòd loquebatur cum discipulis, inter quos erat Iudas. Dicendum quòd loquebatur cum discipulis quorum omnes prædestinati erant, præter illum Judam: & per eos omnes electos intelligit, ut in glosa habetur: nec in particulari per illa verba alicui revelata fuit sua prædestinatio, sed in genere cum illis loquebatur, & poterant illius verba ratione plurium verificari, unde nec licentiosam vitæ eis occasionem præbebat. Et dato quod Apostolis esset eorum prædestinatio revelata, nec erat timendum de hac licentiosa vita, quia hoc privilegium potiùs in eis, utpote Sanctissimis, accenderet maximum amorem erga Deum.

CAPUT XXVI.

Quod efficax electio ad gloriam absque prævisis operibus fiat, ex D. Augustino ostenditur.

260. QVOD efficax electio ad gloriam absque prævisis operibus fiat, S. P. Augustinus ubique manifestat, potissimè in libris contra Pelagianos & Semipelagianos. Et quidem S. Prosper de hoc edoceri à Sancto Augustino postulabat, cum in supradicta epistola ad eum missa, sic dicebat. *Quemadmodum per hanc prædicationem propositi Dei, quo fideles fiunt qui præordinati sunt ad vitam æternam, nemo eorum qui cohortandi sunt, impediatur.* Ad quod respondens S. P. Augustinus *lib.de dono perseverantiæ cap.22.* sic dicit. *Si qui autem obediunt, sed in regnum ejus & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt; neque usque in finem in eadem obedientia permanebunt.* Quibus verbis apertè docet se loqui de prædestinatione ad regnum, dicens, quod si aliqui ad regnum prædestinati non sunt, non perseverabunt; ita quod ex electione in gloriam colligit in bono perseverantiam; & ex non electione non perseverantiam: ergo efficax electio ad gloriam non fit ex prævisione perseverantiæ in opere bono, sed è converso. Et de hac eadem electione seu proposito prædestinandi in vitam æternam manifestè S. Prosper loquitur & D. Augustinus cum dicit. *Quod si qui obediunt, sed in regnum & gloriam prædestinati non sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt.* Manifestè

ergo

Digitized by Google

ergo S. Doctor docet prædestinationem ad gloriam & regnum fieri ante meritorum prævisionem, & ex ipsa provenire merita sicut effectus ex causa. Et clarius lib. 5 contra Iulianum cap. 3. sic dicit. *Absit enim ut prædestinatus ad vitam, sine Sacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam.* Vbi ex prædestinatione ad vitam æternam infert finalem perseverantiam in fide salvatoris. Et *lib. de præd. Sanct. cap.* 20. explicans illud Act. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam.* Ex tali præordinatione in regnum & gloriam infert Deum convertere hominum voluntates ad illius assecutionem. Sentit ergo apertè priorem esse electionem ad gloriam: & ex hac oriri bona opera ex graria & illorum prævisionem, & non è converso. Et adhuc apertiùs id docet lib. de corr. & grat. cap. 7. *Quicunque ergo ab illa originali dãnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod & procuratur eis audiendum Evangelium: & cum audiunt, credunt & in fide quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant: & si quando exorbitant, correpti emendantur.* Apertum est ergo in sancti Augustini sententia factam fuisse aliquam discretionem, ex qua procedit vocatio ad gratiam, & in ipsa usque in finem perseverantia. Hæc autem nulla alia esse potest, nisi electio efficax ad gloriam: non ergo electio ad gloriam fit ex præscientia meritorum ex gratia, sed è contrario merita ipsa & illorum prævisio fit ex gratuita electione ad gloriam. Imò ipse S. Doctor ibi declarat se loqui de discretione, qua unus præ alio eligitur ad gloriam, nam subdit. *Hæc omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* Ecce electionem gratiæ vocat, qua eliguntur vasa misericordiæ, quæ Deus præparavit in gloriam. De electione ergo & præparatione in gloriam loquitur apertè, ex qua dicit oriri vocationem ad gratiam & perseverantiam in ipsa. Et infra subdit. *Profectò electi sunt per electionem (ut dictum est) gratiæ, non præcedentium meritorum suorum.* Et exponens statim ad quod electi sunt sine meritis subjungit. *Electi sunt ad regnandum cum Christo.* Et iterum infra. *Illos elegit ad obtinendum regnum suum.* Apertissimum est ergo sanctum Augustinum electionem ad gloriam constituere absque meritorum prævisione. Hunc autem locum intelligere de electione illius congruæ vocationis, est totum planè invertere, quia licet appellet Augustinus electionem gratiæ, non dicit electionem ad gratiam; sed electionem gratiæ vocat electionem ad gloriam quæ fit sola Dei gratuita voluntate sine aliquibus prævisis operibus, unde dixit. *Sed quoniam secundum propositum vocati sunt, profectò electi sunt per electionem, ut dictum est, gratiæ, non præcedentium meritorum.* Vbi ideo dicit eos vocatos secundum propositum, quia electi sunt ad gloriam, videlicet per electionem gratuitam, & non ex præcedentibus meritis. *Et* alibi dicit. *Volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium.* Vbi planè loquitur de voluntate salvandi, & dandi gloriam, ex qua est vera salus: Similiter loquitur de voluntate efficaciter salvandi, hæc enim est, cui nullum resistit arbitrium. Et ex hac voluntate efficaci salvandi & dandi gloriam docet S. Augustinus in fine illius cap. oriri illam electorum propriam vocationem ad gloriam. Quæritur enim cur ex duobus Deus dat perseverantiæ donum uni, alteri verò non. Ad quam quæstionem nihil aliud respondet, nisi inscrutabilia esse judicia Dei totumque ex divina electione pendere, Quia quos elegit ad gloriam, eis sine dubio dat donum perseverantiæ. Alij autem qui non perseverant, non erant sic electi, si enim electi essent ad gloriam, utique perseverassent.

261. Aliud egregium testimonium habetur ex libro de dono perseverantiæ cap. 9. *Ex duobus itaque parvulis originali peccato obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem aut non vocetur aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur: inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis ait unus prædestinatorum, qui de pectore Domini bibebat hoc secretum, manifissent utique nobiscum.* Deinde quærit quid sit illud, *non erant ex nobis*, Et respondet *Non erant ex eis quia non erant secundum propositum vocati: non erant in Christo electi ante constitutionem Mundi: non erant in eo sortem consequuti: non erant prædestinati secundum propositum ejus, qui universa operatur* His verbis satis clarè docet S. Pater & Doctor Augustinus quòd unus in gratia perseveret, alius non, id ex eo provenire, quòd alter sit electus ad æternam vitam, alter non: Nam ex hac electione ad gloriam infert sicut effectum quòd quis perseveret, non autem è contra ex perseverantia prævisa infert electionem ad gloriam.

Et *cap.* 11. sic dicit: *Non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei, qui parvulis quibus vult, etiam non volentibus neque currentibus subvenit, quos ante constitutionem mundi elegit in Christo, daturus etiam eis gratiam gratis.* Primò dicit quod eos elegit in Christo videlicet ad gloriam, daturus etiam gratiam gratis, quasi hoc secundum oriatur ex illa prima gratuita electione ad gloriam: ergo secundum S. Augustinum prior est gratuita electio ad gloriam, quàm vocatio ad gratiam, & quàm merita ipsa vel ipsorum prævisio. Non ergo fit electio ad gloriam ex meritorum faciendorum ex gratia, prævisione.

262. Et *quæst. 2. ad Simplician.* Illud Apostoli, *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ fient.* Exponit de electione ad gloriam merè gratuita, & sine merito; licet etiam ibi dicat posse intelligi de electione ad gratiam. Cæterum semper docet alibi electionem ad gratiam ex priori electione ad gloriam oriri, ut præcedentia omnia demonstrant, & multa similia quæ induci poterant. Quomodo autem prædictum testimonium ex quæst. 2. ad Simplicianum, quod authores cum quibus agimus pro se inducunt ad probandum electionem ad gloriam esse post prævisa merita, hoc non efficaciter probet, ostendemus infra respondendo ad tractatum Leonardi Læssij qui potissime in illo suam fundat sententiam. Nunc tria dicimus breviter. Primum non adducere hos authores testimonium ex illis libris, quos exorta jam hæresi Pelagiana scripsit Augustinus, in quibus proinde accuratiùs de hac materia loquutus est. Secundum quod in illo ad Simplicianum, cum negat ante justificationem electionem, loquitur de eligibilitate, docens ante gratiam non esse in hominibus quantùm est ex parte illorum majorem elegibilitatem in uno, quàm in alio. Tertium quod si omnia quæ S. P. Augustinus dicit in libris contra Pelagianos attendantur, revera S. Doctor in illis mutavit sententiam dum semper asseruit electionem ad regnum & gloriam gratuitam ante omnem meritorum prævisionem. Quod abundè probamus infra respondendo ad tractatum prædicti Leonardi Lessij. Igitur indubitatum est in sententia S. P. Augustini certam electionem ad gloriam non fieri ex meritorum præscientia, sed ante illam, ut causam illius.

263. Præterea *lib. 2. ad Bonif. cap. 10. & de corr.*

Digitized by Google

corr. & gratia cap. 7. (quæ ſunt notanda teſtimonia) apertè docet prædeſtinationem fieri ſecundum propoſitum, non hominis, ſed Dei ſecundùm quod firma ſit hominis prædeſtinatio, & illud propoſitum divinæ voluntatis eligentis homines ad gloriam electionem abſolutam eſſe, & efficacem ex Deo ipſo, & non ex dependentia à propoſito humano, docet apertè. Quamvis enim ut dictum fuit ſupra, prædeſtinationem fieri ſecundùm propoſitum, rectè ſic poſſit intelligi quod ipſa in ſe ſecundùm propoſitum Dei fiat, non ſecundum propoſitum hominis: rectè etiam ſic intelligitur à S.P. Auguſtino ut ideo dicatur fieri prædeſtinationem ſecundum propoſitum, quia fit ſecundem prius illud abſolutum propoſitum Dei eligentis ad gloriam, ſecundùm quod propoſitum firmitatem habet prædeſtinatio, & ſecundum tale propoſitum fit.

264. Et clariùs *libro de prædeſtinatione ſanctorum cap.* 18. ex illis verbis Apoſtoli ad Epheſ. 1. *Prædeſtinans nos in adoptionem Filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ, ut oſtenderet in nobis myſterium voluntatis ſuæ, ſecundum bonam voluntatem ſuam.* Et iterum *In quo etiam ſortem conſequuti ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui univerſa operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Ex iſtis inquam Apoſtoli verbis, quibus non ſolùm ſemel atque iterum, ſed tertiò & quartò repetit prædeſtinationem fieri ſecundum Dei propoſitum, convincit S. Auguſtinus prædeſtinationem ſecundum Apoſtolicam doctrinam, certam eſſe ex divino propoſito & beneplacito divinæ voluntatis, ideſt, ex divinæ voluntatis firma & certa electione, qua prædeſtinatos eligit ad gloriam: ergo electio ad gloriam abſolutè fit ex divina voluntate, non cum dependentia à præviſione innatæ libertatis bene utentis adjutorio gratiæ, ut dignus eligatur ad gloriam.

265. Præterea communis illa explicatio S. Auguſtini ad illud Apoſtoli, *Qui vult omnes homines ſalvos fieri*, de abſoluto & efficaci propoſito ſalvandi, ac proinde ſe extendente ad ſolos prædeſtinatos, hoc ipſum ſatis apertè declarat: nam Paulus, ut eſt manifeſtũ, ibi loquitur de voluntate quam Deus habet ex ſe ante omnia merita hominum, quod etiam Semipelagiani admiſerunt: cum ergo hanc voluntatem quam Deus ex ſe habet ante omnia hominum merita intelligat S. Auguſtinus de abſoluta & efficaci voluntate ſalvandi, neceſſe eſt intelligat de efficaci electione ad gloriam, in qua vera ſalus conſiſtit, ante omnia merita prævisa.

266. Quæ omnia S. Auguſtini teſtimonia non ſolùm apertè demonſtrant electionem efficacem ad gloriam non fieri ex abſoluta meritorum prævisione contra illos recentiores citatos, qui id affirmant: ſed etiam manifeſtè convincunt non fieri dependenter ab innata hominis libertate præcognita per illam mediam ſcientiam, ſed independenter omnino ab ea. Quia omnia illa teſtimonia clamant talem efficacem electionem ad gloriam eſſe firmam, certam, & efficacem ex Deo ipſo, & ex illius abſoluto & efficaci propoſito eligentis homines ad gloriam, ut magis ac magis infra manifeſtabimus. Cujus tamen totum contrarium admittit illa media præſcientia ut ſæpe diximus & adhuc infra clariùs, & copioſiùs dicemus agentes de prædeſtinatione.

267. Denique ubicumque S. Auguſt. loquitur de propoſito Dei erga prædeſtinatos, à quo propoſito docet oriri vocationem illam altam, atque ſecretam per quam recipiunt ut infallibiliter convertantur, & indeclinabiliter perducantur in gloriam, per illud propoſitum ſemper intelligit propoſitum gratuitum Dei eligentis ad gloriam, ut patet *de prædeſt. Sanct. cap.* 15. & 17. *de dono perſev. cap.* 6. & 7. *lib.* 83. *quæſt. q.* 68. *Epiſt.* 46. & 106. *lib. de gratia Chriſti cap.* 46. Extat autem inſigne aliud S. Doctoris teſtimonium *tractatu* 86. *in Joann.* ubi ſic ait. *Itaque ſicut immortalitatem carnis & ſalutem animarum futuram expectamus, quamvis jam pignore accepto, ſalvi facti eſſe dicamur: Ita omnium notitiam quæcumque unigenitus audivit à Patre futuram ſperare debemus, quamvis hoc jam ſe feciſſe dixerit Chriſtus. Non vos me eligiſtis, inquit, ſed ego vos elegi. Hæc eſt illa ineffabilis gratia. Quid enim eramus quando Chriſtum nondum eligeramus, & ideo non diligebamus. Nam qui eum non eligit, quomodo diligit? Numquid jam in nobis erat, quod in pſalmo cantur. Elegi abiectus eſſe in Domo Domini magis quàm habitare in Tabernaculis peccatorum? Non utique. Quid ergo eramus niſi iniqui & perditi? Neque enim jam credideramus in eum ut eligeret nos: Nam ſi jam credentes elegit, electos elegit. Cur ergo diceret non vos me elegiſtis niſi quia miſericordiam ejus prævenit nos. Hîc certè vacat vana illorum ratiocinatio, qui præſcientiam Dei defendunt contra gratiam Dei: Et ideo dicunt nos electos ante mundi conſtitutionem quia præſcivit Deus nos futuros bonos, non ſe ipſum nos facturum bonos. Non hoc dicit, qui dicit, non vos me elegiſtis. Quoniam ſi propterea nos elegiſſet quia bonos futuros eſſe nos præſciverat, ſimul etiam præſciviſſet quod eum nos fuiſſemus prius electuri. Non enim aliter eſſe poſſemus boni; niſi fortè dicendus eſt bonus, qui non eligit bonum. Quid ergo elegit in non bonis? Non enim electi ſunt, quia boni fuerunt, qui boni non eſſent niſi electi eſſent: alioquin gratia jam non eſt gratia ſi præceſſiſſe contendimus merita. Hæc quippe electio gratia eſt, de qua dicit Apoſtolus. Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ Dei ſalvæ factæ ſunt. Unde ſubjungit ſi autem gratia jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia. Audi ingrate, ingrate audi: non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Non eſt ut dicas, ideo electus ſum, quia jam credebam: ſi enim credebas in eum, jam elegeras eum. Sed audi non vos me elegiſtis: non eſt ut dicas antequam crederem jam bona operabar, ideo electus ſum. Quid enim eſt boni operis ante fidem cum dicat Apoſtolus. Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt. Quid ergo dicturi ſumus audiendo, non vos me elegiſtis, niſi quia mali eramus & electi ſumus, ut boni per gratiam nos eligentis eſſemus? Non eſt enim gratia, ſi præceſſerant merita, eſt autem gratia, hæc igitur non invenit, ſed efficit merita. Et videte Chariſſimi, quemadmodum non eligat bonos, ſed quos eligit faciat bonos. Ego, inquit, elegi vos, & poſui vos, ut eatis & fructum afferatis & fructus veſter maneat. Nonne iſte eſt fructus, de quo jam dixerat ſine me nihil poteſtis facere? Eglegit ergo & poſuit, ut eamus, & fructus afferamus: nullum itaque fructum unde nos eligeret, habebamus. Ut eatis inquit, & fructum afferatis. Imus, ut afferamus, & ipſe eſt via, qua imus, in qua nos poſuit, ut eamus: proinde in omnibus miſericordia ejus prævenit nos.*

CAPVT.

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

Falsæ explicationes, ac sinistræ interpretationes suprædictorum S. P. Augustini testimoniorum refelluntur.

268. VERÙM hæc aperta testimonia Leonardus Lessius in sua disputatione de prædestinatione invertere conatur, dicens hæc verba S. Augustini videri difficilia, & omnino favere electioni ante præviſionem operum, nisi quis consideret scopum S. Augustini, quo spectato nulla est difficultas. Scopus enim erat docere omnia bona opera & ipsam perseverantiam non esse ex nobis, idest ex nudis liberi arbitrij viribus, sed esse ex gratia, & dona Dei. Similiter discretionem à massa damnationis, & electionem ad gratiam justificationis & ad gloriam non esse ex operibus, sed ex gratia & gratuita Dei misericordia. Vnde cum dicit hæc non esse ex operibus, non excludit opera ut sunt ex gratia, sed solùm opera facta ante gratiam, & fortè opera gratiæ, qua parte sunt ex nobis; nulla enim opera nostra ut ex nobis sunt, merentur aliquid horum.

269. Ad quod respondetur quod cum verba S. Augustini inducta adeò clara sint, ut compulerint hunc authorem fateri, quod omnino favere videntur electioni ante operum præviſionem, fient multò clariora & concludentia, si quis attentius consideret scopum S. Augustini, quo spectato nulla erit difficultas, sed luce clarius constabit ipsum perpetuò docuisse talem electionem ad gloriam ante operum præviſionem.

270. Scopus enim S. P. Augustini contra Pelagium fuit. Primò necessariam esse gratiam, quam ille necessariam esse negabat. Secundò quod sine tali gratia, ex operibus solius liberi arbitrij nec gratiam nec gloriã mereri possumus, quæ duo manifesta sunt. Contra Semipelagianos autem scopus fuit nec initium nec finem salutis esse ex nobis tanquam ex nobis, unde nec initium fidei ex nobis, nec perseverantiam esse ex nobis contra illos semper defendit.

271. Diverso autem modo astruebant Semipelagiani initium fidei esse ex nobis, & ipsam perseverantiam. Nam initium fidei ex solis liberi arbitrij viribus, posita externa prædicatione constituebant, ut relatum est *lib. 1. part. 1. tract. 5.* Propter quem actum merè naturalem qui erat initium fidei, dicebant augeri à Deo fidem; (quod etiam nec hic author potest inficiari): At perseverantiam ex nobis esse dicebant, quia posita in nobis habituali gratia dante posse perseverare, asserebant quod homo ex se, se determinabat & illam secum faciebat de facto perseverare, solùm quia homo volebat, & hoc modò perseverantiam ex nobis ponebant, negantes illam donum Dei esse. Quod nec hic author negare potest, hoc modo Semipelagianos perseverantiam ex nobis constituisse. Scopus ergo S. P. Augustini fuit contra eos totum oppositum statuere, & quod initium fidei supradictum ex nobis esse non potest, & quod nec etiam ex nobis illo prædicto modo potest esse perseverantia.

272. Ad istum vero scopum firmandum atque probandum altius sumpsit principium, quod hic author non attendit, cum tamen & in litera S. P. Augustini, & in Epistolis S. Prosperi, & Hilarij ad eum missis, & ex relatis in eis de Semipelagianis, & ex ipsorum Semipelagianorum opusculis, nempe Cassiani, & Fausti, satis reddatur conspicuum. Quod altius principium consequenter loquendo S. Augustinus præmittere debuit, sicut semper præmisit ad illum scopum fundandum, & quod Semipelagiani etiam consequenter loquentes negare debebant, sicut expresse semper negarunt. Hoc autem principium fuit discretionem à massa perditionis fuisse per absolutam Dei electionem ad gloriam, qua nullis eorum existentibus meritis, aut præviſis operibus, sed communi cum aliis originali demerito, quos Deus voluit, gratuito elegit ad gloriam, ex qua absoluta electione quæ est circa gloriam tanquam circa finem, convincebat S. D. Augustinus, ut revera convincitur, quod initium fidei & omnia opera bona nostra & ipsa perseverantia dona sint Dei, ab ipso non solum præviſa, sed verè prædistinata, & præparata, & in tempore hominibus data, sicut efficacia media per quæ quoad exequutionem electi gloriam efficaciter consequerentur. Ecce scopus, & connexio doctrinæ S. Augustini, quam ex Apostolo didicit, & clarè explicavit, & contra adversarios prædestinationis & gratiæ constanter defendit.

273. Semipelagiani autem videntes illam electionem absolutam ad gloriam ante operum præviſionem, suo dogmati totaliter esse contrariam, & quod illa semel admissâ, tota ipsorum prosternebatur doctrina, eandem pertinaciter semper negarunt: & hic etiam fuit ipsorum finis ponere initium fidei & perseverantiam ex nobis, & negare electionem illam ad gloriam, ex qua totum contrarium manifestè convincebatur. Fatemur tamen quod si & tunc & modò verè omne donum gratiæ quoad initium, & finem, nobis ex Deo verè id tribuente poneretur, & diceretur electionem absolutam ad gloriam ex præviſione fieri illorum operum factorum verè ex efficacia gratiæ, quod nec S. Augustinus, nec nos adversus talem sententiam multùm insisteremus, quia jam omnis boni ponerent ex Deo esse principium, & possent salvare electionem ad gratiam esse gratuitam, cum daretur ex operibus factis ex vera gratia: licet non esset consona doctrina in hoc quod efficax volito dandi media, non præsupponeret efficacem volitionem finis. At ut diximus quia connexè illa duo à Semipelagianis ponebantur, & initium, & finis bonorum operum ex nobis, & quod ante illorum præviſionem non dabatur electio ad gloriam, ideo S. P. Augustinus utrumque simul in eis reprehendit.

274. Quod autem hæc sint apertissima ex eo patet primò, quod præparationem efficacem mediorum ad consequutionem gloriæ (quæ sunt omnia nostra bona opera, nempe credere, diligere pœnitere, in bono perseverare) ex Deo sicut ejus vera dona semper S. Augustinus adversus Pelagianos statuit. Hanc autem beneficiorum Dei seu mediorum præparationem ex efficaci & absoluta finis prævolitione debebat statuere, id est ex priori absoluta electione ad gloriam. Secundò quia in universum, omnes qui prædestinationem secundum propositum cum S. Augustino defendunt illam priorem electionem ad gloriam similiter cum eo statuunt: Et per oppositum quicumque, & præteritis, & præsentibus temporibus negarunt prædestinationem esse secundum Dei propositum, illam statuentes quæ est secundum præscientiam, etiam consequenter semper negarunt & negant illam absolutam ad gloriam ante operum præviſionem.

275. Tertiò quia S. Thomas qui pleniſſimè doctrinam S. P. Augustini sequutus est, apertissimis verbis tradit sæpe tum *1. p. quæst. 23.* tum *in sent.* tum *super Paulum*, ut relatum est cap. præcedenti, priorem ratione esse dilectionem & electionem absolutam ad gloriam prædestinatione ipsa & præparatione mediorum, & eorum præviſione. Vnde S. Doctorem non allegant in hac causa isti authores, videntes apertissimam ejus doctrinam his contradicere.

276. Quartò & principaliter quia inducta S. Auguſt.

Digitized by Google

Augustini testimonia manifesta sunt clarissiméque electionem ad gloriam, seu ad regnum publicant ante bonum operum prævisionem, cum eadem bona opera eis dari quia sic sunt ad gloriam electi, & à massa perditionis discreti, constantissimè dicant. Quomodo ergo non advertit qui negat fuisse S.P. August. quæstionem cum Semipelagianis de electione immediata ad gloriam, quod præter inducta testimonia, hoc S. Prosper Augustino *in epist. ad eundem* sicut principale proponit, in quo Semipelagiani insistebant: nam illorum potissimum argumentum Sancto Augustino proponens, ait, *Quemadmodum per hanc prædicationem propositi Dei, quo fideles fiunt, qui præordinati sunt in vitam æternam, nemo eorum qui cohortandi sunt impediatur.* Sicut Semipelagiani tunc opponebant, & modò eadem omnino ratione opponi videmus: si inquam ista quæstio tunc non tractabatur inter Catholicos illos Doctores, & Semipelagianos, ad quid de illa S. Prosper Sancto Augustino scribit desiderans ab eo informari contra Adversariorum argumentum. Si quæstio inter Catholicos cum Semipelagianis non fuit de electione ad gloriam ante operum prævisionem, ad quid S. Prosper Augustino *in eadem epist.* de Semipelagianis scribit. *Hæc enim ipsorum definitio & professio est..... Vniversis tamen hominibus propitiationem quæ est in sacramento sanguinis Christi sine exceptione esse propositam, ut quicumque ad fidem & ad baptisma accedere voluerint, salui esse possint. Qui autem crediturí sunt, quive in ea fide quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda mansuri sunt, præsciisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præsciverit.* Ecce definitionem & professionem Semipelagianorum constituentium post operum prævisionem faciendorum cum gratia (secundum illud *quos gratis vocatos*) electionem ad gloriam. An in ista sua definitione & professione dicet hic Author non erraisse Semipelagianos cum illorum error in ipsa consistat. Et rursus in eadem Epistola versus finem. *Pene omnium par invenitur, & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate & actione, præscierit.* Ecce ex præscientia perseverantiæ sub adjutorio gratiæ expresse asserebant fieri electionem & prædestinatione ad gloriam. Numquid non erat cum Semipelagianis à Catholicis de hoc nota controversia. Nunquid aliud S. Augustinus magis destruxit, quàm hanc prædestinationem secundum boni usus præscientiam.

277. Nec mirum quod qui eodem prorsus modo prædestinationem nunc secundum boni usus præscientiam statuit (ut aperiendum erit infra hoc libro particulari disputatione) ad alia divertat, & laboret suadere Sanctum Augustinum minimè de hoc Semipelagianos damnare, sed tantum de initio fidei & perseverantia ex nobis, cum utrumque, quia connexæ materiæ sunt, in eis plenissimè S. Doctor expugnaverit. Verum licet de illis præcisè duobus per S. August. convicti essent, etiam authores cum quibus agimus, eodem prorsus modò convincerentur qui eadem duo nobis ex nobis constituunt, ut in lib. 3. & 4. copiosè demonstrabimus.

278. Manifestum est ergo Semipelagianos in duobus consequenter errasse. Primò & principaliter quia initium fidei & perseverantiam nobis ex nobis tribuebant. Secundò quia ex prævisione ipsorum, electionem ad gloriam affirmabant, & de utroque fuerunt per S. Augustinum convicti, quod nec initium fidei vel perseverantia ex nobis est, sed verè sunt dona Dei efficaciter illis data qui à massa perditionis per absolutam, & gratuitam electionem sunt electi ad gloriam.

279. Sed probat author prædictus mentem Sancti Augustini esse quòd electio ad gloriam fiat post operum faciendorum ex gratia prævisione. Primò quia ipse illa, verba non ex operibus, sic explicat. *Electi sunt per electionem gratiæ non præcedentium meritorum suorum, quia gratia illis est omne meritum.* Id est non ex meritis gratiam præcedentibus, quia omne meritum illorum est illis ex gratia: itaque electio gloriæ seu gratuita non excludit merita, quæ sunt ex gratia, sed solum ea, quæ non sunt ex gratia.

280. Ad hoc Respondetur verissimè dici à S.P. Augustino quòd ante gratiam nulla sunt hominum merita, sed quod omne meritum est ex gratia, & quod Deus homines eligit ad gratiam (quæ dat meritum) sine meritis, aut operibus illorum. Hoc quidem verissimum est, & à S. P. Augustino non semel dictum, sed & illud verissimum est, docere S. Doctorem illam gratiam quæ sine meritis datur ut merita sint in prædestinatis, dari ex priori electione qua sunt gratuitò electi ad gloriam, quia enim sic electi sunt, media gratiæ certa & efficacia dantur, ut ex illis merita habeantur quibus quoad executionem gloriam obtineant.

281. Quòd autem additur, quod sicut Paulus disputans contra Judæos opera legis negat, non alia quæ præcedunt justificationem sicut fidem, spem, pœnitentiam, & dilectionem: ita etiam Augustinus disputans contra Pelagianos, & Semipelagianos, qui cum Judæis in simili errore versabantur, opera etiam legis negat, non verò ex gratia facta. Dicendum falsum omnino esse, ut supra ostensum est, negasse Apostolum solùm opera externa legis illis verbis *non ex operibus* quia ista adulterina Fausti Semipelagiani explicatio est: sed negat Apostolus omnia in universum opera quæ præcedant, ut Deus hominem diligat; Quia dilectio Dei sive diligat ad gloriam, sive ad gratiam, prior est omnibus humanis meritis, vel bonis operibus, & illorum est causa: illa autem numerata opera, scilicet fides, spes, pœnitentia, dilectio, quæ antecedunt gratiam justificantem dona Dei sunt ex prioribus gratiæ auxiliis gratis hominibus data, per quæ eos ad gratiam justificantem disponit, & pertinent ad gratuitam Dei vocationem quæ antecedit justificationem. Vnde justificatio datur propter illa non tanquam propter merita, sed tanquam propter dispositiones ad ipsam, quæ opera disponentia secundum quod sunt à priori auxilio gratiæ gratis omnino collato nec Augustinus, nec Apostolus, negare intenderunt.

282. Quod vero dicitur, quòd hoc sensu rectè dicuntur gratis electi ad gloriam, qui eliguntur ad ipsam ex operibus factis ex gratia. Dicendum quod si non sola voce, sed revera omnia illa bona opera ex gratia verè ponerentur effecta, & non ex libero arbitrio determinante, & secum trahente gratiam ut cum illo operetur, verè id quidem salvaretur, atque diceretur secundum quod Paulus ait *gratiam pro gratia*, ubi gloriam vocat gratiam, quia verè fuit obtenta ex gratia. Verùm tunc ita dicerentur gratis electi ad gloriam modo dicto, quod etiam dicerentur ad illam electi ex meritis ex vera gratia procedentibus. At in sensu quo Author cum Semipelagianis ponit illa opera esse facta cum gratia, id est ex libero arbitrio secum trahente, quia vult, gratiam ut secum operetur, nullo modo salvatur aut salvari potest quòd electio ad gloriam ex talium operum prævisione possit esse gratuita, sed ex merito secundùm quod est ex libero arbitrio sic ex se, se determinante, haberetur, qui error fuit Semipelagianorum.

283. Oppo

Digitized by Google

283. Opponit secundò quod S. Pater Augustinus non solùm loquatur de ordine intentionis sed executionis sicut & Apostolus Paulus, non enim tantum volunt indicare Deum hæc dona gratis intendisse, sed etiam gratis & non ex operibus conferre: itaque non loquitur ex operibus ex gratia factis (nam fide tenendum est horum operum in justificatione & glorificatione rationem haberi) sed de operibus solius liberi arbitrij viribus præstitis, de quibus erat controversia inter Augustinum & Pelagianos & illorum reliquias.

284. Ad hæc respondetur. Controversiam Augustini contra Pelagianos priores fuisse quidem de operibus solius viribus arbitrij factis absque aliqua gratia, quam necessariam esse illi priores Pelagiani negabant. Cœterum cum reliquiis eorum, ideſt cum Semipelagianis, quoad initium fidei controversia fuit de operibus solius liberi arbitrij factis, ut dictum est: At de perseverantia controversia erat de actu liberi arbitrij supponente habitualem gratiam, & illam sibi facientem perseverare sub adjutorio namque gratiæ, ut expressissimis terminis S. Prosper de illis refert citatis locis: unde illi bonum usum arbitrij constituebant facientem, ut secum gratia perseveraret, quia volebat liberum arbitrium. Et mirum est quod ad ista tam clara & tam manifesta non advertat, qui ut fugiat illorum errorem in hac parte, id de illis dicit quod manifestam involuit repugnantiam cum illorum aperta sententia clarissimis verbis proposita.

285. Ad id verò quod dicit non solùm Apostolum, & S. Augustinum loqui de ordine intentionis, sed etiam executionis. Respondetur id quidem verum esse in hoc sensu, quod gloriam quæ est finis prædestinationis, non solùm vult ordine intentionis, sed etiam ordine executionis, hoc modo quod ordine intentionis illam vult gratuitò, & sine operibus; at ordine executionis illam vult dare ex operibus faciendis ex vera efficaci gratia: alia autem dona gratiæ quæ sunt media ad istum finem vult Deus ordine executionis sine operibus dare, nam cum sint media ad intentionem non pertinent, quæ est respectu finis.

286. Quod insuper addit tam glorificationem, quàm justificationem non fieri sine operibus illis jam ab ipso numeratis videlicet fide, spe, pœnitentia, & dilectione, cum secundū fidem illa præcedant. Dicendum quod secundū fidem illa quidem præcedunt, sed facta ex efficaci auxilio gratiæ per quod Deus verè & activè propriè facit ut homo illa faciat, quæ pertinent ad vocationem quæ est primus actus prædestinationis propter quem datur secundus, qui est justificatio, docente Apostolo, *quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit.* & Sanct. Thoma 1. *part. quæst.* 23. *art.* 5. dicente quod unus effectus prædestinationis est causa alterius. At non præcedunt illa opera, nec præcedere possunt justificationem secundum quod ab hoc authore cum Semipelagianis constituitur, nempe ut procedant ex libero hominis arbitrio ex sua innata libertate se determinante, & trahente, atque faciente, ut gratiam secum concurrat: sic enim ponere, præcedere opera justificationem, potiùs veritatem oppugnat, & gratiam Dei negat, illam pedissequam ad arbitrium constituendo, & ex debito redditam, ut copiosè in hoc secundo libro, & in nostro quarto ostensuri sumus.

287. Objicit tertiò quia scopus S. Augustini erat horum errorem refutare, qui in eo situs non erat quod putarent homines eligi ad regnum ex operibus gratiæ, sed longè ab hac sententia discrepabat. Pelagianorum enim error erat homines immediatè eligi ad regnum ex operibus naturæ, seu propter opera bona solis naturæ viribus patrata: Semipelagianorum verò erat homines ex naturæ operibus eligi immediatè ad gratiam & consequenter ad regnum, sive gratiam qua regnum possent mereri, esse prædestinatam ex operibus naturæ, ut ex Epistolis Prosperi & Hilarij ad Augustinum constat. Itaque gratuita electio apud Augustinum solum se extendit ad opera naturæ, non gratiæ.

288. Ad hæc respondetur scopum S. Patris Augustini esse errorem Pelagianorum & Semipelagianorum expugnare, sicut efficaciter expugnavit. Error autem Pelagianorum, ut etiam objector fatetur, ille fuit homines eligi immediatè ad gloriam propter opera solis naturæ viribus facta, cum gratiam esse necessariam ad hoc negarent. Error autem Semipelagianorum fuit, homines eligi immediatè ad gratiam ex operibus naturæ, seu gratiam esse prædestinatam ex operibus naturæ; contendentes primum donum gratiæ, seu primam vocationem ad fidem dari propter initium fidei, seu alia bona opera ex solis naturæ viribus facta: & hoc est primum, quod dicebant: in quo rectè Author id dicit, sed tacuit alia, quæ asserebant: Affirmabant enim secundo quod habitis sic donis gratiæ ex naturæ operibus, liberum arbitrium eis prout volebat benè, vel malè utebatur ad ulteriora opera perficienda; ita quod subdebat sibi arbitrium gratiam, & sua innata libertate, sive in unam sive in alteram partem secum trahebat, & pedissequam sibi faciebat: unde illa gratia cum illo operabatur hac sola ratione, quia liberum arbitrium volebat.

289. Asserebant tertiò quòd eodem modo quoad perseverantiam homo perseverabat in habita gratia, non ex dono Dei verè efficiente quod perseveraret, sed ex arbitrij innata libertate quæ efficiebat, ut gratia secum perseveraret: & ita initium & progressum in illa, & finem qui erat in illa perseverare, ex homine constituebant, sed diverso modo, initium enim fidei ex solis arbitrij viribus assignabant, progressum autem & perseverantiam usque in finem ex homine dabant determinante se, inchoante, gratiâ secum concomitante, ut relatum est supra *lib.* 1. *part.* 1. *tract.* 5. Et ex præscientia hujus triplicis boni usus dicebant electionem, & prædestinationem, ad gloriam fieri. Hic fuit Semipelagianorum error à primis initiis fidei usque ad perseverantiam inclusivè. In omnibus istis tribus errabant. Primò, quia primam vocationē ad fidem seu primum donum gratiæ, operibus solius liberi arbitrij viribus factis reddi contendebant, in quo magis cum Pelagianis consentiebant ut patet ex errore Pelagianorum nunc relato. Secundò, quia gratiam sic redditam liberi arbitrij usui subdebant, ita ut arbitrio inchoante & determinante, quia volebat, ipsa statim gratia illico operaretur. Tertiò quia negabant Deum verè efficere quod perseverarent, sed quod in gratia homo perseverabat quia volebat, reddens suo bono usu illam secum de facto perseverantem. Vnde completum istorum errorem in his tribus consistentem S. P. Augustinus expugnavit. Primum quidem de initio fidei solis viribus arbitrij elicito, in libro de prædest. Sanct. Secundum autem, & tertium lib. de don. perseverantiæ, ubi expressè docet perseverantiam esse donum Dei, ad hunc sensum, quod Deus dono gratiæ verè facit homines perseverare, non quia ipsi solum perseverent, quia volunt; in quo eadem omnino ratione docet quod Deus facit in progressu vitæ benè homines operari.

290. Objector autem, ut diximus, referens errorem Pelagianorum quoad illum primum ex illis tribus, reliqua duo tacet. Quomodo autem non videt illa duo in libro de dono perseverantiæ ex pro-

Digitized by Google

fesso à Sancto Augustino damnari. Si enim Semipelagianorum error in illo primo totus situs esset, nec S. Augustinus librum de perseverantia scripsisset; sed sufficeret ille primus de prædestinatione Sanctorum, in quo ille primus eorum error de initiis fidei confutatur: manifestum est ergo eos etiam erasse in modo quo ponebant homines operari in progressu operum cum gratia, & in ipsa perseverantia. Quod præter inducta S. Prosper expresè tradit, completum Semipelagianorum errorem comprehendendo cum dicit libro contra collatorem cap. 38. *Nunc enim conturbat nos superbientium inepta querimonia, quia liberum arbitrium causantur auferri, si & principia & profectus & perseverantia in bonis usque in finem, Dei dona esse dicantur.* Negabant ergo Semipelagiani (contra enim unum ex his primum S. Prosper illum librum scripsit) dona Dei esse non solum initia, sed & profectus, & perseverantiam: & ex præscientia horum, quæ negabant dona Dei esse, constituebant fieri electionem & prædestinationem ad gloriam: sicut objector eadem omnino ratione electionem & prædestinationem ad gloriam ex operibus quæ nec dona Dei esse reipsa admittit, manifestè constituit, ut in particulari tractatu in fine hujus libri efficaciter comprobabimus. Vnde diminutè Semipelagianorum errorem narrat.

291. Igitur in S. P. Augustini manifesta sententia non solum electio ad gloriam, non fit ex operibus solius liberi arbitrij sine gratia, (quod contra priores Pelagianos asseruit) verùm nec fit ex initiis fidei, ex progressu in gratia & perseverantia in ipsa modo supradicto. Verum est, ut iterum dicam, quòd si Semipelagiani & modò authores cum quibus agimus, nec initia illa fidei & vocationis ad illam admitterent, sed omnia nostra opera quoad initium, progressum, & finem perseverantiæ verè Dei dona esse constituerent, ab ipso in nobis verè effecta, ita quod hoc quòd est bene uti auxilio gratiæ, ex efficacia ipsius prævenientis gratiæ proveniret; & ex præscientia eorum assererent electionem fieri seu prædestinationem ad gloriam, quod nec de errore à Sancto Augustino damnarentur, nec multum cum eis esset contendendum, etiamsi priorem electionem ad gloriam non admitterent; quia tunc, sine errore Pelagianorum, omnia Scripturæ testimonia possent explicare. Quod igitur author subjungit *quòd multas loquutiones habet D. Augustinus, quas non facilè assequeris nisi scopum ejus, & contra quos disputet diligenter attendas. Vnde multi etiam diligentes ejus lectores in errorem prolapsi sunt.* Et iterum, *Respondeo D. Augustinum à plerisque malè fuisse tunc intellectum & modo à multis non rectè intelligi.* Verum quidem dicit, sed à se ipso, & pro seipso ista incipiat adaptare, & videbit quòd quia scopum S. P. Augustini non considerat, nec quæ dixerint illi contra quos agit, ideo minus doctrinam Sancti Augustini attingit, & quod majus est damnatam Semipelagianorum doctrinam circa electionem & prædestinationem ad gloriam iterum introducit.

292. Adversus illud secundum testimonium S. P. Augustini ex libro de dono perseverantiæ, in quo apertis verbis ex priori electione ad gloriam, infert sicut effectum quòd quis perseveret. Objicit supradictus Author *in citata sectione* 4. §. *Respondeo.* Hoc testimonium si bene expendatur non adversari suæ sententiæ, nec favere illi absolutæ electioni. Si enim Augustinus (inquit) agnosceret talem electionem, non dixisset esse insorutabile judicium Dei quòd hic parvulus baptizetur, ille non baptizetur, quod iste impius ita vocetur ut sequatur, iste non vocetur &c. In promptu enim causam habuisset, quod iste sit electus ante omnem prævisionem futurorum, ille non sit electus: ex hac enim electione proveniet, ut Deus res omnes sic gubernet, ut iste salvetur, ille non salvetur.

293. Quis autem non videat (ut ab hoc incipiat nostra responsio) quàm lepida sit ista oppositio: cum S. Augustinus citato illo testimonio utrumque aperte proponat. Et inscrutabilia esse Dei judicia in hoc quod unus baptizetur, & non alius: alter perseveret, alius vero non: hic vocetur, & non iste. Et quod certissimè tenendum fidelibus est, illos esse de numero prædestinatorum & electorum ad gloriam, non istos. Certissimum est, inquit, fidelibus, quod iste baptizetur & non ille, illam esse rationem, quod iste sit electus ad gloriam non ille: hanc rationem non dicit inscrutabilem, sed certissimè tenendam atque fidelibus tradendam, at quare potius iste, quàm ille sit baptizatus atque salvatus & ad gloriam electus cum utriusque eadem ex parte ipsorum causa sit, hoc est inscrutabile, in hoc sunt inscrutabilia judicia Dei. Similiter quare iste ad fidem vocetur qui æqualiter ac alter in infidelitate existit, & majoribus plerûque peccatis irretitus, & ita vocetur ut credat, alio relicto, qui similiter vocari poterat, inscrutabile Dei judicium est; sed non est inscrutabile, quod ille qui credi, ex voluntate absoluta qua Deus vult quod credat, fidei assentiatur. Parique ratione, quod ex duobus in charitate multoties æquali existentibus, iste usque in finem vitæ perseveret, ille verò non; hujus rationem assignare non possumus ex parte ipsorum, sed nobis inscrutabilis hujus ratio in judicio Dei existit. Hoc unum nos certissimè scimus, quòd ille erat prædestinatus & ad gloriam electus, non ille: quare autem rursus ille, & non iste fuerit ad gloriam electus, scrutari nequimus, sed rectissimè à divina voluntate factum fuisse omnes confiteri debemus.

294. Prosequitur & dicit objector, quod ideò Sanctus Augustinus vult illud nobis esse inscrutabile, ut retundat errorem Pelagianorum & Semipelagianorum, qui ista omnia in parvulis & adultis referebant ad occulta merita & demerita, quæ vel habuissent si mansissent in vita, vel habuerunt ante primam vocationem. Quod ergo ex duobus parvulis alteri procuretur baptismus, alteri non procuretur, potest provenire vel ex communi cursu rerum, quem Deus nolit immutare; vel quia circa illum habet peculiarem curam, quam non habet circa istum; vel ex Dei beneplacito quo inæqualiter gratias suas distribuit, idque ob preces, & merita parentum, vel ut puniat parentes ejus qui ante baptismum moritur. Et infra. Quæ autem istarum causarum Deum moverit, ut res ita regeret aut sineret agi, sicut præsciebat futurum, ut alter baptizaretur, alter verò minimè, nobis in particulari est inscrutabilie.

295. Ad quæ respondemus præter illam unam causam quam inter alias proponit (quod nempe hoc proveniat ex Dei beneplacito quo inæqualiter gratias suas distribuit in tempore secundum quod gratuitè ab æterno elegit & præparavit) omnes aliæ causæ nec subsistunt, nec subsistere possunt; illas enim Pelagiani aut Semipelagiani assignandas esse contendebant, propterea à S. Augustino inveniuntur manifestissimè confutatæ. Vt enim omittam modò quod infra abundantiùs probandum erit, dici non potest quod Deus deneget baptismum parvulis, ut puniat delicta parentum, nec enim Deus æternam mortem filij ordinat eo fine ut parentis delicta puniat: similiter dici non potest ideo baptizatur puer alius, quia parentes volunt. Hanc enim rationem Sanctus Pater Augustinus in Pelagianis expugnat, tum Epist. 107. ad vitalem, tum, alibi hoc falsissimũ esse evidentissimè ostendens de quo infra suo loco agendum erit. Quod verò pro ratione redditur, quia Deus habet particularem hujus curam non alterius, verè proponitur, nec ab illa priori

Digitized by Google

priori assignata ex parte beneplaciti Dei distingui videtur. Verissimum est enim quod quia Deus ex beneplacito suo distribuit inæqualiter suas gratias, & quia ex hoc beneplacito istum gratuito eligit ad gloriam non illum, ideo particularem curam habet, ut huic detur baptismus per quem gloriam ad quam est electus consequatur, quam curam non habet circa alium, qui electus ad gloriam non est. Hæc inscrutabilitas iudiciorum Dei in hoc consistit, ut opinatur, quòd nesciamus in particulari quænam ex illis signatis rationibus Deum moverit ad id faciendum: perversa enim doctrina est, & non solùm contra S. Augustinum, sed contra Apostolum id asserere. Sed in hoc verè sunt judicia Dei inscrutabilia quòd nulla existente causa, aut ratione ex parte illorum parvulorum, vel parentum, vel alia quæcumque à nobis imaginabili ex parte ipsorum, ut unus baptizetur alter non, ex sola Dei voluntate, sine dubio iustissima, huic baptismus datur, alteri denegatur: ad hanc enim inscrutabilem Dei voluntatem & electionem gratuitam, sicut Apostolus de Iacob, & Esaü docuit, & ex ipso S. Augustinus didicit, refert ipse quòd unus baptizetur non alius, pro fine habens, idque principaliter intendens omnes alias præcludere, ut nominatim excludit.

296. Addit verò supradictus Author in eadem sect. 4. *Quod ut hunc Deus vocet, alium non vocet, aut non ita vocet ut sequatur, ratio potest esse multiplex*, addens *non esse inscrutabile, cur vocatio in isto sit efficax in actu secundo, in isto inefficax; id enim pendet ab arbitrij libertate in cujus manu est facere ut sit efficax, vel inefficax: idemque dicendum de auxiliis quæ dantur ad perseverandum.* Hæc ille quàm apertè autem doctrina ista Semipelagianorum sit ipsissima sententia, nedum per Sanctum Patrem Augustinum, sed per Concilia, & Pontifices summos reprobata, non nunc, sed copiosè quarto nostro libro ostensuri sumus. Restat ergo pro nunc certum quod tractamus, semper Sanctum Patrem Augustinum tradidisse absolutam electionem ad gloriam, ex qua sicut ex voluntate efficaci finis, Deus certissima media nostræ salutis præparat.

CAPUT XXVIII.

Efficacem & immediatam electionem ad gloriam fieri absque prævisione meritorum ex SS. Prospero atque Fulgentio manifestatur.

297. SANCTVS etiam Prosper præter supra inducta loca hoc ipsum expressè manifestat. *In responsione enim 3. ad 3. caput Gallorum* respondet ex prædestinatione ad gloriam nihil illorum quæ Galli objiciebant inferri. Galli namque inferebant quòd non prædestinati ad vitam tamdiu reservantur, donec ruant. Vbi nomine prædestinationis etiam ipsi Pelagiani intelligebant prædestinationem ad gloriam. Et præcipuè *cap. 7.* ad objectiones Gallorum vocat hanc electionem ad gloriam præordinationem ex qua dimanat perseverantiæ donum. Vide Sanctum Prosperum in respons. ad omnia capita Gallorum, & in sententiis, ubi hoc ipsum docet apertè, in secunda enim sententia, sic habet. *Qui dicit quod ab his qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia peccatum originale, non est Catholicus.* Vbi de prædestinatione ad vitam, & gloriam apertè loquitur. Et in responsionibus ad objectiones Vincentianas, & ad excerpta Genuensium, ubi passim prædestinationem ad vitam æternam secundum Dei propositum sine aliquibus operibus prævisis, contra Semipelagianorum objectiones defendit. Item *in Epist. ad Rusinum* ita scribit. *Ab hac autem confessione gratiæ Dei, ideo quidam resiliunt, ne cum eam talem confessi fuerint, qualis Divino eloquio prædicatur, & qualem opere suæ potestatis agnoscunt, etiam hoc necesse habeant confiteri, quod ex omni numero hominum per sæcula cunctarum, certus apud Deum definitusque sit numerus prædestinati in vitam æternam populi, & secundum propositum Dei vocantis electi. Quod quidem tam impium est negare, quàm ipsi gratiæ contraire.* Quibus verbis manifestissimè contra Semipelagianos defendit electionem ad vitam æternam secundum propositum Dei vocantis, quod propositum merita non supponit sed facit, ut est apertissimum. Et 1. *libro de vocat. gent. cap. 22.* sic dicit. *Isti autem qui nescire aliquid erubescunt, & per occasionem obscuritatis tendunt laqueos deceptionis, omnem discretionem qua Deus alios eligit, aliosque non eligit (multi enim sunt vocati pauci verò electi) ad merita humanæ voluntatis referunt; docentes scilicet neminem gratis, sed ex retributione salvari; quia naturaliter omnibus sit insitum, ut si velint, possint veritatis esse participes, eisque affluere gratiam à quibus fuerit expetita.* Ecce dicebant Semipelagiani neminem gratis salvari, sed ex meritis. Et exponens quæ merita, dicit illa esse, videlicet bonum usum arbitrij petentis gratiam, vel illa benè utentis: & id aliis in locis sæpè declarat, potissimè Epistola ad Augustinum supra relata, in qua præscientiam liberi arbitrij benè utentis adjutorio gratiæ, apertissimè negat esse priorem ipsa electione ad gloriam. Damnat ergo Sanctus Prosper sententiam quæ dicit electionem ad gloriam non fieri gratis, sed ex meritis liberi arbitrij benè utentis gratia.

298. Et *secundò libro de vocat. gent. cap. 29.* clariùs electionem ad gloriam ponit ante operum prævisionem, sic enim habet. *Ita semper præcognitum habuit* (scilicet Deus) *quantus piorum numerus per opem gratiæ & per servitutem obedientiæ ad æternam beatitudinē pertineret, ut nullo excidēte de plenitudine promissorum, qui nec provectu erat fallendus nec auxilio defuturus, eos glorificaret præ omnibus quos elegit ex omnibus.* Vbi electionem constituit diversam à glorificatione quæ datur ex meritis, & ex consequenti illā priorem electionē quam assignat, sine meritis statuit. Et clariùs cap. 34. *Contra hanc* (inquit) *invictæ veritatis splendidissimam lucem, solent quidam non sobriè dicere, superfluò ad acquirenda bonorum operum merita laborari, frustra etiam orationibus, quibus Deus exorandus speratur, insisti, si ex incommutabili proposito ejus, Christianæ gratiæ subsistit electio, nec aliter quidquam procedere potest quàm omnipotentis voluntate dispositum est.* Quibus manifestè electionem ad gloriam ex Dei proposito, & ante prævisa merita (contra quam illa argumenta malè opponebant Pelagiani, sicut & modo eadem malè objiciuntur) statuit, atque defendit. Ac tandem *in cap. 36.* concludit totum librum hac repetita veritate dicendo. *Quamvis ergo quod statuit Deus, nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum, liberi arbitrij devotio relaxatur, cum implenda voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum; & qui bona gesserint, non solùm secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur. Ob hoc enim in remotissimo ab humana cognitione secreto, præfinitio hujus electionis abscondita est.* Vbi luce clarius semel & iterum constituit electionem ad gloriam, & illius prædefinitionem ante operum prævisionem, cum eam dicit esse causam eorum bonorum operum, quæ proinde ex tali præfinita

electione

Digitized by Google

electione procedunt. Accedit quod præcedenti capite de epistola Hilarij ad Augustinum præmisimus. Cum enim ipsum Doctorem Sanctum interrogat ut exponat quomodo ex efficaci electione ad gloriam ante prævisa merita non impediatur cohortatio, prædicatio &c. evidentissimum est quòd ipse secutus Sanctum Augustinum illius sententiam tenuit, quod nempe efficax electio ad gloriam, omnia merita præveniebat.

209. Præterea relata jam sunt S. Prosperi verba in epistola ad Sanctum Patrem Augustinum, in qua semel & iterum, videlicet in principio & in fine, dicit hanc fuisse Massilienſium definitionem ac professionem, quod electio ad gloriam fiat ex operibus factis sub adjutorio gratiæ, & ex illorum prævisione non ante illam. Legatur attentè, idem expressè S. Hilarius affirmat.

300. Sed opponit Leonardus Lessius *disput. de prædest. sect. 5. in principio*, quod si Massilienses posuissent omnem bonam voluntatem, & in primis fidem effectumque credendi esse donum Dei, & ex gratia, nullo modo errassent in illa sententia de prædestinatione ad regnum, sed catholicè sensissent. Non enim error eorum in eo positus erat quod putarent homines ad regnum prædestinari ex prævisis operibus gratiæ, sed ex prævisis operibus liberi arbitrij, qualia putabant esse fidem qua quis elegit permanere in fide, & observantia mandatorum Dei. Hanc esse illorum mentem patet *ex tota epistola S. Prosperi ad Augustinum*, & potissimè ex verbis illis. *Propositum autem vocantis gratia in hoc omnino definiunt, quòd Deus constituerit nullum in suum regnum nisi per sacramentum regenerationis assumere; & ad hoc salutis donum omnes homines universaliter, sive per naturalem, sive per scriptam legem, sive per Evangelicam prædicationem vocari: ut & qui voluerint* (per liberum arbitrium) *fiant filij Dei, & inexcusabiles sint, qui fideles esse noluerint: quia justitia Dei in eo sit, ut qui non crediderint, pereant: bonitas in eo appareat, si neminem repellat à vita; sed indifferenter universos velit salvos fieri.* Et infra *itaque quantùm ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam, quantùm autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte* (ideſt sine gratiæ impulsu, & ope) *crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Idem patet ex Epistola Hilarij. *Non ergo elegit Deus*, scilicet dicunt Massilienses *opera cujusquã in præscientia quæ ipse donaturus est: sed fidem eligit in præscientia, ut quem crediturum esse præscivit, ipsum elegerit, cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam consequeretur.* Et infra *Cæterum præscientiam, & prædestinationem, vel propositum ad id valere contendunt, ut eos præscierit, vel prædestinaverit, vel proposuerit eligere qui fuerant crediturí.*

301. Sed ad hæc facilis responsio est, si omnia quæ in illis Epistolis apertè continentur inspiciantur, & non aliqua truncatè, aliis omissis opponantur, ut fit in præsenti objectione. Certum est enim haberi in Epistolis illa verba citata, certumque est errasse Massilienses contendendo prædestinare Deum ad fidem & ad vocationem ipsius ex illis initiis solis naturæ viribus ab ipsis admissis. Sed & illud est certissimum atque manifestum, addidisse quòd jam sic habita fide ex priori videlicet naturæ merito, homo dono ipsius benè utebatur quia volebat, & consequenter omne donum gratiæ etiam ipsam possibilitatem ad perseverandum ipse homo sibi subjiciebat, sive benè utendo quia sic volebat, sive malè operãdo. Vnde efficacem sive ad benè operandum & perseverandum, gratiam reddebat, & Deus illum prædestinabat & eligebat ad gloriam ex completa præscientia initij fidei merè naturalis, & boni arbitrij reddentis sibi gratiam & perseverantiam efficacem. Hoc manifestum est ex Epistolis jam supra relatis, nec credimus hoc aliquos negaturos qui sincerè ad illas velint attendere. In tribus ergo errarunt Semipelagiani, ut jam præcedenti capite explicavimus, sed in illis initiis fidei magis ad Pelagianos accedebant, & gratiam ex meritis illis dari dicebant, ut sanctus Augustinus adversus illos probat *libro de prædest. Sanct. cap. 2.* Dato autem, illa initia non admitterent, sed assererent quod Deus omnibus dat communia auxilia ad credendum, & homo ex se, solùm quia vult, credit, & se discernit ab alio, sicut de aliis operibus bonis, & de perseverantia posuerunt, adhuc illorum doctrinam sanctus Augustinus circa illum modum ponendi fidem, damnaret, sicut de facto similem modum ponendi perseverantiam damnavit. Vnde etiam si sic dicerent fieri electionem ad gloriam ex talibus prævisis operibus factis cum fide & gratia, seu reddentibus fidem & gratiam sibi efficacem, patet quod constituerent illam electionem ex bono usu, & determinatione arbitrij quæ non fieret verè ex gratia, esſetque illorum proprius error Semipelagianorum: nam in illis initiis, ut dixi, magis cum pelagio consentiunt. Vnde cum author dicit eos in hoc non erraſſe, magis ipse errat.

302. Insuper sanctus Fulgentius, qui & ipse contra Semipelagianos constanter pro gratiæ defensione pugnavit *lib. de Incar. & grat. Christi* cap. 31. expressè de prædestinatiõe loquens post alia multa sic dicit. *Sicut nihil naturaliter subsistit, quod ille non fecerit, ita nihil provenit in salutem homini, quod ille non interna bona voluntatis dispositione faciendum prædestinaverit.* Et paulò post ita concludit. *Cujus prædestinationis veritatem, quæ nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante ultimum diem vitæ præsentis, impietatis suæ contumaciam, qua Deo vivo & vero rebellis obsistit, non abjecerit, manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit & prædestinavit ad regnum.* Quid clarius dicere potuit ad ostendendam electionem & prædestinationem ad regnum & gloriam gratis fieri, & non ex meritorum prævisione procedere? Et in præcedentibus præmiserat *quos prædestinavit, id est elegit ad gloriam, prædestinavit ad justitiam.* Vbi ex efficaci electione ad gloriam prædestinationem ad gratiam, & merita rectè deducit, sicut id quod ex alio priori dependet. Constituit ergo Fulgentius electionem ad gloriam priorem prædestinatione ad gratiam, & meritorum prævisione.

CAPUT XXIX.

Efficacem, immediatamque electionem ad gloriam fieri absque prævisione meritorum ex D. Thoma apertissimè ostenditur.

303. OMNIUM clarissimè sanctus Thomas docet electionem efficacem ad gloriam fieri ante omnem operum prævisionem faciendorum ex libero arbitrio, & gratia. Id enim apertè docet *1. p. quæst. 23. ferè per totam. In 1. enim art.* definit prædestinationem esse rationem transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ. Quo loco etiamsi nihil postea apertius dixisset, docet manifestè priorem secundum rationem esse in Deo volitionem sive intentionem finis vitæ æternæ, quàm volitionem seu prædestinationem mediorum, quæ in talem finem ordinantur

Digitized by Google

dinantur. Sed expressiùs *in art.* 4. id voluit aperire dicens. *Prædestinatio est pars providentiæ, providentia autem sicut & prudentia est ratio in intellectu existens, præceptiva ordinationis aliquorum in finem, ut supra dictum est; non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem nisi præexistente voluntate finis, unde prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem quod Deus illorum velit salutem, ad quod pertinet electio, & dilectio; dilectio quidem in quantum vult eis hoc bonum salutis æternæ, nam diligere est velle alicui bonum, sicut supra dictum est; electio autem in quantum hoc bonum aliquibus præ aliis vult.* Hæc est fundamentalis doctrina sancti Doctoris in materia prædestinationis, quod videlicet electio ad vitam æternam & gloriam sit prior secundum rationem ipsa prædestinatione, quæ attendit media in illum finem; & ex consequenti omnia media, & omnia merita, & omnem illorum prævisionem antecedit electio ad vitam æternam. Et adeò est manifesta sancti Thomæ doctrina, ut commentatore non indigeat, sed lectore.

304. Idem docet sanctus Doctor multis in locis suæ doctrinæ, *in 1. enim sent. dist. 41. art. 2. ad 1.* Sic dicit *Electio enim divina est, qua aliqui ex ordine suæ sapientiæ ordinantur in finem beatitudinis, sed prædestinatio est secundùm quod præparantur eis ea quæ perducunt in finem; & ideo sicut voluntas ordinans in finem præcedit actum voluntatis præparantis ea quæ ducunt in finem, ita electio prædestinationem præcedit.* Idem docet *quæst. 6. de verit. art. 1. & 12.* Et *Super 9. cap. Epist. ad Rom. lect. 2. in fine.* Apertè ergo secundùm Sanctum Thomam electio in finem beatitudinis præcedit omnem rationem mediorum, & omnem eorum prævisionem: Non ergo potest fieri electio talis ex prævisione operum, & mediorum. *Et in eodem loco modo citato ex 1. sent. solutione ad secundum* ait, *Electio divina non præexigit diversitatem gratiæ, quia hoc electionem consequitur*: Ergo non fit electio ad gloriam ex diversitate operum faciendorum ex gratia, sed potiùs opus faciendum ex gratia, ad electionem ad gloriam consequitur.

305. Quæ cum ita sint, quis non miretur velle recentiores tam apertam literam, & sententiam sancti Thomæ in suam retorquere sententiam, dicentes Sanctum Doctorem in illo primæ partis solùm asserere prædestinationem aliquorum ad vitam æternam supponere secundum rationem quod Deus illorum velit salutem, sed non salutem æternæ vitæ, sed tantùm salutem justificationis, ita quod Deus, quia illorum vult justificationis salutem, ideò prædestinat media ad talem salutem justificationis. Et hanc dicunt esse mentem Sancti Thomæ. Quis non miretur, inquam, istam explicationem tam manifestè textui contrariam, & ipsi literæ tam apertè repugnantem. Litera enim manifestissimè loquitur de electione ad finem beatitudinis, & ad æternam salutem quæ antecedat omnem mediorum prædestinationem; & hac ratione dicit quod prædestinatio est pars prudentiæ, & quod prudentia supponit volitionem finis. Et tam apertè litera clamante adhuc nituntur & ipsi contra illam reclamare, & illam in suum pravum sensum inducere. Nec in re adeo clara immorandum est, nullis enim clarioribus verbis nos possumus explicare electionem in beatitudinem antecedere omnem rationem mediorum, quàm ipse S. Thomas declaravit, tum in illo art. 4. tum etiam in aliis citatis locis.

306. Ex quo alia etiam præcluditur evasio dicentium sanctum Thomam tantùm asserere quod ante prædestinationem supponitur in Deo voluntas dandi auxilia illa congrua, ita quod voluntas dandi auxilia illa congrua sit illa electio quam sanctus Thomas affirmat esse priorem prædestinatione. Nam ista explicatio revera eadem cum præcedenti videtur, unde eadem facilitate rejicitur: quia illa voluntas dandi talia congrua auxilia, voluntas mediorum est, ut est apertissimum: at verò sanctus Thomas ante omnem volitionem mediorum, & eorum prædestinationem, docet præsupponi electionem finis, & beatitudinis. Et præterea quia illa voluntas dandi auxilia illa congrua quæ ab istis authoribus explicatur, & à qua dependet electio ad gloriam, tantùm abest quòd sententia sit sancti Thomæ, quòd damnata sententia Semipelagianorum est ut supra manet declaratum. Quomodo ergo illam audent sancto Thomæ adscribere. Considerent quæso isti authores nullo modo posse contra tam apertam sancti Thomæ doctrinam pugnare.

307. Vnum tamen poterant inducere recentiores sancti Thomæ locum cum aliquali apparentia, *Ex Epistola ad Rom. cap. 8. lectione 6.* ubi sic habet. *Circa ordinem autem præscientiæ, & prædestinationis dicunt quidam, quod præscientia meritorum bonorum & malorum est ratio prædestinationis, & reprobationis; ut intelligatur quod Deus prædestinet aliquos, quia præscit eos bene operaturos, & in Christum credituros..... Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantùm vitam æternam, quæ datur meritis: sed sub prædestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab æterno divinitùs præparatum. Vnde eadem ratione omnia beneficia quæ nobis confert ex tempore, præparavit nobis ab æterno. Vnde ponere quod aliquod meritum ex parte nostra præsupponatur, cujus præscientia sit ratio prædestinationis, nihil est aliud quàm gratiam ponere dari ex meritis nostris.* Ex quibus verbis tale colligitur argumentum. Secundùm sanctum Thomam si prædestinatio esset tantùm ad gloriam, fieret ex meritorum prævisione: ergo pari ratione electio quæ ex tantùm ad gloriam, fit ex previsione meritorũ. Idem enim quantùm ad hoc videtur de prædestinatione, & electione dicendum.

308. Ad hoc dicendum quod sanctus Thomas in prædicto loco manifestat se loqui de prædestinatione ad gloriam in ratione mercedis, quæ attendit ultimum prædestinationis effectum, & quæ datur in executione meritis ipsis, de qua rationabiliter dicitur, imò omninò dicendum est fieri ex absoluta meritorum præscientia; sed ante talem prædestinationem præcedit electio gratuita ad gloriam sine meritis, ut sanctus Thomas locis inductis satis apertè declaravit.

309. Et quamvis hoc sufficeret pro vera sancti Thomæ intelligeutia, & argumenti solutione. Vnum tamen est attentiùs considerandum quod Sanctus Thomas illis verbis insinuat, videlicet nullam dari prædestinationem tantùm ad gloriam (si de prædestinatione ut ratione distinguitur ab electione, & dilectione sit sermo) nisi illam quæ datur meritis, & quæ gloriam respicit sicut ultimum prædestinattonis effectum. Nam prædestinatio quæ à sancto Thoma diffinitur, & quæ est absolutè & simpliciter prædestinatio dicit ordinationem mediorum in finem, & hæc nulla ratione fit ex præscientia meritorum, quia alias prima gratia esset ex præscientia meritorum, ut sanctus Thomas etiam in isto loco modò inducto affirmat. Ista autem prædestinatio non est prædestinatio tantùm ad gloriam, sed est prædestinatio gratiæ & gloriæ, mediorum videlicet ad finem. Dixi nullam esse prædestinationem tantùm ad gloriam, nisi quæ datur ex meritis, si sermo sit de prædestinatione ut

Digitized by Google

ratione distinguitur à dilectione & electione, quia aliquando sancti Doctores Augustinus, Prosper, & Fulgentius (ut patet ex locis supra inductis) sæpe prædestinationem ad gloriam, sumunt pro electione ad gloriam, & pro electione qua divina voluntas istum præ alio eligit ad gloriam, de qua proinde semper docuerunt ex nulla fieri meritorum prævisione. At verò sanctus Thomas magis formaliùs loquens prædestinationem ratione distinguit ab electione, & dilectione; & illam dicit esse actum intellectus practici; nam dilectio, & electio actus voluntatis sunt. Rursus illam prædestinationem duplicem distinguit, alteram quæ communiter diffinitur & quæ absolutè prolata prædestinatio est, & hæc est prædestinatio gratiæ, & gloriæ, seu ordinatio mediorum in finem, ut ipsius definitio manifestat; & ista omnino fit ante omnem meritorum præscientiam ratione modò à Sancto Thoma inducta. Alteram verò prædestinationem declarat, quæ attendit tantùm ultimum prædestinationis effectum, videlicet gloriam; & hæc est actus divini intellectus practici ordinatis dare gloriam pro meritis. Sicut enim de facto Deus dat gloriam pro meritis in executione, ita ab æterno prædestinavit dare gloriam pro meritis. Et de ista prædestinatione quæ tantùm est ad gloriam, sicut ad ultimum prædestinationis effectum, docet quod si prædestinatio nihil aliud includeret rectè diceretur quod prædestinatio fieret ex meritorum prævisione. Cæterum, ut dixi, prædestinatio supponit priorem, & efficacem electionem ad gloriam merè gratuitam ante omnem meritorum prævisionem.

310 Cum Sancto Thoma consentiunt (præter omnes ejus Discipulos, qui illius doctrinam sequuntur ut Capreolus, Caïet. & omnes alij) Scotus, & Durandus *in* 1. *dist.* 40. & 41. Maj. *quæst.* 1. Ricardus *art.* 2. Greg. *art.* 2. & Scholastici alij quorum longum esset nomina referre.

311. Tandem sanctus Thomas *super cap.* 15. Joannis ad illa verba. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* sic ait. *Est autem duplex Dei electio. Una æterna qua prædestinamur, Eph.* 1. *elegit nos in ipso. Alia temporalis qua ab ipso vocamur.* Et postquam ibi docuit electionem temporalem, id est vocationem non fieri ex meritis nostris, continuò subjungit. *Sed de æterna electione adhuc magis erroneum est dicere quod ab electione nostra præcederetur.* Et refutato errore Origenis in hac materia, & causa subdit. *Alij autem dicunt quod verum est quod merita in actu existentia non sunt causa prædestinationis; sed præexistentia in præscientia Dei, dicentes quod quia Deus præscivit aliquos bonos futuros, & bene usuros gratia, ideò proposuit eis gratiam se daturum. Sed si hoc esset*, ait, *sequeretur, quod ideò elegit nos quia præscivit nos ipsum electuros. Et sic electio nostra, prævia esset electioni divinæ, quod est contra sententiam Domini.* Hæc Sanctus Thomas, quibus manifestissimè docet æternam Dei electionem qua prædestinamur, ita omnino gratuitam esse in Deo absque aliquibus prævisis meritis per quamcunque scientiam sive absolutam sive conditionatam (cum potissimè de conditionata loquatur, ut relata verba declarant) ut si non ponatur sic omninò gratuita, id dicatur contra Domini sententiam dicentis *non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Igitur hoc Christi Domini testimonium efficaciter docet æternam Dei electionem omninò gratuitam esse.

CAPUT XXX.

Electionem efficacem, & immediatam ad gloriam fieri absque prævisione meritorum, rationibus ostenditur.

312. Minus autem necessarium videtur veritatem hanc plurimis rationibus confirmare. Aliquæ tamen sub brevitate sunt costituendæ, quarum omnium prima illa sit, quæ & modò ex Sancto Thoma tangebatur, & qua communiter Scholastici utuntur. Volitio sive intentio finis præsupponitur ad volitionem mediorum; sed gloria, finis est omnium operum faciendorum ex gratia: ergo in divina mente ratione præsupponitur ante quamlibet volitionem mediorum: ergo etiam præsupponitur ad prævisionem eorum: ergo ex prævisione mediorum seu meritorum non fit talis electio ad gloriam, sed è converso, præparatio & prævisio mediorum fit ex electione ad gloriam. Hæc ratio, quæ ex volitione finis ad volitionem descendit mediorum aperta demonstratiò est, quam in terminis formavit S. Thomas locis nunc citatis, præcipuè 1. *p. quæst.* 23. *art.* 4. verbis relatis. Et eandem sub his verbis constituit Scotus ubi suprà. *Volens ordinatè finem & ea quæ ad finem, prius vult finem quàm aliquid entium ad finem, & propter finem alia vult: ergo cum in toto processu quo creatura beatificabilis perducitur ad perfectum finem, finis ultimus sit beatitudo perfecta, Deus volens huic aliquid istius ordinis, primò vult huic creaturæ beatificabili finem, & quasi posteriùs vult ei aliqua, quæ sunt in ordine illorum quæ pertinent ad finem: sed gratia, fides, merita, & bonus usus liberi arbitrij, omnia ad istum finem sunt ordinata, licet quædam remotius, & quædam propinquius: ergo isti vult Deus beatitudinem potiùs quam aliquid horum, & potiùs vult etiam quodcunque istorum, quam prævideat ipsum habiturum quodcunque istorum: igitur propter nullum istorum prævisum vult ei beatitudinem.* Ita Scotus. Apertissimè ergo Scotus cum S. Thoma conveniens, affirmat non ex prævisione boni usus cum gratia velle Deum beatitudinem, sed priùs ratione velle beatitudinem & alia propter ipsam. Vtraque ergo Schola & Thomistarum & Scotistarum in hoc sicut in principio conveniunt, imo Scolastici cæteri. Omnes videantur in primo senten. ubi supra.

213. Nec Driedo & Ruardus Tapert, quos pro sua sententia inducunt recentiores, illis favent, quia hanc communem, quam modò expressimus tuentur sententiam. Ruardus enim sic dicit. *Qui non solùm ad gloriam æternam elegit nos Deus, sed ad certum etiam gloriæ gradum, & certam in cœlis mansionem, ad hunc quasi scopum totam nostram, omniaque opera, & merita nostra eâdem suâ gratiâ disponit & gubernat.* Joannes autem Driedo inter multa alia, dicit vitam æternam habere rationem finis, merita autem vitamque bonam, mediorum, affirmans voluntatem dandi vitam, secundùm rationem priorem esse in Deo voluntate dandi perseverantiam: sicut in medico, ait, anterior est sanandi voluntas, quàm exhibendi potionē

Est etiam ista ratio expressa sententia S.P. August. *lib. de dono pers. cap.* 14. *& toto quasi libro de prædest. Sanct.* Optimeque colligitur ex Scriptura ipsa ex illo sap. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus.* Ex illo Christi. Domini Joan. 10. *nemo rapiet eas de manu mea*, quod dictum fuisse ratione prædestinationis ad gloriam, declarat Sanctus August. *tract.* 48. *in Joan.* Et ex illo, *sed propter electos breviabuntur dies illi.* Vbi significatur singularis providentia circa eos qui electi ad gloriam sunt, ex

eo

Digitized by Google

eo quòd sic sunt electi, ut optimè declarat Bernardus *serm.68. in cant. & serm.12. in Psalm. Qui habitat*, ubi adhibet & illud, *Omnia sustineo propter electos*, concludens Dei providentiam ex electione ad gloriam provenire, & in illam sicut in finem ordinari. Eadem ratio rectè deducitur ex illo ad Rom.8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, eis qui secundum propositum vocati sunt sancti*, secundum propositum inquam Dei, ut optimè exponit S. August. *lib.2. contra duas Epistol. Pelagian. cap.10.* Et *de correct. & gra. cap.12.* Vbi docet ex hoc proposito eligendi homines ad gloriam & perfectam sanctitatem, manare omnia alia media, videlicet vocationem efficacem, quæ est secundum propositum.

314. Hanc autem fundamentalem rationem communiter à Sanctis & Scholasticis receptam atque fundatam (quæ non solum secundum veram Theologiam sed etiam secuudum philosophiam procedit) laborant Recentiores reipsa negare, licet verbis admittere videantur. Dicunt enim volitionem beatitudinis cum sit volitio finis, antecedere absolutam voluntatem mediorum, & ipsorum absolutam præscientiam; sed hanc finis volitionem antecedentem mediorum præscientiam absolutam, dicunt non esse efficacem, sed inefficacem & conditionatam, qua vult Deus omnes homines salvos fieri.

315. Sed evasio ista facilimè præcluditur. Quia Sancti Doctores & Scholastici supra inducti apertissimè de efficaci intentione finis antecedente voluntatem dandi merita, & ipsorum absolutam præscientiam loquuntur; quia loquuntur de illa finis intentione ex qua voluntas movetur ad volendum media. Hæc autem sola est efficax intentio finis; nam ex inefficaci & conditionata, ut notum est apud philosophos universos, voluntas non movetur ad mediorum volitionem; quod nunc probare non oportet, sed supponere.

316. Præterea illa voluntas antecedens volendi salvare omnes, communis est omnibus tum electis tum etiam reprobis, ut est notissimum: ergo ex vi illius præcisè non magis movetur divina voluntas ad dandam efficacem gratiam & perseverantiam electis quàm reprobis: ergo præter illam generalem & inefficacem finis volitionem omnibus communem, constituenda est absque dubio specialis intentio efficax finis de aliquorum salute, ex cujus finis efficaci intentione, divina voluntas velit eis efficacia media tribuere. Vltima consequentia manifesta est. Et prima probatur, quia intentio finis proportionata debet esse electioni mediorum: ergo si Deus non magis vult huic homini finem, vel gloriam quàm alteri: & è converso si Deus ex peculiari benevolentia procurat huic homini media infallibilia & efficacia quibus finem consequatur, signum est evidens, quod huic homini specialiter & efficaciter vult finem & gloriam.

317. Accedit, quòd inefficacem volitionem ad gloriam, nec Semipelagiani negarunt; imo eam manifestissimè ante operum provisionem constituerunt: unde nisi aliam præter hanc admittant, nec in aliquo à Semipelagianorum sententia distant. Ac tandem confirmatur, quia illa inefficax volitio salvandi generaliter omnes, nec electio dici potest, cum electio discretionem aliquorum præ alios importet.

318. Novissimè hanc rationem, quæ fundamentalis est, infirmare conatur Leonard. Lessius in sua de prædestinatione disput. sect.5. §. respondeo. Dicens, quòd si hoc argumentum aliquid valeret, probaret Deum non posse aliter eligere, quia non potest non ordinatè procedere: sed profectò id est absurdum & alienum à summa Dei libertate & authoritate. Et sic hanc rationem pro ut à Scoto formatur, in particulari impugnat.

319. Ad quod tamen nos respondemus nihil aliud Scotum dixisse aut prætendisse quàm quod communis Theologorum Schola tenet. Quod qui ordinatè procedit, ab intentione finis incipit, & inde ad volitionem mediorum tendit, quod durum est si quis neget. Et cũ secundũ regulas ordinariæ providẽtiæ ordinatè quis sic procedat; à fortiori summè prudentem Deum sic ordinatissimè processisse affirmat. Quod si Deus extraordinariâ potentiâ suâ (cui non est aliquid denegandum nisi quod apertam contradictionem involuit) hunc ordinem vellet invertere & incipere à volitione mediorum efficacium, ante efficacem intentionem finis, id facere posset absque inordinatione; quia tunc ejus omnipotentissima voluntas extraordinaria ordinatissimè etiam procederet, quod nec Scotus negaret.

320. Dixi, quod si extraordinariâ potentiâ vellet incipere ab efficaci voluntate mediorum, volendo dare efficacem prævenientem gratiam ad consecutionem gloriæ antea non efficaciter intentam, non esset inordinatio; quia si vellet dare tantum auxilia inefficacia, ut quilibet sua innata libertate redderet efficacia, magna esset inordinatio à summa Dei potentia dissonans; quia jam vellet ab homine efficaciam suæ salutis pendere, non à Deo; vellétque hominem inchoare efficaciter salutem, & Deum ejus voluntatem ut pedissequam sequi & vellet cum humana voluntate efficaciter concurrere, quia ipsa voluntas vellet, merendo, ut sic Deus cum illa concurrat, quo nihil indignius Deo posset adscribi.

321. Præsequitur objecta, & dicit quòd melius retorqueretur hæc ratio in hunc modum. Ordinatissimè volens aliquod bonum in modum præmij vel mercedis, non statuit absolutè quibus illud sit conferendum, nisi videat qui illud sint merituri; sed Deus statuit communicare suum regnum per modum præmij & mercedis, & non doni gratuiti, ut omnes fatentur: ergo non statuit absolutè quibus illud sit communicandum nisi prævisis hominum meritis. Ad hanc rationem respondetur, negando illam minorem, qua parte dicit quod Deus statuit communicare suum regnum non per modum doni gratuiti: nec enim talem minorem, ut ait, omnes fatentur; imò omnes rectè sentientes cum vera doctrina, cum Sancto Augustino, D. Thoma & Scoto, & aliis gravissimis Scholasticis semper docuerunt duplici ratione voluisse Deum suum regnum communicare: omnium primò per modum gratuiti doni, quoad intentionem videlicet: & quoad consecutionem sive illius possessionem per modum præmij & mercedis. Quod infra explicandum erit efficacius.

322. Quod nunc breviter tali exemplo possumus explicare. Si enim magnus quidam Imperator aliquem militem plebeïum eligeret ad regnum sic ei dicens. Ego te eligo ut sis Rex talis regni, & dabo tibi copias quibus illud è manibus inimicorum eripias, & tunc te coronabo, & introducam in possessionem. Quis dubitet quòd sicut possessio & corona illius regni ei dabitur post prælium, ita prima illa electio seu destinatio ad regnum omnia illa prælia antecesserit, & mera gratuita & liberalis fuerit circa illum, quia liberè & gratuitè alterum eligere poterat. Ecce corona & possessio & voluntas coronandi, post prælium & victoriam est; sed prima electio merè gratuita omnia ista est antecedens. Sic in proposito; & per hoc argumentum factum diluitur.

323. Sed addit prædictus Author quòd argumentum suum à principio factum probat, quod Deus intendit dare gloriam antè merita prævisa quasi in confuso, & quoad personas, & quoad gradus gloriæ per illam generalem voluntatem, qua vult omnes homines salvos fieri. Et opponens sibi quod Deus in suis

Digitized by Google

actibus non procedat confusè, huic rationi nititur respondere. Primò quòd si ratio aliquid probat, probaret Deum non potuisse sic procedere; sed debuisset procedere sicut ipsi dicunt, quod planè est absurdum. Ad quod nos respondemus non potuisse ita Deum confusè procedere, & cum dependentia ab humana voluntate, saltem de potentia ordinaria, ut dictum & probatum est supra, quod ad præsens sufficit. Secundò respondet ille non posse Deum procedere confusè, ita quòd actus non terminetur distinctè ad objecta, ut sic proponatur confusio ex parte Dei: at nostro modo intelligendi in aliquo signo rationis se habet confusè: sicut voluntas divina priùs ratione terminatur ad finem quàm ad media; & in illo primo rationis signo se habet ad media confusè. Ad quod dicendum rationem valde esse diversam. Nam in expressa finis intentione continentur reipsa media postea in particulari ordinanda; & hæc est natura propria intentionis finis non habere tunc explicata media: at finis intentio si confusa esset, cum sit prima intentio, media non possent esse explicita, sed etiam in confuso essent, quia ex confusa finis intentione, confusio mediorum sequeretur, Sicut si ædificator intenderet facere domum in confuso, & media etiam applicarentur in confuso. Dicere autem quòd ædificator intendat domum in confuso, absurdum est: per quod patet multò magis hujus nostræ doctrinæ positio atque defensio.

324. Simili omnino ratione excluditur responsio alia, qua dicunt volũtatem efficacem dandi gloriam aliquo modo antecedere voluntatem dandi efficacia media, & absolutam ipsorum prævisionem; non tamen omnibus modis priorem esse, sed aliquo etiam modo pendere ab ipsis prævisis meritis. Quod sic explicant, quia Deus unico & simplicissimo actu intendit finem, videlicet gloriam per talia media, non autem priùs vult gloriam, & postea merita: ergo licet illa volitio efficax quatenus terminatur ad gloriam sit aliquo modo prior, etiam aliqua ratione pendet ab illis meritis prævisis: nec enim sine illis Deus vult homini gloriam; unde absolutè & simpliciter non est sine prævisione illorum meritorum faciendorum ex gratia.

325. Cæterum hæc responsio, si consideretur, non solùm nostram sententiam non impugnat, sed maximè illam confirmat. Quia ille actus in divina voluntate unicus & simpiicissimus, talis est, quo Deus vult homini gloriam ut finem, & merita propter illum finem: non tamen dubium est, quin ratione distinctus sit, & primò considerari debeat quatenus vult finem, & deinde quatenus vult media propter ipsum: & in illo primo rationis signo quo homini vult finem, nullo modo merita præsupponuntur, vel prævidentur. Vnde talis volitio finis omnibus modis quoad intentionem antecedit mediorum volitionem & prævisionem; licet in executione, finis à mediis & meritis dependeat. Quare in illo priori rationis signo vult Deus homini gloriam merè gratuitò, & ante omnia ejus prævisa merita, quod copiosius suprà explicavimus, ubi ad hoc ipsum argumentum responsum est: cujus responsionis doctrina & hîc, & ibi. tradita hoc duplici exemplo potest manifestari. Medicus priùs vult sanitatem, & deinde movetur ad dandam potionem amaram per quam sanitas acquiritur: & illa prior volitio à volitione potionis dandæ non dependet, sed è converso. Similiter cum artifex vult ædificare domum integram, etiam vult tectum dependere à fundamento: cæterum illa prima volitio ædificandi integram domum, à volitione tecti sivè fundamenti non dependet. Ita priùs ratione voluit Deus quibusdam ædificare integram domum & mansionem in Cœlis, volendo eis gratis omnino gloriam, deinde vult dare merita ad ipsam obtinendam; & gloriam in executione vult pendere à meritis. Cæterum hoc ultimum ex illa priori & omnino gratuita voluntate dependet, qua Deus quosdam gratis elegit ad gloriam: quæ Dei gratuita voluntas verè & propriè gratia est, imò omnium prima gratia, ut dictum fuit suprà.

326. Dicendum secundò quòd etiam ante talem finis intentionem, præintelligitur in Deo talis actus in ratione simplicis volitionis finis, quæ simplex finis volitio sola ratione distinguitur ab intentione finis, & sub hac ratione, videlicet ut simplex volitio finis est, nec includit media, nec aliquam prævisionem mediorum, sed omnibus modis antecedit omnem mediorum cognitionem: illa ergo electio ad gloriam de qua procedit quæstio, cum ratione antecedat formalem processum prædestinationis, antecedit etiam omnia media prædestinationis: unde media non includit, ut simplex volitio finis: ratione ergo in Deo idem actus secundùm rationis prioritatem seipsum antecedit.

327. Primò enim eligit hominem istum ad finem. Deinde consideratur idem actus ut intentio finis acquirendi per media. Postremò divinus intellectus practicus in virtute illius intentionis præparat certa quædam media, per quæ transmittat hominem in talem finem. Itaque quamvis ille actus, quatenus est formalis prædestinatio, & quatenus est intentio finis aliqua ratione media includat saltem virtualiter, non tamen illa præsupponit: at consideratus tantùm secundum illam omnium primam rationem, quatenus videlicet simplex volitio finis est, nullo modo media includit in particulari, tantùm abest quod illa præsupponat.

CAPUT XXXI.

Electionem efficacem ad gloriam non fieri ex prævisione meritorum aliis rationibus confirmatur.

328. QUAMVIS supra inducta ratio pro veritate ista sufficiat, ad abundantiorem tamen doctrinam idipsum ampliùs sic potest ostendi. Dictum est enim supra omnem actum supernaturalem esse prædefinitum absoluta & efficaci voluntate priusquam fiat; & ex consequenti priusquam prævideatur absolutè futurus: ergo multò magis efficax electio ad gloriam erit prædefinita & à Deo efficaciter volita ante absolutam prævisionem bonorum operum. Patet consequentia, quia multò minor est difficultas in hac efficaci electione ad gloriam, quàm in efficaci prædeterminatione actus liberi, ut est manifestum.

329. Præterea secundò ideo efficax electio ad gloriam supponit absolutam meritorum prævisionem (ut dicunt) quia per liberas actiones suas illam sunt homines consecuturi: ergo numquam Deus poterit velle absoluta & efficaci voluntate effectum aliquem fieri per liberas hominum actiones ante absolutam prævisionem illarum actionum ob eandem prorsus rationem: ergo non potuit Deus efficaciter eligere beatam Virginem ut esset Dei mater ante absolutam præscientiam liberi consensus ejus futuri; quia nonnisi per illum consecutura erat tantam dignitatem: hoc autem concedi nullo modo potest. Certum enim est quòd ad illum consensum præstandum præventa est Beatissima Virgo excellentissimâ gratiâ; sed illa tam excellens gratia ideo ei data est, quia in matrem Dei erat electa: ergo hæc efficax electio in Dei matrem anteceſſit absque dubio absolutã dationem & præsciẽtiam illius consensus, imò illius fuit causa & origo. Idem omnino argumentum fit de electione Apostolorum, nam etiam illi illam dignitatem non fuerunt assecuti nisi medio consensu libero: ergo conformiter ad

hanc

Digitized by Google

hanc doctrinam non fuerunt electi ad illam dignitatem ante absolutam præscientiam talis liberi consensus : hoc autem videtur pugnare cum illo dicto Christi Domini. *Non vos me elegistis sed ego elegi vos.* Quem locum explicans S. Augustinus dicit quod quamvis ipsi revera elegerint suo consensu sequi Christum ; tamen quia prior fuit electio Dei qua illos elegit, & quæ fuit causa ut ipsi vellent eligere Christum ; ideo Christus electionem sibi attribuit, dicens quod ipsi non elegerunt Christum, sed quòd Christus potiùs elegit eos.

330. Sed respondet Leonardus Lessius citata disputatione de prædestinatione, nec Ioannem Baptistam, nec Apostolos electos fuisse absolutè ad gloriam, nisi ex prævisis operibus & perseverantia. At de Beata Virgine sic dicit : & ut omittamus Beatam Virginem, cujus privilegia omnem modum superant, & ad nullum sunt extendenda : nulla ratio vrget cur de cæteris concedamus electos ad gloriam fuisse sine operum prævisione. Igitur jam fatetur electam fuisse Beatissimam virginem absolutè ad gloriã,& ad hoc quòd esset Dei mater ex singulari privilegio ante sui consensus prævisionem : ergo vel in beata Virgine admittere debet magna illa inconvenientia, quæ inferre solet ex tali absoluta electione ad gloriam, videlicet ablationem libertatis in Virgine, & alia similia : vel cogitur confiteri ex tali absoluta electione ad gloriam illa inconvenientia non inferri ; nec est dare medium, sed unum vel alterum tenetur admittere. Si secundum habetur contra ipsum in omnibus & per omnia intentam. Si autem primum, hæreticum esset à Beatissima Virgine libertatem & meritum in suis excellentissimis operibus auferre.

331. Quod si recurrat ad singulariſſimum ejus privilegium, quo potuit sic eligi beatissima atque Sanctissima Virgo salva ejus libertate, nec juvat ; quia vel ex propria natura illius absolutæ electionis ad gloriam, ablatio libertatis & cætera inconvenientia per se sequuntur, & ab intrinseco, vel non. Si primum, ut semper affirmant, nec hoc privilegium id potuit impedire, quominus illa sequantur. Si autem ex natura propria illius absolutæ electionis non sequantur, optimè poterit Deus sic eligere stante integra illa libertate, ut est manifestum ; & sic idem quod prius.

332. Deinde necesse est ponere Deum elegisse ad gloriam ante omnem meritorum præscientiam absolutam quotquot salvati sunt, sed & nulla est ratio excipiendi ab hac electione aliquos salvandos : ergo omnes qui salvantur ita electi sunt. Majorem & minorem probavimus impugnando supra sententiam Catherini.

333. Ad hæc : videmus ex duobus parvulis stante eadem generali institutione baptismi,& eodem merito parentum,&eadem diligentiâ ministrorum ad dandum baptismum,alium mori priusquam ei applicetur baptismus, alium verò baptizari : hæc autem diversitas nec est per accidens respectu Dei, nec ex generali potest providentia oriri : necesse est ergo quòd oriatur ex illa secreta electione efficaci ad gloriam, qua ei qui electus est media salutis & baptismi præparantur ut salvetur : ergo efficax electio ad gloriam antecedit omnem meritorum prævisionem : in parvulis enim nulla possunt merita prævideri. Hoc propterea argumento utitur frequenter S. Augustinus *de gratia, & lib. arbit. cap.* 22. *&* 23. *de prædest. Sanct. cap.* 12. *de dono perſever. cap.* 9. *& epist.* 105. *&* 106.

334. Dicent, quod quia parvuli merita non habent, fit eorum electio sine prævisione operum ; non tamen in adultis in quibus opera sunt. Sed ad hoc dicendum quòd sicut in parvulis præcedit illorum electio eorum opera per quæ baptizandi sunt, & illorum est causa : quia enim ad gloriam electus est, ideo eis baptismus per aliena opera præparantur, salva eorum libertate : ita in adultis sit ipsorum electio ante ipsorum opera prævisa, salva proportionaliter libertate ipsorum.

335. Præterea tertiò, dictum est supra aliquos effectus bonos qui per actus malos executioni mandantur, esse à Deo efficacirer volitos & prædefinitos ante absolutam præscientiam illarum malarum operationum,per quas debent executioni mandari ; ergo à fortiori effectus boni qui executioni mandantur per bonas operationes, erunt à Deo efficaciter voliti & prædefiniti ante earundem bonarum operationum prævisionem absolutam : ergo multo magis electio ad gloriam efficaciter erit à Deo volita ante meritorum prævisionem, quibus debet obtineri. Antecedens patet in Christi Domini passione, quæ sane efficaciter à Deo volita fuit ante absolutam prævisionem peccatorum crucifigentium, ut copiosè infra hoc libro agentes de prædestinatione Christi Domini probandum erit.

336. Insuper in statu gloriæ totus salvandorum numerus futurus est ex absoluta & efficaci intentione finis : ergo hanc habuit Deus circa omnes salvandos, quod videlicet efficaciter eos voluit eligere ad talem finem, & ex vi hujus dare eis media ad illius consecutionem. Antecedens declaratur optimè à Sancto Bernardo *Serm.* 78. *in Cantica.* Et brevi ratione probatur. Quia tota illa civitas electa fuit ut una Christi sponsa ad regnandum,cui propterea præparata sunt sponsalia & dotes aliæ, quæ talem sponsam sic electam decebant : Igitur ante dotes istas gratiarum electa fuit priùs in sponsam ; & quia sic electa fuit ad regnandum cum sponso, data sunt ex consequenti ei omnia alia necessaria.

337. Et præterea quia hoc est consentaneum perfectioni illius regni, in quo nihil esse debet nisi ex singulari Dei prædefinitione. Si enim in unaquaque gubernatione, exitus rei declarat intentionem gubernantis : & terminus ille quo posito cessat gubernatio, solet esse primum objectum intentioni, gubernantis, si prudenter se gerat : & videmus totam Dei gubernationem eo tendere ut civitas illa in tali pondere, numero, & mensura compleatur : Quomodo possumus dubitare tale pondus, numerum & mensuram electorum fuisse primum objectum intentioni Dei summi gubernantis ? Potissimè cum omnes Theologi dicant tunc rerum generationes terminandas, cum numerus electorum completus fuerit : ergo talis numerus, finis est primus divinæ intentioni objectus atque intentus.

338. Sed ad hoc respondet prædictus author negando totam illam civitatem esse electam ut sit una Christi sponsa, quia Angeli non sunt sponsa Christi, nec ad eam pertinent. Primò,sponsa Christi constat ex hominibus, sicut ex Ecclesia Christi, membris Christi, & ovibus Christi : at Angeli non sunt Ecclesia Christi, nec oves Christi, nec membra Christi secundum scripturas. Secundò, quia Christus pro sua sponsa fudit Sanguinem ut eam à peccatis lavaret, *& exhiberet sibi non habentem maculam aut rugam*, ad Ephes. 5 : At non effudit sanguinem pro Angelis. Tertiò, quia Christus dicitur sponsus per mysterium incarnationis, qua factus est similis hominibus, atqui per incarnationem non est factus similis Angelis. Nec obstat cap. 21. Apocal. ubi cœlestis Hierusalem vocatur sponsa Agni, quia id intelligendum est de illa civitate, qua parte continet homines. Hæc habet Author ille *sect.* 5. *illius disp. de prad. num.* 58. *§. ad probationem.*

Digitized by Google

339. Verùm ista doctrina nulli placere potest. Angeli enim quamvis nec sint Ecclesia, sponsa, corpus Christi, aut oves ejus, quatenus homo est, loquendo de Ecclesia, sponsa, corpore Christi & ovibus illius quoad conformitatem naturæ, vel de ecclesia viatorum, aut de Ecclesia sanguine ipsius redempta (nullo enim horum trium modorum Angeli sunt vel sponsa Christi, vel Ecclesia ejus, vel corpus ipsius, aut oves illius, quod satis notum Theologis est) tamen absolutè & simpliciter asserere Angelos nec esse sponsam, nec Ecclesiam Christi, nec corpus, aut oves ejus, dici nulla ratione potest. Tantum enim abest quod id affirmare sit secundum scripturas, ut author prætendit, quòd ipsas scripturas oppugnat. Nam Apostolus manifestè dicit ad Ephes. 1. *Suscitans illum* (scilicet Christum, *à mortuis, & constituens ad dexteram suam supra omnem principatum, & potestatem & virtutem & dominationem.* Et *ad Coloss.* 1. de Christo dicit. *Qui est caput omnis principatus & potestatis.* Negari ergo non potest quòd sit caput Angelorum, hoc scriptura testante; sed caput non est nisi respectu corporis: ergo Angeli pertinent ad corpus mysticum Christi. Quæ ratio apud Theologos probat errorem esse negare Angelos esse corpus Christi, seu ad corpus Christi attinere. Quomodo ergo tam patenter dicit objector Angelos non esse corpus Christi, aut ad corpus ejus attinere.

340. Rursus cum idem sit, ut etiam ille author suis verbis expressit, esse sponsam, esse ecclesiam, esse oves Christi, vel ad sponsam, ecclesiam, aut oves Christi pertinere, & esse corpus Christi, vel pertinere ad corpus eius: & secundùm scripturas modò inductas Christus sit caput Angelorum; & ex consequenti Angeli corpus ejus, vel pertinentes ad caput ipsius sint; etiam inde consequitur non posse negari quin Angeli pertineant ad sponsam, ecclesiam & oves Christi; quod debebat author advertere. Imò id Apostolus clarè videtur proponere cum *ad Ephes.* 1. ait: *Et ipsum* scilicet Christum *dedit caput super omnem ecclesiam quæ est corpus eius.* Omnis ergo ecclesia est corpus ejus, & supra hanc omnem ecclesiam quæ est ejus corpus, Christus est caput. Omnem autem ecclesiam dicit ut universaliter comprehendat homines & Angelos, qui ex integro omnem ecclesiam componant, ut ibi S. Thomas & expositores communiter asserunt.

341. Itaque tota Christi Ecclesia, quæ est sponsa eius & corpus mysticum ipsius, cujus proinde ipse est sponsus & caput, non solùm homines comprehendit, ut malè iste author affirmat, sed etiam Angelos, ut Doctores Sancti, imo scriptura ipsa testatur. Caput enim triplicem habitudinem habet ad membra. Primò quidem quoad eminentiam in situ. Secundò, quoad diffusionem virtutum, quia ab eo omnes sensus derivantur in membra. Item tertiò, quoad conformitatem in natura, ut S. Thoma exponit *super* 1. *cap. de Ephes. lect. ultima*, addens, ibi quòd quantum ad præeminentiam & quantum ad diffusionem Christus est caput Angelorum. Nam Christus præest Angelis etiam secundum humanitatem. Hebr. 1. *Tantò melior Angelis effectus quantò differentiùs præ illis nomen hereditavit.*

342. Et per hoc respondetur ad triplicem rationem objectam unica distinctione. Dicendo, quod Angeli, nec corpus, nec ecclesia, nec sponsa, nec oves sunt Christi; nec ipse illorum caput, sponsus, aut pastor est secundum conformitatem naturæ, vel eos redimens sanguine suo, vel eos per fidem ambulare faciens: est tamen illorum caput, & sponsus; & illi pertinent ut membra ad illius corpus, sponsam, & ecclesiam, & illius sunt oves quatenus eos illuminat & in eos influit, ac præeminentiam super illos habet. Cæterum ecclesia quæ est militans, seu ecclesia fidelium omnibus modis & omni ratione est sponsa, ecclesia, corpus Christi, & oves ejus,; & quia eis præeminet, & quia eos illuminat, ac in eos influit, & quia ei sunt conformes in natura, & quia per fidem ejus ambulant, & quia eos proprio sanguine redemit, de quo videatur S. Thomas 3. *part. quæst.* 8. *art.* 4. Vbi in terminis hanc docet veritatem. Et Christum, secundum quod homo est, docet esse caput Angelorum, ita quod Angeli pertineant verè ad ejus corpus, & ad ejus Ecclesiam: & solutione ad argumenta potissimè ad 2. omnibus his tribus hujus authoris argumentis ferè in terminis respondet, quæ quia patentissima, ibi videnda, non hic transcribenda sunt.

Quod autem secundò respondet. Quod dato concedatur totam illam civitatem esse electam & unam Christi sponsam, non ideo opportet omnes ad illam pertinentes esse electos ante omnem prævisionem meritorum, aut in eodem signo rationis; quia Angeli prædestinati sunt ante prævisum peccatum originis, Christis autem post prævisionem illius. Copiosè à nobis venit explicandum infra in materia prædestinationis Christi Domini, unde in illũ locum difficultatem hanc transmittendam putamus.

343. Ampliùs quartò. Quia ad Dei omnipotentiam maximè pertinere videtur ut possit perfectè & prout voluerit disponere & ordinare effectus futuros per actiones liberas ante absolutam prævisionem earum: nam si talis absoluta prævisio antecedat ordinationem & dispositionem divinam, fit manifestum quòd Deus non ordinabit nec disponet de illis actionibus, imò jam præsupponerentur dispositæ & ordinatæ, quod manifestè contra divinam omnipotentiam & providentiam procedit. Vnde S. P. August. in Enchiri. cap. 98. *Quis tam impiè desipiat, ut dicat Deum, malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, & ubi voluerit in bonum non posse convertere.* Et *de correct. & grat. cap.* 14. inquit, *qui tamen hoc non fecit nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quò placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Quæ autem omnipotentia, imò quæ potestas in Deo esset ad inclinandas voluntates quo voluerit, si non posset velle efficaciter aliquid liberè fieri per humanas operationes ante earundem humanarum operationum effectionem & prævisionem. Hoc certè non esset in sua potestate, illas inclinare, sed jam à seipsis inclinatas intueri.

344. Tandem non potuit esse prior in Deo voluntas dandi gratiam: ergo necesse est dicere quòd prior fuit electio ad gloriam. Probatur antecedens voluntas dandi gratiam, vel est voluntas dandi prima auxilia, ut aiunt, congrua, vel dandi omnia congrua usque ad perseverantiam inclusivè; neutra voluntas potest esse in Deo prior: ergo nulla. De prima constat, quia multis qui reprobi sunt voluit Deus dare auxilia illa prima congrua: ergò ex vi talis voluntatis dandi ista auxilia congrua non potest discerni prædestinatus à non prædestinato. De secunda autem voluntate patet, quia si, ut aiunt, ideo non est prior in Deo electio ad gloriam prævisione operum, quia non illam dat Deus nisi propter opera: etiam istam voluntatem dandi auxilia omnia usque ad perseverantiam inclusivè, non poterit Deus habere ante meritorum, vel operum prævisionem; quia etiam in illorum sententia, non illa de facto dat Deus nisi cooperante libero arbitrio: ergo eadem ratio erit quantùm ad hoc de utraque: & sic jam voluntas dandi perseverantiam præsupponit arbitrij cooperationem: unde nec ipsum perseverare erit donum Dei: dequo infra

ex

Digitized by Google

ex professo tractabimus, ostendentes qualiter reipsa etiam hoc ij Authores constituant.

345. Hæc modò facta argumenta contra illam absolutam prævisionem satis clarè procedunt; sed quia ut supra diximus, ex illa præsupposita scientia media objecti sub conditione, substantialis Pelagianorum error deducitur: alia argumenta quæ efficaciter demonstrant non fieri efficacem electionem ad gloriam ex illa media præscientia subjiciamus.

346. Quintò igitur sic formetur ratio. Non potest dici quòd Deus velit vim & efficaciam salutis ex homine pendere & non ex Deo; sed si electio ad gloriam esset cum conditione & dependentia aliqua à futuro bono usu hominis prævisо, revera vellet Deus quòd ex homine & non ex Deo penderet vis & efficacia salutis nostræ: ergo electio ad gloriam ex nulla præscientia boni usus humani fit. Major manifesta est, quia Pelagianum est dicere vim & efficaciam salutis humanæ ex homine & non ex Deo pendere. Quomodo ergo Deus hoc poterit velle? Minor verò à tenentibus electionem ad gloriam non fieri omnino absoluta Dei voluntate, sed cum dependentia ab humana voluntate prævisa per illam mediam scientiam, consequenter expressè conceditur; quòd videlicet sint efficacia & habeant vim respectu nostræ salutis, vel quòd cassa & inefficacia reddantur, pendere à nostra innata libertate sicut à prima radice, ut ex asseriionibus ipsorum relatis supra *lib.* 1. *par.* 1. *tract.* 6. satis liquet.

347. Præterea sextò, dici non potest Deum velle quod homo suam inchoet salutem; sed si electio prædestinatorum ad gloriam non esset omnino ex Dei absoluta voluntate, sed cum conditione sivè dependentia à voluntate creata, hoc revera vellet Deus, quod videlicet homo ex seipso suam inchoaret salutem: ergo electio prædestinatorum ad gloriam non fit cum dependentia à voluntate creata, sed absoluta omnino voluntate Dei. Major constat. Etenim hominem ex seipso suam inchoare salutem, non Domino inchoante, est hominem ex seipso præbere suæ salutis initium, ut est manifestum; sed nihil est clarius quàm hunc esse Pelagianorum errorem, quomodo ergo potest dici Deum hoc velle. Minor verò argumenti ab Authoribus cum quibus disputamus consequenter loquendo apertè conceditur, ut constat ex lib. opusculorum Francisci Suarez *lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 15. *§. præterea.* Vbi sic dicit. Præterea ubicumque Sancti de libertate arbitrij loquuntur, dicunt ita se gerere Deum cum voluntate nostra, ut nullam vim ei inferat, sed in potestate ejus motum constituat, ut eum inchoare possit si velit. Ecce apertè dicit quod homo inchoat ex se illum actum salutarem, de quo copiosiùs erit agendum infrà quarto libro.

348. Amplius septimò, electio ad gloriam quæ dependet ex præscientia aliqua illius quod innata hominis libertas actura est cum donis gratiæ, non est omnino absoluta ex parte Dei: ergo non fit secundum absolutum omnino Dei propositum: ergo semper habet implicitam vel explicitam conditionem hanc. Eligo istum ad gloriam si tamen ipse voluerit rectè uti suo arbitrio bene utendo donis gratiæ: ergo talis electio revera certa non est, aut firma ex Dei absoluto proposito, sed potius ex proposito hominis reddente ex se efficacia media ex quorum prævisione rectè eligatur ad gloriam. Hoc autem quid est aliud dicere quàm electionem ad gloriam non fieri secundùm Dei propositum à quo habet firmitatem, sed secundùm hominis beneplacitum à quo illam sumat; quod sine dubio est contra Apostoli doctrinam jam suprà relatam, qui semper in Dei propositum certam reducit electionem ad gloriam, non in propositum hominis. Certè si hoc ita est, non ex gratia, sed ex libero hominis arbitrio firma fit promissio & electio ad gloriam, quod contra Apostolum pugnat Rom. 4. *Ideo ex fide, ut secundùm gratiam firma sit promissio.*

349. Insuper si Deus eligit ad gloriam hac reipsa appositа conditione, si homo bene operari voluerit, & dependenter ab illa; jam salutem hominis solum ex voluntate ipsorum constituet, ipsisque illam committet; & illis committi, dimitti est, inquit, Prosper Sanctus, cum illi sic dimissi nunquam bene operarentur, & penitus omnis electio ad gloriam frustraretur. Vnde S. Augustinus *de Corr. & gratia cap.* 12. inquit. *Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua ut in adjutorio Dei sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in ipsis operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate sua, voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quin deficientes infirmitate nec vellent; aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent.*

350. Postremò ipsa opera bona sunt dona Dei, ut ex sacra Scriptura & Divo Augustino constat: ergo priùs est Deum velle illa dare quàm illa prævidere; ideo enim prævidet quia statuit dare; non autem statuit ea dare nisi ex intentione gloriæ: ergo prior est intentio gloriæ. Quod autem illa intentio sit absoluta patet, quia ex illa procedit voluntas dandi omnia opera bona & ipsam perseverantiam.

351. Ad hanc rationem respondet, in illa multas æquivocationes latere primò. Si voluntas ad talia bona opera per physicũ impulsum prædeterminaretur, ratio ista magnas vires haberet: unde omnes qui talem prædeterminationem imaginantur, statuunt hujusmodi absolutam & præviam gloriæ intentionem. Verùm non eo modo concedimus nos (ait) bona opera esse dona Dei; sed solùm ratione gratiæ prævenientis, & divinæ cooperationis. Hoc igitur sensu concesso ante, distingue consequens; si enim intelligatur de voluntate absoluta quasi priùs sit absolutè velle ut opus sit quàm præscire futurum, sic negandum est, quia Deus ante prævisam determinationem voluntatis non prædifinit absoluto decreto ut opus istud bonum existat. Deinde inquit, posita illa voluntatis determinatione Deus simul influit in opus. Rursus: itaque non est opus nova aliqua voluntate absoluta quia rursus illud opus velit, quæque respectu illius operis habeat se per modum principij effectivi. Et tandem determinatio voluntatis ratione prior est, non naturâ propriè, quàm sit opus completum. Ratio est quia si consideretur opus ut hîc & nunc fit, priùs quodammodo influit in illud liberũ arbitriũ quàm gratia. Nam per se primo hanc cõditionem habet à libero arbitrio à gratia solũ ut gratia concomitante: Econtrario quod opus sit supernaturale & meritorium, habet per se primo à gratia, à libero arbitrio concomitanter & secundario. Porro determinatio liberi arbitrij nihil est aliud quod productio ut à libero arbitrio egrediens, quæ ab opere producto, vel formaliter ut quidam volunt, vel ratione sola distinguitur. Ita prædictus Author.

352. Cæterum qui ita respondet satis se declarat & verbis expressis manifestat, hoc sentire, hoc in sua sententia tenere, atque defendere, determinationem voluntatis, qua se voluntas determinat ad opera pietatis secundum quod est productio egrediens à voluntate, non fieri à gratia, sed à solo libero arbitrio; & proinde ut sic non esse Dei donum ab ipso datum; sed tantùm esse prævisam determinationem talem: & tantùm opus ipsum quatenus completum donum Dei esse. Et cum priùs ratione, ut ait, sit illa voluntatis bona determinatio quàm opus completum, illam determinationem, quatenus prior ratione est, Deus per

gratiam

Digitized by Google

gratiam non efficit, ſed illa à ſola voluntate effecta atque ratione ſuppoſita, Deus per gratiam opus complet & perficit. Fateor quod ſuam ſententiam ipſe clarè exponit, & quod neceſſe eſt in illa dicere quæ dixit, quia illa in ſententia ſua apertiſſima ſunt.

353. Sed quis non videat quod cum Iuliano in opere ab homine incepto dicat Deum ipſum hominem adjuvare, quaſi pro merito illius inceptæ bonæ voluntatis determinationis, & quòd gratia ſubſequens ſeu concomitans, ut vocat, reddatur ad opus complendum & perficiendum. Quis non ſtatim cognoſcat quòd initium boni operis ex nobis ponatur per illam bonam voluntatis determinationem, & conſummationem ex Deo per concomitantem gratiam, quæ prius ratione ſupponit illam voluntatis determinationem, ut ſimul cum illa opus perficiat. Quæ eſt illa Semipelagianorum damnata ſententia. Quis non ſtatim comprehendat bonam voluntatis determinationem, quæ maximum bonum eſt, nobis ex nobis adſcribi, ut illa ex innata libertate egreſſa prius ratione quàm gratia influat, ſecum pediſſequam trahat gratiam? Quis non conſideret apertè poni gratiam non præviam, ſed comitem humanorum meritorum, ut ſub his eiſdem verbis S. Proſper de Semipelagianis refert epiſt. ad S.P. Auguſtinum. Quis deinde non attendat quanta claritate dicatur, quòd ideo Deus adjuvat, quia liberum arbitrium priùs ratione vult, nempe ſe determinando, non è converſo adjuvari ut velit. Quod etiam in terminis Semipelagiani eodem S. Proſpero referente ubi ſupra, non clarius poſuerunt. Et tamen cum hoc contendere quod ab illorum ſententia diſtinguantur, quid eſt aliud quàm ex profeſſo oculos hominum velle excœcare, ut tam clara & tam manifeſta non videant. Ecce Iulianus, & manifeſtius Caſſianus & Fauſtus etiam dixerunt dona Dei eſſe bona opera: hoc enim ſaltem verbis quis neget: poſuerunt etiam eſſe dona Dei per gratiam illam quæ præveniret excitando, invitando, & alliciendo, & per illam quæ ſequeretur determinationem arbitrij, cooperando; & tamen convicti ſunt quod reipſa negarent illa eſſe opus Dei, ſed opus eſſe ab ſolo homine inceptum, & à Deo ex debito prioris inceptionis adjutum.

354. Iam ergo hoc habetur manifeſtum quod determinatio bona voluntatis ad opera pietatis, quatenus determinatio voluntatis eſt, à ſola ſit libertate arbitrij, & à Deo ſolùm prævideatur: hoc apertè dicit: ergo jam talis determinatio ad bonum ut ſic, & ut egreditur à voluntate donum Dei non eſt. Quomodo enim donum Dei eſt aut eſſe poteſt in illorum ſententia, cum apertè dicant eam à ſola libertate arbitrij fieri: cum dicant quod à Deo eſt prævisa non effecta: cum dicant quod illa ſupoſita in prioritate rationis gratia influit in opus completum. Itaque bonus uſus arbitrij, ſive bonus influxus qui nec ratione diſtinguitur ab illa determinatione non eſt Dei donum, ſed ex ſola habetur arbitrij facultate. Et quomodo voluntas infirma; viribus extenuata, & ſub peccato ſive originali ſive actuali conſtituta ſine gratia dante ei vires poteſt elicere bonam illam determinationem & bonum illum influxum. An bona determinatio & bonus influxus voluntatis ut ſic poteſt exire à voluntate mala, niſi mala arbor facere poſſit, & de facto faciat fructus bonos?

355. Nec hîc intendimus iſta ex profeſſo tractare ſed occaſione reſponſionis ad noſtrum argumentum, hæc ſolùm tangere, quia integer liber noſter quartus nos expectat, ut de hoc efficaciùs & copioſius tractemus. Vnum tamen obſervabo quod omnes advertant. Quam gratiam prævenientem hi authores ſtatuant cum ea poſita, conſequenter loquendo, nihil aliud poſſunt exponere quàm expoſuerunt, videlicet determinationem voluntatis ad bonum, quatenus determinatio voluntatis eſt à ſola libertate arbitrij fieri, non à Dei gratia; ſed gratiam illam ſequi quaſi comitem & pediſſequ ã, & ex priori illius bonæ voluntatis merito, ſeu inceptione redditã.

356. Item ſi Dei electio quæ prædeſtinatos eligit ad gloriam penderet ab illa conditione (ſi ipſa voluntas voluerit) ſequeretur, illam electionem ad gloriam & prædeſtinationem ſubſecutam, & omnem effectum ejus non ſolùm reddi omninò incertum, ſed quod magis eſt impoſſibilem. Eſt ergo impoſſibile conſtituere illam electionem ſic pendentem ab humana voluntate, ſequela patet. Quia impoſſibile eſt humanam voluntatem operari actum potiſſimè ad ſalutem pertinentem ſine Deo efficaciter volente & movente voluntatem ad illum, ut aperta eſt ſententia Sancti Thomæ 1. *part. quæſt.* 105. *art.* 5. & 1.2. *quæſt.* 109. *art.* 1. & alibi ſæpè. Imò hoc eſt phyſicum principium, quòd cauſa ſecunda non movet niſi à prima cauſa mota; & quod nihil habens potentialitatem annexam poteſt ſe reducere de potentia in actum à ſeipſo, niſi ab alio quod ſit in actu reducatur ex illa potentialitate in actum. Igitur evidentiſſimum eſt quod ſine Deo movente, applicante, & reducente voluntatem de potentia in actum, ipſa creata voluntas (ſi ſuis viribus præcisè relinquatur) non operabitur: ergo neceſſarium eſt quod ſic relicta, non operetur: impoſſibile eſt ergo illam ſic operari: igitur impoſſibilis erit talis electio quæ ab illo impoſſibili actu voluntatis dependet, impoſſibilis erit prædeſtinatio, & impoſſibilis omnis prædeſtinationis effectus.

357. Vltimò, ſi Deus non omnium primò elegit ad gloriam eos qui ſalvi facti ſunt ante meritorum prævisionem, quæ ergo fuit prima intentio quam Deus habuit circa electos? Si enim hanc non habuit, nec etiam illam aliam qua illis voluit dare efficaciam gratiæ per quam ſecernerentur ab aliis, ut etiam conſequenter affirmant: ergo nullam particularem intentionem habuit circa electos, ſed quandam omnino generalem & communem electis, & reprobis. Vnde nihil magis profectò ei electi deberent quàm reprobi. Hoc autem quis proferre audeat? Quia ſic ex parte Dei nulla major prædeſtinatio, nulla major gratia eſſet exhibita electis quàm reprobis, quod eſt totaliter prædeſtinationem auferre.

358. Ita efficax eſt ratio iſta, & ita apertè convincit quod intendit, ut ipſa convictus prædictus Leonardus Leſſius *in ſupradicta diſputatione de prædeſtinatione ſect.* 5. *num.* 60. §. *dices*, ita ipſe dicat. Reſpondeo ante omnem prævisionem meritorum non habuit Deus aliquam peculiarem voluntatem circa illos, ſed ſolùm communem qua deſiderabat omnes ſalvos fieri. Et rurſus *num.* 64. §. *Quod verò.* Si enim loquamur de affectu quem Deus habet ante omnem operum prævisionem, ſic admitto illum ſe æqualiter habere ad utroſque (ſcilicet ſalvandos, & non ſalvandos) quia utroſque cupit ſincerè ſalvos fiet, utriſque verum auxilium ſufficiens largiri, & neutris vult ſalutem voluntate abſoluta: & clariùs præmiſerat num. 54. Rurſus gratia præparata electis non diſtinguitur à gratia reproborum niſi effectu & cooperatione, quæ dependet à libertate noſtra.

359. Quis ita crederet dicturum Theologum, & apertis verbis conceſſurum: ante meritorum prævisionem nihil magis Deum velle electis, quàm reprobis, nullamque gratiam aliam præparatam eſſe prædeſtinatis, quam damnatis? Vbi ergo (quam ſcriptura paſſim affirmat) electorum prædeſtinatio? Vbi electio qua nos elegit in Chriſto ante mundi conſtitutionem prædeſtinans nos, &c. Vbi antequam quidquam boni vel mali egiſſent non ex operibus, ſed ex

vocante

Digitized by Google

vocante dictum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habuit? Vbi non vos me elegistis, sed ego elegi vos? Procul dubio si ante meritorum prævisionem Deus nihil magis Petro quàm Iudæ contulit, non magis ipse Deus quantum est ex se Petrum elegit & prædestinavit quàm Iudam. Quod si post meritorum prævisionem Petrum elegit & prædestinavit, Iudam damnavit, totum hoc fuit quia Petrus datam sibi à Deo æqualem gratiam cum illa quæ data fuit Iudæ, sola sua innata libertate sibi fecit disparem, & inæqualem: ergo ipse absolutè priùs elegit Deum ut ab illo eligi mereretur, quod expressè illi contradicit, *non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Ecce enim hic author manifestè contendit, quod ideo qui salvãtur, eliguntur & prædestinantur, quia ipsi absolutè fecerunt sibi gratiam efficacem, per quam eligerentur: ergo sicut priùs fuit quod innata eorum libertas redderet collatam à Deo gratiam communem, sibi particularem & efficacem, quàm quod absolutè ad gloriam eligerentur, ita priùs fuit quod ipsi illo suo merito quo reddebant gratiam efficacem, Deum eligerent ut ab illo eligi mererentur.

360 Præterea si sic est. Vbi illud, *Quis te discernit?* Manifestum est enim quod prædestinati à Deo, secundum hanc, quam impugnamus sententiam, non discernuntur à reprobis; sed quod ipsi se discernunt ex sola sua innata libertate, cum illa sola faciat quod à reprobis discernantur. Quod enim à Deo non discernantur est apertissimum, quia ipse Deus ex parte sua non magis eligit unum quàm alium: ergo non discernit unum ab alio; discretio enim unius ab alio non fit nisi per electionem unius præ alio. Quomodo autem, etiamsi fingendi detur licentia, est discretio ex Deo, ubi ex Deo ponitur æqualis gratia præparata prædestinatis, & reprobis? An per gratiam illam utrisque æqualem discernuntur alij ab aliis? Hoc penitus est impossibile. Igitur Deus quantùm est ex se non discernit alios ab aliis, quod est expressè contra illud. *Quis te discernit?* Quòd autem sua sola innata libertate se homo discernat, est notum, quia ex eo quod sua determinatione, quæ non fit ex gratia, ut etiam apertè dicunt, se determinat ad bonum, determinat gratiam ut secum cooperetur efficaciter: ergo initium discretionis ab illa sola naturali determinatione procedit: ergo illa sola discernit initiativè: rursùs ergo meretur ut gratia, qua ultimatè discerni debet, secum concurrendo, ipsum completè ab alio discernat: ergo sola illa naturalis determinatio quæ non fit ex gratia, discernit, merendo gratiam qua completè discerni debet; ac per consequens interroganti Apostolo, *Quis te discernit*, respondet homo inflatus. Discernit me determinatio mea, quæ sola facit ut gratia completè discernat; quæ sola facit ut Deus gratiam reddat per quam discernat ultimate; quæ sola facit ut Deus hunc eligendo, ab alio ipsum discernat.

361. Ad hæc. Nihil aliud S.P. Augustinus in illis duobus libris de prædestinatione Sanctorum intendit, nihil magis probat, quàm ex Deo ipso esse discrimen electorum, ac reproborum. Nihil magis convincit quàm gratiam prædestinatorum ex Deo esse præparatam, & ex divino proposito selectam. Nihil magis probat atque confirmat quàm vocationé prædestinatorum esse secundum propositum Dei volentis eos præ aliis salvare. Nihil magis condemnat quàm hanc æqualem gratiam tributam ex parte Dei prædestinatis, & reprobis, illorum libertati committendo ut illam sibi ipsis faciant efficacem vel inefficacem. Nihil magis damnat quàm se habere Deum indifferenter. Nihil aliud ex professo intendit quàm hanc doctrinam Fausti, Cassiani, & aliorum, expressè sibi per S. Prosperum & Hilarium relatam, excludere & exterminare; quæ totam prædestinationem, electionem, & salutem non ex Deo provenire, sed originaliter, & initiativè ex humana libertate in parte constituebat. Nec hic omnia, vel scripturæ Sanctæ, vel S. Patris Augustini testimonia patentissima, quæ hanc doctrinam penitùs evertunt, inducenda sunt, quia in toto progressu hujus libri per classes suas disponentur; sed potissimè adversum hunc doctorem in fine hujus, in particulari tractatu in responsione ad sectionem quintam illius dicturi sumus. Imò nihil aliud nos in toto isto libro de prædestinatione magis curabimus, quàm hanc assertionem atque doctrinam totius prædestinationis & gratiæ inimicam extra scholas longiùs profligare.

362. Contra hanc positionem sufficiat pro nunc concludere, quod si Deus non eligit salvandos ad gloriam, dando eis in virtute hujus intentionis gratiam efficacem, quòd tota distinctio salvandorum à reprobis non proveniat ex Dei electione, sed ab ipsis hominibus: Deus enim ex parte sua se habet indifferenter & eodem modo ad omnes; sed quòd alij benè operentur, alij malè; & illi perseverent, hi verò non, originem habebit non ex Dei electione & prædestinatione, sed ab hominum libertate. Quod ut supra relatum est, ipsi clarissimis verbis concedunt, non formidantes totam distinctionem salvandorum à reprobis originaliter in solum referre hominis arbitrium, non in Deum eligentem, & prædestinantem. Quod esse contra scripturam, & dicta Sanctorum, Sanct. Thomas expressè docet *quæst 6. de verit. art. 3* Et nos hac brevitate perstrinximus modò, copiosè illud postea in hoc libro tractaturi.

363. Quæ omnia argumenta, ut ex ipsis apertissimè constat, non solùm probant efficacem electionem ad gloriam non fieri ex absoluta operum præscientia; sed etiam demonstrant non fieri cum dependentia ab illa media præscientia de objecto conditionato: sive enim per unam, sive per aliam præscientiam, constituitur efficax electio ad gloriam, pendere ab innata nostra libertate, & ab ea sumere firmitatem.

364. Quod autem dictum est de absoluta & efficaci electione ad gloriam, intelligendum omnino est de efficaci electione horum in particulari & diffinitivè ad gloriam, contra aliquos, qui opinati sunt electionem illam efficacem ex vi sua non fuisse determinatam ad eas personas signatas, donec per scientiam prævisa sit libera earum operatio. Hos enim refert Sanctus Thomas *1. part. quæst. 23. art. 7.* Nam si omnia scripturæ testimonia, loca Sanctorum, & rationes inductæ expendantur, apparebit talem efficacem electionem esse de istis, vel istis personis in individuo, ut nomen electionis præ se fert. Item quia aliter nimis confusa esset divinæ voluntatis electio, quod quis in Deo admittat. Ac tandem quia aliàs de nullo homine in particulari, & distinctè esset verum quod Paulus affirmat. *Quis te discernit*, Quia Deus ex vi suæ absolutæ voluntatis neminem discerneret in particulari, & ita quilibet in particulari (cujus expectatur libera cooperatio) se discerneret ab alio, ab ipso penderet quòd ab alio secerneretur, & sic in Pelagianorum errorem incideret sine dubio talis sententia.

Quod autem etiam talis electionis ad gloriam efficax decretum fuerit etiam ad certum determinatum ac præfinitum gradum gloriæ infra dicemus.

Digitized by Google

CAPUT XXXII.

Solvitur contrarium argumentum quod à recentioribus opponitur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. canone 20.

365. PLVRIMA coacervantur teſtimonia, quibus prædicti recentiores ſuam de electione ad gloriam laborant defendere ſententiam, quòd videlicet ipſa antè omnem præſcientiam meritorum non fiat, ſed quod ab ipſis operibus prævisis ſaltem per illam ſcientiam futurorum ſub conditione dependeat. Quorum primum ac fundamentale videntur deſumere ex Concilio Trident. *ſeſſ. 6. de juſtific. Can.* 20. in quo ita definitur. *Si quis hominem juſtificatum, & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obſervantiam mandatorum Dei & Eccleſiæ, ſed tantùm ad credendum, quaſi vero Evangelium ſit nuda & abſoluta promiſſio vitæ æternæ ſine conditione obſervationis mandatorum, anathema ſit.* Ex hoc decreto tale formant argumentum. Promiſſiones æternæ vitæ juxta hanc Concilij determinationem conditionatæ ſunt, & contrarium eſt dogma Calvini, qui eas conditionatas promiſſiones negabat, de quo, & à prædicto Concilio damnatur: ergo pari ratione electio ad gloriam & æternam vitam conditionata erit: ergo fit ſub conditione prævisa per illam mediam ſcientiam de objecto conditionato, itaut ſic fiat talis electio. Volo iſtum eligere ad gloriam, ſi tamen benè uſus fuerit ex ſua innata libertate auxiliis gratiæ, quæ ego dabo; ita quod illud propoſitum ſalvandi, ſeu eligendi ad gloriam non ſit omninò abſolutum ex divina voluntate, ſed includat, vel explicitè, vel ſaltem implicitè illam prædictam conditionem per illam præſcientiam importatam. Et quidem quod talis electio ad gloriam non ſit ſimpliciter & abſolutè abſoluta, ſed implicitè conditionata, ex hoc poteſt oſtendi, quòd illius authores illam non admittunt ante illam conditionatam præſcientiam: ergo illam eſſentialiter cum illius conditionato objecto præſupponit, & ſic conditionem implicitè involuit. Secundò, quia illos, quos Deus præſcivit quòd ſi in tali ordine rerum conſtituerentur, malè uſuri erant arbitrio, nullo modo elegit ad gloriam, ſed illos tantùm quos benè operaturos præſcivit: ergo ſignum eſt manifeſtum quòd abſoluta illa electio non eſt, ſed virtualiter & implicitè claudens illam conditionem.

367. Antequam hoc ſolvatur argumentum, & vera intelligentia Concilij inducti aperiatur. Illud oportet prænotare, Recentiores hos Theologos cum quibus diſputamus, non audere apertè affirmare propoſitum ſalvandi & eligendi ad gloriam non eſſe abſolutum ex parte divinæ voluntatis, ſed conditionatum, ſecundum videlicet illam conditionem modo explicatam; licet reipſa ſine dubio defendant, & aliquando expreſſis verbis ſe magis declarantes, affirment. Non inquam, ſic apertè affirmare audent, quia apud S. D. N. Clement. Papam Octavum in quadam Congregatione 36. videlicet, ex habitis coram Sanctitate ſua, expreſsè dixerunt decretum prædeſtinationis ſeu propoſitum eligendi ad gloriam abſolutum eſſe, & non conditionatum: ſed tamen, ut etiam à me ibi fuit denudatum, hoc ſolis verbis dicebant: re autem ipſa illud propoſitum conditionatum eligendi ad gloriam conſtituunt ſecundum illam prædictam conditionem explicitè, vel implicitè clauſam, & in tali decreto involutam. Quod & libri eorum apertè teſtantur, & ex ipſorum doctrina & fundamentis manifeſtè convincitur. Cum enim ipſi expreſſis verbis in ſuis libris, & ſcriptis dicant, quòd ſi Deus eligit ad gloriam abſoluta ſua voluntate quos vult, abſque omni præſcientia bonis uſus arbitrij, ſequitur quòd Deus abſoluta voluntate vult quod homo ſic operetur & bene utatur auxiliis; & ex conſequenti (ut aiunt) tollitur libertas arbitrij, & fatalis inducitur neceſſitas. Cum itaque hoc expreſsè dicant, manifeſtè affirmant Deum ex electione ad gloriam non velle abſolutè & efficaciter, quod homo ſic operetur: ergo affirmant Deum velle quod homo operetur, ſi tamen ipſe vult, & hac ſaltem implicita & ſubintellecta conditione: ergo reipſa conſtituunt decretum ſeu propoſitum eligendi ad gloriam non abſolutum ex Dei voluntate, ſed conditionatum, cum illa conditione pendente ab humana voluntate: ſolum ergo verbis contendunt negare propoſitum eligendi ad gloriam eſſe conditionatum, cum revera nihil aliud in ſua doctrina affirment. Ecce aliquando dicunt illud decretum eligendi ad gloriam conditionatum: aliquando non conditionatum, ſed abſolutum: aliquando quod abſolutum tollit hominis libertatem. Hoc ultimum de omnino abſoluto intelligunt, quod proinde nullus illorum admittit. Cum verò aliquando illud vocant abſolutum, aliquando conditionatum, æquivocatione utuntur; vocant enim abſolutum quantum ad id quod explicitè continet; conditionatum verò quoad aliud quod continet implicitè v. g. volo conſtituere hunc hominem in tali ordine &c. Hæc duo in illo reperiuntur.

368. Sed ut quid immoramur, hoc per evidentem conſequentiam ex ipſorum doctrina deducere, cum illorum aperta & formalia verba id manifeſtent in argumento modò ex Concilio Tridentino ab ipſis propoſito atque pro fundamento conſtituto: ex qua electione ad gloriam ſic ſub conditione expreſſam in ſupradicto argumento, conſequenter illorum primus Molina *in concord. diſput. 52. §. ſciſcitabitur*, ſic dicit. *Item quod res libero arbitrio prædita, ſi in certo ordine rerum, & circunſtantiarum collocetur, in unam, aut alteram partem ſe flectat; non provenire ex præſcientia Dei, quin potiùs ideò Deum id præſcire, quia res ipſa libero arbitrio prædita id ipſum agere debet: nec provenire ex eo quòd Deus velit ab ea fieri, ſed ex eo quòd ipſa liberè velit facere.* Ecce apertè dicit, quòd ſi res conſtituatur in tali rerum ordine non operatur hoc, nec ſe inflectit in iſtam partem, quia Deus id velit ab ea fieri; ſed quia humana voluntas id vult facere: ergo cum Deus conſtituit per voluntatem ſuam hominem in tali rerum ordine, non vult abſolutè quòd ſic homo operetur, vel in hanc partem ſe flectat: ergo vult quod id homo operetur ex ſua innata libertate ſi ipſe voluerit. Licet prædictus author & qui illius doctrinam defendunt, nihil aliud dicerent in hac materia, hoc ſolum inductum teſtimonium continet pravam doctrinam, & omnem efficaciam divinæ voluntatis ſupra humanas negat. Deinde *queſt. 19. in eadem Concord. art. 6. diſput. 1. in principio*, poſtquam diſtinxit duplicem Dei voluntatem abſolutam: alteram omnino abſolutam & propriè efficacem deſtructivam humanæ libertatis: alteram verò non omnino abſolutam, ſed dependentem ab humana libertate. Explicans *in §. altero modo*, hanc ſecundam, quam vocat Dei voluntatem abſolutam, ſic dicit. Altero modo dicitur Deus velle aliquid dependenter quidem ab arbitrio creato, atque adeo ſub conditione ſi creatum

Digitized by Google

tum arbitrium id etiam velit; atque ea ratione absolutè, quod cum prævideat per arbitrium ipsum liberè futurum (ex hypothesi quod eum ordinem rerum velit creare, quem reipsa creare constituit) ei placet, absolutaque voluntate vult ut sit quod ita liberè futurum est, potestque non esse. Quibus verbis duo manifestè dicit. Primum, quòd Deus vult aliquid dependenter quidem ab arbitrio creato, & sub hac conditione si arbitrium id voluerit. Secundum est quod ideo hæc Dei voluntas dicitur absoluta, quia Deus vult absolutè constituere hominem in tali rerum ordine in quo operetur, si ipse homo voluerit, prævidens tamen quod ipse homo velit. Et propterea ab ipso, solo nomine vocatur absoluta, quia est absoluta quantùm ad hoc quod est constituere hominem in tali rerum ordine: Dei enim voluntas quoad hoc ab homine non dependet, non tamen est absoluta quantùm ad hoc quod homo operetur, quia in hoc, ut ait, ab homine pendet: unde est clarè dicere, quod est absoluta quantùm ad dandum auxilia tribuentia posse & inefficacia; non autem est absoluta quantùm ad dandum auxilia efficacia, quia in hoc pendet à conditione libertatis creatæ. Quod si prætendant hæc Molinæ testimonia procedere non de proposito eligendi ad gloriam, sed de voluntate qua Deus velit post illud absolutum propositum hominem operari si ipse voluerit. Dicendum est eis primò, quare supradictum argumentum ex Concilio Tridentino formant de electione conditionata ad gloriam, si illam ponunt absolutam. Similiter quare si absolutam illam admittunt, eam nolunt constituere ante mediam illam præscientiam; nisi quia vident quod ante illam absoluta electio est, post illam vero implicitam saltem continet conditionem in illa præscientia essentialiter importatam.

369. Similiter etiam Franciscus Suarez in suis opusc. sæpè repetit quòd Deus non vult absoluta voluntate quòd homo operetur, sed sub conditione si ipse voluerit. Quæ testimonia ad præsens in re adeo clara omittuntur. Manifestum est ergo quòd prædicti authores negant propositum eligendi ad gloriam esse absolutum ex parte divinæ voluntatis; & illud apertissimè conditionatum constituunt per illam conditionem ab arbitrio creato dependentem, quod illa conditio manifestat (si ipse homo voluerit.) Imò manifestum est ideo eos negare propositum eligendi ad gloriam esse absolutum, & non conditionatum, quia si esset absolutum inferret consequenter absolutam voluntatem quòd homo sic vel sic operaretur, & benè uteretur auxiliis; quam voluntatem concedere nolunt, sed sub illa conditione pendente à creata libertate. Ex qua voluntate conditionata, infertur propositum eligendi ad gloriam (quod ex ipsa dependet) etiam conditionatum esse & non absolutum. Quæ cum ita sint & ita clarè ex ipsorum doctrina convincantur, & ea ita expressis verbis affirment; frustrà, inquam, aliquando laborarunt, ut diximus, suadere propositum eligendi ad gloriam esse absolutum, & non conditionatum, ne ab omnibus intelligerentur. Argumenta autem quibus aliquando suadere conabantur se admittere decretum salvandorum absolutum, non conditionatum, infrà proponuntur & solvuntur.

370. Sed ex hac ipsorum contradictione, seu occultatione qua quod re affirmant, negare verbis procurant. Quid aliud ostenditur quàm talem esse eorum doctrinam, ut apertè defendi nullatenus possit. Diximus in hac eorum contradictione, seù occultatione, quia ut supra præmisimus, contradictio non est, sed æquivocatio; aliquando enim illud vocant absolutum ratione ejus quod explicitè continet, aliquando conditionatum ratione ejus quod habet implicitè. v. g. hoc decretum. Volo constituere hominem in tali ordine rerum, vel secùdùm alios, Eligo istum ad gloriam. Quoad id quod importat expressè, absolutum est, quoad id verò quod continet implicitè, ratione præsuppositæ scientiæ mediæ conditionem involuit.

371. Ex quo etiam aliud formatur efficax argumentum. Si ex Concilio Tridentino modò ab ipsis inducto intendunt propositum eligendi ad gloriam esse conditionatum, non absolutum. Quomodo publicè negarunt propositum eligendi ad gloriam esse conditionatum, laborantes ostendere se illud constituere absolutum. Parique ratione si dogma Calvini damnatum in prædicto canone Concilij (ut aïunt) fuit negare illud propositum eligendi ad gloriam esse conditionatum. Quomodo tàm publicè & cum tanta communicatione, & studio negarunt se constituere illud decretum electionis ad gloriam conditionatum. Certè nisi cum Calvino vellent convenire, id facere non potuerunt. Non ergo præcipitent sententiam, sed attendant quid eos respondere oporteat. Si est damnata sententia Calvini negare propositum eligendi ad gloriam esse conditionatum: ergo cum Calvino conveniunt negantes tale propositum eligendi esse conditionatum. Si autem cum Calvino in hoc non conveniunt: ergo non fuit damnata sententia Calvini. Quod propositum eligendi ad gloriam sit absolutum, & non conditionatum; sed in alio Calvinus erravit, quod erit infrà declarandum.

372. Præterea, quæ sit damnata sententia Calvini circa propositum electionis ad gloriam capite sequenti ostendemus apertè. Modò verò quàm sine causa decretum illud ex Concilio Tridentino inducant, oportet manifestare. Primò ab his authoribus quærimus, quare ita confundunt decretum electionis seu prædestinationis cum promissione de qua procedit illud Concilium. Hæc enim duo differunt plurimùm, valdeque diversa sunt, promissio videlicet sub conditione, & electio ad gloriam sub conditione: at textus Concilij de promissione observationis præceptorum sub conditione tantum procedit. Quomodo ergo ad electionem ad gloriam sub conditione transfertur. Differunt certè ista valdè. Primò quia promissio sub conditione observationis præceptorum temporalis est, electio autem ad gloriam æterna: deindè promissio illa sub conditione communis est, & ad omnes pertinet quibus Evangelium prædicatur, omnibus enim dicitur, *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Et illud *qui perseveraverit usque in finem salvus erit.* Et similia quædam talia in Scriptura publicata. At vero electio certa ad gloriam, non omnium est, sed eorum videlicet, quibus & ipsa æterna vita divino est præparata consilio. Insuper illa generalis promissio sub conditione observationis præceptorum, non secum affert impletionem, quod ex modò dictis constat, quia videlicet communis est & bonis & malis: cæterum electio ad gloriam hanc præceptorum impletionem secum affert, illam præstat, ac præbet, illam infert sicut prima talis observationis causa.

373. Ex quibus omnibus concluditur. Quod licet promissio observationis mandatorum conditionalis sit, vel sub conditione proposita; electio tamen ad gloriam non conditionalis est, vel sub conditione constituta, sed omnino efficax, & absoluta. Damnatur itaque in Calvino quod negaverit divinas illas promissiones non esse conditionales: nullo modo autem de electione ad gloriam, illud Concilij decretum procedit. Quod si de electione ad gloriam possit verificari, intelligi omnino debet de electione ad gloriam quoad executionem seù in ratione præmij & mercedis redditæ, seù quod idem est, quatenus est ultimus effectus prædestinationis: ut sic enim sicut illam vult Deus dare propter merita, ita de illa potest

Digitized by Google

verificari quòd illam dat Deus si homo bene fuerit operatus, secundum illud *si vis ad vitam ingredi serva mandata* & illud *qui perseveraverit usque in finem salvus erit.* Sed tunc dicendum primò quod qui illam obtinet, mandata servavit & in bono perseveravit. Dicendum secundo quod sic benè operatus est, quia Deus efficaci sua præveniente gratiâ verè fecit illum benè operari & in bono perseverare. Dicendum tertiò omnes tales priùs fuisse electos ad gloriam absolutè & efficaciter, ut dictum est.

374. Concluditur ergo illud decretum sacri Concilij Tridentini, quod de promissione mandatorum procedit apertè; sine fundamento, & causa induci ad probandum propositum eligendi ad gloriam debere esse conditionatum, per illam videlicet conditionem ab humano arbitrio dependentem. Et hæc sit prima responsio.

CAPUT XXXIII.

Explicatur amplius vera intelligentia Conc. Tridentini in prædicto canone 20. sess. 6. de justif.

375. INSTANT Recentiores, Calvini esse doctrinam electionem ad vitam æternam ex mero beneplacito Dei fieri, ejusque absoluta voluntate absque aliquo ordine prævisо ad ipsa merita. Ad quod dicendum damnatam Calvini sententiam in hoc consistere, quòd electio ad gloriam ita fiebat ex mero Dei beneplacito, quòd non erat comparanda meritis ex libera voluntate præcedentibus. Itaque constituebat electionem efficacem ad gloriam ex Dei absoluta voluntate, negantem tamen humana merita liberè facta; & ista fuit ejus damnata sententia. Pessimè enim intulit ex absoluta Dei voluntate eligentis ad gloriam, quòd omnia merita liberè facta tollebantur. Vnde si quis attendat, Calvini error fuit constituere efficacem electionem divinæ voluntatis humana merita auferrentem. Vnde non erravit, quia efficacem electionem ex parte Dei constituit, sed quia per eam auferri libertatem & meritum deliravit: vel ut clariùs dicamus, ejus error fuit taliter constituere absolutam electionem ad gloriam, quæ nullo modo diceret ordinem tanquam ad effectum ad humana merita procedentia ex gratia & humana libertate.

376. Similiter Calvinus loquens de prædestinatione, posuit illam absolutam Dei prædestinationem non includere, vel non dicere aliquem ordinem ad libertatem & merita, etiam tanquam ad effectus ex prædestinatione procedentes. Vndè ad vitandas utrosque diversos errores, & Pelagianorum, & Calvinistarum, mediâ viâ procedit veritas, dum contra Pelagianos affirmat Dei prædestinationem non dicere ordinem ad merita sicut ad causam ex qua prædestinatio dependeat. Contra Calvinistas vero docet Dei gratuitam prædestinationem dicere ordinem ad merita sicut ad ipsius prædestinationis effectus. Qui Caluini error quomodo teneat ex oppositо consequentis ad oppositum antecedentis Pelagianorum erroris, dicendum erit ex professo, & copiosiùs infra quarto hujus operis libro. Modò hoc quasi supponatur.

377. Sed illud obiter adnotaverim. Recentiores ab errore Calvini non esse alienos, sed cum illo convenire in potissimo suo errore, approbantes videlicet, pessimam ejus consequentiam. Sicut enim ille erravit dum ex absoluta electione ad gloriam ex parte voluntatis Dei intulit libertatis, & meritorum ablationem; ita & Recentiores hanc approbant consequentiam, dum similiter contendunt inferri ablationem libertatis, & meritorum ex electione ad gloriam secundum absolutam Dei voluntatem. Videant ergo hi Authores utrum cum Calvino sentiant, ejusque tueantur causam; cū ex gratuita Dei electione ad gloriam tolli meritum cum eo putant: an verò nos, qui hoc inde sequi, efficacissimè negamus, & asserimus potiùs ex tali efficaci electione ad gloriam libertatem & meritum promanare.

378. Sed ad prædictum Concilij Trid. canonem de promissione observationis mandatorum sub conditione in Scriptura tradita revertamur. Dicimus ergo primò Concilium prædicto canone tantùm damnate id, quod verbis apertis affirmat, videlicet hominem justificatum non teneri ad observantiam mandatorum, sicut pessimè errando dicebat Calvinus. Secundò damnat legem Evangelicam esse nudam & absolutam promissionem vitæ æternæ sine conditione observationis mandatorum, ut etiam Calvinus affirmabat. Hæc duo damnantur in prædicto canone. Itaque damnatur sententia quæ dicat promissionem vitæ æternæ, quæ habetur in Evangelio, ita esse absolutam & nudam, ut non includat illam conditionem (si videlicet servaveris mandata.) Cæterum ex hoc inferre illam appositam in Scriptura conditionem (si servaveris mandata) & similes, ita fieri ex humana libertate quòd Deus non det efficaciter ipsi voluntati ut mandata impleat; quasi quod homo impleat mandata, non sit ex prædestinatione & effectus illius. Hoc, inquam, inferre, sicut Recentiores inferre laborarunt, damnatus est Pelagianorum error, ut statim ex S. August. apertè monstrabo.

379. Itaque verissimum est in lege Evangelica contineri promissiones æternæ vitæ sub illa expressa conditione (si servaveris mandata) & hoc ex ipsa Scriptura constat, & ex prædicti Concilij definitione contra Calvinum & ejus sequaces. Similiter & illud verissimum est quòd qui de facto mandata implent, ex Dei dono faciente efficaciter quòd homo sic impleat, provenit; ut sicut in primo ostenditur hominum libertas, ita in secundo apertè manifestatur Dei donum & efficacia. Vndè S. P. Augustinus de præd. Sanct. cap. 11. *Ideò & nobis hæc* (inquit) *præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur; ut intelligatur quod nos illa facimus, sed Deus facit, ut illa faciamus.* Et *lib. 2. ad Bonif. cap.* 10. Illam universalem, firmissimamque regulam constituit contrà Pelagianos sub his verbis. *Quæ cum ita sint nihil in Scripturis Sanctis homini à Domino video juberi, propter probandum liberum arbitrium; quod non inveniatur, vel dari ab ejus bonitate, vel posci propter adjutorium gratiæ demonstrandum.* Attendat verus Theologus ad universalem verissimam regulam, qua omnia dicta Scripturæ manifestè concordantur. Nihil unquam præcipitur homini in Scriptura Sancta sivè sub conditione, sivè absolutè, nihil, inquam, quòd in eadem Scriptura non inveniatur datum à divina bonitate, vel postulatum: Ita ut sicut illud secundū declarat arbitrij libertatem, ita & hoc primum manifestet auxilium gratiæ & charitatis, & ejus necessitatem. Præcipitur ergo homini sub hac conditione, si vis ad vitam ingredi serva mandata, sed qui servant ex Dei voluntate absoluta & efficaci servant, quia ipse facit adimpleri ab homine prædictam conditionem, & ea quæ præcipit, ut sic confidenter dicamus Domino cum S. Augustino, renitente Pelagio, & omnibus qui ejus sequuntur sententiam. *Da quod jubes, & jube quod vis.* Nobis præcipis quod si volumus ad vitam ingredi servemus mandata; da ergo hoc ipsum quod præcipis; da ut & ad vitam velimus intrare; da ut etiam mandata servemus.

380. Dixi esse Pelagianum errorem, inferre ex illis conditionibus in Scriptura explicatis negationem auxilij gratiæ facientis quod & nos tales impleamus conditiones,

Digitized by Google

conditiones, quia hoc S. Augustinus ubique manifestè demonstrat. In primis *lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 3.* Sic contrà Pelagium, & Celestium affirmat. *Acutè autem sibi videntur dicere, quasi nostrum hoc nullus ignoret, quod si nolumus, non peccamus &c.* Ecce conditionem pendentem ex nostra libertate, ex qua negabant auxilium gratiæ facientis quod nos non velimus peccare. Sed statim subdit S. Doctor: *Sed hoc non vident, quòd ad nonnulla superanda, vel quæ malè capiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus est voluntatis, quas nos nõ perfectè in omnibus adhibituros prævidit &c.* Quibus verbis hoc in substantia dicit. Verùm est quòd si volumus, non peccabimus; sed ipse Deus donis gratiæ suæ facit ut peccare non velimus, & facit ut illam conditionem impleamus. Et *lib. 1. ad Bonif. cap. 18.* contra Julianum & sequaces iterum introducentes hoc argumentum de conditionibus in Scriptura explicatis, ex quibus negabant Dei adjutorium faciens facere. Sic ex ipsis opponit. *Non enim est homo bonus si nolit* & respondet. *Sed gratiâ Dei etiam ad hoc adjuvatur ut velit; quoniam non inaniter scriptum est: Deus enim qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate, & præparatur voluntas à Domino.* Et clariùs lib. de perfect. just. contra Celestium cap. 19. *Magnum autem aliquid pro sua causa se invenisse arbitratus est apud Isaiam Prophetam, quia Deus dixit. Si volueritis, & audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis &c. Quasi non lex tota ejusmodi conditionibus plena sit, aut ob aliud superbis præcepta ista data sint, nisi quia lex prævaricationis gratia posita est, donec veniret semen cui promissum est. Vndè subintravit ut abundaret delictum, & ubi abundavit delictum superabundavit gratia: ideòst ut acciperet homo præcepta superbè de suis viribus confidens, in quibus deficiens, & factus etiam prævaricator liberatorem salvatoremque requireret, &c.* Et paulo antè præmiserat. *Aut quia dictum est, si voles præcepta servabunt te, quasi non debeat Deo agere gratias, quia præcepta voluit, qui desertus omni lumine veritatis, hæc velle non posset.* Sic ergo & nos iis authoribus modò dicamus. Magnum quid pro sua causa invenire se putant, quia in Concilio Tridentino inveniunt promissionem observantiæ mandatorum esse sub conditione. Quasi tota lex etiam Evangelica non istis conditionibus plena sit; aut quasi istæ conditiones impleantur nisi per gratiæ auxilium, quod verè facit nos facere, & mandata implere, quod ipsi omninò negant.

381. Præterea si isti authores in sacris literis & in Concilio Tridentino inveniunt promissiones sub conditione; quare etiam non advertunt ad scripturam quæ etiam alias promissiones absolutas & sine aliqua conditione apertè testatur? Sic enim dixit Apostolus Rom. 9. *Promissionis enim verbum hoc est, secundum hoc tempus veniam & erit Sara Filius.* Non dicit promissionem factam fuisse sub conditione, si Sara voluerit, sed absolutam ex divina gratia ponit promissionem, dicens promissionis verbum hoc est, veniam, & erit Saræ filius. Et hoc ipsum clariùs præmiserat Apost. Rom. 4. *Ideo ex fide ut secundũ gratiam firma sit promissio omni semini.* Vbi apertè promissionẽ firmam, stabilem, ac certam secundum Dei gratiam constituit, non secundum dependentiam à libero arbitrio: quem locum interpretatus S. P. Augustinus contra posteriores Pelagianos *lib. de prad. sanct. cap. 10.* ita ait. *Ideo ex fide ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini; non de nostræ libertatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus erat, non quod homines quia & si faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quæ præcepit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit.* Quid clariùs vel in Apostolo, vel in S. Augustino ad ostendendum promissionem illam factam Abrahæ absolutam fuisse & ex Dei absoluta voluntate impletam, quæ facit ut homines faciant quod promisit. Et *eodem libro cap. 11. sequenti* opponit sanctus Augustinus argumentum illorum posteriorum Pelagianorum, sic enim dicebant. *Sed cùm dicitur* (videlicet in scriptura) *si credideris salvus eris; Vnum horum exigitur, alterum offertur; quod exigitur in homine, quod offertur in Dei est potestate.* Itaque Pelagiani ex hac conditione qua dicitur, si credideris salvus eris; colligebant, credere esse in nostra potestate, & non dari à Deo per gratiæ adjutorium. Quibus statim respondet S. Augustinus. *Cur non utrumque in Dei est, & quod jubetur, & quod offertur.* Quod & ibi latè probat. Similiter agnovit S. Prosper promissiones in scriptura absolutas & sine conditione pendente ab humano arbitrio, cum *libro 1. de vocat gent. cap. 9.* sic ait. *Manet prorsus & quotidie impletur quod Abrahæ Dominus sine conditione promisit, sine lege donavit.* Ecce apertè docet quod Dominus Abrahæ sine conditione promisit, & quotidiè hoc, ut ait, in fidelibus verificatur. Damnata ergo sententia Pelagionorum est, inducere hoc argumentum sivè ex scriptura, sive ex Conciliis de istis conditionibus, ad suadendum ex nobis id pendere, & in nostra esse potestate, secluſa priori potestate divinæ gratiæ, quæ facit nos id, quod jubetur, implere; & quæ facit quod impleatur conditio observationis mandatorum in quibuscunque qui illa mandata servant.

CAPUT XXXIV.

Solvuntur argumenta contraria, quæ ex S. P. Augustino inducuntur, & quod duplex sit electio ad gloriam ostenditur.

382. QUI affirmant efficacem electionem ad gloriam fieri ex prævisione bonorum operum faciendorum ex libero arbitrio & gratia, testimoniis sancti Augustini id confirmare laborant. Vnde primum locum inducant ex sancto Doctore *ex libro ad Simpl. quæst 2.* illis verbis. *Non enim electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio; nemo enim eligitur nisi distans ab eo qui rejicitur: unde quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum nisi præscientiâ.* Quibus verbis distinguit electionem ad gloriam à liberali gratiæ donatione, vel preparatione, docens illam ellectionem posteriorem esse, & non nisi ex præscientia videlicet meritorum fieri. Quod clarius præmiserat *eadem quæst. 2.* dicens; *Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio.* Quod sic explicavit, *id est, non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideò manet propositum justificationis ipsius: sed quia illud manet ut justificet credentes, ideo invenit opera quæ jam eligat ad regnum Cœlorum.*

383. Cæterum ex istis ultimis verbis constat apertissimè sancti Doctoris vera intelligentia, non enim loquitur in illis de electione ad gloriam sine operibus, quasi hæc posterior sit proposito justificandi; sed expresè loquitur de electione bonorum operum, quam dicit posteriorem esse proposito justificandi; quia enim Deus habet propositum justificandi, ideò invenit opera bona, & illa præsciit quæ eligat ad gloriam dandam in ratione mercedis. Similiter quod dicit, illud *elegit nos ante mundi constitutionem*, esse intelligendum præscientiâ, intelligit esse intelligendum præscientiâ qua Deus videt dona sua, id est illa opera bona, quæ eligat ad gloriam dandam in ratione

Digitized by Google

Præmij & mercedis ut dictum est. Vel intelligit esse dictum præscientiâ qua Deus præsciit à se dilectos, per actum nempè dilectionis, esse eligendos præ aliis ad gloriam. Itaque electio prima ad gloriam omnino gratuita, est post propositum diligendi, sicut electio illa est posterior dilectione, ut ex S. Thoma dictum est, quod ista secunda solutio & explicatio tradit; & hæc electio est per modum intentionis: alia est electio quoad executionem, & de ista inquit S. P. Augustinus quod est post propositum justificandi.

384. Sed dices. Sanctus Augustinus in isto loco videtur asserere quòd primo sit in Deo circa prædestinatos propositum justificandi: Secundò quod inveniat opera bona quæ eligat ad gloriam. Et tertiò quod illa eligit ad gloriam: ergo electio ad gloriam fit ex prævisione illorum bonorum operum, ut recentiores affirmant.

385. Ad hoc dicendum ex eodem S.P. Augustino *tract. 68. in Ioan.* Duplicem esse electionem ad gloriam, aliam per modum intentionis; aliam per modum executionis. Illa prima, omnium prima est, & omnino gratuita, qua eligitur homo ad gloriam ante omne propositum justificandi, & ante omnia prævisa merita. Secunda autem per modum executionis fit ex prævisis meritis ortis ex justificationis gratia, sicut communiter Theologi & Philosophi de fine dicunt quoad intentionem, quoad executionem; & finem quoad intentionem dicunt omnibus priorem, quoad executionem autem omnibus posteriorem: ita gloria in ratione gratuiti doni, & quoad intentionem est volita homini priusquam omnia opera seu merita sint volita seu prævisa; eadem autem gloria in ratione mercedis & præmij, & quoad executionem est à Deo homini volita post merita ex gratia procedentia, & post illorum absolutam prævisionem. Et de ista electione ad gloriam quoad executionem loquitur apertè in isto loco ad Simplicianum, cum ait, quod ex proposito priori justificandi invenit Deus bona opera, quæ eligat ad gloriam dandam propter eadem bona opera prævisa. Cæterum ante illud propositum justificandi & ante bona merita inventa seu prævisa, præcedit illa prima gratuita electio ad gloriam per modum intentionis, à qua sicut à prima causa & radice omnia ista dimanant, ut apertè ex multis S. Augustini locis declaravimus supra. Attendendum est ergo valdequè attendendum ad istam duplicem electionem ad gloriam ex omni Philosophia deductam, & à S. P. Augustino expresè traditam citato loco in Joan. Per hanc enim multa tum S.P. Augustini, tum aliorum Sanctorum concordantur, & in vera intelligentia intelliguntur. Aliquando enim loquuntur de electione ad gloriam quoad executionem, & hanc optimè dicunt fieri ex meritorum prævisione: aliquando verò de illa omnium prima electione ad gloriam viâ intentionis, quæ merè gratuita est, & omnia merita antecedit. Vnde quod aliqui recentiores dicunt hanc distinctionem duplicis electionis ad gloriam fundamentum non habere in S. Augustino, hoc suo dicto fatentur se ad Sanctum Doctorem non attendisse, imo non attendere communem & receptissimam Theologorum & Philosophorum sententiam, qui de quolibet fine illam omnino necessariam distinctionem, & quoad intentionem & quoad executionem admittunt: & docent priorem omnino esse illam ordine intentionis, & posteriorem quoad executionem. Vnde Ægidius S. P. Augustini discipulus in 1. dist 48. art. 2. rectè sequendo *S.* P. Augustinum docet quòd nullis præsuppositis meritis prævisis dandi fœlicitatem & Sanctitatem æternam prædestinatis, efficacem habuit Deus intentionem & voluntatem.

386. Tandem distinctionem de electione ad gloriam & per modum intentionis & executionis tradit S. Thomas *in 1. dist. 41. quæst. 1. art. 1. in corpore* Sequitur D. Card. Bclarmi *lib. 2. de gratia & lib. ard. cap. 14.* Franciscus Suarez *libro 3. de auxilus cap. 18.*

387. Secundò potest intelligi S. Augustinus ut nomine electionis intelligat eligibilitatem ex parte hominis, quare eligibilitatem negat ante Dei propositum; ita ut sensus sit quod ante Dei propositum nihil eligibilitatis est magis in uno quàm in alio, sed quod ex Dei proposito hæc major eligibilitas in uno quàm in alio inveniatur.

388. Quod si contendant quod in illo loco, ut ex contextu inferri videtur, negat omnem electionem ad gloriam ante propositum justificandi, quia si aliquam priorem agnovisset proposito justificandi, non apponeret illam negativam, *non ergo secundum electionem propositum:* quia revera falsa esset talis propositio, cum aliqua electio propositum antecedat. Si inquam, sic instent, mihi videtur dicendum quod fortè sanctus Doctor ita in illo loco sensit, quod nulla esset electio ad gloriam ante propositum justificandi, cóvictus illo argumento, quod electio supponit differentiam aliquam in eo, qui eligitur: Sed postea doctior factus in libris contra Pelagianos hanc mutavit sententiam, semper docens quòd electione Deus facit dignum, & facit unum ab alio differre: non enim à perfectione cæpit in illis libris ad Simplicianum, ut ipse testatur de dono perseverantiæ cap. 21. Et mirum est quod potissimè hoc testimonio convincantur, quod tamen fuit à sancto Doctore prolatum ante exhortam Pelagianorum hæresim, quam efficaciùs & perfectiùs postea confutavit. Quod autem sententiam mutaverit in hac parte, clarè ostendemus infra in tractatu responsivo ad illum de prædestinatione quem Leonardus Lessius publicavit. Vnum tamen advertendo, quod licet sanctus Doctor in illo loco ad Simplicianum senserit omnem electionem ad gloriam esse post propositum justificandi, ex quo habentur in homine bona opera quæ Deus eligat ad gloriam, satis tamen per hoc excluśit exortam postea Pelagianorum hæresim, cum asseruit omne bonum opus hominis eligendi propter illud ad gloriam, provenire ex absoluto & efficaci proposito, quo Deus ipsi voluit dare efficacia auxilia gratis, quibus justificaretur, & quibus illa haberet bona opera, quod est advertendum.

389. Secundus locus opponitur ex S.P. Augustino, *serm. 7. de verbis Domini*, ubi sic habet. *Hoc dicimus, quoniam quos voluit Dominus, hos elegit. Elegit autem, ut dicit Apostolus, & secundum suam gratiam, & secundum illorum justitiam.* Et inferius id exponens ait. *Quid est reliqui mihi? Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præsumentes, non de se.* Et libro de præd. Sanct. cap. 17. *Elegit nos ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum; non quia per nos Sancti & Immaculati futuri eramus; sed quia per Dei gratiam Sancti & Immaculati futuri eramus:* Ergo quia futuri eramus sancti per Dei gratiam, nos Deus elegit ante mundi constitutionem & in cap. 19. concludit. *Cum ergo Deus nos prædestinavit, opus suum præscivit, quo nos justos & immaculatos facit*, Et sermone 234. de tempore, *Multi* ait, *scire volunt quare illum vocat ad se Dominus, & illum non vocat: uni subvenit, & uni non: hunc dignum habet, & illum indignum. Audi, ô homo, hunc dignum habet pro bonis operibus suis, illum habet indignum pro operibus suis malis.*

390. Sed ad illa loca, hæc sit prima responsio, quod si aliquid probant, etiam contra istos authores militant, quia loca ista non solùm de electione ad gloriam procedunt, sed etiam de prædestinatione, imo de vocatione quæ est effectus illius: unde sequeretur

Digitized by Google

queretur quod non solùm electio ad gloriam esset ex meritorum prævisione (quod recentiores affirmant) sed & prædestinatio, imo vocatio ad gratiam esset ex meritorum præscientia, quod ipsi omnino negant. Ad quid ergo ista cumulant sine delectu loca contra ipsos expresse procedentia ? Igitur in istis locis nullo modo docet sanctus Augustinus electionem, prædestinationem, & vocationem ex prævisione fieri meritorum.

391. Dicendum secundò in particulari ad quemlibet locum. Et ad primum cum dicit electionem esse secundum gratiam & secundum justitiam, sensus est, quod quoad intentionem est solius gratiæ, quia ut ibi dicitur, quos voluit, elegit : quoad executionem verò est justitiæ ex meritorum præscientia, ut dictum est. Vel dicatur locum illum procedere de electione quoad executionem, quia cum Deus reddit pro meritis coronam justitiæ, reddit gratiam pro gratia : unde illa corona justitiæ est & gratiæ; gratiæ quoad intentionem; justitiæ quoad executionē; & iste videtur magis proprius sensus illius loci, cum dicitur quod illos eligit ad gloriam (videlicet dandam in executione) quia vidit mentes eorum non de se, sed de Deo præsumentes.

392. Ad tertium locum de prædedinatione Sanctorum dicendum falsò induci, quia in toto illo capite 17. illa causalis non invenitur, quod videlicet Deus prædestinavit nos *quia* sancti & immaculati futuri eramus per gratiam : Imo *in capite* 18. *sequenti* totum contrarium expresse invenitur, dum sæpè docet quod Deus nos elegit ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati : non ergo quia futuri eramus, ait, sed ut essemus. Et iterum ibi repetit : ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse.

393. Quod si adducatur ex *libro de correctione & gra. cap.* 7. locus alius, ubi videtur constitui causalis illa : sic enim ibi dicitur. *Electi sunt autem, quia secundum propositum vocati sunt.* Ad hoc dicendum, quod ibi S. Augustinus non loquitur de vocatione secundum propositum, qua Deus vocat ad dandam gratiam justificationis, quasi ista vocatio sit prior electione ad gloriam aut prædestinationem, quia talis vocatio absque dubio effectus est prædestinationis & electionis ad gloriam, ut dictum est; sed loquitur apertè de vocatione secundum propositum Dei diligentis priùs ratione quàm eligat ad gloriam, quia prior est dilectio quàm electio, & electio quàm prædestinatio, & prædestinatio quàm vocatio ad justificantem gratiam. Potest etiam dici quod licet loquatur de vocatione ad justificantem gratiam, verbum *quia* non dicit semper causalitatem, sed aliquando illationem & consequentiam : & tunc est sensus, vocati sunt secundum propositum : ergo electi sunt; ita ut verbum *quia* dicat effectum, & à posteriori procedat; non causam, & à priori, secundùm quod similes propositiones sanctus Thomas exponit 1. *p. quæst.* 14. *art.* 8. *ad* 1. Qui modus sumendi verbum *quia* etiam in scriptura invenitur, secundum illud *Pater amat vos, quia vos me amastis :* Vbi verbum, *quia* signum & effectum exprimit, non causam; ut alibi clariùs exponendum est.

394. Potest tertiò dici quod loquitur de electione ad gloriam in executione, & secundum quod est effectus ultimus prædestinationis; & tunc electi sunt hoc modo, quia secundum propositum sunt vocati, & prævisi in gratia, ut dictum est supra.

395. Advertendum tamen quod aliquando in sancto Augustino inveniuntur istæ locutiones. *Quod vocatione fiunt electi* ut lib. de prædest. SS. Et iterum ibi. *Electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id quod prædestinavit, implevit.* Quæ loca & similia sic sunt intelligenda, non quod ipsa vocatione primò eligantur, quia vocatio, ut diximus, effectus est electionis; sed quia vocatione consequuntur homines dignitatem illam, ad quam primitus gratis fuerunt electi. Quod est clarè dicere illam electionem vocationis esse executionem æternæ electionis & prædestinationis, seu esse electionem temporalem, quæ est effectus illius prioris æternæ. Vt enim S. Thomas docet *super* 15. *caput Joannis lectione* 3. ad illa verba. Non vos me eligistis. *Duplex est Dei electio, una æterna, qua prædestinamur : Eph.* 1. *elegit nos in ipso &c. Alia temporalis qua ab ipso vocamur; quæ nihil est aliud quàm executio æternæ prædestinationis, quia quos eligit prædestinando, hos etiam eligit vocando, Rom.* 8. *quos prædestinavit, hos & vocavit & Luc.* 10. *elegit duodecim quos, &c.* Loqui autem sanctum Patrem Augustinum allatis testimoniis de hac electione temporali, quæ executio est divinæ prioris electionis & prædestinationis, verba ipsa in secundo testimonio inducta ostendunt clarè, dum illis asserit, quod Deus sic sua vocatione eos de mundo eligendo, illud quod prædestinavit, implevit : ergo illa electio impletio fuit & executio divinæ prioris electionis & prædestinationis.

396. Consultò diximus duplicem esse electionem ad gloriam, quia hæc temporalis modò ex S. Thoma signata, cum effectus sit illius primæ gratuitæ electionis ad gloriam & in aliam tendat, quæ datur per modum præmij & mercedis, cum illis nec ponit in numero, nec immediatè est electio ad gloriam, sed primò & immediatè est electio, vel ad fidem, vel ad gratiam, vel ad Apostolatum sicut ex locis inductis in citato sancti Thomæ testimonio fit manifestum. Quia verò id, ad quod eligitur aliquis, habet rationem finis, ut docet sanctus Thomas 1, *p. quæst.* 24. *art.* 2. hæc temporalis electio, quæ est ad gratiam, non dicitur electio nisi in quantum vita gratiæ ordinatur ad gloriam, ut ibi sanctus Doctor affirmat : imo ut patet ex illo testimonio Lucæ 10. & ex illo alio Ioan. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi & ex vobis unus diabolus est* datur electio ad Apostolatum, quæ nec effectus est illius electionis ad gloriam, nec in aliam electionem ad gloriam remunerativam, & datam propter merita ex gratia procedentia, aliqua ratione tendit; sed est temporalis omnino : unde electio debet vocari secundum quid, non absolutà & simpliciter, prout sanctus Thomas docet 1 *p. quæst.* 24. *art.* 2. *ad* 3.

397. Ad quintum locum ex Serm. 234. dicendum non integrè adduci. Sic enim habet. *multi enim dicunt & scire volunt quare illum vocat ad se Dominus, & illum non vocat : uni subvenit, & uni non : hunc dignum habet, & illum indignum : istum honorat, & illum cruciat & affligit : Audi, ô homo : hunc dignum habet pro bonis suis operibus, illum habet indignum pro operibus suis malis, quia debitor est Dominus, & reddet bonis bona, & malis mala :* Quibus verbis sanctus Doctor apertè declarat se loqui de Deo judice præmiante, sive puniente pro meritis : non ergo loquitur de prima omnium gratuita electione ad gloriam in ratione intentionis & finis omnino indebiti : unde nihil ad rem videtur conducere locus iste : majori autem cum apparentia induci poterat ad probandum quòd prima vocatio ad gratiam fit ex meritis gratiam præcedentibus, quod esse Pelagianum isti recentiores agnoscunt. Quare dicendum S. Augustinum non docere istum vocari à Deo pro bonis operibus, & illum non vocari pro malis; sed tantùm dicit quod hunc habet dignum pro meritis factis, videlicet ex gratia, & illum habet indignum pro demeritis : & quod loquatur de dignitate habita ex priori gratia ipse expressit

Digitized by Google

pressit *lib. de prædestinatione Sanct. cap.* 10. sic dicens. *Quod dixi salutem religionis hujus nulli unquam defuisse qui dignus fuit, & dignum non fuisse cui defuit; si discutiatur & quæratur unde quisque sit dignus, non desunt qui dicant, voluntate humana. Nos autem dicimus gratiâ vel prædestinatione divina.* Vnde licet Sanctus Augustinus diceret, hunc vocat, quia est dignus; & alterum non vocat, quia non est dignus: non poterat intelligi de omnium prima vocatione ad gratiam, sed de vocatione ad ulteriora dona gratiæ, quæ supponeret dignitatem habitam ex priori gratiæ vocatione, ut manifestum est. Igitur ex nullo istorum locorum rectè colligitur sensisse Sanctum Augustinum electionem ad gloriam non fieri nisi ex præviſione operum faciendorum ex arbitrio & ex gratia. Vnde S. Thomas *Super* 15. *caput Ioannis lect.* 3. istorum reprobans sententiam, ait: *Alij autem dicunt, quòd verum est quòd merita in actu existentia non sunt causa prædestinationis, sed præexistentia in præscientia Dei, dicentes quòd quia Deus scivit aliquos bonos futuros & benè usuros gratia, ideo proposuit eis gratiam se daturum. Sed si hoc esset, sequeretur quod ideo nos elegit, quia præscivit nos ipsum electuros: & sic electio nostra, prævia esset electioni divinæ, quod est contra sententiam Domini.* Vbi etiam docet quod ex Sancto Patre Augustino relatum est modò, quod nempe ut aliquis sit dignus ut vocetur, habet ab ipsa gratia: hoc enim sub his verbis declarat, statuendo differentiam inter electionem divinam & humanam: quia electio nostra, inquit, causatur ex bono jam præexistente; sed electio divina est causa influentiæ majoris boni in uno quàm in alio. Tandem ibidem refert alios dixisse, electionem temporalem, de qua supra, ex merito electorum causari. *Sed hoc*, ait, *est contra illud quod hìc dicitur. Nam si ideo elegit te, quia bonus eras; non autem poteras bonus esse nisi bonum eligeres, hoc autem bonum potissimè est Deus: ergo primò elegisti bonum, quod est Deus, quàm eligereris. Sed Dominus dicit contrarium; non vos me elegistis.* Hæc Sanctus Thomas. Advertendum tamen quod diximus, negari ab authoribus cum quibus agimus, meritum hoc respectu electionis temporalis, seu vocationis ad gratiam: negari quidem ab eis verbis, non autem reipla, ut constabit ex nostro lib. 4. in quo de hoc agendum est copiosè.

CAPUT XXXV.

Alia argumenta ex ratione procedentia dissolvuntur.

396. MInus etiam obstant rationes quæ contra prædictam veritatem adducuntur, sic enim opponunt. Voluntas dandi gloriam ante prævisa merita, est voluntas antecedens; sed hac voluntate vult Deus omnes homines salvos fieri: ergo nulla alia efficax voluntas dandi gloriam antecedit merita prævisa. Sed ad hoc facilis est responsio ex prædictis, videlicet, præter illam antecedentem & generalem voluntatem inefficacem, qua Deus vult homines omnes salvos fieri, oportere aliam specialem efficacem & absolutam constituere respectu eorum qui salvantur, quæ omnia merita prævisa antecedat, & omnium illorum sit causa. Quomodo enim ex voluntate omnibus communi & respectu omnium æquali potest oriri tam diversa mediorum præparatio, ut aliquibus media efficacia preparentur, aliis verò minimè; cum media efficacia ex finis intentione efficaci proveniant.

397. Non etiam obstat exemplum, quod de Principe solent adducere, qui primo decreto proponit aliquod præmium bene certantibus, qui non habet absolutam voluntatem dandi illud præmium alicui, nisi cognoscendo in illo talia bona opera. Et idem dicendum, dicunt, de Deo eadem proportione servata, quòd nulli efficaciter vult dare gloriam, nisi prævidendo ejus merita.

398. Ad hoc dicendum, probare argumentum, quòd sicut ille Princeps non vult dare præmium in ratione præmij, & mercedis nisi ex prævisione boni certaminis; ita nec Deus præmium gloriæ in ratione mercedis & præmij & quoad executionem alicui vult dare, nisi ex prævisione bonorum operum ex gratia: at verò præter istam voluntatem præmiandi ex operibus, habet Deus priorem voluntatem, qua gratuitò & absque meritis prævisis voluit homines eligere ad gloriam, & postea dare eis merita quibus illam consequerentur. Sicut si magnus aliquis Princeps gratis hominem abjectum eligeret ad regnum ante omnia ipsius prævisa opera, & deinde studeret, illum omnibus bonis artibus informare, ut dignè regni possessionem assequeretur.

399. Præterea opponunt tertiò quòd media, quibus Deus movet hominem ad consequutionem gloriæ, tantùm sunt moraliter attrahentia, non autem physicè prædeterminativa: ergo non potest Deus ante prævisionem illorum efficaciter eligere illum ad gloriam, quia contingeret frustrari ex inefficacia mediorum, moraliter tantùm attrahentium.

400. Ad hoc dicendum primò, quòd jam prædicti authores fatentur, quod si media essent ad modum causæ physicæ, prædeterminantia hominem ad gloriæ consecutionem, tunc optimè posset Deus eligere hominem ad gloriam ante prævisa merita; sed infra libro quarto demonstrabimus necesse omnino esse, media ad salutem non posse esse solùm moraliter attrahentia, sed etiam ad modum causæ physicæ verè & activè propriè prædeterminantia, nec aliter efficaciam divinæ gratiæ salvari: ergo verè datur electio efficax ad gloriam ante prævisionem meritorum.

401. Secundò dicendum, quod etiam hac falsitate admissa, quod media ad salutem sint tantum moraliter excitantia, quia tamen ante electionem efficacem ad gloriam intromittunt isti authores illam scientiam mediam, qua Deus cognoscit quod si talia media moraliter excitantia dentur homini in tali occasione, infallibiliter consecutura sunt effectum: ipsimet videant & sibi respondeant qualiter illa media moraliter attrahentia infallibiliter obtinebunt effectum. Vnde ex hac parte non frustrabitur efficax electio absoluta ad gloriam in propria ipsorum falsa sententia. Vnde qui hoc argumentum proponunt, ad suam sententiam consequenter non loquuntur; potissimè quia ipsorum præcipui, talem electionem ad gloriam admittunt ante absolutam meritorum præscientiam, efficaciter adimplendam per illa media moraliter attrahentia infallibiliter post illam mediam scientiam.

402. Quartò opponunt illud suum vulgare argumentum, quod ex tali efficaci electione ad gloriam ante prævisa merita, tolleretur liberum arbitrium, quia illa suppositа non posset operari contrarium, sed ipsa necessario operaretur ut electionem illam obtineret: cum talis efficax electio ad gloriam frustrari nullo modo possit.

403. Ad hoc alij deffensores scientiæ mediæ respondent, ideo per illam efficacem electionem ad gloriam liberum arbitrium non tolli, nec impediri, quia illa præsupponit illam mediam scientiam, & ab illa habet certitudinem & infallibilitatem; & jam præsupponitur bonus usus arbitrij sub conditione certò futurus, si talia adhiberentur media; quare nec oportet

Digitized by Google

tet ſpectare abſolutam meritorum prævisionem, ſatis eſt præſupponere illam præſcientiam conditionatam de illis operibus. Et quidem in ſua ſententia iſti conſequentiùs loquuntur. Quia tamen jam ſupra abundè manet impugnata præſcientia iſta media, quæ revera parùm diſtat ab illa alia abſoluta, & poſita conditione in ipſam abſolutam tranſit; & idem omnino finis per unam ac aliam obtinetur, videlicet, quod liberum arbitrium ex ſe, & non ex Deo operante, videatur eſſe operaturum, ut in ſequentibus magis demonſtrabimus: ideo hac refutata ſcientia media cum deffenſoribus ſuis, aliter in veritate, ſolvendum eſt argumentum, dicendo quòd illa efficax electio ad gloriam ante prævisa merita arbitrium non lædit, ſed conſervat, & benè cum omni ſua libertate facit operari, quia ex illa provenit quòd Deus velit hominem operari, & liberè operari, & ad utrumque movet hominem per judicium rationis illuminando indifferentiam ipſius rationis, & ita movendo voluntatem infallibiliter ad hos determinatos actus, per quos debet obtinere beatitudinem, quòd ipſa voluntas manet cum potentia verè libera ad non operandum aliud; & ita voluntas hoc vult, quod vult aliud liberè omittere, quia Deus movet unum quodlibet conformiter ad ſuum proprium modum & conditionem, ut præcipuè in tertio & quarto hujus operis libro erit apertiùs manifeſtandum.

404. Quinto principaliter inſtant; Deus non aliter dat gloriam in tempore, quàm ab æterno dare decrevit: cum autem ſit ex fide certum, nemini dare Deum in tempore gloriam, niſi ex meritis prævisis; nullo modo eligit Deus efficaciter aliquos ad gloriam niſi ex meritorum prævisione. Quod ſic confirmant. Nam velle gratis aliquid dare, & poſtea non dare niſi ex juſtitia, repugnantia ſunt, quia illi duo tituli conjungi ſimul non poſſunt; nam unus includit negationem alterius: ergo electio gratuita ad gloriam, & electio ex meritis & ex juſtitia nequeunt ſtare: ſicut nec ſtat, quòd in tempore detur gratia ex pura gratia, & etiam ex juſtitia. Confirmant præterea, quia in Scriptura, quando præmium ultimum pro meritis dandum ſignificatur, pro ratione redditur, quòd in æternitate ſub hac lege eſt juſtis tale præmium præparatum, ſic enim dicitur Matth. 15. *Venite benedicti patris mei poſſidete paratum vobis regnum ab origine mundi.* Et ſubdit rationem, *Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare &c.* Indicans hanc eſſe rationem, ob quam eis fuit præparatum regnum, propter merita videlicet. Quod etiam ſignificant illa verba Iſaiæ 64. *Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti expectãtibus te,* & Jacob. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mũdo divites in fide, & hæredes regni quod promiſit Deus diligentibus ſe.* Igitur elegit Deus ad regnũ, quos vidit pauperes in mundo & divites in fide: ergo ex meritorum prævisione eos elegit. Confirmant tertiò, quia ſi Deus elegit abſolutè aliquos ad gloriam ſine prævisis meritis, verum eſt dicere, ex vi illius decreti eos habituros beatitudinem, etſi non habeant merita, quia illud decretum eſt abſolutum & nullam includit conditionem.

405. Ad iſtud argumentum duplex eſt reſpondendi modus. Primus, quòd in Deo non ſit niſi unica tantùm electio, qua Deus velit eligere aliquem ad gloriam pro meritis. Et in iſto actu diſtingunt de actu, & de objecto illius, dicentes actum eligendi eſſe merè gratuitum, quamvis velit dare objectum illud, videlicet gloriam pro meritis; ita quòd verbum, *gratis*, cadat ſupra actum, & non ſupra objectum actus: & ſic verum erit Deum gratis & abſque meritis habere hunc actum, quo aliquem eligit ad gloriam; falſum autem quòd eligat aliquem ad gloriam obtinendam gratis: cum enim actus, & objecta diverſa ſint, poteſt aliqua conditio convenire actui, quæ non conveniat objecto, quod in plurimis declarant exemplis. Primò in opinione horum recentiorum, Deus vult omnes homines ſalvos fieri, qui actus in Deo gratuitus eſt, & tamen non vult illos conſequi ſalutem ſine meritis. Similiter gratis & abſque omni juſtitiæ vinculo Princeps ſtatuit, quòd benè certanti detur tale præmium, non tamen vult quòd ſine meritis illud præmium obtineat. Imò in actibus juſtitiæ commutativæ gratis aliquid vult rem ſuam vendere, nec ad vendendum de juſtitia obligatur, non tamen vult rem gratis vendere, hoc enim repugnat, quod res vendatur, & gratis detur. Et per hoc ad omnia illa argumenta reſpondent, Deum ab æterno gratis habuiſſe hunc actũ. Eligo gratis iſtum ad gloriam obtinendam per merita ſua, nec ſunt repugnantia iſta duo, ſed maximè convenientia: & hac ratione dicunt gratis paratum eſſe ab æterno regnum obtinendum propter merita, aſſerentes, quòd hæc fuit ſumma gratia.

406. Secundus reſpondendi modus communior eſt, magiſque tenendus, ut ex dictis in hac materia conſtat: duplicem videlicet eſſe electionem ad gloriam, ratione in Deo diſtinctam: alteram, qua indignus eligitur ad gloriam in ratione indebiti doni, poſt quam eſt prædeſtinatio, vocatio, & juſtificatio; aliam qua eligitur talis ad gloriam in executione propter merita. Itaque ſecundùm Sanctum Thomam, & veritatem, dilectio eſt prior in Deo, deinde electio, deinde prædeſtinatio uſque ad ultimum effectum illius: unde electio ad gloriam, ſicut ad ultimum effectum prædeſtinationis ſupponit ſecundum rationem priorem electionem talis finis gratuiti, & ex conſequenti impoſſibile eſt unicam tantùm electionem eſſe, ſed duplicem ratione diſtinctam. Quo ſuppoſito ad argumentum dicendum, quòd ita Deus dat gloriam in tempore, ſicut ab æterno præordinavit ſe daturum: unde ſicut in tempore dat gloriam pro meritis, ita ab æterno præordinavit ſe daturum illam pro meritis; cum tam exhibitio gloriæ, quàm voluntas illam exhibendi reſpiciant gloriam ut ultimum prædeſtinationis effectum, ut eſt manifeſtum: ex hoc autem non ſequitur, quod ante talem electionem non fuerit in Deo alia, quæ antecedat non ſolùm ultimum prædeſtinationis effectum, ſed etiam totum prædeſtinationis proceſſum, quæ eſt electio gloriæ in ratione finis, qua omnia prædeſtinationis media gratiſſimè indigno præparantur, ut dictum eſt.

407. Ad primam confirmationem, dicendum non eſſe has duas electiones repugnantes; imo ſunt ad ſe invicem conſequentes. Quod enim aliquis gratis & abſque prævisis meritis eligatur ad regnum, & poſtea ei dentur merita ut illud dignè poſſideat, quæ repugnantia eſt. Repugnantia autem eſſet, ſi Deus vellet illum in executione obtinere regnum ex gratia & ſine meritis, & ſimul ex juſtitia & propter merita.

408. Ad ſecundam confirmationem, dicendum quod in illo Matth. 25. non dicitur regnum fuiſſe præparatum ab origine mundi propter horum merita prævisa, ſed tantùm dicitur, homines vocari ad poſſidendum regnum quoad executionem propter merita; ita quod illa verba, *eſurivi &c.* non reſpiciunt illam vocem *paratum*, ſed illam vocem *(poſſidete)* & ſic integer ſenſus eſt. Venite benedicti poſſidete propter bona opera regnum paratum vobis ab origine mundi, & iſta videtur communis explicatio.

409. Poteſt etiam ſecundo dici quod ſi illa vox *eſurivi* conjungatur cum illa voce *paratum* ita quod dicatur Regnum ab origine mundi paratum propter bona opera; tunc fit ſenſus de præparatione regni in ratione præmij & mercedis, & ultimi prædeſtinationis effectus, quæ præparatio, aliam priorem

Digitized by Google

omnino gratuitam electionem præsupponit, ut dictum est.

Ad illud Jacobi 2. *Elegit Deus pauperes divites in fide & hæredes regni.* Dicendum quòd loquitur de electione qua Deus facit divites in fide, & hæredes regni jure hæreditario ob merita propria; hæc autem electio supponit illam priorem, qua Deus omnino gratis, quos vult, eligit ad gloriam in ratione gratuiti & indebiti doni, ex qua præcisa electione homo in se nullum jus habet ad gloriam.

410. Ad ultimam confirmationem negandum est quòd illa posita electione efficaci ad gloriam absque prævisis meritis, sequatur homines habituros gloriametiamsi non sint illorum merita: & ad probationem dicendum, quòd licet illud decretum eligendi ad gloriam sit absolutum, tamen necessariò infert aliud, quo Deus velit dare omnem efficaciam gratiæ necessariam ad consecutionem gloriæ, & ex consequenti quòd Deus velit dare gloriam propter talia merita: nec stat ponere illud primum decretum, & non constituere hoc secundum ex suppositione illius primi. Dato autem per impossibile quòd posito illo primo absoluto decreto, non poneretur hoc secundum, tunc homo nec merita haberet, nec gloriam possideret sine meritis, semper tamen homo ille maneret electus ad gloriam, numquam tamen de facto illam obtineret; quod impossibile ex alio priori impossibili quod admittitur, manifestè sequitur.

CAPUT XXXVI.

Homines eligi ad certum gradum gloriæ ante prævisa merita.

411. EX dictis fit manifestum homines eligi ad certum gradum gloriæ ante omnia merita absolutè & intuitivè prævisa; quod dicendum est contra illam 19. assertionem recentiorum supra *lib. 1. part. 1. tract. 6.* relatam, quæ contrarium affirmabat. Quæ assertio Molinæ est & Gabrielis Vasquez; loquentes enim consequenter ad supradictam assertionem jam expugnatam, sicut negarunt absolutam & efficacem electionem ad gloriam ante operum absolutam prævisionem, ita negant efficacem electionem ad certum & determinatum gradum gloriæ, ante absolutam prævisionem talis gradus meriti. Probatur tamen ex modò dictis veritas modò proposita. Dictum est enim homines eligi ad gloriam ex efficaci Dei voluntate ante absolutam meritorum prævisionem; sed electio illa nequit esse in confuso: ergo fit quoad certum gloriæ gradum. Vnde omnes doctores Sancti qui docent electionem ad gloriam fieri ante absolutam prævisionem meritorum, de electione ad certum gloriæ gradum planè loquuntur, & id ipsum probant rationes suprainductæ. Quia constituere in Deo confusam electionem ad gloriam, non autem ad tantam vel tantam gloriam, nulli imaginari poterunt. In tantum vero recentiores, qui tenent illam electionem efficacem ad gloriam non fieri ante prævisa merita, ideo hoc affirmant, quia nolunt concedere electionem ad certum gradum gloriæ ante prævisionem talium meritorum in tali, vel tali gradu; faciléque concederent fortè illam electionem ad gloriam in confuso ante merita absolutè prævisa, dummodo ipsis concederetur electionem ad certum gradum gloriæ à prævisis meritis pendere: quia tamen vident in Deo admitti non posse efficacem electionem ad gloriam confusam ante prævisa merita, & distinctã quoad certum gradum post meritorum prævisionem; ideo sicut in præcedenti assertione sua supra relata, atque refutata tenuerunt electionem efficacem ad gloriã non fieri ante meritorum absolutam prævisionem; ita in assertione immediatè ad illam sequente, quasi magis seipsos explicantes subjunxerunt electionem ad certum gradum gloriæ non fieri sine absoluta meritorum prævisione in quantitate tali vel tali. Per oppositum autem sicut supra dictum à nobis fuit, electionem efficacem ad gloriam fieri sine meritorum prævisione; ita & nunc hoc ipsum magis explicando, asserimus illam efficacem electionem fieri ad certum gloriæ gradum ante prævisa quælibet merita, ob rationes omnes superiùs inductas.

412. Deinde electio gratuita ad certum gradum gloriæ est consentanea divinæ perfectioni, nec gratiæ, vel justitiæ, aut libertati, repugnat: ergo constituenda est in Deo. Quod sit consentanea patet, quia perfectio est eligere ad certum gradum gloriæ; sicut confusio esset & imperfectio eligere ad gloriã in cõfuso. Quod autem gratiæ non repugnet, constat, quia illud est maximum gratiæ beneficium. Quod verò non repugnet justitiæ, patet, quia sicut quibus datur, ex misericordia datur; ita quibus non datur, ex justo judicio non datur, nobis quidem occultissimo, sed sine dubio justissimo, ut semper S. P. Aug. docet. Quod autem libertati non repugnet, quod est fundamentum contrariorum, demonsttatum est supra lib. 1. part. 2. tract. 3. quòd divinæ prædefinitiones libertatem humanam non destruunt, sed perficiunt: & infra agentes de prædestinatione, quia eadem ratio quoad hoc est, pleniùs explicabimus.

413. Præterea, quia efficax intentio finis, ex qua divina voluntas movetur ad media prædestinanda & præparanda, esse debet efficax intentio quoad talem vel talem finis quantitatem & gradum, aliàs nec media certa in tali vel tali quantitate præpararentur, quia mediorum præparatio correspondere debet finis intentioni: sicut ergo Deus certa præparat media *in tali vel tali gradu*; ita priùs *ad certum gradum gloriæ voluit hominem eligere. Quod si gloria in indivisibili consisteret* quoad graduum enumerationem, sufficeret quidem efficax electio ad gloriam; quia illa tunc esset non confusa, sed distincta electio ad talem finem, sufficeretque eodem modo prædestinatio mediorum in talem finem absque aliqua distincta graduũ enumeratione. Qua ratione omnes parvuli qui per gratiam baptismalem facti sunt salvi; sicut æqualem omnino possident gloriam; ita priùs in divina mente ad æqualem illam gloriam gratis electi sunt, & ad æquale salutis remedium recipiendum per baptismum, quo æqualiter gloriam consequerentur.

414. Præterea, eadem gloria quæ in executione obtinetur, & meritis redditur; eadem, inquam, fuit priùs à divina voluntate gratis hominibus volita; electus est enim homo gratis ad gloriam eandem, quam per merita facta ex gratia debet obtinere; nec inter has duas electiones aliqua potest esse quoad hoc distinctio: sed homo in executione obtinet gloriam in tali vel tali quantitate, & quoad certum gradum ut evidentissimum est: ergo ante omnia prævisa merita electus fuit ad eandem gloriam in tali certo gradu.

415. Insuper diversæ illæ mansiones quas Christus dicit in domo Patris sui esse, hos diversos gradus gloriæ apertè significant: has autem mansiones ex vi electionis divinæ præparatas esse à Patre ante omnem meritorum præscientiam, & rationes in præcedentibus inductæ, & allata testimonia Scripturæ & Patrum, si quis attendat, ostendunt: nisi omnia illa de electione confusa ad gloriã quis audeat explicare. Et præterea id mirabiliter, ut solet, *Sanctus Pater Augustinus, exponit tract. 68. in Joannem*, ubi declarans, quomodo dixerit Christus. *In domo patris mei mansiones multæ sunt*, cum illud quod subdiderat. *Vado parare vobis locum*, dicit mansiones jam esse in

Digitized by Google

in prædestinatione & electione ; parari autem in gubernatione. Idem dicit Sanctus Bernardus *serm. 23. in Cant.* sub his verbis. *Non omnibus uno in loco frui datur gratiâ & secretâ sponsi præsentiâ ; sed ut cuique paratum est à patre ipsius. Non enim nos ipsum elegimus, sed ipse elegit nos, & posuit nos, & ubi ab eo quisque positus est, ibi est.* Quibus manifestè loquens de diversis gradibus gloriæ, dicit quod Pater qui elegit nos, illos dabit secundum quod ipse disposuit : nos autem quia non prius elegimus Deum, ita nec priùs ex meritis nostris nobis procuramus talem, vel talem locum in gloria tenere ; sed omnium primò, id ex divina electione gratuita asserit provenire. Accedit quod nullus negabit beatissimam Virginem fuisse præelectam ad cumulum gloriæ quem habet ; quod proportionaliter etiam nullus de Apostolis negabit: imò illa diversitas graduum cum per se pertineat ad illam Sanctam civitatem, maximè fuit per se intenta, & à divina gratuita electione præparata : nec ista pulchritudo ordinis primo poterat ex meritis humanis pendere, sed primo omnium ex divina gratuita electione debebat fieri.

416. Insuper sicut error fuit Semipelagianorum hominem ex prævisione bonorum operum eligi ad gloriam ; ita illorum consequenter fuit error, quòd ex prævisione tantùm bonorum operum ad certum gradum gloriæ homines eligebantur. Nihil enim aliud ipsi contendebant, nisi quod Deus homines omnes vult salvos fieri ; quod omnibus dat sufficientia auxilia ad salutem ; quod præscit qui bene utentur eis, & eo modo quo bene utentur ; & in quanta vitam finient operis quantitate & intensione ; & quod illis pro operum tali quantitate & gradu dat talem certum gradum gloriæ, ita quod gloria quæ de facto hominibus datur, solùm detur ex meritis, & nullo modo fuerit homo ad illam secundum divinum propositum ante meritorum prævisionem gratis electus. Hæc absque dubio Semipelagianorum damnata sententia, à qua omnino recedere debet Theologus, constanter affirmando electionem ad certum gloriæ gradum fuisse ante omnium operum prævisionem à Deo gratis omnibus volitam ; & ex illa quasi processisse Deum ad talia vel talia media præparanda in tali vel tali quantitate : & tandem illa media prævidisse, & ex illorum prævisione voluisse hominibus talem gradum gloriæ retribuere ; ut sic omnia ex Dei liberalitate & gratia originem habeant, ut jam supra manet explicatum.

417. Argumenta autem quibus Recentiores suadent, illam electionem ad certum gradum gloriæ non fuisse ante prævisa merita, nulla alia sunt, nisi quæ supra sunt relata, & soluta.

418. Potest insuper illud opponi, sequi ex hac doctrina pervenire hominem aliquando in hac vita ad eum statum gratiæ, in quo jam non possit crescere, utpotè si prædefinitum gradum gloriæ attingat.

419. Sed & ad hoc facilis est solutio. Considerandum est enim, quod efficax illa electio ad certum gradum gloriæ non impletur nisi per divinam providentiam, quæ ita disponit uniuscujusque actiones, & vitæ progressus, ut tunc vita finiatur quando impletur mensura ejus : & ideo licet semper sit concedendum quod quandiù homo manet in vita, semper possit crescere in gratia & meritis ; nunquam tamen crescit de facto ultra præfinitum gradum gloriæ obtinendum. Imò ex suppositione prædefinitionis talis gradus, non est simul compossibile illum esse definitum, & hominem ultra mereri.

420. Unum ultimo pro hac doctrina notaverim ; quod cum dicimus eligere Deum gratuito quemlibet beatorum ad præfinitum gradum gloriæ ante omnem meritorum prævisionem : hoc ipso negatur & refutatur præscientia illa conditionata sæpius nominata, quæ illam efficacem electionem ad gloriam & certum gradum illius ponit pendentem ab innata libertate arbitrij bene utentis ex se donis gratiæ, & illa sibi efficacia reddentis. Rursus sermonem esse de gradu gloriæ essentiali ; nam de gradu gloriæ accidentali, potest esse quòd non eligatur nisi post prævisionem alicujus peccati, ex cujus occasione dependet : erit tamen ille gradus gloriæ accidentalis ex prædestinatione quæ respicit media ; licet non ex prima illa electione finis & gloriæ. De quo alibi erit agendum.

CAPUT XXXVII.

Quod Pater æternus absoluta voluntate vult, ut omnes quos ipse dat filio, absolutè salventur.

421. CONSEQUENTER ad doctrinam suam, ad sua principia, & ad supradictas assertiones loquendo recentiores ; aliam assertionem vigesimam videlicet in ordine relatam supra *libro 1. part. 1. tract. 6.* constituunt sub his verbis. *Non est voluntas absoluta Patris, ut omnes quos ipse dat Filio, absolutè salventur ; ut patet Joan. 17. ubi dicit Christus quòd ex eis quos dedit ei Pater, perijt filius perditionis, qui seipsum perdere voluit : sed voluntas Patris est ut omnes habeant sufficientia auxilia, & non stet per ipsos quominus salventur.* Ità inter alias, & hanc publicarunt Lovanij anno 1586. in qua loquuntur expressè de prima voluntate absoluta salvandi, sive de prima electione ad gloriam ; nam de secunda ad gloriam electione in ratione præmij & mercedis, & de secunda voluntate volendi quoad executionem dare gloriam ut ultimum effectum prædestinationis, quæ sine dubio à meritis dependet, ipsi non loquuntur, ut verba sonant. Quorum sententiam diffusiùs & expressiùs divulgavit postea Molina in concordia typis mandata Olysiponæ anno 1588. Is enim in prædicta concordia *quæst. 14. art. 13. disp. 12. §. est autem*, ex professo explicans illud Joan 6. *Omne quòd dat mihi Pater ad me veniet, & eum qui venit ad me non ejiciam foras.* Et illud quod statim sequitur. *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.* Hunc inquam ex professo exponens locum, quem videbat dogmati suo esse vehementer contrarium, ita interpretatur. *Sicut autem accessus adulti ad Christum per fidem vivam (ut esse fidei dogma est ostensum) simul pendet, præcipuè quidem ab auxiliis gratiæ quibus dum credit misericorditer ac suaviter, sed liberè à Patre trahitur ad Christum ; & minus præcipuè à libero ipsius adulti in eundem credendi actum influxu, quem nihil impedientibus auxiliis gratiæ potest continere, ac proinde efficere ut actus credendi, accessusque ad Christum per fidem non sit. Sic etiam quod adultus aliquis rationem dati Christo à Patre habeat, positum quidem est in auxiliis gratiæ quæ (prævidendo illum pro sua libertate eis accessurum per fidem ad Christum) misericorditer ipse dare statuit, in æternaque voluntate ea misericorditer illi conferre. At sicut si Deus non prævideret illum pro sua libertate ita esse cooperaturum ut crederet & ad Christum perveniret, voluntas conferendi illi ex sua parte ea auxilia, collatioque actualis eorundem auxiliorum rationem non haberent dandi illum Christo; ita nisi ipse adultus eodem pacto pro sua libertate esset cooperaturus, sanè eadem voluntas & collatio auxiliorum rationem non haberent dandi illum Christo.*

Digitized by Google

Et ſtatim in §. immediate ſequenti quod incipit, *quod itaque contendimus*, ita proſequitur. *Etenim cum quibus auxiliis habitatores Corozain & Bethſaidæ ad Chriſtum non acceſſerunt, rationemque datorum Chriſto à Patre æterno non habuerunt, eo quod pro ſua libertate & nequitia ad Chriſtum accedere noluerunt (quod Chriſtus ibidem illis exprobravit) cum eiſdem pro eadem arbitrij libertate per vivam fidem habuiſſent Tyirij & Sidonij. Verumque enim apertiſſimè in eo loco docet Chriſtus. Quare licet Deus dona ſua gratiæ prævenientis, excitantis, & cooperantis ad acceſſum ad Chriſtum non diſtribuat pro qualitate uſus liberi arbitrij & cooperationis adulti præviſæ, ſed pro ſua tantum voluntate; quod tamen adultus cum his vel illis auxiliis hîc & nunc ad Chriſtum accedat, rationemque dati Chriſto à Patre æterno habeat, pendens eſt à libera cooperatione arbitrij ipſius quam innatam habet, & quam eo ipſo quod viator eſt exigit ſibi relinqui, ut virtutis ac vitij, meriti atque demeriti, præmij ac ſupplicij capax ſit. Quia ergo quod adultus aliquis rationem habeat dati Chriſto à Patre pendens eſt, ex eo quòd ipſe ita pro ſua libertate ſit cooperaturus, ut gratiæ auxiliis quibus à Patre præveniur, excitatur, vocatur & adjuvatur ad Chriſtum perveniat: idque Pater æternus altitudine & eminentia ſui intellectus prævideat; Sanè licet mutuò valeat conſequentia, accedit quiſpiam fide viva ad Chriſtum: ergo miſericorditer eſt illi datus à Patre. Et datus eſt Chriſto à Patre æterno: ergo ad Chriſtum accedit: antecedens tamen hujus poſterioris conſequentiæ non tollit libertatem, quia ſicut conſequens à libero influxu adulti in actum credendi pendet, ita ratio antecedens ab eodem libero influxu futuro, à Deoque altitudine ſui intellectus præviſo eſt dependens, ut explicatum eſt, patebitque in his quæ in ſequentibus dicuntur.* Hæc ille, cujus omnia verba licet prolixiora referre curavi, ut appareat manifeſtè quomodo eandem hîc doctrinam teneat cum illis, qui priùs illam Lovanij publicaverunt; in eo tantùm ab illis diſtans, quod diffuſiùs illam explicat & magis abſcondit; quia illi priores clariùs locuti ſunt. Illi enim apertè dicunt non eſſe voluntatem Patris ut omnes, quos ipſe dat filio abſolutè ſalventur; ſed quod eis dentur ſufficientia auxilia ut ſalventur, ſi ipſi voluerint; & per ſcientiam præſcit quod ſalvantur, quia benè uti volunt ex ſua innata libertate illis ſufficientibus auxiliis. Et certè in ſententia eorum Recentiorum ita revera eſt, quòd ex parte voluntatis divinæ dantis auxilia gratiæ ſufficientia omnibus, omnes ſunt æqualiter dati Chriſto à Patre; & ſola differentia eſt ex patre præſcientiæ boni uſus arbitrij, ex eo quòd quidam benè utendo ex libertate ſua illis ſufficientibus auxiliis & illa efficacia reddendo, de facto ſe ipſos dant Chriſto, quia volunt ſic benè uti: filij verò perditionis malè utendo eiſdem auxiliis, ſe faciunt perditionis filios.

422. Cæterum attendens Molina hoc ita clarè prolatum facile ab omnibus fore rejiciendum, curavit (eadem omnino in ſubſtantia retenta ſententia) hæc multiplicatis verbis obſcurare, dicens primò iſtam eſſe optimam conſequentiam. Iſte eſt datus Chriſto à Patre æterno: ergo ad Chriſtum accedet & ſalvabitur: & hoc eſt primum quod dicit: ſed ſemel atque iterum, imo in toto illo longiori ſuæ doctrinæ diſcurſu, dicit quod ſicut conſequens pendet à libero hominis arbitrio, ita & antecedens. Itaque à libero hominis arbitrio pendet quod ipſe ſit datus Chriſto à Patre; quod in prioribus verbis explicans, dixit quòd ſicut actus quo adultus conſentit in Chriſtum credendo & ad ipſum veniendo, pendet à libero ejus arbitrio; ita quòd aliquis habeat rationem dati Chriſto à Patre, à libero ipſius adulti dependet arbitrio. Et hoc eſt ſecundum quod affirmat. Et tertiò ad hunc finem introducit illam mediam ſcientiam, qua Deus videt quòd ſi huic det in tali occaſione talia excitantia auxilia gratiæ, ille pro ſua innata libertate illis conſentiet. Concludens quartò quod voluntas dandi talia auxilia ſub tali præſcientia, eſt voluntas qua vult Pater quod ille ſit Chriſto datus.

423. Quibus omnibus, reipſa & quoad ſenſum, ſeu æquivalentibus verbis, nihil aliud dicit niſi quod illi in doctrina ſocij priùs Lovanij dixerunt; non eſſe videlicet abſolutam Patris voluntatem, ut omnes quos ipſe dat Filio ſalventur: ſed tantùm eſſe illius voluntatem, ut habeant auxilia ſufficientia, quibus ſi ipſi benè uti voluerint, ſalventur: nam voluntas dandi auxilia ſub illa præſcientia prædicta, non eſt voluntas abſoluta Patris ut illi dati Chriſto à Patre ſalventur; ſed eſt voluntas involuens conditionem, qua vult ut illi ſalventur, ſi tamen illorum liberum arbitrium velit. Erit tamen abſoluta voluntas dandi illi homini auxilia ex ſe ſufficientia, ut illi priores dixerunt; vel erit voluntas abſoluta ſibi complacendi in illo bono uſu arbitrij præviſo, ut Molina poſtea explicavit; unde in ſubſtantia eadem illorum, & iſtorum ſententia eſt. Quod autem per illam mediam ſcientiam introductam negetur abſoluta voluntas Dei quod iſti ſalventur, & ſit tantùm voluntas abſoluta dandi ſufficientia auxilia & voluntas complacentiæ; diximus & probavimus ſupra ex propriis ipſorum verbis, agentes an electio ad gloriam æternam ſit ex operum præviſione, ubi Patris Ludovici Molina in duximus verba ex diſputatione 53. in concord. §. ſciſcitabitur; quibus apertiſſimè totam ſuam doctrina exponens dicit; quòd liberum arbitrium ſe in hanc vel illam partem inflectat, non provenire nec ex Dei præſcientia, nec ex Dei voluntate volente quod id à creata voluntate fiat; ſed provenire ex eo quod ipſa liberè velit facere: ergo quod dati Chriſto à Patre ſalventur, & in bonam partem, ſuam voluntatem inflectant, non provenit ſecundum Molinam ex eo quod Pater id velit, ſed ex eo quod illorum voluntas id liberè velit facere: inducta ſunt etiam ibi alia ejus verba, quæ duplicem diſtingunt Dei abſolutam voluntatem, quandam omnino abſolutam, & hanc in Deo negat; aliam non omnino abſolutam, ſed includentem conditionem, & hanc admittit, quæ revera abſoluta, ſola voce eſt. Verba ejus ſunt, ut hîc iterum repetantur, in Concord. quæſt. 19. art. 6. diſput. 2. §. altero modo. *Altero modo dicitur Deus velle aliquid dependenter quidem ab arbitrio creato, quia liberum eſt; atque adeo ſub conditione ſi creatum arbitrium id etiam velit; at ea ratione abſolutè, quod cum prævideat per arbitrium ipſum liberè futurum, ex hypotheſi quod eum ordinem rerum velit creare, quem creare conſtituit, ei placet, abſolutaque voluntate vult etiam ut ſit.* Manifeſtè ergo dicit, hanc voluntatem Dei dependere in ſua efficacia à creato arbitrio, & includere illam conditionem, ſi arbitrium velit: eſſe verò in eo tantùm abſolutam voluntatem, quia illi placet ut fiat quod præviſum eſt, & eo modo quo præviſum eſt faciendum ab in nata libertate arbitrij, reddente ſibi efficacia auxilia gratiæ. Itaque ſi licet audire, & in hoc conſtituunt voluntatem Dei abſolutam, ut abſolutè velit quod homo efficacem reddat gratiam.

424. Id ipſum clarè poſtea Pater Suarez explicat 1. *lib. de concurſu Dei cum volunt. cap.* 15. §. *his poſitis*, dicens de divina voluntate. *Ita tamen ut ex vi hujus actus voluntatis ſuæ non prædeterminet voluntatem creatam ad talem actum, nec illum abſolutè velit*

Digitized by Google

velit ; ſed cum dependentia ejuſdem actus à proxima cauſa , ſeu voluntate creata , & includendo in ſe implicitam conditionem , ſi ipſa conſentire voluerit. Vbi manifeſte habet, divinam voluntatem includere ſupra expoſitam conditionem , & ideo abſolutam non eſſe; quod repetit in multis aliis locis , qui omittuntur.

425. Aperta ergo hæc eſt illorum ſententia ; nec in illius impugnatione nimium immorari oportet , cum ex ſupra dictis , & jam concluſis , in materia de electione ad gloriam , & de prædeſtinatione , hujus aſſertionis falſitas convincatur. Illi enim ſunt dati Chriſto à Patre , qui electi ſunt & prædeſtinati ſunt , ut eſt apertiſſimum ; ſed ut monſtravimus ſupra electi & prædeſtinati ſunt ex abſoluto divinæ voluntatis propoſito , & non ex voluntate conditionata pendente ex ipſorum libro arbitrio : ergo dati ſunt Chriſto à Patre ex abſoluta Patris voluntate qua abſolutè vult quod ſalventur.

426. Præterea ſi illi dicuntur dati Chriſto à Patre quibus dat Pater auxilia aliqua ſufficientia , cum in ſententia horum authorum cum quibus diſputamus , omnibus ſufficientia auxilia dentur, convincitur eos aſſerere quod omnes ſint dati Chriſto à Patre; quod dici nullo modo poteſt , quia dati Chriſto à Patre , ut dictum eſt , ſunt ſolum electi & prædeſtinati ; nec omnes ſunt dati à Patre. Hoc verò aſſerere, videtur contra illud *Ioan.* 17. à Chriſto prolatum. *Non pro mundo Rogo , ſed pro his quos dediſti mihi.* Sunt ergo in Mundo quidam qui non ſunt dati Chriſto Patre ; & ſunt quidam alij qui ſpecialiter à Parte ſunt dati.

427. Dicent illos in particulari eſſe datos Chriſto à Patre, quibus & Pater auxilia dat aliqua ſufficiẽtia ſub illa media præſcientia , qua videt illos Chriſto viva fide credituros & uſque ad finem vitæ etiam in ejus fide & charitate perſeveraturos. Sed cum hoc dicunt , profectò à damnata illorum Semipelagianorum ſententia non recedunt ; de quibus Hilarius & Proſper in Epiſtolis ad Auguſtinum; & contra quos idem S. Auguſtinus libros illos duos de prædeſtinatione Sanctorum & de dono perſeverantiæ ſcripſit , & contra quos Cœleſtinus definit in Epiſtola ad Galliæ Epiſcopos, ut in materia de prædeſtinatione latè probabimus. Et ratio eſt : quia hoc eſt prævidere eos efficacia reddituros ex ſua innata libertate auxilia gratiæ; & Deum per auxilia ſua illorum expectare voluntates, ut à peccatis purgari velint , & in accepta gratia ex ſe ipſis perſeverare : & in ſumma eſt prævidere eos ſalvandos , quia volunt , non quia Deus vult quod ſalventur : ac tandem eſt conſtituere Dei electionem & prædeſtinationem ſecundum illam præſcientiam , qua Deus vidit eos ſub adjutorio gratiæ uſque in finem perſeveraturos : quæ eſt illa Semipelagianorum expreſſa ſententia relata à Proſpero & Hilario Epiſtolis ad ſanctum Auguſtinum. Imò (ut in iſto capite notavimus) cum Deus in illorum ſententia quantum eſt ex ſe omnibus ſufficientia auxilia æqualiter diſtribuat, omnes erunt Chriſto à Patre æqualiter dati ; & tota differentia datorum à non datis erit ex parte uſus arbitrij præſciti bene utentis ex ſua innata libertate illis auxiliis , & ea reddentis efficacia; & ex conſequenti nulla alia erit differentia , niſi quia alij bene uti voluerunt auxiliis, ut ſalvarentur & annumerarentur inter datos Chriſto à Patre : alij verò minimè , ut alio loco ipſe Molina expreſſe fatetur.

428. Quibus & modò ſuperaddimus , quod ſi iſta eſt illa gratia ſpecialis qua electi & prædeſtinati dantur Chriſto à Patre; profectò nec Pelagiani ipſi negarunt veram prædeſtinationem & gratiam ; nec juſtè à Conciliis damnati ſunt, quod fides prohibet affirmare. Nam Pelagiani ipſi numquam negarunt , imò negare non potuerunt majorem benevolentiam & gratiam eſſe, Deum dare vera auxilia generalia hominibus illis eo tempore & occaſione quibus ſciebat ipſos credituros & perſeveraturos , quàm aliis eo tempore de quibus hoc non præſciebat : igitur præter collationem auxiliorum generalium ſub illa præſcientia, quam non negaverunt Pelagiani , aſſignanda eſt à Catholicis alia ſpecialis miſericordia , benevolentia, & gratia , qua æternus Pater abſoluta ſua voluntate voluit quod abſolutè ſalventur quos ipſe ex electione & prædeſtinatione ſua Chriſto dabat ; & in qua abſoluta voluntate de illorum ſalute , ſicut in prima radice & cauſa certò præſciebat Deus illos bene gratiæ auxiliis uſuros , & in eis uſque ad finem perſeveraturos , ut ſæpe diximus.

429. Ad illud ergo in quo prædicta aſſertio , quam impugnamus, fundatur, dum colligit non eſſe abſolutam voluntatem Patris , ut omnes quos ipſe dedit Chriſto abſolutè ſalventur , quia Joan. 17. dicit ipſe Chriſtus quod ex illis quos ei Pater dedit , nemo periit niſi filius perditionis. Dicendum eſt, id quidem ex ignorantia phraſis Scripturæ procedere : non enim in illo relato teſtimonio ſenſus eſt , ex his qui dati ſunt Chriſto à Patre , unum perijſſe ; ſed potiùs per hoc ſignificatur , eum qui perijt , datum ſibi à Patre non fuiſſe : aliàs ſimili illatione colligant prædicti authores ex illo 4. Reg. 5. quo dixit Naaman Syrys ad Eliſæum. *Non enim faciet ultra ſervus tuus holocauſtum , aut victimam diis alienis , niſi Domino,* colligant, inquam ex hoc, quod Dominus inter Deos alienos ſit communerandus. Similiter colligant ex illo Apoſtoli dicto act. 24. *Aut ij ipſi dicant, ſi quid invenerunt in me iniquitatis &c. niſi de una hac ſolùm voce qua clamavi inter eos ſtans , quoniam de Reſurrectione mortuorum* , &c. Colligant inquam , & eam vocem ad iniquitatem pertinere. Apocalyp. etiam 21. habetur. *Nec intrabit in eam aliquid coinquinatum , aut abominationem faciens mendacium : niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ.* Vbi nullo modo , vel à longè inſinuatur quod qui ſcripti ſunt in libro vitæ, pertineant ad abominabile & coinquinatũ. Sicut ergo in his locis & aliis multis qui induci poterant , nullo modo ſenſus fit , quod illi , qui excipiuntur per illam particulam *niſi* ſint de numero eorum qui præmittuntur ; ita cum Dominus dixit, quod ex his quos ei Pater dedit, nemo periit niſi filius perditionis , non eſt ſenſus quod filius perditionis, qui excipitur , ſit de illis quos ei Pater dedit : imo totum contrarium ex iſto teſtimonio , ſicut ex nunc relatis , debemus inferre ; cum potiſſimè ſint alia teſtimonia notiſſima in eodem Evangeliſta Joanne quibus docet, ex datis Chriſto à Patre nullum unquam periiſſe. Quale eſt illud Joan. 6. *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet* & rurſum. *Hæc eſt voluntas ejus qui miſit me Patris ut omne quod dedit mihi , non perdam ex eo quid quam.* Quid clarius potuit dicere Chriſtus ad oſtendendum perditionis filium , datum ſibi à Patre non fuiſſe ? Item id quod Chriſtus dixerat Joan. 17. *Ex his quos dedit mihi Pater nemo periit niſi filius perditionis* , explicat ipſe Chriſtus cap. 18. cum ait. *Vt impleretur ſermo* quem dixit. *Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* In quo loco abſque aliqua exceptione , id quod dictum fuerat cap. 17. repetitur, ad manifeſtè declarandum , illam exceptionem factam cap. 17. de filio perditionis , non pertinere ad eos qui Chriſto à Patre dati fuerant ; quia ex eis non perdidit Chriſtus quenquam : nam ut S. P. Auguſt. ait lib. de cor. & gra. cap. 9. *Non periit filius promiſſionis , ſed filius perditionis* & poſt pauca *Hi ergo Chriſto intelliguntur dati, qui ordinati ſunt in vitam æternam. Ipſi ſunt illi prædeſtinati, ac ſecundum propoſitum vocati quorum nullus perit : ac propterhoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit*

Digitized by Google

hanc vitam, quoniã si est ordinatus, & ideo Christo datus, ut non pereat sed habeat vitam æternam. Et alibi idem S.P. Augustinus *absit* (inquit) *ut prædestinatus ad vitam æternam sinè Sacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam.*

Eodem etiam modo S. Prosper in ultimis verbis *cap. 24. lib. 1. de vocat. gent.* ita dicit. *Item in eodem Evangelio de his quos Pater dat Filio, qui & omnes veniunt ad Filium, & quorum nullus perit, hæc ipsius ore Domini dicuntur. Omne quod dat mihi Pater venit ad me, & eum qui venit ad me non ejiciam foras, quia descendi de Cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo quidquam, sed resuscitem illud in novissimo die.*

Imò ut argumentum sit ad hominem, ipse Molina citatis locis à principio capitis hujus manifestè contra alios suæ societatis affirmat, hanc esse evidentem & & firmam consequentiam. Iste est Christo datus à Patre: ergo ad Christum accedit & non perit.

430. Concludendum est igitur primò de solis electis & prædestinatis verificari, quod sunt Christo dati à Patre. Secundo quod si illa bona est consequentia, ut dicit, quæ profecto optima est, filius perditionis Christo à Patre datus non fuit. Tertiò quod in citato testimonio cum dicit Christus Dominus, quod ex eis quos dedit ei Pater, nemo periit nisi filius perditionis, illa particula *nisi* non denotat quod ex datis sibi à Patre unus perierit. Quartò in prædicta consequentia antecedens non pendere à libero hominis arbitrio præviso per illam mediam scientiam; alias illi non essent absoluta voluntate dati Christo à Patre, sed conditionata, si ipsi salvari voluerint, & cum dependentia & expectatione voluntatis ipsorum, ut priores clarè explicaverunt; imò etiam Molina & Suarez supra inducti expresè tradiderunt. Concludendum est tandem contra omnes deffensores hujus mediæ præscientiæ, quod ut salvetur in veritate quod Pater absoluta & efficaci voluntate vult ut omnes quos dat Filio salventur (quod ab omnibus cencedendum est, ut in superioribus probavimus) neganda est illa media præscientia conditionata, & firmiter asserendum quod Deus absoluta efficaci, & prædefinitiva voluntate sicut eligit ad gloriam & certum gradum gloriæ has in particulari personas quæ prædestinatæ fuere; ita eadem efficaci & absoluta voluntate voluit Filio illos dare, ut & ex illis nullus periret.

CAPUT XXXVIII.

Patrem æternum absoluta voluntate velle, ut omnes quos ipse dat Filio, absolutè salventur, magis explicatur, & confirmatur.

431. PRÆDICTA veritas, quòd absoluta voluntate velit Pater, ut omnes, quos dedit Filio, saluentur, eadem est cum illa, quæ sub aliis verbis proponi solet, quod videlicet decretum primum prædestinationis absolutum est & efficax, non inefficax & conditionatum: similiter eadem est cum illa alia, quòd prima electio ad gloriam de qua supra, ex Deo ipso dependens est, non dependens ab humana libertate. Primum namque predestinationis decretum & prima & absoluta voluntas, qua Pater æternus vult quod dati Christo ab ipso salventur, est illa prima & gratuita electio ad gloriam, quæ supra explicata manet. Quod dixerim ad differentiam secundi prædestinations decreti, seu secundæ voluntatis Dei volentis, quod dati Christo à Patre per merita sua quoad executionem salventur. Ista enim est absoluta voluntas volentis homines ob mærita præmiare & ipsis dare ultimum prædestinationis effectum; ac proinde necesse est quod hominum merita supponat, ab ipsisque dependeat. Non igitur de hac secunda absoluta voluntate, sed de illo primo prædestinationis decreto, & de illa absoluta Patris voluntate gratuito eligentis homines ad gloriam sermo procedit, ut visum est supra. Et hoc primum prædestinationis decretum dicimus unum esse, absolutum, & efficax, independens ab hominum voluntate, quo Deus efficaciter vult quod Petrus v. g. salvetur: non verò conditionatum quo Deus velit ponere hominem in tali rerum ordine in quo salvetur, si tamen ipse voluerit; nec est dependens ab hominis voluntate præviſa, sive absolutè, sive sub conditione bene usura ex se auxiliis gratiæ, ut salvetur; nec talem previsionem humanæ voluntatis expectat.

432. Veritas ista, nisi ob temporum injuram, in dubium revocanda non erat, sed ab omnibus summo consensu tenenda & prædicanda, continet enim Catholicam de prædestinatione doctrinam contra damnatam olim Pelagianorum sententiam. Manifestum est enim illos negasse esse in Deo absolutum & firmum propositum salvandi independens ab ipsa voluntate salvandorum, contendentes illud debere constitui sub conditione, cum dependentia à voluntate hominum, quod fuit totius hujus pravæ doctrinæ fundamentum: ergo contra eorum pravam doctrinam, constituendum est in Deo unicum decretum firmum, & absolutum; & negandum illud dependens, & conditionatum. Antecedens refertur in terminis à S. Prospero in Epistola ad S. Augustinum sæpius rehta & iterum referenda. *Removeri itaque* videlicet dicunt (ait Prosper Sanctus) *omnem industriam tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis proposito fatalem quandam induci necessitatem.* Ecce Dei constitutionem, sive propositum prædestinationis quod hominum præveniret voluntates, absolutum, & efficax ex parte Dei non admittebant; sed conditionatum ab ipsorum voluntate dependens si ipsi nempe bene voluerint operari. Idem refert etiam Hilarius in alia Epistola ad eundem S. Augustinum. Duo ergo circa decretum prædestinationis dicebant Pelagiani. Primò negabant decretum Dei quo Deus vult homines salvare, esse absolutum ex parte Dei, & independens à salvandorum voluntate; quia per illud putabant fatalem induci necessitatem. Secundò affirmabant tale debere constitui ut Deus omnibus indifferenter velit generalia dare auxilia gratiæ, quibus si homo bene sua innata libertate utatur, salvus erit, cum certa præscientia quod quidam sic bene prædictis auxilij utentur: unde in substantia decretum prædestinationis quod Pelagiani admittebant, nihil aliud erat nisi propositum dandi omnibus generalia gratiæ auxilia, cum præscientia quod aliqui bene illis utentur & sub illis usque in finem vitæ perseverabunt; idcirco constituebant decretum prædestinationis in sua efficacia dependens ab hominum voluntate, illam expectans, & quasi suspensum ab illa: igitur negare decretum prædestinationts, & propositum salvandi esse absolutum ex parte Dei, illudque constituere conditionatum, & pendens ab humana voluntate, quomodocumque id asseratur, in illam prolabitur damnatam Pelagianorum sententiam.

433. Præterea Concil. Arausc. *Can.* 4. apertè definit contra decretum illud prædestinationis, quod sub conditione & dependentia ab humana voluntate modò confingitur: ergo firmiter decretum illum conditionatum seu dependens in sua efficacia ab hominum voluntate negandum est. Antecedens patet, nam canonis verba sunt. *Si quis ut à peccatis purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit; non autem ut etiam purgari*

Digitized by Google

purgare velimus per Spiritus Sancti infusionem & operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti. Præparatur voluntas à Domino, & Apostolo salubriter prædicanti, Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Vbi definitur Deum, ut à peccatis purgemur, nostram non expectare voluntatem : ergo non decrevit Deus nostram expectare voluntatem ut à peccatis purgemur : sic enim Deus de facto purgat hominum voluntates, sicut decrevit esse purgandas ; unde si de facto, ut illa tradit definitio, Deus non expectat voluntates hominum ut à peccatis purgentur ; nec decrevit eas expectare : unde decretum salvandi atque purgãdi non dependet ab homine.

434. Rursus. Deus per infusionem & operationem suam in nobis facit ut purgari velimus, ut prædicta habet definitio : ergo ita ab æterno decrevit facere absoluta sua voluntate, ratione modo facta, quia sic res fit in tempore, sicut Deus ab æterno fieri decrevit : ergo decretum prædestinandi atque salvandi absolutum est ex parte divinæ voluntatis, non conditionatum, seu dependens in sua efficacia à voluntate hominum. Si autem Deus decerneret ponere hominem sub tali ordine & sub talibus auxiliis, ut ipse sua innata libertate benè eis uteretur, procul dubio decerneret Deus expectare hominis voluntatem ad ipsum purgandum atque salvandum.

435. De evasione autem illa, qua prædicti recentiores dicunt Canonem illum tantùm definire Deum non expectare bonum usum arbitrij merè naturalem, ad danda prima dona gratiæ ; non autem determinare quòd posita gratia excitante non expectet hominis voluntatem ; hîc agendum non est, sed ex professo in quarto nostro libro. Nunc satis est adnotare contra expressam concilij mentem procedere ; tum quia quòd ut prima gratia detur, non expectet bonum usum purè naturalem, definierat concilium in can. 3. unde in quarto aliud definit ; tum etiam quia si tantùm concilium traderet quod Deus non expectat hominum voluntatem, forsan id suadere possent : at cum addit, quod non expectat, sed facit per operationem suam ut purgari velimus ; manifestè docet quod ipsum donum gratiæ non expectat hominis consensum, sed ipsum facit ; tum denique quia posita gratia excitante adhuc homo non est à peccatis purgatus : ergo si illa expectet hominis voluntatem, expectat eam ut à peccatis purgemur : ergo contra illam definitionem sic expectaret hominis voluntatem.

436. Quia verò copiosè satis probaturi sumus in tractatu sequenti, qui est de prædestinatione, prædestinationem ipsam secundum absolutum Dei propositum fieri independenter ab humana voluntate ; ideò contra illud decretum conditionatum ea pauca dixisse sufficiat. Vnum tantùm dixerim advertendum, adeo inconcussam esse hanc veritatem, quod illud decretum debet esse absolutum, ita quod absoluta voluntate Deus voluerit salvare qui salvavantur, ut id etiam aliquando non sint ausi negare, qui illud post mediam scientiam constituunt. Fatebantur namque quandoque & ipsi, statuendum esse, prædestinationis decretum esse absolutum, & Deum absoluta voluntate velle v.g. Petrum salvare, asserentes quod cum Deus vult constituere homines in tali ordine rerum, in quo præscit ipsos salvandos, voluntatem habet absolutam quod salventur, & non sub conditione si ipsi voluerint. Hæc enim illorum assertio erat, non sequi quod si illud decretum præsupponit illam mediam scientiam, & conditionem in objecto illius importatam, sit decretum conditionatum ; quia optimè stat quod decretum quod supponit conditionem, non sit conditionatum, sed absolutum. Quod multipliciter suadebant. Primò ex illo Matth. 24. *Nisi breviati fuissent dies illi non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur.* Vnde Deus absolutè voluit breviare dies illos ; & hoc sine dubio, absoluto decreto ; licet, ut constat, si ponoret in Deo præscientiam illius conditionati, Quod nempe non salva fieret omnis caro, si dies illi non breviarentur. Similiter Matth. 26. dixit Dominus Petro, *An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum : quomodo ergo implebuntur scripturæ quia sic oportet fieri.* Vbi docet salvator, habuisse Patrem æternum absolutum decretum, quòd Christus pateretur, licet antecesserit in divina mente præscientia illius futuri conditionati ; quod videlicet si Christus rogasset, dedisset ei Pater illas legiones Angelorum.

437. Amplius id confirmabant ex S. Augustino lib. de præd. Sanct. cap. 9. ubi ait verum esse quòd præscivit Christus qui in eum erant crediturí, si eis Evangelium prædicatum esset : & hac præscientia conditionalium suppositа, docet quòd absoluta voluntate tunc voluit venire & illis prædicare doctrinam suam : ergo decretum divinæ voluntatis absolutum manet, etiamsi supponat præscientiam conditionalium. Quod similiter affirmabant ex Sancto Thoma *3.part.quæst. 1. art. 5 ad 2.* ubi dicit. *Sicut Apostolus ait, non est volentis nec currentis, sed miserentis Dei, qui his quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis crediturós, quibus voluit subvenit ; aliis autem non subvenit.* Vbi absolutam voluntatem subveniendi statuit in Deo, post præscientiam conditionalium.

438. Ampliùs id probant ex Sancto Augustino dicente quod prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quæ tamen præscientia cum antecedat præparationem beneficiorum non potest esse absoluta, sed conditionata : nàm præscientia absoluta beneficiorum supponit præparationem eorum : ergo jam secundum Augustinum decretum prædestinationis est absolutum, licet supponat illam præscientiam conditionalium. Parique ratione inducebant S. Thomam *eadem 3.part. quæst. 1. art. 3. ad 4.* docentem quòd prædestinatio supponit præscientiam futurorum, quæ præscientia ratione modò facta, cum antecedat decretum prædestinationis, conditionata debet esse ; nam præscientia futurorum absolutorum sequitur prædestinationem ipsam : ergo decretum prædestinationis absolutum constituitur à Sancto Thoma post præscientiam futurorum sub conditione. Id ipsum exemplis sic confirmabant. Si enim aliquis Dominus sciat quod si præceperit servo hoc, vel illud, faciet ; cum postea illi præcipit, absolutè vult præcipere, & absolutè præcipit. Plura similia possent exempla adhiberi.

439. Deinde ad hujus confirmationem inducebant illud commune dictum quod syllogismus constans ex majori conditionali, & minori absoluta, concludit conclusionem absolutam : ut si v.g. dicatur. Si Petrus currit movetur, sed currit : ergo movetur. Quæ conclusio absoluta est, etiamsi majorem illam præsupponat conditionalem.

440. Præterea prævisio mediorum quibus quis debet consequi finem, licet antecedat volitionem finis, & volitionem ipsorum mediorum, non tollit quin ipsa volitio finis & mediorum sit absoluta ; sed per illam mediam scientiam objectorum conditionalium Deus scit media, quibus potuit hunc finem obtinere, quòd v. g. Petrus salvetur : ergo volitio dandi Petro illa media est absoluta voluntas finis, licet supponat præscientiam conditionaliũ mediorum.

441. Præterea affirmabant, nos etiam in nostra sententia

Digitized by Google

ſententia id debere admittere. Quod videlicet decretum prædeſtinationis, ſeu propoſitum ſalvandi homines abſolutum ſit; licet ſupponat præſcientiam futurorum ſub conditione: nam etiam nos, ut dicebant, aſſerimus quod Deus per ſimplicem intelligentiam cognoſcit hoc futurum conditionatum. Si ego dedero alicui auxilium efficax ſalvabitur, & tamen decretum quo Deus poſtea liberè vult Petrum prædeſtinare & ſalvare, etiam ſi ſupponat hanc præſcientiam condjtionatam, abſolutum eſt.

442. Tandem id confirmabant, quia ſæpe diximus illud, *ſi in Tyro & Sidone facta fuiſſent virtutes pœnitentiam egiſſent*, fuiſſe à Chriſto cognitum & revelatum in decreto abſoluto quo decreverat Deus illas gentes convertere, ſi eis Evangelium ipſe prædicaret: & tamen poſt hanc præſcientiam illius conditionati, voluit Deus abſoluto decreto illas gentes non convertere, ut eſt manifeſtum. Ex his omnibus deducebant optimè ſtare, quod ſit decretum voluntatis abſolutum, licet ſupponat cognitionem cujuſdam conditionati: & ſic concludebant decretum illud prædeſtinationis, quod ipſi ſtatuunt, & quo Deus vult poſt ſcientiam mediam & cognitionem futuri conditionati, conſtituere Petrum v.g. in tali ordine in quo ſi ponatur præſcitur ſalvandus, eſſe decretum prædeſtinationis abſolutum, quo Deus abſoluta voluntate vult quod Petrus ſalvetur.

CAPUT XXXIX.

Prædicta veritas magis explicatur, & argumenta oppoſita contra illam diluuntur.

443. EX dictis non eſt difficile hæc ſolvere argumenta, qui enim iſta proponebant advertere prius debuiſſent contra authores quos defendebant, iſta militare. Vt enim viſum eſt ſupra cap. 33. plane ipſi fatentur, quod illa voluntas ponendi hominem in tali ordine rerum, ubi ſi ponatur præſcitur homo ſalvandus, includit illam conditionem, ut ſalvetur ſi ipſe voluerit; & ex conſequenti non eſt abſoluta, ut Franciſcus Suarez in eodem capite relatus expreſsè fatetur, dicens abſolutè & ſimpliciter illam non eſſe abſolutam voluntatem. Reſtat ergo ut ſecundum ipſum ſit conditionata, ob illam implicitam conditionem. Molina verò dicit non eſſe omnino abſolutam: per quod verbum *omnino*, ut ipſe ſe explicat intendit quod non eſt purè abſoluta nec purè conditionata; ſed quòd eſt ex parte conditionata, & ex parte abſoluta; conditionata quidem, quia dependet à creata voluntate, & ab illa conditione, ſi homo id facere velit; abſoluta verò quatenus Deo prævidenti ea futura placent, eaque Deus vult, & intendit. Quæ ſunt ipſius verba citata in ſuperioribus in quibus non cognoſcit aliam voluntatem abſolutam niſi complacentiæ. Nec huic contradicit quod aliis verbis ait, quod Deus abſolutè ea vult & illa intendit; per quæ nihil aliud ipſe intendit, niſi quòd Deus vult & intendit ea fieri ſicut prævidit: Prævidit autem ea facienda ab homine, quia homo vult: & ex conſequenti hoc modo dicit quod ea vult & intendit, nempè ut fiant ab homine, quia homo vult; quæ eſt voluntas complacentiæ. Hoc autem ipſemet author alio loco ſatis expreſsè propoſuit dicens. *Quod res libero arbitrio prædicta in certo ordine rerum & circunſtantiarum collocetur, in unam aut alteram partem ſe flectat, non provenire ex eo quòd Deus velit id ab ea fieri; ſed ex eo eo quod ipſa liberè id velit facere.* Ecce apertiſſimè fatetur quod Deus non vult, nec intendit quod liberum arbitrium in hanc vel illam partem ſe flectat: cum ergo aliis verbis poſtea dicit, quòd Deus vult & intendit id à libero arbitrio fieri; neceſſe eſt ab eo ſic intelligi, ut Deus velit id à libero arbitrio fieri, non præcisè quia ipſe vult; ſed quia ipſum arbitrium vult, qua ratione ab ipſo meritò appellatur voluntas complacentiæ. Cum ergo in iſto ſenſu tantum ipſe admittat decretum prædeſtinationis eſſe abſolutum; pari ratione qui ejus poſtea defendebant doctrinam, & fatebantur illud decretum eſſe abſolutum, in prædicto ſenſu poſuiſſe illud decretum eſſe abſolutum, convincebantur.

Ad argumenta igitur in oppoſitum, unica priùs generali diſtinctione reſpondetur, ſub hac forma. Quod quando decretum voluntatis ſupponit cognitionem alicujus conditionati non pendentis ab alterius voluntate, optimè ſtat quod decretum illud ſit abſolutum; & ſic fit in objectionibus inductis. Cum verò decretum voluntatis ſequitur cognitionem alicujus conditionati pendentis à voluntate alterius, tunc voluntas ſecuta ad talem volitionem, cum id velit dependenter à voluntate alterius, non poteſt eſſe abſoluta, ſemper enim includit prædictam conditionem: & ſic ponitur ab his authoribus decretum prædeſtinationis. Volunt enim quod ut efficax eſt, pendeat à voluntate hominis, efficaciam habeat ab hominis voluntate, quæ prævidetur redditura efficax illud prædeſtinationis decretum. Vnde ea ſolum ratione poterit eſſe abſolutum decretum, quia Deus abſolute vult quod homo operetur, quia homo vult; & abſolutè ſibi complacet in opere ab homine facto. Explicatur iſta ſolutio reſpondendo ad ſingula quæ objiciebantur. Ad primum enim deſumptum ex illo Matth. 24. *Niſi brevitati fuiſſent dies illi non fieret ſalva omnis caro, ſed propter electos breviabuntur.* Patet ex dictis illam voluntatem abbreviandi eſſe voluntatem abſolutam in Deo; quia ex ſola ſua voluntate pendet ſic abbreviare poſt illam prævisam conditionem, quæ prævisa conditio non ab homine, ſed à ſolo etiam Deo dependebat. Itaque totum hîc ſe tenet ex parte Dei, qui prævidens illud magnum malum, ſi dies illi non abbreviarentur, illos ex ſua miſericordia abbreviare voluit, impediens malum illud. Similiter illud aliud oppoſitum ex Matth. 26. *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum*, ad rem non facit, ex hoc enim tantùm deducitur cognoviſte Chriſtum hanc duplicem voluntatem in Patre: aliam conditionatam qua ſtatuerat dare illi illas Legiones Angelorum, ſi Chriſtus rogaſſet: aliam autem omnino abſolutam, qua voluit ut id ipſe non peteret, ſed pro omnium ſalute moreretur, ut ſcripturæ adimplerentur. Vnde utraque hæc voluntas ex ſolo Deo pendebat, & illa omnino abſoluta, aliam conditionatam eſſentialiter non excludebat.

445. Ad aliud ex Sancto Auguſtino dicente, abſolutè voluiſſe Chriſtum venire poſt illam præſcientiam, qua cognovit credituros in eum ſi tunc veniſſet; eodem modo reſpondetur, quod totum dependebat ex prædeſtinationis decreto, ut jam libro 1. part. 2. tract. 5. manifeſtavimus: etenim futurum illud ſub conditione illa ideo Deus cognovit, quia ita ipſe ſtatuerat, ut crederent homines ſi tunc ipſe veniret: & ſuppoſito hoc decreto de objecto illo conditionato (quod à ſolo Deo in ſua efficacia pendebat) voluit Chriſtus abſolutè tunc venire ex bona & ſola voluntate ſua, independenter ab aliqua voluntate humana; unde nec hoc ad propoſitum inducitur. Et eadem prorſus ratione reſpondetur ad id quod ex S. Thoma adducitur 3. part. quæſt. 1. art. 5. cum idem omnino Sanctus Doctor affirmet ac S. Auguſtinus relato & explicato nunc loco.

446. Ad aliud ex S. Auguſtino dicente, quòd prædeſti

Digitized by Google

prędestinatio est prędscientia, & prędparatio beneficiorum Dei; in quo dicunt loqui de prędscientia conditionata beneficiorum Dei, quę antecedit decretum absolutum prędestinationis, copiosè dicturi sumus infra agentes de prędestinatione, ubi quatuor verę explicationes adhibentur, exclusa ista quę nunc pretenditur, quæ legitima non est: falsum est enim & contra Sanctum Augustinum, quod per illam præscientiam intelligat præscientiam usus arbitrij sub conditione si benè utentis ex sua jurata libertate auxiliis generalibus gratiæ, vt oppositio prætendit: hanc enim præscientiam semper S. Augustinus damnavit, ut copiosè infra monstrabimus; imo verba modo opposita adversarios revincunt; quia illa præscientia est præscientia beneficiorum Dei, non boni usus arbitrij qui ponitur non haberi ex Dei beneficio, sed ex innata hominis libertate. Vnde sicut per illam præscientiam beneficiorum Dei, hæc illorum præscientia præcluditur, ita vera doctrina fundatur, quòd illa præscientia est absoluta præscientia beneficiorum Dei, sequens ad prædestinationis decretum: vel si est præscientia quæ antecedat decretum prædestinationis, est præscientia beneficiorum Dei sub conditione cognitorum, qua Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit, quòd si sua efficaci vocatione hos vocaverit, illi ex Dei dono & efficaci beneficio convertantur: postquam præscientiam illis vult talia beneficia præparare; de quo tamen infra dicemus copiosius.

447. Ad illud ex S. Thoma oppositum 3. part. quæst. 1. art. 3. ad 4. dicente, quòd prædestinatio præ supponit præscientiam futurorum supra lib. 1. part. 2. tractatus 5. respondimus agentes contra illam mediam scientiam, & veram illius intelligentiam tradidimus; nec enim per illam præscientiam hanc mediam scientiam intellexit; imo ibi sermonem facit de præscientia aliquorum futurorum absolutè cognitorum, quæ antecedunt prædestinationem, ut ibi citato loco fuit explicatum.

448. Ad aliam objectionem quæ oponebatur ex syllogismo cujus major est conditionata, in quo sub minori absoluta, concluditur absoluta conclusio: ex dictis patet minus obstare, quia ut in generali responsione præmisimus, non semper quidquid sequitur ad aliquam oppositam conditionem, conditionatum est; sed quod sequitur à prævisa conditione pendente à voluntate alterius. Cum ergo in sententia adversariorum, decretum prædestinationis pendeat ab usu arbitrij prævisi, & in talibus circumstantiis constituti efficax reddentis auxilium gratiæ, ut salvetur; convincitur decretum conditionatum esse, & dependere ab hominis voluntate.

449. Ad aliud de mediis prævisis sub conditione, quæ non inferunt conditionatam volitionem, vel ipsorum mediorum, vel finis sub conditione; dicendum quòd si illud conditionatum prævisum pendens fuerit vel ex natura rei, vel ex mea voluntate; tunc decretum voluntatis ipsam prævisionem sequens absolutum est; licet etiam pendens sit in sua efficacia, vel ex rebus ipsis, vel ex priori mea voluntate; verbi gratia prævideo quòd si manducavero, sustentabor: cum absolutè manducare volo, hæc volitio absoluta quoad sustentationis consecutionem ex manducatione dependet: similiter prævideo quòd si hodie tali hora quæram amicum, inveniam: cum postea absolutè me determino ad illum quærendum; quod illum de facto inveniam ab illo futuro conditionato dependens est. Cæterum quando conditionatum prævisum est ex alterius voluntate, & ego volo illud executioni mandare, necesse est quòd ista mea voluntas etiam ex alterius voluntate dependeat in sua efficacia, v. g. prævideo quod si rogavero amicum, ut aliquid faciat, id ipse faciet: cum ego post hanc prægnitionem determino illum rogare; manifestum est quod etiam determino ut ipse id ex sua libertate faciat; & mea voluntas volens ut illud fiat, necessariò ab alterius voluntate quæ id facere debet in sua efficacia dependet. Et sic ponitur ab his authoribus decretum prædestinationis pendens à voluntate hominis qua prævidetur implendum, si Deus talem hominem in tali rerum ordine collocet.

450. Vt igitur uno verbo dicam, non fit à vobis instantia contra hoc prædestinationis decretum quod statuunt, in hoc quod si aliquo modo conditionem supponens, vel aliquo modo absolutum; sed in hoc quod sive à suis defensoribus aliquo modo conditionatum ponatur, sive aliquo modo absolutum, ponitur in sua efficacia pendens ab hominis voluntate, à quo prævidetur efficax si sic homo constituatur; & sic jam homine sic constituto prævidetur jam efficax factum, ex eo quod homo voluit illud efficax reddere: in hoc, inquam, instantia fit. Si enim ut in oppositionibus apparet decretum prædestinationis aliquam includeret conditionem, quæ tamen ab hominis voluntate non penderet in sua efficacia, non esset grave inconveniens illud admittere v.g. per scientiam simplicis intelligentiæ scit Deus quod si per talia media ex Deo ipso efficacia hominem prædestinaverit, infallibiliter ille salvabitur: cum postea vult illum sic prædestinare, hoc decretum absolutum est, implicitè tamen illam conditionem includit, & pendens est ab illo conditionato prævisо; quia tamen illa prævisio ex solo Deo habetur, & ex ipso solo efficaciam habet, etiam decretum prædestinationis ex solo Deo habet efficaciam. Et per hoc respondetur ad ultimum, quo instabant nos etiam debere admittere decretum absolutum post præscientiam conditionatam: hoc enim vltimo modo nunc explicato illud admittimus, à Deo solum dependens in sua efficacia, non ab homine, ut dictum est. Et per hoc patet ad ultimum de Tyriis & Sydoniis, respondetur enim quod præscivit Deus quod si illis prædicaretur Evangelium crederent, sed hoc esset ex Dei efficaci seipso auxilio, totum enim hoc ex absoluta & efficaci Dei voluntate pendebat; unde tunc absolutè voluit, ut eis Evangelium non prædicaretur.

Digitized by Google

TRACTATVS TERTIVS, DE PRÆDESTINATIONE.

CAPUT I.

De nomine prædestinationis, & variis ejus significationibus.

1. POST dilectionem & electionem ad gloriam, quæ sunt actus divinæ voluntatis, immediatè sequitur prædestinatio quæ est actus divini intellectus practici: omnes enim illi tres actus, ut jam supra dictum est, ratione tantùm inter se distinguuntur, & rationis ordine se se antecedunt; ut omnium primò sit in Deo dilectio qua aliquos diligit, volendo eis hoc magnum bonum videlicet gloriam, diligere enim seu amare aliquem est ei bonum velle: deinde sequitur electio, qua Deus sic à se dilectos præ aliis eligit ad gloriam: tandem intellectus divinus practicus illos prædestinat, eis certa media præparando, quibus eos dirigat vel transmittat in gloriam. Ista sententia est expressè S. Thomæ in 1. *sent. dist.* 41. *art.* 2. *ad* 1. super 9. *caput Epist. ad Rom. lect.* 2. in fin. Et *quæst.* 6. *de verit. art.* 1. *in fine corporis*, sed præcipuè 1. *p. quæst.* 23. *art.* 4. Quomodo autem prior sit dilectio in Deo, quàm electio ut S. Thomas citatis nunc locis docet expressè, diximus supra.

2. Adde quod sicut dilectio & electio sunt actus divinæ voluntatis respicientis finẽ, videlicet gloriã, ita prædestinatio est actus divini intellectus præparantis media ad cõsecutionem illius finis: unde quamvis dilectio & electio sint respectu finis, tamen prædestinatio & est finis, & eorum quæ sunt ad finem. Dicimus enim & quod gloria est prædestinata, & etiam quod gratia est prædestinata; imo tria dicuntur propriè prædestinata, videlicet homo, gratia, & gloria: prædestinatur enim homo, prædestinatur gratia, & prædestinatur gloria. Homo prædestinatur, quia destinatur sive transmittitur in vitam æternam; prædestinatur ipsa æterna vita, quia homini præparatur; prædestinatur etiam gratia & opus meritorium ex illa, quia homini illa omnia præparantur, ut per illa finem vitæ æternæ consequatur. Ratio est, quia dum creatura rationalis prædestinatur ad aliquem terminum, etiam terminus ille prædestinatur cum habitudine ad rem illam cujus est finis: media prædestinantur ut per illa res talis illum finem consequatur. Qua ratione, nedum persona, sed & gratia, & actus bonus, & gloria prædestinata dicuntur: non tamen sic dicimus electam sive dilectam gratiam vel gloriam, quia propriè solus prædestinatus diligitur, sicut ipse solus eligitur ad gloriam. Doctrina est S. Thomæ locis citatis, & præcipuè in primo ubi supra; quamvis opera facta ex gratia & dicantur esse electa ad gloriam, ut supra ex S. P. Augustino diximus ex quæst. 2. ad Simplicianum: pro gratia autem & gloria, secundum receptum & communem usum loquendi magis proprie dicitur persona intellectualis creata prædestinari, secundum quod propria definitio prædestinationis explicat; quæ est ratio transmissionis creaturæ rationalis in vitam æternam. Hic autem non probamus, sed supponimus prædestinationem actum esse liberum in Deo immanentem, & æternum; quia & hoc certissimum, & apud omnes receptissimũ est, licet non nihil contra hoc author concordiæ dicat, de quo infra dicendũ erit.

3. Similiter nec ad præsens discutimus, an natura sit prædestinata, vel persona; constat enim quod immediatè natura non ordinatur, nec transmittitur in vitam æternam, sed persona in illa subsistens: ut contra Scotũ in 3. dist. 7. cõmuniter omnes Thomistæ docent.

4. Circa vocem, *prædestinatio*, notissimum est illam componi ex propositione *præ* & ex nomine *destinatio*: destinatio autem in sua significatione importat directionem seu transmissionem alicujus in finem: unde aliquis dicitur nuntium destinare qui eum dirigit ad aliquid faciendum 1. Machab. 1. *destinaverunt aliquos ex populo.* Quia autem illud quod efficaciter animo proponimus, ad executionem postea dirigimus; ideo id, quod animo proponimus dicimus destinare, secundum illud quod 2. *Machab.* 6. dicitur de Eleazaro, *quod destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem.* Et 2. *colos.* 3. eadem ratione dicitur, *prout unusquisque destinavit in corde suo.* Imò hæc significatio, qua destinatio importat directionem alicujus in aliquem finem oritur sicut ex prima radice ex illa prima, qua animo proponimus aliquid ordinare sive transmittere in finem: ideo enim in executione aliquem ad aliquid dirigimus, quia ita prius animo efficaciter proposuimus. Sententia est expressa S. Thomæ in 1. *sent. dist.* 40. *quæst* 2. *art.* 1. Et *quæst.* 6. *de verit art.* 1. *in corpore.* Igitur destinare est animo proponere, statuere, decernere, diffinire, determinare, dirigere, seu aliquid transmittere ad aliquem finem.

5. Dictio autem, *præ*, antecessionem dicit, & in verbo, *prædestinatio*, sumpto apud Theologos, dicit antecessionem æternitatis ad tempus ita ut denotet rationem

Digitized by Google

nem transmissionis aliquorum in vitam eternã in Deo ex æternitate præexistere, antequam in tempore quoad executionem tales in vitam æternam, per talia, vel talia media transmittantur. Quod sicut apud Doctores certissimum supponimus.

6. Dicit insuper dictio *pre* anteceſſionem ad præscientiam meritorum, & futuræ cooperationis arbitrij; ita ut prædestinatio non solùm dicat anteceſſionem modò explicatam; verùm & hanc posteriorem: nam merita nostra, vel bonus usus arbitrij non est causa prædestinationis nostræ. Quod hîc breviter prænotaverim, infra copiosius disputandum, quia hic est finis operis hujus.

7. Præterea illud propriè dirigitur, vel destinatur in aliquem finem, quod non habet ex se unde in illum tendat, nisi dirigatur, destinetur, vel transmittatur ab alio, ut de destinatione nuntij fit manifestum; & de directione sagittæ in scopum: nec enim sagitta vel nuntius ex se habent quòd in illos fines tendant, nisi ab aliis transmittantur, & dirigantur: unde qui animo proponit aliquem in finem destinare, seu mittere, simul necesse est proponat, illum dirigere, & mittere in illum finem, ad quem nisi sit missus & directus non perveniet.

8. Igitur ut uno verbo dicam, destinare propriè est animo proponere aliquem mittere & dirigere in finem, ad quem nisi sit missus & directus non perveniet. Quod si destinationi addas illam præpositionem *pre* quę anteceſſionẽ respectu futuri, seu posterioris significat, dicendo *prædestinatio* fiet manifestum, quòd prædestinatio idem omnino erit, quod antecedens destinatio, id est antecedens quædam animi destinatio, seu determinatio, qua aliquis firmiter proponit dirigere & transmittere aliquem in certum finem, ad quem ille non perveniret nisi sic directus & transmissus. Hæc quantùm ad vocem & significationem destinationis, seu prædestinationis, generaliter & communiter sumptæ in tota sua latitudine.

9. Apud Theologos verò non ita latè sumitur *prædestinatio* pro quolibet proposito trasmittendi aliquem in certum quendem finem; sed strictè magis ab eis nomen *prædestinatio* usurpatur secundum quadruplicem acceptionem. Primò, ut prædestinatio non solùm sit ad æternam salutem, sed etiam ad æternam pœnam; & sic dicitur æterna pœna peccatoribus prædestinata, seu præparata. Ita S. P. August. *lib. 15. de civit. cap. 1.* Vbi duas distinguens civitates bonorum & malorum; primam dicit prædestinatam ut regnet cum Deo; secundam verò, quæ malorum est, prædestinatam, ut æternum habeat malum. Quod in multis aliis locis suæ doctrinæ docet in *lib. 21. de civit. cap. 24.* in Enchirid. *cap. 100.* Et *lib. de perfectione justitiæ* Isidorus etiam *lib. 2. de summo bono cap. 6.* Et habetur *in Concilio Valentino suo Lothario Can. 3.* Sanctus etiam Fulgentius latè de hoc differit lib. de prędestinatione ad Monimũ, in quo sæpe repetit peccatores non prædestinari ad culpam, bene tamen ad æternam pœnam, quæ illis est præparata. Idem docet S. Thomas pluribus in locis.

10. Circa quod illud est considerandum, & secundum fidem fimiter statuendum, Deum neminem prædestinare ad culpam, ut modò ex Fulgentio dictum est, quod esse de fide omnes Doctores asserunt. Veritas ista est diffinita *in Concilio Arausi. 2. can. 25.* Verba Concilij Arausi. sunt *Ad malum prædestinatos esse non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Concilium etiam Valentinum tempore Lotharij sub Benedicto *3. Verùm aliquos ad malum prædestinatos esse divina potestate, videlicet, ut quasi aliud esse non possint, non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione sicut Arausicana Synodus illis anathema dicimus.* Et traditur *in Tridentino sess. 6. can. 17.* De quo & S. P. August. agit, tum alibi, tum libro de prædest. sanct. ubi docet quod Deus solùm ea prædestinat, quæ ipse facturus est, quamvis præsciat quæ nec facturus est, nec prædestinet, qualia sunt peccata: unde & *lib. 5. de civit. cap. 9.* cum fatetur Deum authorem omnium potestatum, negat tamen esse authorem omnium voluntatum: quod ideo dixit quia malarum voluntatum nec author est, nec effector, nec præparator, aut prædestinator; aliàs causa esset peccati; quod audire fides exhorret. Secundum quod circa idem est advertendum quòd cum S. August. atque Fulgentius verissimè docent Deum prædestinare ad malum pœnę, sive ad gehennam, sive ad interitũ, illa dictio *pre* tantum dicit anteceſſionem æternitatis, non verò anteceſſionem ad præscientiam culpæ; imo præsupponit talem culpæ præscientiam, qua prævisa, prædestinat Deus peccatori debitam pœnam & mortem, seu ipsum in æternum interitum prædestinat. In quo sensu intelligere, illud Arausi. Concilij 2. & Tridentini, quod Deus potestate sua neminem ad malum prædestinat, id est ex sola potestate sua ante peccati præscientiam, nullum videtur inconveniens: Quamvis utriusque Concilij principalis intentio sit, docere Deum ad malum culpæ neminem prædestinare; quia malum simpliciter & sine addito prolatum, stat pro famosiori malo, quod sine dubio malum culpæ est. Et in hoc opponitur prædestinatio ad pœnam prædestinationi ad gratiam, & gloriam; quia prædestinatio ad pœnam, præsupponit prescientiam culpę cui preparatur pœna; at prędestinatio, dilectio, & prima electio ad gloriam nullo modo presupponunt bonum aliquod ex parte liberi arbitrij previsum ob quod Deus prędestinet.

11. Utrumque traditur expresse *in Concilio Valentino tempore Lotharij can. 2.* ubi ait. *Malos præscisse per propriam malitiam malos futuros, & per suam justitiam æterna ultione damnandos,* Vbi ante præscientiam damnationis, præscientiam statuit peccati: Et clariùs can. *3. fidenterque fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonorum; in damnatione autem perituroru meritum malum præcedere justum Dei judicium.* Vbi simul & prædestinationem impiorum ad mortem statuit & quod sit post prævisum meritum malum, diffinit. Et adhuc manifestius ibi. *Prædestinatione autem Deum ea tantum statuisse, quæ ipse vel gratuitâ misericordiâ, vel justo judicio facturus erat.* Vbi iterum statuit prædestinationem impiorum ad mortem ex justo Dei judicio. Prosequitur. *In malis verò ipsorum malitiã præscisse, quia ex ipsis est, non prædestinasse, quia ex illo non est. Pœnam sanè, malum meritum eorum sequentem, uti Deum, quia omnia prospicit, præsciviſſe, & prædestinasse, quia justus est.*

12. Secundò accipitur prædestinatio pro qualibet præordinatione in aliquod supernaturale; & sic dicitur Christus Dominus prædestinatus Filius Dei in virtute, ab Apostolo: & hoc modo illam definit S. Thomas *3. p. quæst. 24. art. 1.* quòd prædestinatio est prę-ordinatio eorum quæ per gratiam facienda sunt in tempore. Non enim primò & per se Christus fuit prædestinatus ad gloriam. Similiter dicitur Beatissima Virgo prædestinata ut esset Dei Mater: & proportionaliter electi & prędestinati dicuntur Apostoli ad Apostolatum.

13. Tertia acceptio prædestinationis apud Theologos est ut accipiatur pro omni effectu prędestinationis, qui nobis tribuitur; qua ratione dicitur Christus causa nostræ prædestinationis, ut docet S. Thomas *3. p. quæst. 24. art. 4.* Et *1. p. quæst. 23. art. 5.* cum quæritur an detur causa nostræ prædestinationis; ubi se loqui de totali effectu prædestinationis testatur.

Digitized by Google

14. Quartò strictè & propriissimè sumunt Theogi nomen *prædestinatio* pro æterna Dei prædestinatione dirigentis per certa media creaturam intellectualem ad bonum vitæ æternæ sicut ad finem: & cum apud Theologos absolutè fit sermo de prædestinatione, sive de prædestinatis, de hac ultima & propriissima prædestinationis acceptione, qua creaturam intellectualem Deus in finem vitæ æternæ transmittit, loquuntur: unde præcipuè in hac materia de prædestinatione in hac acceptione, tractatur.

15. De prædestinatione in hac ultima & propriissima acceptione aliquæ assignantur à Sanctis Patribus definitiones, voce quidem solum differentes, sed sensu maximè concordantes. Sic enim primò illam diffinit S. P. Augustinus. *Prædestinatione est propositum miserendi.* Et lib. de præd. Sanct. cap. 10. *Prædestinatio est gratiæ præparatio.* Et lib. 6. hypo. idem S. August. vel quicumque alius fuerit illius libri author, sic dicit. *Prædestinatio est cujusvis boni ordinatio.* Et de dono persev. cap. 14. *Prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur.* Et per has duas prædestinationis definitiones à S. P. Augustino traditas, explicata manet illa prior, qua dixerat quod prædestinatio est gratiæ præparatio: non enim solius gratiæ præparatio est, sed etiam gloriæ, & in universum omnium beneficiorum quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.

16. Sanctus etiam Thomas à prædictis diffinitionibus minimè discordans, sic illam diffinit 1. *p. quæst.* 23. art. 1. *Prædestinatio est ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ*: Et ibi explicat quod ratio hujus transmissionis præexistens in intellectu divino est prædestinatio: quod enim S. Augustinus vocat præordinationem, præparationem ut ex prædictis diffinitionibus constat, S. Thomas vocat rationem practicam sic præparantem & præordinantem: & quod S. Augustinus conjungit cum prædestinatione præscientiam dicens, quod prædestinatio est præscientia & præparatio &c. uno verbo S. Thomas dixit esse rationem practicam, quæ & ordinando ad opus, præparat, & præparatum cognoscit: licet dici etiam possit quod in hac diffinitione solam rationem practicam ordinantem intelligat S. Doctor, quia hæc sola est de ratione prædestinationis; nam alia speculativa præscientia, quæ hanc prædestinationem sequitur, non est de intrinseca ratione prædestinationis, ut infra explicabimus. Similiter quod S. P. Augustinus in alia diffinitione præmisit, prædestinationem esse propositum, ideo sic dixit, quia essentialiter propositum præsupponit, & electionem voluntatis, ut docet S. Thomas *quæst. 6. de verit. art.* 1. *ad* 1. Totum autem hoc includit S. Thomas cum prædestinationem per practicam rationem diffinit, quæ ratio practica est de mediis in ordine ad finem prius per voluntatis propositum prævolitum. Vbi notandum in hac propriissima acceptione prædestinationis nõ solùm includi gloriamæ, quæ est terminus prædestinationis; sed etiam ipsam gratiam, quæ est medium ad illam consequendam, ut patet ex S. P. Augustino & D. Thoma citatis locis. Imo est Theologorum communis certaque sententia contra Ocham, Gabriëlem, & Catherinum qui sine fundamento contrarium malè opinantur, & parum consentaneè Apostolo ad Rom. 8. ubi docuit prædestinationem versari etiam circa vocationem, & justificationem, quæ fiunt per gratiam. Et clariùs ad *Ephes.* 1. ubi ait, *Prædestinavit nos in adoptionem Filiorum*, quæ per gratiam fit. Est præterea insignis locus S. P. Augustini *in Enchirid. cap.* 100. ubi vocat *prædestinationem ad gratiam.*

17. Sicut autem minus consonum est veritati excludere gratiam à prædestinatione, ita & contra veritatem procedit, velle quod tantùm gratiam includat, excludendo gloriam, ut falsissime dixit Durandus *in* 1. *distin.* 41. *quæst.* 1. Et hoc velle S. Thomæ adscribere est planam ejus litteram ignorare: ait enim 1. *p. quæst.* 23. *art.* 1. quod ratio transmissionis creaturæ rationalis in vitam æternam, prædestinatio nominatur: ubi in diffinitione ipsius prędestinationis gloriam seu æternam vitam expressit. *Et art.* 1. dicit prędeinasttionẽ esse rationem ordinis in vitam æternam. Nec ex eo quod vita æterna prę supponatur volita per dilectionem & electionem ad prædestinationem secundum apertam S. Thomæ sententiam, deducere quis potest, quod gloria secundum eundem S. Thomam non claudatur in prædestinatione. Imo planè totum oppositum concluditur. Sicut enim vita æterna præsupponitur volita ut finis per dilectionem, & electionem, ita per intellectum practicum Dei prædestinantis transmittuntur prædestinati per certa media ad consecutionem talis finis: unde necesse est quod etiam vita æterna ut finis mediorum claudatur in ipsa formali prædestinatione.

18. Præterea S. Augustinus maximum beneficium, quale est vita æterna clausit, cum dixit prædestinationem esse præparationem beneficiorum Dei quibus liberantur, quicunque liberantur, ut expresse gloriam explicaret.

19. Nec in hac parte immorandum est; an prædestinatio sit essentialiter, & principaliter voluntatis actus includens concomitanter actum practici intellectus, ut placet Scoto; an potius essentialiter sit rationis actus præsupponens volitionem finis, ut multò verius docet S. Thomas; ex eo quod prædestinatio pars est providentiæ; providentia autem sicut & prudentia ad intellectum practicum spectat. Hanc enim metaphysicam quæstionem, ex his quæ dici solent communiter à Scholasticus supponimus modò, nam ad præsens quidquid dicatur, sivè ab una Schola, sive ab alia, salvantur omnes S. Augustini de prædestinatione traditæ definitiones; salvaturque prædestinationis substantialis veritas, quam in hoc opere contra novas, antiquasque falsitates defendere, & manifestare curamus. Et eadem prorsus ratione nec hìc disputamus an prædestinatio sit actus divini intellectus practici, qui habeat rationem statuti postquam voluntas illum acceptavit, ut dixit Caïetanus; an verò sit actus divini intellectus practici qui immediatè sequitur ad finis intentionem, etiam ante alium voluntatis actum acceptantem talem ordinem rerum excogitatũ, & sibi propositum. Quia ut Caïetanus ait 1. *p. quæst.* 23. *art.* 1. *in fine* diversitas hæc, de vocabulis est potiùs quàm de rebus, eo quod omnia hæc requiri ad prædestinationem nullus ambigit, sive essentialiter, sive cõcomitanter. Quare unusquisque in suo sensu abundet; quia sicut de opinione Scoti modò dictum est, & de hac dicendum, quod quidquid dicatur, substantialis veritas prædestinationis salvatur: hæ enim quæstiones tales sunt, ut salva fide, probabiliter quis sic, vel sic possit opinari. Quamvis multò conformius veritati sit sententia S. Thomæ dicentis prædestinationem esse essentialiter actum practicum intellectus divini ordinantis media, immediate supponentem finis intentionem, ac proinde ex vi illius efficacis intentionis finis virtualiter acceptatum, ante illum alium voluntatis actum media ordinata formaliter acceptantem. Sicut prudentia & providentia, cujus prædestinatio pars est, dicit actũ practicũ intellectus, qui immediatè sequitur ad finis volitionem, ex qua volitione finis habet efficaciã, & virtualiter est jam acceptatus, etiam ante illum secundum actum voluntatis acceptantem formaliter: iste enim secundus voluntatis actus ex suppositione prioris volitionis infallibiliter sequitur,

Digitized by Google

ter nec illa priori efficaci intentione finis propoſita, poteſt non ſequi, vel non acceptari.

CAPUT II.

Vnicam, & non multiplicem eſſe prædeſtinationem ad gratiam, & gloriam oſtenditur.

20. VNVM tandem advertendum contra Turrianum lib. 1. de prædeſtinatione, non eſſe duplicem prædeſtinationem alteram ad gratiam: alteram ad gloriam; ſed unam tantùm utramque includere, & gratiam, & gloriam, ut ex ſupradictis conſtat, & ratio eſt manifeſta; quia prædeſtinatio ex ſua ratione formali & eſſentiali importat completum ordinem & rationem mediorum omnium, quibus efficaciter prædeſtinatus perducitur in vitam æternam ex firmo ſtabilique divinæ voluntatis propoſito; nam prædeſtinatio formalis eſt tranſmiſſio creaturæ intellectualis in vitam æternam in divina mente præexiſtens: conſtat autem quòd perfecta tranſmiſſio non tantùm terminum reſpicit, ſed etiam viam; nec ſolum viam attendit, ſed terminum ipſum attingit. Sicut autem vita æterna eſt ultimus terminus prædeſtinationis, ita quidquid pertinet ad gratiam habet rationem medij reſpectu illius ultimi finis, licet unus effectus vel donum gratiæ comparatione alterius præcedentis poſſit dici terminus non ultimus; quod & modò ſupponimus. Omnes autem iſtos intermedios terminos, & omnia iſta media gratiæ comprehendit Apoſtolus ſub vocatione, & juſtificatione, quibus omnia prævenientis, & ſubſequentis gratiæ dona intelligit: de quibus dicendum erit in his noſtris libris per ſingula ſuis propriis locis.

21. Turrianum ſecutus Cornelius à lapide tres multiplicat prædeſtinationes; unam ad gloriam; ſecundam ad gratiam inchoatam; tertiam ad gratiam completam, ſeu efficacem. Probat primò quia Epheſ. 1. Apoſtolus omnes fideles vocat electos, & prædeſtinatos, qui tamen omnes non erant prædeſtinati ad gloriam, ſed ad fidem, & gratiam. Secundò probat ex Sancto Thoma 1. *part. quæſt.* 24. *art.* 3. ubi admittit librum vitæ reſpectu gratiæ tantùm, condiſtinctum contra alium qui eſt reſpectu gloriæ: ſicut ergo datur liber vitæ ad ſolam gratiam; ita erit prædeſtinatio aliqua ad gratiam tantùm. Tertiò Eccleſia Dominica prima quadrageſimæ in collecta quæ tribuitur S. Auguſtino, orat ut omnium fidelium nomina beatæ prædeſtinationis liber adſcripta retineat. Nec enim, inquit, pro completè prædeſtinatis aptè rectéque oraret ut retinerentur &c. cum completa eorum prædeſtinatio includat, illos ſemper prædeſtinatos manſuros. Orat ergo pro inchoativè prædeſtinatis ſecundum gratiam tantùm.

22. Cæterum, ut diximus, prædeſtinatio ſecundum ſuam propriam rationem non duplex, & multò minus triplex diſtinguenda eſt, ſed una tantùm firmanda completa, qua per certa media electi prædeſtinantur, ſeu tranſmittuntur in gloriam; quia ratio modò facta id probat, quæ ampliùs explicatur. Cum enim prædeſtinatio pars ſit prudentiæ ſubjectiva ſcilicet, & prudentia non ſit ad media tantum, ſed ſit ordo mediorum in finem; etiam prædeſtinatio non eſt medij tantùm nempe gratiæ, ſed eſt ratio tranſmiſſionis aliquorum per media gratiæ in finem vitæ æternæ. Præterea definitio tradita à Sancto Thoma vbi ſupra, & communiter recepta, huic prædeſtinationi ad gratiam tantùm repugnat; in ea enim dicitur, prædeſtinationem eſſe rationem tranſmiſſionis creaturæ rationalis in vitam æternam: ergo & definitum etiam illi repugnare dicendum eſt. Quod ſi dicant aliam definitionem traditam à Sancto Patre Auguſtino, ubi ſupra, illi convenire, qua dicit quòd prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio. Reſpondetur ſumi gratiam, pro gratia ſecundum quod comprehendit etiam gloriam; juxta illud gratiam pro gratia dabit Dominus; gloria enim eſt gratia conſummata. Quod verò Sanctus Pater Auguſtinus ſic intelligat, conſtat ex alia definitione qua præcedentem exponit, & quæ etiam ſupra relata eſt, qua dicit, quòd prædeſtinatio eſt præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro. Tandem cum Apoſtolus ad Rom. 8. tradit prædeſtinationem, non ad ſolam gratiam prædeſtinationem extendit; ſed prædeſtinationem per media gratiæ ad gloriam exponit, dicens. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavi, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Vbi totum proceſſum prædeſtinationis complectitur, quæ incipit impleri per vocationem, & terminatur, ſeu completur in gloria. Accedit quod illa prædeſtinatio, quæ dicitur ad gratiam ſive completam, ſive inchoatam; vel eſt electorum, vel reproborum: non primum, quia licet electis prædeſtinetur gratia ut dictum eſt, vel ipſi prædeſtinentur ad gratiam habendam; hæc tamen ut pars clauditur in illorum æterna prædeſtinatione, qua per gratiam prædeſtinantur ad conſequendam gloriam, nec ab illa diſtinguitur, aut condiſtingui po eſt. Si verò ſit prædeſtinatio reproborum ad habendam aliquam gratiam in tempore; novum eſt aſſerere reprobos prædeſtinatos ad gratiam, cum ſimpliciter dicantur, & ſint prædeſtinati ad æternam mortem, ut à principio hujus tractatus præmiſimus. Et ratio eſt, quia finis illorum æterna mors eſt, & ſic prædeſtinantur ad ſuum finem, ſicut electi ad ſuum, qui vita æterna eſt. Licet ergo admittendum ſit voluiſſe Deum ab æterno eis dare gratiam in tempore, & ordinaſſe, ac præſciviſſe, ſe illis eam daturum; non tamen debent dici prædeſtinati ad gratiam ob rationem factam, quia prædeſtinatio reſpicit finem, & non tantum medium ad ipſum, potiſſimè cum illud medium finem non conſequatur.

23. Ad primum ergo dicendum Apoſtolum in illo loco ad Epheſ. 1. non tradere prædeſtinationem ad ſolam gratiam, ſed etiam ad gloriam; communis enim intelligentia eſt cum gloſa, tradi ibi duas præordinationes, ad gratiam alteram, alteram ad gloriam, ſeu quod aptiùs dicitur, unam quæ utramque comprehendat, & electionem ad gratiam in ordine ad gloriam, & prædeſtinationem ad gloriam per electionem gratiæ. De quo videatur ibi Sanctus Thomas potiſſimè ad illa verba *prædeſtinans nos in adoptionem, &c.* Quomodo verò hæc prædeſtinatio per gratiam ad gloriam omnibus fidelibus conveniat qui erant Epheſi, ad quos Apoſtolus ſcribit, cum omnes illi ad gloriam prædeſtinati non eſſent. Dicendum, quod nomine Sanctorum, & fidelium intelligit eos qui ex ipſis erant prædeſtinati; ſicut cum gubernatores Civitatis aliquid ſtatuunt, dicitur Civitatem id ſtatuere: præſertim quia ut Sanctus Thomas cum gloſa ad illum locum docet, illa verba, *ſicut elegit nos ex ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti, & immaculati, &c. prædeſtinans nos, &c.* non ad ſolos Epheſios reſtringuntur, ſed in illis beneficia generaliter exhibita humano generi commendat Apoſtolus: cum tamen ſit certum, totum humanum genus prædeſtinatum ad gloriam non eſſe; ſed nec electum ut habeat gratiam: quod autem plures ex humano genere receperunt, dicitur humanum genus recipere. Imò qui hoc opponit in tertio argumento, ſicut non vult nomine omnium fidelium intelligi prædeſtinatos ad gloriam, quod

Digitized by Google

ran erit inconveniens, nomine fidelium Ephesiorum non intelligi omnes in universum, sed principaliores ex eis, nempe prædestinatos ad gloriam.

24. Ad secundum dicendum ex illo loco Sancti Thomæ 1.*part. quæst.* 24. *art.* 3. oppositum potius deduci. Cum enim ibi duos libros vitæ distinguat; alterum simpliciter, alterum secundum quid: & illum priorem dicat esse ex prædestinatione divina, qui propterea numquam deficit: hunc autem posteriorem dicat haberi ex gratia, qui tamen deficit, cum plures a gratia deficiant: constat quòd sicut negat hunc secundum librum, qui habetur ex gratia, esse ex prædestinatione divina; multò magis negat illam gratiam esse ex prædestinatione, vel prædestinationem esse respectu illius gratiæ.

25. Ad tertium mirandum, quòd cum, qui illud opponit, neget nomine omnium fidelium comprehendi solos prædestinatos, & Ecclesiam in illa collecta aptè, & rectè orare, si pro prædestinatis solum ad gloriam oret, ex eo inquit, quod illorum nomina semper in libro beatæ prædestinationis retinentur, nec ab illo possunt deleri; velit aptè, & rectè orare Ecclesiam pro non prædestinatis ad gloriam, sed solùm pro prædestinatis ad gratiam: quasi possint isti in libro beatæ prædestinationis retineri, cum ibi scripti non fuerint, aut hoc Ecclesia à Deo impetrare prætendat. Dicendum igitur quod cum ignoret Ecclesia, qui ex omnibus fidelibus sint ad gloriam prædestinati, qui verò non; sicut generaliter pro omnibus rectè, aptéque orat ut gratiam habeant, ut in illa perseverent, & quòd omnes salvi fiant: ita aptè rectéque orat pro omnibus, ut ipsorum nomina in libro beatæ prædestinationis retineantur: Quod est evidenter orare, ut in gratia perseverantes, salvi fiant.

26. Hinc etiam sequitur prædestinationem vel esse secundum Scotum actum voluntatis magis principaliter; vel esse (quod multo verius est) actum practicum intellectus præsupponentẽ voluntatem finis, ut modò ex sententia Sancti Thomæ diximus; vel esse ipsum actum voluntatis acceptantis tale judicium practici intellectus præordinantis & præparantis media ad gloriam, ut aliqui minùs probabiliter putarunt: nullo modo autem potest dici prædestinationem esse formaliter præscientiam ipsam; quia quidquid dicatur in uno ex illis tribus modis, semper in formali prædestinatione causalitatis ordo importatur, qui est de ratione prædestinationis; qui tamen ordo causalitatis in præscientia non habetur, quia præscire non est causare: Vnde sententia quæ dicit prædestinationem esse formaliter præscientiam, si attendatur, ipsi prædestinationi & ejus definitioni contradicit, nec opinio dicenda est.

27. Quod si quis opponat, quod Sanctus Thomas 1. *part. quæst.* 23. *art.* 2. *in argumento, sed contra* ex Sancto Patre Augustino, ait, *quòd prædestinatio est præscientia beneficiorum Dei; præscientia autem non est in præscitis, sed in præsciente: ergo nec prædestinatio est in prædestinatis, sed in prædestinante:* ergo secundum Sanctum Thomam prædestinatio est præscientia.

28. Ad hoc dicendum Sanctum Thomam non velle, quod prædestinatio sit tantùm præscientia, vel quod sit essentialiter, & formaliter præscientia, quia præscientia ut sic ordinem causalitatis non habet, qui tamen essentialis est prædestinationi: Vnde in corpore illius articuli dicit, prædestinationem esse partem providentiæ (quoad objecta videlicet) per quod ordinem causalitatis expressit: intendit ergo tantùm probare quòd prædestinatio secundum omne quod includit, non est formaliter in prædestinatis: & quia prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, priùs in argumento sed contra probat quòd prædestinatio pro ea ratione qua includit præscientiam, non est in prædestinatis, sicut nec præscientia est in præscitis: Et in corpore articuli probat quod prædestinatio pro ea parte qua est præparatio beneficiorum Dei, qua ratione est pars providentiæ, quoad objecta, non est in prædestinatis, sed in prædestinante: sicut providentia formaliter non est in provisis, sed in provisore, & præparatio qua se præparat agens ad agendum, non est in passo, sed in agente se præparante; & sic omni ex parte concludit, quòd prædestinatio formaliter non sit in prædestinatis.

CAPUT III.

Quomodo se habeat prædestinatio ad gratiam.

29. Hinc & illud venit sub brevitate expendendum, quomodo prædestinatio, & gratia adinvicem comparentur; & quid nomine gratiæ veniat intelligendum in hac materia prædestinationis, & gratiæ. In qua collatione, nomine prædestinationis non solum intelligimus ipsam formalem prædestinationem, sed & electionem, & dilectionem quæ formalem prædestinationem antecedunt, ut dictum fuit. Ad quod ita ex Sancto Patre Augustino est respondendum, quod gratia est effectus prædestinationis; prædestinatio autem est causa gratiæ. Et hæc est prima comparatio, ex qua alia dimanat, quòd prædestinatio est æterna, gratia autem temporalis: utrumque traditur ab eodem Sanctissimo Doctore *lib. de dono persev. cap.* 14. *Et lib. de prædest. Sanct. cap.* 10. Sic enim inquit. *Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratia est, ut dixi, præparatio: gratia verò jam ipsa donatio:* & iterum *quod ait Apostolus ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Iesu in operibus bonis, gratia est: quod autem sequitur, quæ præparavit Deus ut in ipsis ambulemus prædestinatio est, quæ sine præscientia esse non potest.* Manifestè ergo secundum Sanctum Augustinum prædestinatio est æterna gratiæ præparatio in Deo; gratia autem est temporalis effectus ab æterna prædestinatione proveniens.

30. Id ipsum ex Sancto Thoma apertè deducitur: nam 1.*part. quæst.* 23 *art.* 1. & 2. ait, quòd prædestinatio est pars providentiæ: unde sicut se habet providentia ad gubernationem generalem; ita prædestinatio ad specialem gubernationem ex gratia; sed secundum eundem Sanctissimum Præceptorem eadem 1.*part. quæst.* 22. *art.* 1. *ad* 2. providentia dicit causam, gubernatio effectum: ergo prædestinatio est causa, gratia autem erit ejus effectus. Qua ratione eadem 1. *part. quæst.* 23. *art.* 2. docet prædestinationem formaliter nihil ponere in prædestinatis; causaliter tamen ponere gratiam: igitur gratia est effectus prædestinationis secundum S. Thomam, & est quid in tempore datum: prædestinatio autem est æterna in mente prædestinantis præparatio gratiæ, ex qua sicut ex causa, gratia in tempore descendit.

31. Quod ut plenius intelligatur, præsupponere oportet ex Sancto 1.2.*quæst.* 110. *art.* 1. quòd gratia multipliciter dicitur; nam & dicitur gratia, amor, & benevolentia Dei; & dicitur gratia donum gratis datum ab illo amore procedens; recompensatio etiam pro beneficio accepto gratia vocatur. De ista tertia acceptione gratiæ modò non est agendum, sed de duabus prioribus quæ ad rem spectant. Prior potest dici gratia in conferente manens: Secunda gratia in eum transiens cui gratia fit. Sumpta ergo gratia in prima significatione, ut videlicet dicit Dei amorem, &

Digitized by Google

& benevolentiam gratuitam, non est effectus prædestinationis, nec de illa Sanctus Pater Augustinus, & Sanctus Thomas loquuntur allatis locis: etsi ipsa prædestinatio in hac acceptione gratia dici possit, & gratia sit; & similiter electio ad gloriam, atque dilectio: unde Sanctus Thomas citato nunc loco *ex 1. 2.* inquit. *Quandoque tamen gratia Dei dicitur ipsa æterna Dei dilectio secundum quod dicitur etiam gratia prædestinationis, in quantum Deus gratuitò, & non ex meritis aliquos prædestinavit, seu elegit: dicitur enim ad Ephes. 1. prædestinavit nos in adoptionem filiorum in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Ubi explicat Sanctus Thomas quod illa vox *gratia* in hoc testimonio allata: significat gratuitam benevolentiam, & amorem quo Deus prædestinavit.

32. Sumpta autem gratia in secunda acceptione, nempe ut dicit donum hominibus datum in eos transiens, sic est gratia illa, de qua Sanctus Augustinus, & D. Thomas in prioribus testimoniis allatis dixerunt, quòd est effectus prædestinationis: hæc enim gratia rectè distinguitur à prædestinatione, sicut effectus à causa, & sicut temporale ab æterno. Et de hac gratia loquitur Sanctus Thomas *1. p. q. 23. art. 2. ad 4.* cum inquit. *Quod gratia non ponitur in definitione prædestinationis, quasi aliquid existens de essentia ejus, sed in quantum prædestinatio importat respectum ad gratiam, ut causa ad effectum, & actus ad objectum.* Verùm gratia in hac acceptione, quæ & transiens appellatur, non solùm dicit gratiam in ipso prædestinato receptam sive illa sit auxilium gratiæ, sive ipsa gratia justificans, & perseverans (licet ista principalior gratia sit, & quæ magis per prædestinationem intenditur,) sed etiam dicit externa dona prædicationis, & orationis, & similium, quæ etiam gratuita Dei beneficia vocantur: sunt enim illa prædestinationis effectus, & illa etiam comprehendit Augustinus, cum dicit esse Dei beneficia, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur. Vnde Sanctus Thomas *1. p. q. 23. art. 7.* ait. *Quod sub ordine prædestinationis cadit, quidquid hominem præmovet in salutem, vel orationes propriæ vel aliorum vel alia bona, vel quidquid hujusmodi sine quibus aliquis salutem non consequitur.* Et *eodem art. 5.* præmiserat quidquid *est in homine ordinans ipsum in salutem, comprehenditur totum sub effectu prædestinationis, etiam ipsa præparatio ad gratiam:* & alibi docuit, *quòd Deus præordinat salutem alicujus hominis per orationes aliorum implendam.* Vbi orationes aliorum constituit effectum prædestinationis alicujus; sicut patet de oratione Stephani, quæ effectus fuit prædestinationis Pauli.

33. Dubitare autem quis poterit, an gratia in hac secunda acceptione usurpata pro beneficio à Deo transeunte, & hominibus in tempore dato (quæ est effectus prædestinationis) intelligatur solùm gratia creata, & finita; an etiam gratia infinita, & increata, utpote gratia unionis, quæ infinita est & increata: & similiter Spiritus Sanctus quatenus in propria persona justis cum dono gratiæ justificantis confertur; & essentia divina data beatis in ratione speciei intelligibilis, quæ etiam infinita gratia est.

34. Ad hoc dicendum videtur, quòd sicut justificatio, & gloria manifestè sunt prædestinationis effectus; ita illa quæ inseparabiliter cum illis conjunguntur, inter effectus prædestinationis debent nominari: unde quòd Spiritus Sanctus detur cum dono justificationis, & essentia divina cum lumine gloriæ, ad effectus prædestinationis pertinet. Præordinavit enim Deus ab æterno, & prædestinavit Spiritum Sanctum in propria persona justis dari; & essentiam divinam in ratione speciei intelligibilis uniri intellectibus beatorum: & sic etiam gratia increata, & infinita hominibus collata sub effectibus prædestinationis clauditur. Licet enim essentia divina, & Spiritus Sanctus non sint, nec esse possint effectus prædestinationis; tamen quod Spiritus Sanctus justis detur, & quod essentia divina intellectui beatorum uniatur, sub ordine prædestinationis comprehenditur.

35. De gratia autem unionis aliter dicendum videtur, quod illa non sit effectus prædestinationis nostræ; sed potiùs illius causa, & ut causa ordinetur ad nostram prædestinationem, sicut ad effectum. Sicut enim Christi Domini prædestinatio, nostræ prædestinationis causa est; ita & gratia unionis per unionem Verbi incarnati causa est prædestinationis nostræ; quia incarnatio Verbi terminus est prædestinationis Christi: unde sicut tota Christi prædestinatio est causa prædestinationis nostræ; ita & ejus incarnatio, quæ est gratia unionis infinita, causa nostræ prædestinationis existit; & ut talis fuit à Deo in nostram prædestinationem ordinata, cum ipsa sit verè causa totius effectus prædestinationis nostræ. Et ista sic brevissimè dicta sufficiant de comparatione prædestinationis, & gratiæ.

CAPUT IV.

De libro vitæ aliqua prænotantur.

36. DIFFUSE nimis quidam disputare solent de libro vitæ, & de comparatione ejus ad prædestinationem prolixæ quæstiones tractantur: sed nos sub brevitate, quæ de libro vitæ ad prædestinationem, & pleniorem illius intelligentiam conducere videbantur, expendentes, sequentia de libro vitæ consideranda proponimus.

37. Primò plurima esse Scripturæ divinæ testimonia quæ diversis vocibus librum exprimunt. Aliquando enim libri absolutè prolati mentionem faciunt, aliquando dicitur liber vitæ, liber vitæ agni, & in plurali quandoque mentio fit librorum viventium, librorum justorum, & librorum absolutè, & simpliciter prolatorum. Libri enim sic absolutè, & simpliciter, ac sine additione nominati traduntur. Daniel 7. *Judicium* (inquit) *sedit, & libri aperti sunt.* Et Apoc. 20. *Vidi thronum magnum, candidum, & super eum sedentem. ... & vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni.... & libri aperti sunt..... Et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris.* Porrò de libris justorum mentio habetur *Josue* 10. *Nonne Scriptum est hoc in libro justorum.* Librorum autem viventium, extat illud Psalm. 68. *deleantur de libro viventium &c.*

38. At liber in singulari, simpliciter, & absque aliqua additione prolatus exprimitur Psalm. 138. *Et in libro tuo omnes scribentur.* Daniel 12. *In illo tempore salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit in libro.* Exod. 32. *De libro quem scripsisti.* Et infra, *Qui peccaverit, delebo eum de libro meo.* Sæpiùs verò ponitur cum additione vitæ, Apocal. 20. *Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Et ibi præmiserat, *Et alius liber apertus est qui est liber vitæ* Et cap. 17. *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ.* Aliquando nominatur liber cum hac duplici additione, vitæ agni, Apoc. 13. *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni.* Et cap. 21. *Non intrabit in eam &c. nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni.* Dicitur etiam in Scripturis nomina electorum scripta esse in Cælis Lucæ 10. *Malorum autem in terra.* Hierem. 7. *Recedentes à te in terra scribentur.* Isaiæ etiam quarto dicitur, *Sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita in Hierusalem.* Et ad Hebr. 10. *Accessistis ad montem Sion, & Civitatem*

Dei

Digitized by Google

Dei viventis Hierusalem Cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in Cœlis.

39. Circa hanc verò librorum variam nominationem, varia etiam Doctores notant, sed ad brevitatem redacta: illud in primis supponendum, in omnibus citatis locis nomina librorum, vel libri, metaphoricam quandam importare significationem, nec in proprietate materiales libros significare, excepto uno solo illo Josué 10. In quo liber Scriptorum memoratur. Iste enim propriè, & in veritate liber quidam erat, in quo insignia facta illustrium personarum filiorum Israël scribebantur, cujus mentionem facit Burgensis ad illud citatum Exod. 32. licet talem librum ad illud testimonium non rectè accommodet.

40. Igitur per libros, vel librum in aliis inductis testimoniis, firmam ac certam notitiam aliquorum significat, sumpta metaphora eorum quæ in libro scribuntur. Quæ autem sit hæc certa notitia, sive memoria significata per libros absolutè, & simpliciter, ac sine additione prolatos, nec omnes conveniunt. Beda per hos libros non metaphoricos intelligit, sed libros proprios veteris, & novi testamenti. Hæc expositio satis potest illis locis accommodari, quia secundum regulas in libris utriusque testamenti traditas judicandi homines sunt, ut constat ex his quæ Sanctus Thomas docuit 1. *p. quæst.* 24. *art.* 1. *ad* 1. Vbi in quodam sensu vocat libros vitæ, libros veteris & novi testamenti. At Sanctus Pater Augustinus per hos libros intelligit ipsos Sanctos, & electos, qui ideò libri dicuntur, & in die judicij sunt aperiendi, quia in eorum vita sicut in libro apparebit, quid mali agere debebant; atque justissimè per eorum comparationem judicabuntur. Ita exponit Sanctus Doctor 20. *de Civit. cap.* 14.

41. Quamvis autem hæc Sancti Patris Augustini explicatio rejiciatur à Recentioribus, sicut minùs Scripturæ locis accommodata, ex eo quòd, ut aïunt, *Apocal.* 20. illi libri traduntur, quibus judicandi sunt mortui, ex his videlicet quæ in illis scripta sunt, id est ex cujuscunque operibus, quæ opera (ut dicunt) non sunt in Sanctis, & electis. Nihilominus tanti Patris sententia veneranda est, quia etiam rectè sustineri potest. Hæc enim Sanctus Doctor citato loco, vel alibi docuit solùm & præcisè judicandos esse homines ex his quæ in Sanctis, & electis inspicientur: imò in illo admisit alium librum, scilicet propriam cujusque conscientiam, in qua virtute divina omnia cujusque opera, ex quibus judicandi sunt, apparebunt. Solum ergo docuit quòd præter opera cujuscunque, quorum conscientiam quilibet habebit; etiam judicandi sunt per alios libros, videlicet Sanctos, & justos homines, in quorum bonis operibus, sicut in libro legere possint mali, qualiter & ipsi vivere debebant, ut pervenirent ad vitam. Et hanc explicationem Sancti Patris Augustini Sanctus Thomas acceptat *q.* 7. *de verit. art.* 1. *ad* 15.

42. Ratio autem utriusque acceptionis est, quia liber vitæ est in quo ipsa vita repræsentatur. Potest autem vita repræsentari per modum doctrinæ, quæ repræsentatio maximè pertinet ad auditum, & hoc modo liber vitæ dicitur in quo continetur doctrina de vita consequenda: & sic novum, & vetus testamentum liber vitæ dicitur. Potest etiam repræsentari vita per modum exemplaris; & ista repræsentatio pertinet ad visum, & sic liber vitæ dicuntur à Sancto Augustino Sancti utriusque testamenti; quia in eis sicut in exemplaribus possumus aspicere qualiter sit vivendum, ut perveniamus ad vitam æternam. Et hac ratione potissimè, Christus Dominus dicitur liber vitæ, ut Sanctus Thomas ait, tum citandis locis inferiùs, tum *quæst.* 7. *de verit. art.* 1. Vbi supradictam doctrinam tradit. Verum est quòd non agimus de libro vitæ in illa acceptione. Vnde Sanctus Thomas *in* 3. *dist.* 31. *art.* 2. *ad* 1. inquit, *quod vetus, & novum testamentum dicitur liber vitæ, quasi tradens cognitionem de vita universali; non tamen tradit notitiam de vita uniuscujusque; & ideò aliquo modo dici potest liber vitæ, sed non secundum completam rationem.*

43. Alij per illos libros *Apocal.* 20. intelligunt proprias omnium judicandorum conscientias, in quibus virtute divina homines legent, & unusquisque in sua, omnia quæ gessit in vita. Iuxta illud Rom. 2. *Testimonium reddente ipsis conscientia ipsorum.* In hanc explicationem inclinat Sanctus Hieronymus ad *cap.* 7. *Danielis.* Et videtur satis commoda. Quamvis enim hoc magis sit de novo libros scribere, vel de nouo in conscientiis hominum legenda imprimere, quam libros aperire, tamen in hoc tenet libri metaphora, quod licet de novo opera omnia in cujuscumque conscientia imprimantur, ideò tamen imprimuntur, ut aperiantur, ut manifesta fiant quod satis sufficit, ut salvetur, quod ibi tunc libri aperientur.

45. Potest etiam optimè significari per libros illos in plurali nominatos, firma & stabilis notitia, qua in divina mente indelebiliter cujuscunque opera per quæ judicandus est quasi conscripta manent: & hæc firma Dei notitia sicut propter plura quæ respicit, libri in plurali nominatur, ita & *unus liber* dici potest propter unam simplicissimam notitiam Dei ut patet ex illo citato Psalmi 138. *Et in libro tuo omnes scribentur.* Vbi omnes homines dicuntur scripti in illo uno Dei libro, ac firma, & certa omnium notitia, omnes, inquam, homines cum omnibus operibus suis.

46. Has omnes expositiones Sanctus Thomas tradit, aliquas 1. *p. quæst.* 24. *art.* 1. *ad* 1. alias *in* 4. *dist.* 43. *art.* 5. *quæst.* 1. Per libros enim aliquando intelligit libros novi & veteris testamenti, aliquando conscientias singulorum, aliquando vim divinam ostendentem omnia, qua cuilibet nota fiunt facta.

47. Sed contra hanc ultimam explicationem occurrit difficultas, quia ex ea videtur concludi libros duos esse in divina mente distinguendos, alterum vitæ, alterum mortis: primum in quo electi cum suis bonis operibus scripti sunt: alterum in quo reprobi cum malis operibus suis exprimuntur; sicut est duplex certa Dei notitia, alia prædestinatorum, alia reproborum.

48. Ad quod dicendum, quòd si rem attendamus significatam per hos libros, non dubium quin sit in Deo certa ac firma speculativa notitia atque præscientia reproborum, & omnium eorum malorum operum. Cæterum quoad metaphoram libri, an illa Dei præscientia certa reproborum, & malorum eorum operum sit dicendus liber mortis non est una sententia. Sanctus Hieronymus super Daniel 7. librum quidem mortis admittit, at non in Deo, sed in diabolo accusatore: Sanctus autem Basilius Isaïæ 4. librum mortis in Deo videtur admittere. Consentit & Nazianz. oratione 9. ad Julianum: Euthimius etiam ad id Psalm. 68. *in libro tuo omnes scribentur.*

49. Nihilominus cum Sancto Hieronymo, & Sancto Thoma 1. *p. quæst.* 24. *art.* 2. *ad* 3. dicendum, specialem librum mortis in Deo non esse: nunquam enim inveniemus in Scriptura aut nomen libri absolutè positum, pro præscientia reproborum specialiter sumi; aut cum aliquo particulari addito poni ad specialem librum mortis significandum, ut Sanctus Thomas docet

Digitized by Google

docet ubi supra; cujus & ratio aptissima est. Metaphora enim libri non ita malorum & reproborum præscientiæ accomodatur, sicut præscientiæ bonorum & electorum; quia licet scribi in libro soleant, qui eliguntur ad militiam, vel rempublicam: non tamen solet confici liber pro eis qui ad militiam, vel rempublicam non admittuntur.

50. Quod si dicatur, etiam ad rectam gubernationem pertinere, ut non solùm catgalogus fiat eorum, qui digni sunt præmio, sed eorum qui pœna digni sunt. Ad hoc respondetur ex Sancto Thoma *quæst. 7. de verit. art. 3.* quod aliqua conscribuntur in libro ut perpetuò in notitia maneant; illi autem qui puniuntur per pœnas ipsas exterminantur à notitia hominum, & ideò non conscribuntur nisi forte ad tempus, quousquæ eis pœna infligatur. Sed illi qui deputantur ad dignitates, & præmia, conscribuntur simpliciter, ut quasi in perpetua memoria habeantur: unde non est eadem ratio, & sic nec memoria reproborum est liber mortis, quia deficit fundamentum hujus metaphoræ ratione dicta. Accedit quod modus loquendi scripturæ potiùs asserit Deum illos nescire, juxta illud *nescio vos.* Dicuntur etiam scribi in terra, atque deleri potius de libro, quàm in illo scribi. Juxta illud *Delebo eos de libro meo*: ob quam etiam causam specialem librum mortis in Deo non admittimus. Et adhuc est optima ratio differentiæ: nam de eo quod scribitur in libro habet quis specialem & privilegiatam notitiam præ aliis: de malis autem habet Deus generalem quandam notitiam: de bonis autem habet specialem notitiam approbationis: & ideò boni habent aliquam privilegiatam cognitionem in Deo præ aliis, ratione cujus in libro conscribi dicuntur, non autem mali; & sic non dicitur liber mortis, sicut dicitur liber vitæ: & hæc est expressa S. Thomæ doctrina *quæst. 7. de verit. art. 8.*

51. Solùm contra hoc obstare videtur illud Apocal. 20. *Et libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ.* Cum enim enim ibi liber vitæ distinguatur ab aliis libris, concludendum videtur quod in illis aliis electi non contineantur, sed tantum reprobi; & quod ex consequenti ibi specialiter deputentur libri illi pro reprobis: qua ratione sine dubio dicendi erunt libri mortis.

52. Verùm ad hoc respondendum quod secundum tres priores explicationes supra relatas, interpretantium libros illos in plurali positos; vel libros veteris & novi testamenti; vel Sanctos & electos; vel proprias judicandorũ conscientias: quæ tres explicationes secundum magis & minùs, ut præmisimus, illis testimoniis possunt adaptari, nulla prorsus in argumento posito difficultas est: quia præter hos libros, datur sine dubio alius liber vitæ qui electorum, & prædestinatorum proprius est: & quia ex prædictis explicationibus, altera est S. P. Augustini; altera S. Hieronymi securè quisque & facile potest respondere, & omnia coaptare. At stante quarta, & ultima intelligentia librorum supra assignata; quòd per libros in plurali, vel per librum in quo generaliter omnes dicuntur scripti, intelligatur firma & stabilis Dei notitia omnium, tam electorum quàm reproborum; & omnium eorum, tam bonorum quàm malorum operum, magis argumentum premit. Vnde quidam ex recentioribus asserit per librum vitæ ibi denotari librum electorum, id est personarum solùm, quę per electionem ante formalem prædestinationem electæ & conscriptæ sunt. Putat enim quòd antequam prædestinentur electi ut per talia opera electionem consequantur, immediatè post electionem scripti sunt, & iste sit liber vitæ. Libri autem alij contra quos ille distinguitur, sint libri operum omnium, tam electorum, quàm reproborum.

53. Cæterum minùs hoc placet. Primò, quia ut infra explicaturi sumus, secundum Sanctum Patrem Augustinum in libro vitæ necdum electorum personæ, sed omnia beneficia Dei & omnia bona opera ex Deo data, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur, scribuntur: & sic liber vitæ est etiam operum prædestinatorum. Et ratio id satis suadet, quia sicut bona opera electorum prædestinata sunt, ita & in libro vitæ (qui ut diximus ad prædestinationem attinet) conscribi debent. Præterea non videtur congruè dictum, quòd ad eosdem libros pertineant, & reproborum opera, & illa quæ sunt propria prædestinatorum, & quæ sunt effectus prædestinationis eorum. Insuper, quia ipsemet Author citato loco fatetur quòd liber vitæ perfectus, atque complectus post prædestinationem formalem est; quia prædestinatio, ut ait, objectum libri vitæ constituit: igitur licet illa præscientia quæ immediatè sequitur ad electionem ad gloriam secundum hoc vocari possit liber vitæ intiativè, seu inchoativè, non tamen esset liber vitæ completus atque perfectus: cum autem Sancti Patres loquuntur de libro vitæ sine dubio de hoc perfecto, atque completo loquuntur: Et liber vitæ absolutè & simpliciter prolatus, completum significat; & ex consequenti liber vitæ absolutè & simpliciter prolatus prædestinationem supponit; & non solum personas electas, sed etiam media prædestinationis, & opera quæ ex prædestinatione fiunt, comprehendit.

54. Quod si oponatur ex sancto Thoma *in 1. dist. 40. quæst. 1 art. 2. ad 5.* dicente *quod liber vitæ est tantum cognitio gratiæ vel gloriæ; sed prædestinatio est non tantùm gratiæ, sed gratiæ simul & gloriæ* Ergo liber vitæ qui est simpliciter talis non est personarum, & meritorum simul; sed est electorum solùm ad gloriam: liber verò vitæ secundum quid erit tantùm gratiæ ut ibi tradit sanctissimus Præceptor.

55. Ad hoc dicitur quòd ibi, in hoc ponit differentiam inter prædestinationem, & librum vitæ, quòd liber potest esse solius gratiæ; at prædestinatio semper est & gratiæ, & gloriæ: non autem intendit quod liber vitæ qui est gloriæ, non sit etiam gratiæ: & ista videtur ejus intentio ibi in eodem loco in dist. eadem *q. 3. art. 1. ad 3.* ait enim, *quod prædestinatio est liber vitæ secundum quod dicitur in eo aliquid scribi, non solùm quantùm ad præsentem justitiam, sed etiam quantum ad futuram gloriam*: Ergo liber vitæ est utriusque, & gratiæ, & gloriæ. Et eodem modo intelligitur *in quæst. 7. de verit. art. 7.* dum in fine corporis concludit. *Quod liber vitæ non respicit simpliciter vitam gratiæ, sed gloriæ tantum.* Per quam exclusivam præcludit gratiam datam secundum præsentem justitiam, non autem gratiam quæ est effectus prædestinationis; ita quod sit sensus quòd liber vitæ est tantùm gloriæ, & mediorum quæ ducunt infallibiliter in ipsam; non autem est gratiæ datæ secundum præsentem justitiam. Et quod ista sit ibi ejus intentio, patet; quia in secundo argumento ita opponit. *Liber vitæ est quædam prædestinationis conscriptio; sed prædestinatio est communiter præparatio gratiæ, & gloriæ: ergo & liber vitæ utramque vitam communiter respicit.* Cui ita respondet. *Ad secundum dicendum quod prædestinatio non respicit gratiam, nisi secundum quod ordinatur ad gloriam: unde esse prædestinatum non convenit nisi his, qui habent finalem gratiam, quam sequitur gloria.* Quibus, argumento respondet, quod etiam liber vitæ qui sequitur ad prædestinationem includit gratiam, secundum quod ordinatur ad gloriam: & sic liber vitæ, & gloriam attendit quæ est finis, & media quibus acquiritur. Ex quo testimonio manifestè confirmatur quod supra diximus supra, non dari prædestinationem ad solam gratiam, quam reprobi in tempore habent:

Digitized by Google

cum Sanctus Thomas id relatis nunc verbis tradat expresse.

56. Vnde dicendum videtur quod per libros in illo citato Apocal. testimonio intelligitur firma, & certa Dei notitia, & reproborum & operum ipsorum sive bonorum, sive malorum; & etiam opera illa facta à prædestinatis, quæ non sunt effectus, nec media prædestinationis eorum, sicut sunt peccata, & bona opera sive naturalia sive moralia, quę tamen nullo modo, nec indirectè ad eorum prædestinationem pertineant: omnia enim hęc generaliter possunt dici libri; nec ratione eorum denominatur liber mortis; tum quia bona opera naturalia & moralia, bona cum sint in suo genere, ad mortem non deducunt; tum quia etiam bona opera multorum reproborũ, facta ex gratia opera mortis non sunt. Et ratio persuadet. Nam in verè & propriè libro vitæ solùm prædestinatio, & effectus, seu media prædestinationis scribuntur, ut patet ex illo Sãcti Augustini, *Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Ergo alia opera eorum quæ nullo modo ad prædestinationem attinent, in alia firma Dei notitia & in aliis libris debent scribi: ergo cum communia sint etiam reprobis, in illis aliis libris cum reproborum operibus debent reponi.

57. Scio per librum vitæ condistinctum contra libros in illo loco Apocal. intelligere S.P. Augustinum librum vitæ cujuscunque, quia exemplaria quæ suo tempore circunferebantur, sic habebant. *Libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ cujuscunque;* juxta quam lectionem necessaria erat Sancti Patris Augustini expositio; sed tunc per talem librum non intelligebatur ille, qui absolutè & antonomasticè dicitur liber vitę; quia iste solus prædestinatorum est, id testante Scriptura, ille autem alius communis est omnibus. At quia in correctioribus exemplaribus nostris, quæ sequi debemus juxta præceptum Tridentini Concilij, illa particula *cujuscunque* non extat; nec explicatio, quę in illa fundabatur necessaria est; ob reverentiam tamen quæ magna Sancto Patri Augustino debetur, potest etiam modò explicari juxta Sancti Thomæ sententiã *in* 4. *dist.* 43. *art.* 5. Vbi per libros apertos, vel aperiendos in die judicij intelligit secundum Sanctum Augustinum *Sanctos novi, & veteris testamenti in quibus Deus ostendit, qua mandata fieri jussisset: sed per librum vitæ de quo subjungitur, intelliguntur conscientia singulorum, quæ dicuntur singulariter liber unus; quia una virtute divina fiet, ut cunctis ad memoriam sua facta revocentur..... vel per primos libros, conscientia intelliguntur, per secundum autem sententia judicis in ejus providentia descripta.* Hæc Sanctus Thomas. Vbi in utraque expositione librum vitę non sumit, sicut de Sancto Augustino diximus, pro eo, qui propriè est liber vitę, iste enim prædestinatorum est solus, ut cap. seq. plenius explicabitur.

58. Consonat, quod docet S. Thomas *in* 3. *dist.* 31. *art.* 2. *quæst.* 1. ubi docet. *Quod quamvis Deus habeat notitiam de vita naturæ, & gratiæ, & gloriæ undè respectu cujuslibet dictarum vitarum possit dici Dei notitia liber vitæ: Tamen perfecta ratio vitæ non invenitur nisi in vita gloriæ, quæ permixtionem mortis non patitur: & ideò liber vitæ secundum sui propriam acceptionem, est notitia Dei quam habet de vita gloriæ cujuscunque.* Hæc S. Thomas, non ergo liber ille signatus à S. P. Augustino est ille liber vitæ qui simpliciter dicitur talis; sed est liber vitæ secundum quid, prout istis ultimis verbis Sanctus Thomas exponit.

59. Similiter 1. p. q. 24. art. 1. dicit ad 1. *Quod liber vitæ potest dici dupliciter uno modo conscriptio eorum, qui sunt electi ad vitam, & sic loquimur nunc de libro vitæ. Alio modo potest dici liber vitæ conscriptio eorum, quæ ducunt in vitam, & hoc dupliciter, vel sicut agendorum, & sic novum, & vetus testamentum dicitur liber vitæ; vel sicut factorum, & sic illa vis divina, qua fiet, ut cuilibet in mentem reducantur facta sua, dicitur liber vitæ: sicut etiam liber militiæ potest dici, vel in quo scribuntur electi ad militiam, vel in quo traditur ars militaris, vel in quo recitantur facta militum.* Et addit. *Vnde patet solutio ad secundum.* Cum autem in secundo argumento opponeret ex S. Augustino citato loco de Civitate Dei, quod liber vitæ sit quædam vis divina, qua fiat ut unicuique opera sua bona, vel mala in memoriam reducantur, constat explicasse S. Augustinum, eo sensu quòd loquatur de libro vitæ in hac ultima acceptione; non autem in illa prima, quæ de libro vitæ simpliciter, & absolutè prolato procedit. Vbi etiam constat, quòd non solùm loquitur de operibus bonis, quæ conducunt in vitam; sed etiam quòd intelligat mala opera ibi scribi, licet principaliter bona scribantur: Vndè cum ait, quòd in hoc libro scribuntur ea, quæ conducunt in vitam, intelligi debet principaliter, non autem quòd alia omnino excludat, cum constet quod illa includat in fine solutionis: sicut in libro militiæ non solùm bona opera militis, sed defectuosa notari solent. Parique ratione loquitur in hac acceptione generaliter de militia, quæ omnibus communis est & bonis, & malis, de omnibus enim dicitur, *quod militia est vita hominis super terram:* nam de illa particulari militia, qua electi scribuntur, sermonem facit in prima acceptione libri vitæ, quam statim à principio solutionis statuit. Sic ergo veneranda est S.P. Augustini sententia, juxta Sancti Thomæ explicationem, & non statim rejicienda sicut non conformis Scripturæ, sicut rejicit ille relatus modernus author citato loco.

60. Advertendum præterea, quod Christus Dominus etiam dicitur liber Dei, sic enim S. Thomas exponit illud Psalmi 39. *In capite libri scriptum est de me,* sic dicens *liber Christus est. Liber est instrumentum in quo sunt conceptiones cordis: In Christo autem sunt conceptiones intellectus divini Coloss. 2. In ipso sunt omnes Thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi &c.* Ubi etiam alias duas explicationes adhibet ad præfatum Psalmi testimonium, quod videlicet intelligatur de libro vitæ, & etiam de libro Psalmorum. In capite enim libri vitæ, qui prædestinatorum est, primò scriptum est de Christo primo omnium prædestinatorum, per quem & cæteri prædestinati sunt: & in capite primi Psalmi etiam de Christo mentio fit. Juxta autem primam explicationem, qua Christus dicitur liber in voluntate Patris, scriptus est Christus ut veniret, quia caput Christi Deus. Et *ad Hebr.* 10. *lect.* 1. inquit *In capite libri scriptum est de me. Iste liber est Christus secundum humanam naturam, in quo scripta sunt omnia necessaria homini ad salutem* Esay. 8. *Sume tibi librum grandem. Caput autem Christi est Deus* 1. Cor. 11. *In capite libri, id est in ordinatione Dei, qui est caput Christi, qui est liber: scriptum est, quod filius Dei incarnari deberet, & mori.* Et *q.* 7. *de verit. art.* 1. Christum dicit librum vitæ, quia in ipso, sicut in exemplari legere possumus, & intueri debemus qualiter sit vivendum, ut ad vitam perveniamus æternam. Qua etiam ratione S. Gregor. citatus à Sancto Thoma *cit. q.* 7. *de verit. art.* 1. Christum vocat librum vitæ, & gloss. super illud Apoc. 20. *Alius liber apertus est, qui est liber vitæ.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPUT V.

De comparatione prædestinationis ad librum vitæ.

61. PRIVSQVAM de hac comparatione tractemus, illud est prænotandum librum vitæ per omnes has voces liber viventium, liber vitæ, liber vitæ agni, imo per illas Exod. 32. dele me de libro quem scripsisti, significari. Dicitur enim liber viventium ob plures, qui ad vitam scribuntur; sicut dicitur terra viventium: dicitur & liber vitæ, quia ad illam unam æternam vitam electi sunt: dicitur liber vitæ agni, quia per Chtistum Dei agnum, & ejus merita ad illam æternam vitam omnes perveniunt: dicitur liber Dei & à Deo peculiariter scriptus, quia sua specialissima misericordia, & gratia electi conscripti sunt in eo, quos divina misericordia præparavit in gloriam. De illis prioribus vocibus, liber viventium, liber vitæ, liber vitæ agni, nulla potest oriri difficultas, quin specialem electorum, & prædestinatorum librum significent. De eo verò quod dicitur Exod. 32. *Dele me de libro quem scripsisti*; aliqua potest esse difficultas; quidam enim intelligunt librum justorum de quo supra, sed non rectè; cum adhuc ille liber nec scriptus tunc esset, nec specialiter ille dicatur scriptus à Deo: alij probabiliter exponunt librum quidem in mente Dei, sed non electorum ad gloriam, sed in quo Deus apud se præordinaverat futuros duces, & principes in illo populo, de quorum numero desiderabat Moyses deleri, nisi populo Deus indulgeret; quod probabiliter potest defendi. Quia tamen S. P. Augustinus *quæst.* 147. *in Exodum* illum intelligit esse librum vitæ; ideò asserimus per has voces rectè librum vitæ significari, quem Deus specialissimè pro electis conscripsit: de sensu autem illius, *Aut dele me de libro vitæ*, in hac significatione, consule S. Augustinum ubi supra, & S. Thomam, ac Doctores alios. S.P. & Doctor Augustinus ita exponit. *Et nunc siquidem remittis illis peccatum illorum, remitte; sin autem, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Securus quidem hoc dixit, ut à consequentibus ratiocinatio concludatur, id est, ut quia Deus Moysem non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret.*

62. Nunc advertendum ex D. Thoma 1. *p. q.* 24. *art.* 1. per illam vocem *vitæ* cum dicitur liber vitæ potissimè denotari æternam vitam ad quam scribuntur electi, quasi dicatur liber eorum, qui ad æternam vitam scripti sunt; sicut liber militiæ dicitur, in quo ad militiam electi scribuntur. Potest etiam significari per vocem illam *vitæ* ipsa Dei essentia, quæ vita est per essentiam, ut denotetur quòd in essentia Dei, quæ æterna vita est, specialiter scribantur electi. Quæ significatio licet non ita propria sit ac prima, non tamen video ex illa sequi magnum illud inconveniens, quod modernus ille Author deducit, hanc explicationem reprobando; quòd videlicet etiam ipsi reprobi tunc dicerentur scribi in libro vitæ, cum etiam ipsi in essentia Dei scripti inveniantur. Hoc namque fundamentum adeò debile est, ut ex eodem authore efficaciter diluatur. Concedit namque &ipse, quod illud Luc. 10. *Gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cælis*, sic intelligitur, ut Cælorum nomine ipsa divina essentia significetur, seu nominando contentum à continente, seu designando Chartam illius Scripturæ. Si ergo de solis electis, & prædestinatis, de quibus apertè ille locus procedit, dicitur quòd sint scripti in Dei essentia, ut fatetur iste author, nec ex hoc licet colligere, id esse ad reprobos extendendum (cum illo particulari modo in cælis & Dei essentia scripti non inveniantur.) Quid prohibet, ut liber vitæ designet ipsam essentiam Dei, quæ summa vita est, & fons totius vitæ, tanquam Charta scriptionis electorum, absque eo quod ad reprobos extendatur, propter specialissimum modum quo ibi scribuntur electi? Planè hoc inconveniens non sequitur nec propter illud rejicienda est prædicta explicatio; licet prior multo magis nobis placeat, ut diximus, sicut & S. Thomæ: quamvis hanc etiam intelligentiam idem Sanctissimus præceptor tradat *in* 1. *dist.* 40. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 5. ita dicens. *Cum ergo dicitur liber vitæ in Deo; potest sumi vita, vel ex parte Dei intelligentis; & sic præscientia creaturarum dicitur liber vitæ; quia quod factum est, in ipso vita erat.*

63. His præhabitis dicendum est, librum vitæ absolutè prolatum, & antonomasticè sumptum, actum divini intellectus significare; quod & Sancti Patres, & Scholastici Doctores sine contradictione recipiunt. Plura ex Sancto Patre Augustino testimonia ad hoc inducenda sunt infra. Vnde S. Thomas 1. *p. q.* 24. *art.* 1. ait *quod ipsa Dei notitia, qua firmiter retinet se aliquos prædestinasse ad vitam æternam, dicitur liber vitæ*, Et sic cathologus omnium salvandorum, in mente, seu notitia Dei scriptus, dicitur liber vitæ: ex quo autem desumatur ista metaphora libri exponit S. Thom. citato loco, quod & omnibus notum est. Sed clarius *in* 1. *dist.* 40. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 5. dicens. *Ad quintum dicendum quod liber vitæ metaphoricè dicitur, sicut enim in libro aliquid scribitur, ex quo in eo veritas rei intelligitur; ita etiam in intellectu describuntur similitudines rerum per quas res cognoscuntur; unde intellectus possibilis ante intelligere, comparatur tabulæ, in qua nihil est scriptum in tertio de anima* eandem metaphoricam locutionem eodem modo exponit *in* 3. *dist.* 31. *q.* 1. *art.* 2.

64. Dicendum secundò per librum vitæ significari notitiam Dei quasi speculativam, seu intuitionem salvandorum; quia nomine libri, hæc speculativa cognitio significatur, & cathalogus salvandorum hoc planè denotat. Hæc etiam Theologorum communis sententia est.

65. Dicendum tertiò firmam hanc Dei speculativam intuitionem, seu librum vitæ immediatè sequi ad actum prædestinationis. Hæc doctrina plana sententia S. P. Augustini est in citandis nunc locis, quæ ut commodiùs simul expendantur, inferiùs inducentur. Est etiam manifesta Sancti Thomæ 1. *p. quæst.* 24. *art.* 1. & 2. In primis enim in corpore ait, librum vitæ esse firmam Dei notitiam, qua retinet se aliquos prædestinasse in vitam æternam: ergo sequitur ad prædestinationem liber vitæ, & illam supponit. Et solutione *ad quartum* clarè dicit, quòd secundum rationem differt liber vitæ à prædestinatione, importat enim notitiam prædestinationis. Idem dicit in *art.* 3. inquiens, quod liber vitæ est conscriptio ordinatorum ex prædestinatione in vitam æternam: ergo liber vitæ ratione à prædestinatione distinguitur, & illam præsupponit, quia prædestinatio ipsa constituit libro vitæ objectum illius. Idem dicit *quæst.* 7. *de verit. art.* 4. dicens quod liber vitæ nihil est aliud, quàm quædam conscriptio divinæ prædestinationis in mente divina, qua Deus cognoscit se prædestinasse aliquos. Et *solut. ad tertium* ait, quod liber vitæ non est prædestinatio, sed prædestinationis cognitio, qua Deus se aliquos prædestinasse cognoscit. Distinguitur quidem ratione à prædestinatione secundum omnium sententiam; nam qui ponunt prædestinationem in actu voluntatis, manifestè dicunt librum vitæ qui actus intellectus est ab illa distingui, & illam præsupponere: in veriori autem sententia Sancti Thomæ supra relata statuente formalem

Digitized by Google

malem prædestinationem in actu intellectus divini, ratione distinguitur ab illa liber vitæ, quia prædestinatio est actus practicus divini intellectus ordinans electos in vitam æternam per certa media: liber verò vitæ, ut dictum est modò, est talium ordinatorum forma, conscriptio, & certa Dei intuitio; unde distinguntur, quia liber vitæ ex sua ratione nullam causalitatem importat respectu eorum, quorum dicitur liber; prædestinatio autem causalitatem dicit, ut notum est: item distinguntur quia prædestinatio ratione præcedit, sicut constituens objectum libri vitæ; liber autem vitæ consequitur, intuens & in mente Dei firmiter scribens quod prædestinatum est, infallibiliter esse salvandum.

66. Ex quo deducitur, quòd prædestinatio, & liber vitæ propriè, & absolutè de ipso loquendo, in omnibus adæquantur, nec magis, vel in minus se extendit unum, quàm alterum; ita quòd personæ omnes, quæ in libro vitæ scriptæ sunt, prædestinatæ sint; & omnes, quæ sunt præordinatæ, in libro vitæ sint scriptæ, ut ex dictis sit manifestum. Dixi id esse intelligendum si sumatur liber vitæ propriè; nam sumptus in lata magis significatione pro libro vitæ solius gratiæ, non gloriæ, medius est inter præscientiam communiter dictam, & prædestinationem, ut docet S. Thomas *in 1. dist. 4. quæst. 1. art. 2. ad 5.* quia, ut ibi dicit, præscientia est communiter omnium; sed liber vitæ in hac significatione est tantùm cognitio gratiæ: at prædestinatio est non tantùm gratiæ, sed gratiæ simul, & gloriæ: unde nullus dicitur prædestinatus quantum ad præsentem iustitiam, sicut dicitur scriptus in libro vitæ, in ampla illa acceptione.

67. Quod si opponas ex Sancto Thoma ibi, quòd liber vitæ in sua tota latitudine, vel est tantum gratiæ, vel est tantum gloriæ, prædestinatio autem est utriusque, ut dictum est modò: ergo liber vitæ etiam sumptus pro libro ad vitam gloriæ, non adæquatur prædestinationi; & sic liber vitæ, ut est propriè electorum non adæquatur prædestinationi. Ad hoc respondetur quòd ibi S. Thomas ex ea solùm parte qua liber vitæ potest esse solius gratiæ, docuit, quòd non est adæquatus prædestinationi, quæ non potest esse solius gratiæ: at liber vitæ, ut est electorum & gloriæ, non dicit, quod sit solius gloriæ, & non gratiæ; nec quod excedatur à prædestinatione; & sic debet intelligi in hoc testimonio, ut patet ex aliis ex 1. *part* supra inductis: vel loquitur S. Doctor de libro vitæ initiativè, non completo, ut dictum est præcedenti cap; ut sic enim solùm electorum ad gloriam est, non gratiæ & meritorum, ut præmisimus.

68. In tantùm autem adæquantur, & conjuncta sunt prædestinatio, & liber vitæ electorum, ut aliquando apud Sanctum Augustinum unum pro alio usurpetur, unde 20. *De Civit. cap. 15.* ait. *Non Deum liber iste commemorat, ne oblivione fallatur; sed prædestinationem significat eorum, quibus æterna dàbitur vita.* Et libro de dono persev. cap. 14. *Prædestinatio est scientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur;* Vbi præscientiam beneficiorum Dei, ab ipso videlicet præparatorum, in definitione prædestinationis ponit; de qua definitione infra copiosius dicturi sumus. Nunc sufficiat advertere, quòd in utroque citato testimonio librum vitæ, sive certam salvandorum & beneficiorum Dei præscientiam, & intuitionem, vel prædestinationem dicit, vel in definitione prædestinationis constituit. Et hoc, ut diximus, propter maximam adæquationem & conjunctionem utriusque; licet revera ad invicem distinguantur, ut ex Sancto Thoma dictum est modò; quod nec S. P. Augustinum latuit, id enim non semel expressit, ut constabit inferiùs. Et nunc unum solum ejus testimonium inducamus, ubi hoc apertè exponit; & qua ratione dixerit librum vitæ & salvandorum firmam notitiam, esse prædestinationem, manifestè declarat in primo ex citatis locis, ubi sic ait *Neque enim nescit eos Deus, & in hoc libro legit ut sciat, sed potius ipsa ejus præscientia de illis* (id est prædestinatis) *qua fulli non potest liber vitæ est.* Manifestum est ergo in Sancto Augustino librum vitæ esse illam certam præscientiam, quam Deus habet de prædestinatis, quæ proinde & prædestinationem supponit, & ratione ab illa distinguitur, ut ex Sancto Thoma ostensum est. Manifestum est etiam, quòd hanc præscientiam vocat prædestinationem, vel in illius definitione ponit, tanquam aliquid ad illam immediatè secutum, & cum illa inseparabiliter, & adæquatè conjunctum; quod non est obiter advertendum pro infra dicendis. Manifestum est præterea librum vitæ secundum Augustinum esse actum divini intellectus certò intuentis, & præscientis, quòd tales personæ salvandæ sunt, sicut ex S. Thoma deduximus. Manifestum est tandem, tum ex Sancto Augustino signanter in illo loco de dono perseverantiæ cap. 14. tum ex Sancto Thoma allatis testimoniis, id quod præcedenti capite præmisimus, librum vitæ non solum electorum esse, & personarum (licet harum principalius sit) sed etiam omnium effectuum, & mediorum prædestinationis. Hoc enim illa verba Sancti Augustini inducta apertè declarant cum inquit, *Quod prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*, & illa alia nunc ultimo loco citata. Quibus docet librum vitæ esse certam Dei notitiam, quòd prædestinati salvabuntur. Parique ratione omnia inducta ex Sancto Thoma testimonia id ostendunt manifestè, quibus perpetuò docet librum vitæ ratione distingui à prædestinatione, & illam supponere: prædestinatio autem non solum personam respicit, sed & media includit per quæ quis efficaciter in finem præordinatur: ergo liber vitæ non tantùm est personarum, sed etiam mediorum, quibus electi vitam æternam sunt consecuturi. Vnde cum sæpè S. Augustinus, & D. Thomas docent librum vitæ esse electorum, & personarum, ut patet ex S. Thomas 1. part. quæst. 24. art. 1. ad 1. per hoc non excludunt, quin etiam sit operum ex prædestinatione procedentium, quibus electus ordinatur in finem; sed asserunt, id quod principaliter liber vitæ attendit, esse personas electas. Quare in aliis locis, ut visum est modò, opera etiam & media prædestinationis in libro vitæ includunt, cum dicunt, quòd ratione distinguitur à prædestinatione, & quod illam supponit. Quod adeò est manifestum, ut etiam præcedenti capite citatus Author, asserens librum vitæ esse personarum non operum, ineodem loco affirmet, quod liber vitæ perfectus & completus supponat prædestinationem, ut constituentem objectum ejus ut præcedenti cap. ex illo retulimus; quæ si cum aliis ejus dictis componantur, hæc ejus sententia videtur, quòd liber vitæ qui est solum personarum, sit liber vitæ incompletus, & minus perfectus: perfectus autem sit & completus ille, qui est personarum, & mediorum prædestinationis. Licet ergo liber vitæ quodammodo inchoetur in illa certa præscientia quæ sequitur immediatè post electionem ad gloriam tantùm; completus tamen liber vitæ cum prædestinationem ipsam supponat, non solùm gloriam sed & opera, quæ prædestinatione fiunt comprehendit, sicut supra dictum est.

69. Unum supereſt, ut hanc materiam de libro vitæ concludamus. Quomodo stent hæc duo simul; & quod

Digitized by Google

quod infallibilis, certa, ac firma sit illa notitia Dei quæ liber vitæ dicitur; & ex alia parte aliqui dicantur deleri de libro vitæ, juxta illud, *Delebo eos de libro meo*; & illud, *deleantur de libro viventium*; Et illud *Qui vicerit sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ.* Qui enim in libro vitæ indelebiliter scripti sunt, quomodo indè possunt deleri?

70. Ad hoc prima est expositio aliquorum ad 3. cap. Apocal. phrasim esse Scripturæ, negationem per modum affirmationis explicare; sicut dicitur Deus odio habere quos non diligit: & sic delere de libro vitæ, nihil aliud erit quàm non scribi in illo; undè sensus erit deleantur de libro viventium, id est non scribantur: quare, & illud quod præmiserat explicans addidit, & cum justis non scribantur: sensus ergo illius Apocal. erit, qui vicerit sic vestietur, & non delebo nomen ejus de libro vitæ, id est consequetur vitam ad quam est prædestinatus: nec ex ha promissione aliud habetur, nisi quòd firma Dei prædestinatio, & certus & infallibilis liber vitæ quoad executionem impletur operibus nostris ex efficaci Dei gratia procedentibus: sicut est illud. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Non enim his verbis incertitudo aliqua prædestinationis denotatur, sed tantùm quod prædestinationis effectus certò impletur ex operibus factis in gratia, ut S. Thom. exponit 1. *p. quæst.* 23. *art.* 8.

71. Alia expositio est S.P. Augustini *Psalm.* 68. quod verbum, delere de libro vitæ significet, non quod deleantur reipsa de libro vitæ, sed quòd deleantur secundum hominum opinionem, qui ibi vel sperabant, vel putabant esse scriptos, & postea intelligunt se ibi scriptos non fuisse. Eodem modo exponit Ambros. Apoc. 3. Rupertus lib. 4. in exod. cap. 29. cujus explicationis mentionem facit S. Thomas 1. *p. quæst.* 24. *art.* 3. Contra illam tamen opponit. Quòd in Scriptura non deleri de lib. vitæ ponitur inter præmia justorum juxta illud Apoc. 3. non delebo nomen ejus de libro vitæ: quod autem sanctis promittitur, non est solum in hominum opinione; unde potest inquit dici quod deleri vel non deleri de libro vitæ non solùm ad hominum opinionem referendum est, sed etiam quantum ad rem. Quare & tertiam adhibet explicationem dicens, quod de libro vitæ, qui simpliciter liber vitæ est, & proprius prædestinatorum, nullus deletur; bene autem deletur secundum rem de libro vitæ in quo secundum præsentem justitiam, quis gratiam habens, ordinabatur ad vitam, qui potest proinde vocari liber vitæ secundum quid.

72. Circa secundum explicationem advertendum, quod ratio S. Thomæ contra illam facta, efficaciter probat quod in præmium sanctis non solùm datur non deleri de libro vitæ secundum hominum opinionem, sed etiam secundum rei veritatem, & in eo sensu explicatio illa intelligenda est, cum dicitur, *qui vicerit non delebo eum de libro vitæ*, & ita traditur à sancto Augustino & Ambrosio, in quo sensu legitima est.

73. Advertendum etiam contra illum modernum authorem tertiam illam explicationem, à S. Thoma traditam optimè cohærere cum his, quæ ipse sanctissimus Præceptor præmiserat de libro vitæ in primo articulo, licet ille citatus author contrarium dicat; nec enim S. Thomas potest sibi ipsi esse in primo & secundo articulo contrarius, ut ille author prætendit. Et ratio est, quia in primo articulo distinguit S. Thomas duplicem librum vitæ, alterum simpliciter talem, & de hoc semper docuit quod secundum rem nihil deletur: alterum secundum quid, & de hoc docet quod secundum rem aliquid deleri potest, & de facto deletur, unde omnia consonant.

74. Nec est inconveniens, aliqua Scripturæ testimonia de hoc libro vitæ secundum quid intelligere; alia verò de libro vitæ simpliciter tali, sicut sanctus Thomas facit; quia sic magis sensus planus fit, & hac distinctione plura nedum Scripturæ testimonia, sed etiam Sanctorum Patrum melius coaptantur.

CAPUT VI.

Quod prædestinatio sit certa.

75. DUo sunt præcipua, de quibus & præteritis & præsentibus temporibus summa concordia inter Doctores fuit. Alterum est prædestinationem esse certam: alterum verò semper cum prædestinatione conjungi præscientiam. De his duobus non solum Sancti Patres & Catholici Doctores, sed quod magis est, nec Pelagiani, aut Semipelagiani, Lutherani, vel Calvinistæ dubitarunt. Controversia tamen fuit respectu quorum sit prædestinatio certa, & etiam per quid primò, & originaliter obtineat certitudinem talem. In hoc capite de certitudine divinæ prædestinationis, & respectu quorum sit certa agemus; deinde in sequentibus primam radicem & causam ex qua in prędestinatione certitudo provenit, diligentiùs investigabimus.

76. Hæc autem occasione illarum assertionum tractamus, quæ ex recentioribus relatæ sunt lib. 1. p. 2. tract. 6. per assertiones plures, quas circa prædestinationem constituerunt: omnes tamen ab illa pendent, *quod prædestinatio non sit certa ex vi ordinis & mediorum quæ ex prædestinatione habentur, sed solùm certitudinem sumat ex illa media præscientia:* Unde non oportet alias in particulari referre, sed universaliter materiam de prædestinatione accuratiùs pertractare, & inconvenientia plura inducere, quæ inevitabiliter illam prædestinationem, quæ ab eis ponitur secundum præscientiam, consequuntur.

77. Circà primum, quia (ut dictum est supra præcedenti cap.) tria sub prædestinatione cadunt, de quibus affirmatur verè quod prædestinata sint, videlicet objectum quod prædestinatur, media per quæ prædestinatur, & finis ad quem prædestinatur (prædestinatur enim homo, prædestinatur gratia, & omnia salutis media ex ipsa provenientia, prædestinatur & gloria) ideo circa ista tria, vel illorum quodlibet potest oriri quæstio an prædestinatio sit certa; an videlicet sit certa respectu personarum quæ prædestinantur; an sit certa respectu mediorum gratiæ per quæ homines prædestinantur; & an sit certa quoad finis sive gloriæ consecutionem.

78. Præterea, respectu istorum trium, sive cujuslibet illorum potest attendi certitudo prædestinationis vel ex parte solius cognitionis, vel ex parte ipsius ordinis. Præscientia enim Dei ut sic, cum in sua ratione formali non importet habitudinem causæ respectu cognitorum, non consideratur in ea nisi certitudo cognitionis. Prædestinatio verò cum (ut dicemus infra) præscientiam includat, & supra illam addat habitudinem causæ ad ea quorum est prædestinatio, supra certitudinem cognitionis addit certitudinem ordinis: & de hac certitudine prædestinationis, quæ ipsi est propria, hîc principaliter quærimus: nam certitudo cognitionis propria est præscientiæ ut sic prout à prædestinatione distinguitur, ut infra copiosiùs demonstrabimus.

79. Pelagiani, & Semipelagiani dicebant prædestinationem esse certam, & respectu personarum, & respectu gratiæ, & gloriæ; sed hanc certitudinem solùm ex præscientia constituebant & ex cognitione; non autem ex vi causalitatis & ordinis: unde certam cognitionem in Deo admittebant de personis, de meritis

Digitized by Google

ritis ex gratia, & de consecutione gloriæ. Hoc evidenter constat ex Epistolis S S. Prosperi & Hilarij ad Augustinum & ex ipso August. libris de prædest. Sanct. & de dono perseverantiæ. Quidam autem alij circa personas prædestinatas, & circà numerum earum quoad certitudinem distinguebant, dicentes quod numerus prædestinatorum certus est si loquamur formaliter; non autem materialiter, id est si loquamur de numero numerante, non autem si loquamur de numero numerato. Et ista sententia negat certitudinem ordinis, sicut certitudinem præscientiæ respectu numeri prædestinatorū materialiter considerati. Itaque dicit hæc sententia, certum esse prædestinatorum numerum formaliter, id est, certum esse centum v. g. esse prædestinatos; non autem esse certum, qui in particulari sint illi centum. Ita suppresso authorum nomine refert S. Thomas in *1. sent. dist.* 40. *& quæst. 6. de verit. art.* 4. *& 1. part. quæst.* 23. *art.* 7. Isti autem consequenter etiam gratiam ipsam pro formali dicebant esse certam, non autem materialiter; id est, certum erat prædestinatos quoslibet gratiam debere habere ad gloriæ consecutionem; quæ autem, & quanta esset gratia, non esse certum. Vnde ex illorum sententia illa tria, personæ, gratia, & gloria, constituebantur certa formaliter, non materialiter. In hanc autem sententiam isti devenerunt ex aliquibus Scripturæ locis, & authoritatibus Sanctorum siniſtrè intellectis, ut dicemus statim. Qui autem fuerint illi qui sic Philosophabantur, parum refert ad præsens scire. Videtur autem quòd in hanc sententiam inclinent Ocham & Gabr. *in 1. dist.* 41. & potissimè Catherinus supra relatus. Nam Catherinus in illo secundo ordine prædestinatorum tenens aliquos salvari qui prædestinati non fuerunt, similiter contendebat illorum numerum certum non esse ex prædestinatione & beneplacito divinæ voluntatis, sed præscitum & prævisum tantùm, ut explicatum est supra: & certè crediderim, quod post absolutam meritorum præscientiam posuerit numerum salvandorum certò præscitum, licet non electum, & prædestinatum: sicut illum numerum tantùm præscitum, & non præfinitum seu prædestinatum, Semipelagiani posuerunt, ut libro 1. part. 1. tract. 5. reliquimus declaratum. Vnde cum S. Prosper Epistola ad Rufinum dicit de Semipelagianis. *Ab hac autem confessione gratiæ Dei, ideo quidam resiliunt, ne cum eam talem confessi fuerint, qualis divino eliquio prædicatur; & qualis opere suæ potestatis agnoscitur; etiam hoc necesse habeant confiteri, quod ex omni numero hominum per sæcula cuncta natorum, certus apud Deum diffinituſque sit numerus prædestinati in vitam æternam populi, & secundum propositum Dei vocantis electi.* Cum inquam hoc de Semipelagianis dicit sanctus Prosper, in ipsis verbis manifestè declarat Semipelagianos negare prædestinatorum numerum certum secundùm propositum vocantis Dei, non autem negare prædestinatorum certum numerum & formaliter & materialiter secundum præscientiam boni usus ipsius hominis: hoc enim ipse sanctus Prosper in Epistola ad sanctum Augustinum expressit: imò ex ipsorum Semipelagianorum principiis, id quod modò dicimus: si quis advertat, reperiet manifestum.

80. Contra hos tamen duos errores, duæ brevissimæ formantur conclusiones. Prima, prædestinatio certissima est circa omnia illa tria enumerata videlicet personas, gratiam, & gloriam certitudine non solùm præscientiæ, & cognitionis; sed etiam certitudine causalitatis, & ordinis, & cujusdam prædefinitionis; quod est clariùs dicere illa tria non tantùm certò cognita esse, sed etiam verè certó prædestinata, & præparata: Hæc fuit firma & immobilis veritas prædestinationis & gratiæ, quam ex Apostolo (ut infra apperiemus) perpetuò docuerunt Sancti illi Patres, qui contra Pelagianos pro defensione divinę gratię antiquitùs pugnarunt S S. Augustinus, Prosper, Hilarius, Fulgentius, & Petrus Diaconus cum suis sociis; quorum sententiam Catholicam totius Pelagianę hęresis destructivam, sanctus Thomas clarè explicat, & mirabiliter confirmat *in 1. dist.* 40. *quæst.* 2. *& quæst.* 6. *de veritate articulo* 3. *quodlib.* 12. *art.* 3. & 1. p. *quæst.* 23. potissimè art. 3. & alibi sępè. Quia verò veritas ista totius prędestinationis & gratię fundamentum est, & in toto isto tractatu de prędestinatione per plura capita erit probanda, atque firmanda; modò præsupponatur, & ad illum secundum evertendum errorem veniamus.

81. Secunda conclusio. Numerus prædestinatorum certus est non solùm formaliter, sed etiam materialiter: itaque certitudine cognitionis, & certitudine causalitatis, & ordinis certum est non solùm tot esse prædestinatos, sed hos in particulari esse prędestinatos. Veritas ista, unica demonstrativa ratione à sancto Thoma manifestatur in hunc modum. *in 1. dist.* 40. *quæst.* 3. *art.* 1. *& quæst.* 6. *de verit.* 4. *& alibi.* Deo imperfecta & confusa cognitio attribui non potest; sed si Deus cognoscit quod tot salvabuntur, & non quod isti; imperfecta est ejus cognitio confusa, & in universali, ut de se constat: ergo talis cognitio nisi absurdè Deo attribui non potest. Si autem dicatur quod Deus cognoscit quod ij salvabuntur, sed incerte; in aliud gravius pręcipitatur inconveniens, quod videlicet Dei cognitio incerta sit: oportet ergo asserere certum Deo esse numerum prędestinatorum in æterna fœlicitate locandorum, & formaliter, & materialiter; ita quod sciat istos in particulari, & non alios esse prędestinatos; cum potissime ista certa prædestinatorum cognitio sequatur divinam dilectionem, electionem, & prædestinationem certam: hanc autem electionem & prędestinationem, quis dicat à Deo in confuso præordinatiam fuisse, & non in particulari respectu horum, & non aliorum; unde cum Sanctus Pater Augustinus libro de cor. & gratia cap. 13. dicit certum esse prædestinatorum numerum, ita quod nec augeri potest, aut minui, & cum *in Enchi. cap.* 29. dicit, quòd *Superna Hierusalem Mater nostra civitas Dei nulla civium suorum numerositate fraudabitur, sed uberiori etiam copia fortasse regnabit*; Et cum communiter Doctores Sancti & Scholastici dicunt prædestinatorum numerum esse certum, certitudine non solius præscientiæ, sed etiam certitudine causalitatis & ordinis; loquuntur de prædestinatorum numero formaliter, & materialiter, modò explicato.

82. Quòd si contra quis opponat illud dictum Moysis Deut. cap. 1. *Dominus Deus Patrum nostrorum addat ad hunc numerum &c.* Ergo potest numero prædestinatorum additio fieri; & sic non est certus ac præfixus prædestinatorum numerum. Ad hoc respondet Sanctus Thomas *1. p. quæst.* 23. *articulo* 7. *ad* 1. & aliis in locis loqui ibi Moysem de illis qui sunt prænotati à Deo respectu præsentis justitiæ, quorum numerus augetur & minuitur; sed non numerus prædestinatorum. Vide glos. interlin.

83. Similiter si quis opponat illud Apocal. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*, & simul explicationem Sancti Augustini lib. de cor. & grat. cap. 13. dicentis: *Si enim alius non est accepturus nisi iste perdiderit, certus est prædestinatorum numerus.* Quibus verbis apertè tum divinæ scripturæ præcitatum testimonium, tum Sanctus Augustinus

Digitized by Google

ſtinus indicare videntur prædeſtinatorum quidem numerum certum eſſe, ſed tantùm formaliter, non materialiter, cum unus accipiat quod alter perdit, ut certus ſit prædeſtinatorum numerus formaliter.

84. Ad hoc dicendum illud Scripturæ ſacræ teſtimonium poſſe intelligi & de corona iuſtitiæ præſentis per gratiam, & etiam de corona gloriæ. Si intelligatur de corona præſentis iuſtitiæ per gratiam, facilis eſt intelligentia, tene videlicet coronam præſentis juſtitiæ per gratiam, ne alius accipiat hanc coronam tuam, id eſt fructum tuorum meritorum: opera enim in gratia facta ab uno propter communionem charitatis, proſunt etiam aliis, unde ſi amittat gratiam qui benè operatus fuit ex illa, alius in gratia perſiſtens recipit coronam ejus. Et ſecundum hoc dicit S. Gregorius in moralibus lib. 25. cap. 10. quod aliis cadentibus in eorum locum alij ſuccedunt. Loquitur enim de loco quem juſti tenent in Eccleſia ſecundum ſtatum præſentis juſtitiæ; quia Eccleſia numquam deſtituitur exiſtentibus in gratia: unde peccantibus quibuſdam, alij in gratiam à Domino vocantur: ex quo nullo modò infertur numerum prædeſtinatorum certum non eſſe etiam materialiter quoad has perſonas in particulari. Poteſt ſecundo intelligi prędictum teſtimonium de corona gloriæ debita tamen exiſtenti in gratia ſecundum preſentem juſtitiam, non ſecundum prędeſtinationis gratiam; à qua cum homo cadit, alius cui videlicet corona gloriæ eſt ex prędeſtinatione prępparata, in locum cadentis reſurgit, & accipit coronam ejus. Qua ratione in locum Angelorum cadentium ſunt homines ſubſtituti, & ſic homines acceperunt ex prędeſtinatione coronam glorię quam Angeli mali amiſerunt. Vnde nec etiam ex hoc infertur non eſſe certum etiam pro materiali numerum prædeſtinatorum, quia certiſſimè tales & tales Angeli ſunt prædeſtinati, & tales ſunt permiſſi cadere, & tales homines ex æterna prædeſtinatione ſunt in locum cadentium Angelorum ſubſtituti, ut acciperent gloriæ coronam, quam illi non tenuerunt.

CAPUT VII.

Quod prædeſtinatio ſit ſemper cum præſcientia conjuncta.

85. ALTERVM quod ab omnibus ſemper indubiè receptum fuit, illud erat, cum prædeſtinatione ſemper conjungi præſcientiam. In hoc & Catholici omnes, & etiam Pelagiani, & alij conſentiebant, ut facilè conſtat ex Epiſt. SS. Proſperi atque Hilarij ad Auguſtinum, & ex ipſo Sancto Auguſtino lib. de præd. Sanct. & de dono perſeverantiæ, & multis aliis locis, in quibus frequenter cum prædeſtinatione ſemper conjungit præſcientiam, in tantùm quòd in definitione ipſius ſupra ex Sancto Auguſtino relata, præſcientia conſtituatur, cum dicitur, *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Vnde lib. de præd. Sanct. cap. 10. ait, *quod præſcientia poteſt eſſe ſine prædeſtinatione, at verò prædeſtinatio ſine præſcientia eſſe non poteſt.*

86. Sanctus etiam Thomas perpetuo docet præſcientiam cum prædeſtinatione ſemper conjungi, *vt in 1. ſent. diſt. 40. quæſt. 1. art. 2. q. 6. de verit. art. 1. & 2.* Sed potiſſimè *art. 3.* & *1. part. quæſt. 23. art. 7.* Sed omnium clariſſimè id affirmat *quodlib. 11. art. 3.* dicens quod *in prædeſtinatione tria ſunt conſideranda, quorum duo præſupponit ipſa prædeſtinatio, ſcilicet præſcientiam Dei, & dilectionem; id eſt voluntatem, qua vult prædeſtinatum ſalvare: & tertium eſt ipſa prædeſtinatio.* Et *quodlib. 12. art. item 3.* Sic iterum dicit. *Reſpondeo dicendum, quòd prædeſtinatio eſt quædam pars providentiæ divinæ; providentia autem dicit directionem aliquorum in finem; & hæc præſupponit ſcientiam & voluntatem.* Idem communiter omnes ſcholaſtici dicunt in 1. diſt. 40. & quod magis eſt, ex divinis literis hoc fit manifeſtum, ut eſt illud 2. ad Timoth. 2. *firmum fundamentum Dei ſtat, novit Dominus qui ſunt ejus.* Et illud *non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit.* Et illud. *Quos præſcivit & prædeſtinavit.* Plurima ſunt ſimilia ſcripturæ teſtimonia, quæ omnibus ſunt per via. Concilium etiam Valentinum tempore Lotharij Imperatoris non ſub benedicto 3. Sed ſub Leone 4. celebrato, ut in principio hujus præmiſimus, inquit in fine can. 1. ſe ex maternis Eccleſiæ viſceribus doctrinam, quam in ſequenti can. 2. & 3. proponit, hauſiſſe & in can. 2. Ità incipit *Deum præſcire, & præſciſſe æternaliter & bona quæ boni erant facturi, & mala, quæ mali ſunt geſturi; quia vocem ſcripturæ dicentis habemus: Deus æterne qui abſconditorum & cogniter: qui noſti omnia antequam fiant; fideliter tenemus, & placet tenere bonos præſciſſe omnino per gratiam ſuam bonos futuros, & per eandem gratiam æterna præmia accepturos.* Vbi apertiſſimè cum prædeſtinationis gratia præſcientiam conjungit, imo ut infra expendemus, per gratiam præſcientiam conſtituit. Et clariùs in can. 3. ait. *De hac immobilitate præſcientiæ, & prædeſtinationis Dei, per quam apud eum futura jam facta ſunt, apud Eccleſiaſtem benè intelligitur dictum; cognovit quòd omnia opera quæ fecit Deus, perſeverent in perpetuum. Non poſſumus his addere nec auferre, quæ fecit Deus, ut timeantur.*

87. Pelagiani vero & Semipelagianí in tantùm dicebant, præſcientiam conjungi ſemper cum prædeſtinatione, ut ei potiſſimum quod eſt in prædeſtinatione tribuerent, contendentes prædeſtinationem fieri ſecundum præſcientiam, & non ſecundum propoſitum, ut patet ex Pelagio relato à Sancto Auguſtino lib de præd. Sanct. cap. 17. & de Semipelagianis ex Epiſtolis Proſperi & Hylarij ad Sanctum Auguſtinum, & ex colatione 15. Caſſiani, & ex Fauſto Regienſi Epiſcopo lib. 2. de gratia & humanæ mentis arbitrio cap. 2. & 3. Itaque apud omnes fuit ſemper indubitatum cum prædeſtinatione Dei inſeparabiliter conjungi divinam præſcientiam, in quo tam catholici quàm hæretici conveniebant.

88. Quæ autem eſſet illa præſcientia, & quorum, & quo ordine cum prædeſtinatione connecteretur, de hoc maxima diſcordia fuit inter Catholicos doctores, & Pelagianos ac Semipelagianos. Imo hoc fuit totius illius antiquæ magnæ controverſiæ fundamentum, quæ inter S. Auguſtinum & Catholicos Doctores hinc, & inter Pelagianos omnes inde agitabatur; unde hanc maximam differentiam in aſſignando, quomodo cum prædeſtinatione conjungitur præſcientia, tangit S. Proſper Epiſtola ad S.P. Auguſtinum ſic dicens: *In his autem qui aliquid boni acturi ſunt, per præſcientiam poſſit ſtare propoſitum: an verò uniformiter, licet dividi præſcientia à propoſito temporali diſtinctione non poſſit, præſcientia tamen quodam ordine ſit ſubnixa propoſito: & ſicut nihil ſit quorumcumque negotiorum, quod non ſcientia divina prævenerit; ita nihil ſit boni, quod in noſtram participationem non Deo authore defluxerit.* Quibus verbis cupit edoceri à S. Auguſtino, an ſuppoſito quod præſcientia non poteſt temporali diviſione dividi à propoſito, ut erat ab omnibus receptiſſimum, ita tamen ſe haberet, ut propoſitum firmarę

Digitized by Google

firmaretur per præscientiam, an potius præscientia sit subnexa in sua firmitate & certitudine ipsi proposito: in quo etiam loco apertè procedit de præscientia boni usus arbitrij & bonorum operum, ut posteriora ejus verba declarant.

89. Quod ut clarius exponamus, illud omnium primò præsupponere oportet, scientiam aliquam ex necessitate ad prædestinationem supponi & ad totum negotium prædestinationis, videlicet ad dilectionem, electionem & prædestinationem. Apertissima est veritas ista, quia prædestinatio sumpta etiam pro dilectione, & electione in libero actu divinæ voluntatis consistit: omnis autem actus liber voluntatis divinæ aliquam cognitionem præsupponit: præsupponit ergo prædestinatio aliquam scientiam, seu divinam cognitionem; nisi ponatur in divina voluntate actus voluntarius, & non præcognitus, quod esse omnino impossibile nullus est, qui dubitet.

90. Aliud etiam certissimum est præsupponendum, ad dilectionem, electionem, & prædestinationem ex necessitate supponi scientiam simplicis intelligentia. Patet veritas ista, quia Scientia simplicis intelligentiæ cum sit naturalis & necessaria in Deo, antecedit omnem actum liberum divinæ voluntatis: ergo antecedit & dilectionem, electionem, seu prædestinationem, quorum duo prima sunt actus liberi divinæ voluntatis, ultimum autem est actus intellectus, sed præsupponens eosdem liberos actus voluntatis Dei: unde sicut indubitatum est in Deo naturalia, sive necessaria priora esse liberis secundum rationem, ita indubitatum debet esse scientiam simplicis intelligentiæ priorem ratione esse dilectione, electione, & prædestinatione. Quorum autem sit scientia simplicis intelligentiæ traditur à S. Thoma 1. *part. quæst.* 14. *art.* 9. & à nobis explicatum fuit supra lib. 1. part. 2. tract. 5.

91. Sed & hoc verissimum est ab omnibusque sine contradictione receptum: cum in his materiis dicitur semper conjungi cum prædestinatione præscientiam, nomine præscientiæ non intelligi scientiam illam simplicis intelligentiæ, quæ nec præscientia propriè est, nec Apostolus eam explicavit, cum dixit ad Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit.* Sed aliam sine dubio præscientiam esse intelligendam, expressit: & quidem videtur, quòd illam præscientiam voluit ratione præviam esse ad prædestinationem, quæcumque illa sit. Cum enim in reliquis quæ ibi Apostolus numerat, hunc ordinem servet, ut priùs id ponat, quòd alteri supponitur, ut prædestinationem ante vocationem; vocationem ante iustificationem, justificationem ante glorificationem: pari ratione & præscientiam ante prædestinationem videtur prius apponere. Licet optimè etiam litera salvetur, dicendo illam præscientiam esse ratione posteriorem prædestinatione ipsa, ut ex dicendis constabit; quia sancti Patres conformiter ad literam, illam interpretantur aliquando de præscientia, qua ratione prædestinationem antecedit, aliquando vero de illa, quæ ad eam consequitur, ut infra videbitur.

92. Quæ autem sit ista præscientia accuratiùs est investigandum, quia hinc vera doctrina prædestinationis dependet. Vt ergo omnes æquivocationes tollantur, quæ in his materiis solent implicari; & ut Sanctorum patrum doctrina in suo proprio sensu intelligatur, attentiùs est considerandum, quòd præscientia non uno modo sumitur, sed res valde diversas potest importare: unde multipliciter de præscientia possumus in hac parte loqui, & multiplicem præscientiam intelligere.

93. Primò de præscientia latissimè sumpta, qua Deus cognoscit, quòd si aliquos voluerit efficaciter ad gloriam eligere, illi infallibiliter gloriam consequentur. Hoc enim conditionatum certissimè à Deo cognoscitur per scientiam simplicis intelligentiæ, qua certè scit Deus naturam & efficaciam suæ voluntatis, quæ semper impletur.

94. Secunda præscientia etiam generaliter capta similis est huic, qua Deus cognoscit quod si aliquos voluerit prædestinare, habet ipse certissima & efficacissima media ex se ipso, quibus id certissimè executioni mandet. Quod etiam conditionatum objectum ratione modò facta certò cognoscit Deus per scientiam simplicis intelligentiæ, quæ certo scit quod si divina voluntas divinusque intellectus practicus aliquid efficaciter præordinaverint, illud certissimè fiet; quia hoc est comprehendere propriam naturam efficacitatis divine voluntatis; quod ad scientiam simplicis intelligentiæ pertinet sine dubio, per quam cognoscit quod si efficaci vocatione seu prædeterminante aliquem vocaverit, ipse infallibiliter convertetur: & sic potest dici præscientia boni usus sub conditione prævisi. Certò enim cognoscit Deus bonum usus arbitrij futurum, si ei dederit auxilium efficax: & per hoc expugnatur media illa scientia quæ & hîc introducitur, ut per illam sciat Deus quod si dederit generalia auxilia tali homini sub tali tempore & occasione, ipse ex sua innata libertate certò operabitur: quæ scientia proinde efficaciam mediorum nec in prædestinatione nec in Deum *reducit*, sed in arbitrium pro sua libertate illa *reddens efficacia*: unde tantùm abest quòd illa dirigat prædestinationem, quòd potius illi repugnat, ut infra erit copiosiùs demonstrandum. Verum est tamen quod utraque ista cognitio sicut propriè ad scientiam simplicis intelligentiæ pertinet; ita propriè præscientia non est, nec de illis, vel Apostolus in illo loco, *quos præscivit & prædestinavit*, intelligi debet, nec S. Augustinus, & alij Sancti Doctores & Scholastici cum asserunt semper conjungi cum prædestinatione præscientiam. Nullo enim modo per talem præscientiam, aliquam conditionatam intellexerunt, aut de objecto conditionato; sed absolutam & de aliquo futuro absoluto, ut apertiùs infra ostendemus. Item quia loquuntur de præscientia, quæ aliquo modo pertinet ad ipsam prædestinationem: at scientia simplicis intelligentiæ cum sit scientia omnibus modis necessaria ad ipsam prædestinationem, quæ simpliciter libera in Deo est, pertinere non potest: cum hoc tamen verum est, quòd sicut ad prædestinationem hæc scientia præsuponitur; ita est prærequisita ut certò cognoscat Deus se habere potestatem faciendi id quod vult; & habere certa & efficacia media, quibus si placuerit prædestinare, infallibiliter prædestinatio suum consequetur effectum.

95. Tertia præscientia, quæ & propriè præscientia vocatur, illa est, qua Deus certò præcognoscit homines quos prædestinare vult, quæ est absoluta & intuitiva præscientia ipsorum hominum: prius enim ratione cognosci debent homines, quàm à Deo prædestinentur, quia quod non aliqua ratione scitur, nec prædestinari potest. Vnde saltem in genere causæ materialis & subjecti debet præcedere prædestinationem; licet in genere causæ finalis prior possit esse ipsa prædestinatio; per quam distinctionem concordandæ sunt sententiæ doctorum, quæ contraria videntur, quibusdam dicentibus posse esse prædestinationem antequam res præsciatur esse; quod in genere causæ finalis verum est; & aliis dicentibus quòd præscientia rei debet præsupponi ad prædestinationem; quod etiam est verum de præscientia rei ut subjectum est,

Digitized by Google

est, & in genere causæ materialis: de quo egimus primo nostro libro tractantes materiam adversus mediam illam scientiam; Et nunc ad materiam prædestinationis applicando, dicimus quòd loquendo de nostra prædestinatione ut nunc loquimur (nam quid sit dicendum de prædestinatione Christi infra dicetur) prædestinatio formalis sicut supponit electionem & dilectionem aliquorum in gloriam; ita supponit eorum intuitivam præscientiam, de quo dubium esse non potest: At de omnium primo actu antecedente formalem prædestinationem, quæ est electio ad gloriam, dicunt quidam quòd illa est prior, ita quod non supponit in aliquo genere causæ præscientiam hominum, nec decretum creationis eorum. Quod probant primò ex S. Thoma *quæst. 6. de verit. art. 1.* Dicente, quòd prædestinatio potest esse etiam ejus quod non est. Poterant præterea pro hoc adducere aliud ex S. Thoma *1. p. q. 23. art. 4. ad 2.* dicente. *Ad secundum dicendum, quòd quando voluntas eligentis provocatur ad eligendum à bono in re præexistente, tunc oportet quod electio sit eorum quæ sunt, sicut accidit in electione nostra: sed in Deo est aliter, ut dictum est: Et ideo sicut dicit Augustinus eliguntur à Deo qui non sunt, nec tamen errat qui eligit.* Et quamvis possint hæc testimonia fortè intelligi, quod negent rem existentem in sua propria mensura; non autem in divina præscientia post decretum creationis illorum: nihilominus & hanc aliquo modo videntur negare. Ex alia vero parte idem S. Thomas super Paulum docet expresè, quod Deus non prædestinavit nisi quem præscivit; ubi priùs præscientiam hominis ante prædestinationem ejus videtur constituere.

96. In qua difficultate brevissimè dico, non esse S. Thomam intelligendum quòd omnibus modis, & in omni genere causæ dicat priorem electionem in Deo, quàm decretum creationis & præscientiam futurorum, hominum, ut aliqui recentiores opinantur, sed quod in genere causæ finalis prius fuit in divina mente electio hominum ad gloriam, quàm decretum de creatione illorum, & præscientia eorum; licet in genere causæ materialis & subjecti, econtra priùs fuerit in divina mente decretum creandi, quàm eligendi eos ad gloriam. Vnde priora duo testimonia Sancti Thomæ loquuntur de primo genere causæ, & ultimum de hoc secundo. Itaque Deus unico simplicissimo actu voluit creare eos ad gloriam, volendo illis gloriam ut finem & consequenter omnium primò; illos verò in ratione subjecti voluit propter gloriam creare; sicut dicimus de prædestinatione Christi respectu permissionis peccati Adæ. Et ratio hujus est, quia gloria aut beatitudo non prædestinatur in abstracto, vel *ut quod* sed alicui prædestinatur, ut illius perfectio ultima: ergo debet aliquis prædestinari ad illam: Non potest autem aliquis prædestinari ut sit beatus, quin intrinsecè prædestinetur ut sit: ergo secundum rationem nec voluntas creandi præscindi potest à voluntate eligendi ad gloriam, nec voluntas eligendi à voluntate creandi; sed semper altera alteram includit in diverso genere causæ, ut dictum est. Vnde sicut omnium primò in genere causæ finalis voluit Deus aliquos eligere ad gloriam; & ideo eos voluit ad illum finem creare; ita in genere subjecti & causæ materialis illos voluit creare propter talem finem: & ita Sancti Thomæ dicta, quæ apparent diversa, concordantur, sicut & Authorum quædam, quæ in hac parte videntur diversæ, sententiæ. Et sic etiam intelligitur quod S. Augustinus lib. de præd. Sanct. dicit. Quid est prædestinatio nisi destinatio alicujus rei existentis. Cujus sensus est, non quòd in sua propria mensura existat; sed quòd aliquo modo præsupponatur extitisse in præscientia prædestinantis.

97. Diximus ita esse asserendum de prædestinatione nostra; nam in Christi Domini prædestinatione cum ut homo non fuerit prædestinatus immediatè ad gloriam sicut nos; sed ut esset Filius Dei naturalis; posset quis dicere quod per ipsam prædestinationem ordinatus fuit ut esset, & sic esset hic homo, quòd simul esset Filius Dei naturalis: nec videtur posse priùs ratione concipere illum ut hunc hominem, & non simul concipere ut Filium Dei naturalem: & ita non videtur posse dici quod in divina mente priùs ratione supponatur existens, quàm supponatur Filius Dei naturalis; sed quod totum simul factum fuerit per prædestinationem, ut videlicet esset hic homo, & Filius Dei naturalis sine præsupppositione unius ad alterum. Et ratio discriminis est, quia nos sumus prædestinati ad gloriam, gloria autem supponit subjectum substantiale cujus est gloria, unde necesse est quod in aliquo genere ipsum subjectum præsupponatur. Cæterùm quia Christi prædestinatio est ad ipsum esse substantiale hujus hominis, qui simul est Filius Dei naturalis, non præsupponitur esse substantiale hujus hominis ad esse Filium Dei naturalem. Scio alia ratione Caïetanum procedere; sed de hac materia prædestinationis Christi in particulari infra suo loco dicetur. Hæc autem dicta sint obiter.

98. Conformiter ad dicta intelligendum est quod inquit. S. Thomas 1. par. q. 23. aut 2. ad 2. *Quod prædestinatio ratione antecessionis quam importat potest esse ejus quod non est, qualitercumque ejus destinatio sumatur.* In hoc enim loco licet hoc principaliter intendit, quòd prædestinatio ratione antecessionis sit rei quæ non est in sua propria mensura (in quo prædestinationem à destinatione & missione reali distinguit, quod ista supponit semper rem, quæ in aliud mittitur & destinatur, esse in sua propria mensura) nihilominùs intelligi etiam sic potest, ut sentiat quòd prædestinatio non supponat omnibus modis rem futuram, sed quòd in aliquo genere causæ, finalis videlicet, illam possit antecedere.

99. Quarta etiam propriè præscientia est, qua Deus post dilectionem & electionem aliquorum ad gloriam ante formalem actum prædestinationis, illos præscivit sic dilectos & electos infallibiliter gloriam consecuturos, idque approbavit: Vnde & ista fuit præscientia, non quæcunque sed approbationis.

100. Quinta præscientia, quæ & verè præscientia dicitur, est qua Deus cognoscit absolutum futurum hominis bonum usum, à quo an habeat certitudinem, dicendum erit inferius.

CAPUT VIII.

Quænam illa præscientia sit, quæ cum prædestinatione conjungitur.

101. His suppositis dicendum est primo. Illæ duæ cognitiones primo & secundo loco constitutæ, quæ ad scientiam simplicis intelligentiæ pertinent, sunt in Deo, & antecedunt omnem dilectionem, electionem, & prædestinationem; non tamen de illis, ut crediderim, sicut dictum est supra, Sancti Doctores loquuntur cum de præscientia necessaria ad prædestinationem sermonem faciunt; licet, ut explicatum manet, illam in Deo præsupponant, ut certò Deus sciat habere efficacia media, quibus omnino firma erit prædestinatio, si tamen ipse prædestinare voluerit.

102. Dicendum secundò tertia præscientia supra assignata, cum sit præscientia absoluta hominum, & intuitiva ipsorum (ut libro primo dedimus manifestum) præsupponit voluntatem Dei volentem efficaciter eos creare; ratione autem antecedit propositum

Digitized by Google

quo Deus illos vult diligere & eligere ad gloriam ac prædestinare. Dicimus quòd saltem in ratione subjecti, & in genere causæ materialis antecedit præscientia illa propositum ad quod consequitur decretum prædestinationis, licet in alio genere causæ, finalis videlicet, ad illud sequatur, ut dictum est supra. Primum patet; quia scientia visionis intuetur rem in seipsa: ergo præsupponit quòd res in se sit: ergo quòd à divina voluntate fuerit creata: ratione ergo præsupponit efficacem Dei voluntatem volentem illos homines producere. Secundum autem quòd talis præscientia ratione antecedat propositum diligendi & eligendi ad gloriam ac prædestinandi, constat; quia ut modò dictum est, homines qui primò non cognoscuntur, nec prædestinari possunt: Necesse est ergo quòd priùs ratione homines à Deo præsciantur, antequam secundum divinum propositum vel prædestinentur, vel ad gloriam eligantur. Et de hac præscientia frequenter Sancti loquuntur, cum docent præscientiam præsupponi ad prædestinationem: Et hanc intellexit S. Thomas *quodlib.* 11. *art.* 3. *& quodlib.* 12. *art. Item* 3. & super illud ad Rom. 8. *Quos præscivit & prædestinavit* lect. 6. cujus verba sunt. *Dicit autem* (Supple Apostolus) *Quos præscivit & prædestinavit, non quia omnes præscitos prædestinet, sed quia eos prædestinare non poterat, nisi præsciret. Hierem.* 1. *priusquam te formarem in utero novi te.* alias explicationes textus Apostolici nunc omittimus, alibi inducendas, ne ordinem dicendorum præveniamus.

103. Dicendum tertiò, sæpè etiam doctores Sancti cum dicunt præscientiam præsupponi ad prædestinationem, loquuntur de præscientia, quæ supponit dilectionem, & electionem aliquorum in gloriam, antecedit tamen prædestinationem formalem consistentem in actu practico intellectus divini; & hæc est præscientia approbativa electorum. Juxta quem sensum optimè intelligitur, inter explicationes alias, illud Apostoli *quos præscivit & prædestinavit*, ut suo loco dicemus; ita ut sensus sit, quos præscivit electos ad gloriam, præsciendo approbavit, & prædestinavit per divinum intellectum, ut per certa media gloriam consequerentur. Insignis est Sancti Fulgentij locus hanc intelligentiam suadens & fundans lib. de Incarnat. & gra. cap. 26. *Et ideo* (inquit) *eos nullus accusat, quia Deus eos secundum propositum præscitos, & prædestinatos, vocatosque justificat, atque glorificat.* Non solùm dicit prædestinatos secundum propositum, verùm & præscitos exprimit secundum propositum; ubi præscientiam ante formalem actum prædestinationis constituit, sed post divinum propositum diligentis & eligentis ad gloriam.

104. Dicendum quartò præscientia absoluta futuri boni usus arbitrij non potest antecedere nec dilectionem, nec electionem, nec prædestinationem; sed omne totum hoc præsupponit, & ad istos actus consequitur. Veritas hæc notissima debet esse, quia bonus usus arbitrij effectus est prædestinationis, ut recta doctrina habet: non ergo potest ante prædestinationem, cujus effectus est, præsciri. Adeo autem certa est veritas ista, ut etiam à Recentioribus cum quibus agimus recipiatur sicut communior inter Theologos. Et licet in diverso omnino sensu de prædestinatione loquantur, ut infra erit denudandum, fatentur tamen nullam scientiam, quæ sit de rebus in aliqua differentia temporis absolutè futuris in persona prædestinanda, necessariò præsupponi ad totam illam prædestinationem. Ita sub his expressis verbis Suarez habet *lib.* 1. *de essentia prædestinationis cap.* 6. §. 3. *dicendum.* Et probat; quia vel certò futurus cognoscitur talis eventus in objectiva præsentia æternitatis, vel in decreto divino volente quod talis res sit: si in decreto divino: ergo præscientia illud supponit, & habetur intentum: si in objectiva præsentia, hæc certitudinem habet ex decreto, & sic etiam decretum supponere debet.

105. Circa cujus sententiam tria breviter veniunt consideranda. Primum, quòd illa objectiva præsentia æternitatis sicut ab ipso admittitur, & de qua egimus lib. 1. part. 2. tract. 6. fictitia est, & loco illius constituenda vera coëxistentia in æternitate eorum, quæ nobis futura sunt, ut citato loco exposuimus. Secundum, quòd decretum voluntatis Dei, quod Sanctos illos illa objectiva præsentia in æternitate præsupponit, est illud decretum, quod ipsi admittunt, quo nempe Deus absolutè vult homines constituere in tali ordine rerum, in quo præscivit per mediam scientiam eos ex sua innata libertate bene usuros libero arbitrio: hoc verò decretum solùm est sufficiens, vel tantùm præbens sufficientia auxilia. Rursus hoc decretum non est absolutè & efficaciter volens quòd homo sic, vel sic operetur, sed est implicitam, ut aïunt, claudens conditionem, qua Deus vult hominem in tali rerum ordine constitutum sic operari, si tamen ipse voluerit, ita quòd (ut uno verbo exponam) non est verè faciens ut homo velit, sed disponens ut velit, si homini placuerit. Hoc verò decretum non est illud quod præsupponi debet ad certam & absolutam cognitionem illorum futurorum; sed aliud debet esse verè absolutum & efficax decretum, quo antecedenter ad omnem sive absolutam, sive conditionatam præscientiam certò statuat Deus bonum usum absolutè futurum, quia ipse ita decrevit & quia post tale decretum illum bonum usum in seipso intuitivè cognoscit, utpote coëxistentem æternitati. Tertium, quòd cum ait *author ille* communiorem esse sententiam, quòd prædestinatio præsupponitur ad absolutam præscientiam, quæ debet esse circa personam prædestinatam; ne error gravis contingat distinguendum est exactè de futuris illis. Si enim sint vel in se supernaturalia, vel ad supernaturalia ordinata, ita quod sint aliquo modo effectus prædestinationis; non solum erit communior Theologorum sententia, sed omnino certum contra Semipelagianorum errores, quòd non possunt certò præsciri ante prædestinationem cujus sunt effectus. Si autem fuerint aliqua opera, quæ nullo modo sint effectus ipsius prædestinationis, poterunt sine dubio certò cognosci ante prædestinationem ipsam & ante dilectionem & electionem ad gloriam; sed post aliud decretum, de voluntate nempe creandi, ut diximus in secundo dicto: & hac ratione merita Christi præscita fuerunt ante prædestinationem nostram tanquam causa illius; & peccatum primi parentis prævisum fuit ante Christi prædestinationem, saltem ut occasio prædestinationis Christi, ut ait S. Thom. 3. p. q. 1. *art.* 3. *ad* 4. Hæc breviter circa pauca Suariz verba notanda videntur. Sæpius enim multæ positiones simpliciter proferuntur, quæ & verum, & falsum possunt generare sensum: oportet autem quòd exactè expendantur & distinguantur, ut omnis error eliminetur. Quod autem diximus de absoluta præscientia futuri usus arbitrij, intelligimus planè & de conditionata, quòd videlicet nullomodo prædestinationem antecedat.

106. Nostram autem quartam conclusionem, quæ distinctè docet bonum usum arbitrij absolutè futurum cognosci ex necessitate post prædestinationem, traditur à S. P. Augustino sæpè in suis libris, quibus errores Pelagianorum & Semipelagianorum extirpavit; signanter in notissimis & præcipuis illis duobus de prædest. Sanct. & de dono perseverantiæ. Cum enim in lib. de præd. Sanct. c. 9. incepisset respondere Prospero & Hilario, qui S. Doctorem consuluerat, an præscientia

boni

Digitized by Google

boni usus daret firmitatem & certitudinem proposito, an potiùs ipsa esset subnixa proposito in sua firmitate & certitudine; primum fundamentum responsionis suæ constituit in cap. 10. quod præscientia illa boni usus erat post propositum & decretum divinum; & in eodé cap illa verba apertissima proposuit, *quod prædestinatione Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus*; sæpe repetens, quod si Deus præscivit, dona sua quibus nos liberare dignatus est, præscivit; & quod si prescivit, beneficia sua prescivit, & pleraque talia, quæ infra commodiùs expendentur; quibus perpetuo docet quod prescientia boni usus arbitrij prædestinationem secundum propositum presupponit; & ea prescit, quæ Deus ut fierent, sua æterna præparatione disposuit. Simile est illud de dono perverantiæ cap. 17. *Sua dona quibuscunque Deus donat, procul dubio daturum se esse præscivit, & in sua præscientia præparavit.*

107. Hoc ipsum manifestè videtur tradi in Concilio Valentino tempore Lotharij supra citato illis verbis. *Fideliter tenemus & placet tenere bonos præscisse omnino per gratiam suam bonos futuros, & per eandem graciam æterna præmia accepturos.* Per gratiam, inquit, bonos futuros Deus prescivit: ergo bonus usus arbitrij, quo homo fit bonus per gratiam, ex gratia habetur, & hoc Deus præscit. Illud enim verbum semel & iterum positum à Concilio *per gratiam*, efficaciam illius satis ostendit; cum presciat Deus per illam homines bonos futuros. Et clarius in can. 21. agens de prædestinatione, & de prescientia quę cum illa conjungitur, inquit.. *De hac immobilitate præscientiæ & prædestinationis Dei per quam apud eum futura jam facta sunt, apud Ecclesiastem bene intelligitur dictum, cognovi quod omnia opera quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum.* Ubi opera Dei, opera, videlicet bona, prædestinationis, & ex consequenti bonum usum arbitrij opus Dei esse docet, quia ipse verè facit per gratiam, ut homo bene utatur arbitrio.

108. Sed jam hîc consurgit circa horum locorum intelligentiam, non parva controversia. Recentiores enim Scholastici cum Suarez *lib 1. de essentia prædestinationis cap. 6. §. atque hoc etiam*, ita prædictum testimonium S.P. Augustini ultimo loco appositum declarant. *præscivit*, inquit *se daturum, postquam præparavit seu dare proposuit; præparavit autem in priori præscientia, non quidem consequente, sed plane antecedente ad præparationem*; unde subjungit. *In sua, quæ falli mutarique non potest, præscientia; opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam est, quàm prædestinare; dispositio ergo in præscientia, est prædestinatio, & ad talem dispositionem atque adeo prædestinationem supponitur.* Id ipsum probat ex illo de dono perseverantiæ cap. 14. ubi S. Doctor dicit, prædestinationem esse præscientiam & prepparationem beneficiorum Dei, ubi præscientiam ante prædestinationem constituit.

109. At ista movere nullum possunt, qui in S. Augustino fuerit vel mediocriter versatus; & qui ad intentionem quam in omnibus suis libris contra Pelagianorum errores perpetuo expressit, attenderit: haberent hæc forsitan aliquam apparentiam, si ipse doctor Sanctus ex professo non constitueret prescientiam boni usus (qui est donum Dei ut sæpissime docet) post divinum propositum, firmumque divinæ voluntatis beneplacitum: & si hoc ex professo multiplicatis verbis non traderet in cap. illo de pręd. SS. respondens de hoc ipso Prospero & Hilario qui id ab eo scire desiderabant: cum verò tam aperta litera sit, tam clara intentio; quomodo de mente Sancti Doctoris in hac parte potest aliquis dubitare? Sicut ergo ibi præscientiam etiam conditionatam boni usus arbitrij post divinum propositum & prædestinationem constituit, ut copiosè primo nostro libro aperuimus; necesse est in omnibus aliis suæ doctrinæ locis, ubi de hoc agit, ipsum intelligere de præscientia boni usus arbitrij consequente ad divinum propositum, non ipsum antecedente.

110. Mirificè hoc confirmatur; nam illud citatum de dono perseverantiæ, quo dixit prædestinationem esse præscientiam & præparationé beneficiorum Dei &c. quod precipué isti authores opponunt. Primo ex ipsis verbis fit evidens; quia ad eadem beneficia sanctus Augustinus utrumquæ remittit, & præscientiam, & præparationem: si autem Deus præscit sua beneficia, utique ipsa ipse facturus est, & quia facturus est, præscit; si autem facturus est, utique præparavit: Vnde de primo ad ultimum ideo sua beneficia præscivit, quia ea facturus est; ideo ea facturus est, quia facere præparavit. Secundò adest sancti Thomæ explicatio, qui sicut mentem & sensum S. Augustini optimè penetravit; ita & illam clarissimis verbis exposuit, ita, *In 1. dist. 40. quæst. 1. art. 2. in fine corporis*, habens. *Dicit enim prædestinatio intentionem divinam de salute ipsius, cum præscientia quòd salvabitur; & ideo dicitur, quod est præscientia & præparatio.* Quibus apertissimè docet S. Augustinum ideo dixisse prædestinationem esse præscientiam & præparationem beneficiorum Dei; quia prædestinatio, ait, primò dicit intentionem divinam, id est efficacem præparationem ad gloriam ex divina intentione procedentem; deinde adjunctam consequentem præscientiam ejus qui salvabitur. Ita quod ideo Deus certò præsciat quod iste salvabitur, quia firmiter illum præparavit & præordinavit ad salutem.

111. Ex his ergo patet vera intelligentia ad Augu. inducta loca, cum dicit quod in sua præscientia præparavit beneficia; non enim sequitur, aut sequi potest quod prepparavit beneficia sua in antecedente prescientia, qua ipsa beneficia certò presciret: si enim ante voluntatem & prepparationem beneficiorum, illa beneficia cognovit, non illa cognovit ut beneficia Dei, vel ut ab eo volita aut præparata: si autem ut S. Augustinus perpetuò docet, beneficia sua præscivit Deus, necesse est quod illa presciat ut beneficia à Deo volita, preparata, & creaturæ exhibita, vel exhibenda; & ex consequenti necesse est quod talis præscientia beneficiorum Dei, supponat divinum propositum, & prædestinationem, seu præparationem talium beneficiorum, ut post verba S. Augustini S. Thomas manifestè exposuit. In illis ergo tribus objectis testimoniis, apertè totum oppositum objectionis concluditur; quod videlicet non disponat, aut præparet Deus sua beneficia in præscientia antecedente ipsam dispositionem, & prepparationem eorum, ut citatus author prætendit, quia revera totum contrarium ita apertè deducitur, ut id quod objiciens pretendit, reddatur impossibile ratione facta. Quod tamen infra in responsione ad omnes objectiones eorum magis apparebit.

112. Igitur in illis testimoniis loquitur S. Augustinus de absoluta prescientia donorum suorum gratię scilicet efficacis, & boni usus arbitrij qui ex illa sequitur: hanc enim absolutam præscientiam, ut dictum est, cum prædestinatione conjungit; & ista absoluta prescientia consequitur ad absolutum prædestinationis decretum. Et de ista loquitur, cum ait, quod Deus sua dona præscivit: & quod præscivit se illa daturum; quia nempe ita decrevit: & quod dona sua præparavit, in ista prescientia consequente decretum voluntatis: & quod præparavit dona sua in certa illa absoluta præscientia, id est, præparavit dona sua, præsciendo illa certissimè effectum habitura; & sic certissimè illa se donaturum præscivit, quæ certitudo oritur ex efficaci divinæ voluntatis præparatione.

Digitized by Google

113. Interim tamen advertendum, quod sicut est duplex prædestinationis decretum: aliud electionis ad gloriam, quod formalem prædestinationem antecedit: aliud ipsius prædestinationis ut essentialiter prædestinatio est, quod ut dictum est, includit præparationem omnium mediorum ad gloriæ consecutionem; ita est duplex præscientia illis decretis proportionata: & sicut decretum electionis ad gloriam prius ratione est quàm decretum formalis prædestinationis; ita præscientia futuræ gloriæ priùs ratione est, quàm præscientia futurorum mediorum quæ in prædestinatione clauduntur, & prior quàm ipsum decretum essentialis prædestinationis. Cujus ratio est, quia posito libero decreto absoluto & efficaci alicujus effectus, statim ex vi talis decreti infallibiliter futurus est effectus talis ob efficaciam divinæ voluntatis; statim autem ut ille effectus est futurus ex vi sui decreti, præscit Deus futuritionem ejus priùs ratione, quàm aliud liberum decretum habeat: Parique ratione sicut illud primum decretum electionis ad gloriam est respectu solius finis, ita illa prior præscientia ad illud consecuta, est præscientia solius illius futuri finis: & sicut secundum decretum formalis prædestinationis claudit omnia media respectu illius finis, inter quæ, unum est bonus usus liberi arbitrij; ita præscientia quæ ad illud sequitur, est præscientia omnium futurorum mediorum usque ad consecutionem finis; & ex consequenti est præscientia futuri boni usus arbitrij, qui sicut est prædestinatus, ita consequenter est certissimè per divinam præscientiam præscitus, ut infra efficacius comprobabitur.

CAPUT IX.

Quod prædestinatio non sit primò & originaliter certa secundùm præscientiam boni usus.

114. DICTUM est supra, efficacem electionem ad gloriam actum esse divinæ voluntatis circa finem; prædestinationem autem formalem, quæ ratione à tali electione distinguitur, esse actum intellectus divini practici circa media in ordine ad finem. Dictum est etiam, electionem efficacem ad gloriam, fieri ex prævisione meritorum, multifariam posse contingere. Primò, ut ponatur fieri ex prævisione operum mere naturalium, & antecedentium omnia dona gratiæ, & quæ sint merita de condigno electionis talis. Secundò ut sint eadem naturalia opera merita de congruo illius. Tertiò ut ex innata arbitrij libertate proveniat quod auxilia, quibus consequi debet homo gloriam, sint efficacia ad illius consequutionem. Quartò quod fiat electio ad gloriam ex prævisione meritorum faciendorum ex auxilio gratiæ, quod sit effectus tantùm generalis cujusdam providentiæ. Quintò & ultimò ut ponatur fieri talis electio efficax ad gloriam ex previsione meritorum faciendorum ex auxilio efficaci Dei, quod revera sit prædestinationis effectus.

115. Dictum est præterea quod si ponatur electio efficax ad gloriam tribus primis modis in errorem prolabitur. Pelagianorum talis positio; & idem convincitur de quarto modo ut dictum est supra: si autem quinto modo asseratur, licet ab errore recedat, est tamen falsissima sententia contra communem Scholasticorum doctrinam, & apertam mentem S. Thomæ, nec multum Scripturis Sanctis conformis. Dictum fuit tandem, quod si constituatur electio ad gloriam ex prævisione meritorum quocumque modo ex illis quinque signatis, nihil est aliud quàm asserere talia prævisa merita esse causam electionis ad gloriam; si enim fit electio ad gloriam ex prævisis meritis, illa merita prævisa erunt sine dubio causa electionis talis; & si prævidetur electio illa fieri ex prævisis meritis, prævidentur utique illa merita ut causa electionis illius, quod sicut manifestum, probandum non venit modo. Itaque ut uno verbo dicatur, idem omnino est electionem ad gloriam fieri ex prævisione meritorum, & ponere prævisa merita causam vel rationem ipsius electionis. Omnia hæc dicta sunt supra, cum in particulari de electione ad gloriam sermo erat.

116. Nunc ergo doctrinam hanc consequenter applicando ad formalem ipsam prædestinationem. Dicendum est primo etiam illis quinque modis posse quemlibet imaginari fieri posse prædestinationem ex prævisione meritorum; vel ex operibus merè naturalibus prævisis ut meritis de condigno ipsius prædestinationis; vel prævisis ut meritis de congruo; vel ex innata libertate reddente efficacia auxilia quæ ex prædestinatione proveniunt; vel ex meritis prævisis faciendis ex auxilio gratiæ, quod auxilium sit effectus communis providentiæ tantùm, vel quod sit effectus ipsius prædestinationis.

117. Dicendum secundò, quod quolibet modo prædestinatio constituatur ex prævisione meritorum, ponitur sine dubio illa prævisa merita esse causam prædestinationis, & ex consequenti non poterunt eadem prævisa merita esse effectus ipsius; repugnat enim merita eadem prævisa esse causam, vel rationem prædestinationis, & esse effectus illius, ut est manifestum: Quia si illa sunt ratio, vel causa prædestinationis: ergo sunt & prævidentur ante ipsam prædestinationem. Si autem sunt & prævidentur effectus illius, necesse est claudantur in ipsa formali prædestinatione; nec illam possunt anteire. Sicut ergo repugnat quod eadem merita sint, & prævideantur esse ante prædestinationem, & quod sint intra ipsam prædestinationem; quia essent ante prædestinationem, & non essent ante prædestinationem (essent quidem ante prædestinationem, quia ponuntur causa illius; non essent ante prædestinationem, quia ponuntur claudi in ratione formali illius) ita est impossibile ponere fieri prædestinationem ex prævisis meritis, & simul asserere illa prævisa merita esse effectus prædestinationis talis. Et hæc ratio procedit de ipso toto & adæquato processu prædestinationis: Implicat enim ponere adæquatum processum prædestinationis fieri ex prævisis meritis, & eadem merita prævisa esse simul effectum prædestinationis. Igitur quocunque modo dicatur fieri prædestinationem ex prævisione meritorum, dicitur manifestè illa prævisa merita non esse effectus, sed rationem seu causam totius prædestinationis.

118. Dicendum tertiò, nihil aliud esse ponere merita prævisa esse causam, vel rationem prædestinationis, quàm ponere gratiam dari ex meritis nostris, & quòd principium sit ex nobis, & consummatio ex Deo. Sic enim S. Thomas expressè dicit & probat super 8. *cap. epist. ad Rom. lect.* 6. in explicatione illorum verborum, *Nam quos præscivit & prædestinavit*, cujus verba sunt. *Circa ordinem autem præscientiæ & prædestinationis, dictum quidam, quod præscientia meritorum bonorum & malorum est ratio prædestinationis & reprobationis, ut scilicet intelligatur quod Deus prædestinet aliquos, quia præscivit eos benè operaturos, & in Christum creditures, & secundum hoc litera sic legitur, quos præscivit conformes fieri imaginis filij sui, hos prædestinavit. Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantùm vitam æternam, quæ datur ex meritis. Sed sub prædestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab æterno divinitus præparatum. Unde eadem ratione omnia beneficia quæ nobis conferuntur ex tempore, præparavit nobis ab æterno. Unde ponere*

quod

Digitized by Google

quod aliquod meritum ex parte nostra præsupponatur, cujus præscientia sit ratio prædestinationis, nihil est aliud, quàm gratiam ponere dari ex meritis nostris, & quod principium bonorum operum sit ex nobis, & consummatio ex Deo. Hæc S. Thomas.

119. Docet ergo apertè Sanctissimus Doctor, nihil esse aliud ponere prædestinationem ex prævisione meritorum, quàm ponere gratiam dari ex meritis nostris, & principium boni operis esse ex nobis; consummationem autem ex Deo. Quod est attentè considerandum: imo id efficaciter probat, quia sub prædestinatione clauditur omne beneficium salutare, quod ab æterno homini præparatur: unde ponere aliquod beneficium salutare, vel aliquod meritum esse causam prædestinationis, est ponere quòd non sit ex prædestinatione, nec effectus illius, nec ab æterno à Deo præparatum; & sic illud beneficium salutare, vel illud meritum, quodcumque illud sit habebit principium ex nobis. Rursus si ipsum est causa prædestinationis, ipsa prædestinatio & gratia, quæ per illam confertur, cadet sub priori illo merito nostro, quod est illud duplex inconveniens à S. Thoma ex tali positione deductum.

120. Circa quod testimonium notanda sunt etiam illa verba. *Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantum vitam æternam, quæ datur ex meritis, &c.* Sensus enim Sancti Thomæ est, quod si prædestinatio non esset respectu mediorum, sed tantùm respectu gloriæ dandæ ob merita, illa explicatio qua dicebatur prædestinationem fieri ex præscientia meritorum, rationabiliter posset defendi. Et ratione eadem posset sustineri illa expositio de electione ad gloriam, quæ quoad executionem etiam datur ob merita. At loquendo de electione gratuita, quæ est in Deo ante prædestinationem, & omnem prævisionem meritorum, ut probatum est supra, stare non posset illa explicatio: cum illa gratuita Dei electio omnem antecedat meritorum præscientiam, sicut antecedit omnem formalem processum prædestinationis.

121. In summa quatuor ex hoc Sancti Thomæ testimonio apertè deducuntur. Primum, non posse dici quod electio omnino gratuita sit ex meritorum præscientia, cum illorum prævisionem antecedat. Secundum, quod rationabiliter potest sustineri, si sermo sit de prædestinatione ad gloriam, quæ est ultimus effectus prædestinationis, hæc enim præordinat dare in executione gloriam ob prævisa merita, ut est apertissimum. Tertium, eadem omnino ratione posse etiam sustineri, si sermo sit de secunda electione ad gloriam, quam supra diximus supponere meritorum prævisionem. Quartum & ultimum, quod ad præsens attinet, non posse applicari prædestinationi ipsi adæquatè sumptæ; quia si hæc fieret ex meritorum præscientia, principium boni operis esset ex nobis, & gratia daretur ex meritis nostris, quod utrumque est manifestè Pelagianum.

122. Quæ Sancti Thomæ doctrina magis est manifesta, si per omnes illos quinque modos, quibus singi potest fieri prædestinationem ex meritorum præscientia discurramus. Et quidem de primo & secundo, quibus ponitur, fieri prædestinationem ex prævisione operum merè naturalium, & antecedentium omnia dona gratiæ (quæ opera vel constituantur merita de condigno, vel de congruo) id est satis conspicuum, quòd principium boni operis meritorij esset ex nobis; & quod prædestinatio, quæ propter illa daretur, includeret gratiam; quæ daretur similiter ex meritis illis.

123. De quarto autem modo (nam tertium, quem potissimè & copiosè intendimus impugnare, ad ultimum reservamus) etiam id constat; quia illud meritum factum ex auxilio Dei dato ex communi & generali providentia tantùm, ex ipso homine haberet initium. Quod sic ostenditur. Quia auxilium datum ex communi tantùm & geneaali providentia commune est (ut in omni doctrina supponimus) & bonis, & malis, & electis, & reprobis: ergo Deus per illud non magis facit hos benè operari, quàm illos: ergo quod isti benè operentur, & mereantur ex illis est; & ipsi apertè se tunc ab aliis discernerent, & ex consequenti benè ex se operarentur, & principium bene operandi de facto & cum effectu ex se, & non ex auxilio illo communi haberent: igitur initium boni operis esset ex ipsis. Et rursus cum prædestinatio daretur ob tale meritum, jam gratia daretur ex merito nostro, ut S. Thomas deducit. Et ista ratio ita in nostra sicut in horum Recentiorum sententia vires habet. Fatentur namque & ipsi, quod auxilium quo quis operatur, debet habere saltem in ratione cujusdam majoris benevolentiæ aliquid ampliùs in eo qui convertitur, quàm in eo qui non convertitur, alias homo seipsum ab alio discerneret: quam sententiam modo non impugnamus; sed tantùm ex ipsa concludimus, quod si auxilium sit effectus cujusdam generalis providentiæ omnibus omnino communis, homo benè operans & merens prædestinationem suam, ex seipso initium illius boni operis & meriti haberet, & ob illius merita gratia prædestinationis daretur.

124. Nec sufficit ponere illud auxilium esse efficax, dicendo quod etiam multa auxilia efficacia non sunt effectus prædestinationis, sed communis providentiæ, ut patet de auxiliis aliquibus efficacibus reprobis datis: nam in prædestinatis nullum auxilium efficax datur, quod effectus prædestinationis non sit, ut ex S. Thoma dictum est modò: Vnde revera implicatio est ponere in homine auxilium efficax, quo benè operetur opera pietatis, & ex alia parte quod auxilium illud sit effectus solius communis providentiæ. Restat ergo ut illud auxilium generalis providentiæ sit omnibus commune, & bonis & malis; & quod ex se nullam majorem efficaciam habeat in uno quàm in alio, sed quod illam efficaciam ab ipso homine participet, sicut & modo probatum est. Vnde quod S. Bonaventuræ & Alensi hæc sententia tribuit, quod videlicet sentiant hominem esse causam suæ prædestinationis per bonum opus factum ex auxilio generalis providentiæ, illorum sententia non est. Quid autem intendant explicabitur infra, cum de Scholasticis sermo fiet.

125. Et per hoc constat quid dicendum sit ad quintum modum, quo ponebatur prædestinatio facta ex prævisione meritorum faciendorum ex auxilio efficaci gratiæ, quod auxilium sit verè prædestinationis effectus. Patet namque manifestam involuere contradictionem istam positionem; nam si auxilium efficax, ex quo quis benè operatur, est effectus prædestinationis: ergo nec auxilium, nec opus bonum ex ipso factum potest esse ante prædestinationem: ergo nequit opus ex illo procedens esse causa prædestinationis, aut prævideri ut causa illius, sicut supra ostensum est: Implicat ergo opus factum ex tali auxilio esse rationem, vel causam; & illud auxilium esse effectum prædestinationis.

126. Ex quo sequitur, quod licet supra agentes de electione ad gloriam, dictum sit posse sustineri, sine errore Pelagianorum, quod electio ad gloriam fiat ex prævisione meritorum faciendorum ex efficaci Dei auxilio, ita quod Deus conferat efficacia media ex se quibus homo consequatur salutem: tamen prędestinationem formalem ponere ex prævisione meritorum, vel manifestam & apertam involuit contradictionem, ut est declaratum; vel si illam non in-

Digitized by Google

voluit, manifestè ponit talis positio principium boni operis ex homine esse, consummationem ex Deo, & gratiam dari ex meritis nostris, ut S. Thomas convincit. Ideo enim Sanctus Doctor non sub disjunctione hac, sed assertivè istam ultimam partem concludit, quia nec putandum quempiam tam apertam contradictionem prętendere. Ex quo rursus fit manifestum non sustineri posse quod Franciscus Suarez supra relatus asseruit, ad disputationem Theologicam pertinere, quòd prædestinatio fiat ex præscientia meritorum. Ex dictis enim liquet id dici non posse, quia oppositum S. Thomas apertè convincit.

CAPUT X.

Quod prædestinatio non fiat secundùm boni usus futuri præscientiam.

127. SUPEREST nunc confutare illum tertium modum ponentem prædestinationem fieri ex præscientia boni usus futuri, vel secundum illam præscientiam, ita ut ex illa præscientia boni usus, certa ipsa prædestinatio reddatur. Quia enim in hoc potissima controversia versatur cum his authoribus, ideo id ex professo est examinandum.

128. Constituunt ij Authores certam esse prædestinationem primò & originaliter ex præscientia, & non ex divino proposito; licet enim verbis diversis, hoc tamen omnes concedunt: nec ex sola præscientia, nec ex sola divina voluntate dicunt oriri certam prædestinationem, sed ex utroque simul, præscientiâ nempe & voluntate: concurrentibus verò his duobus ad integram prædestinationem, asserunt certitudinem primò & originaliter ex præscientia sumi, non ex proposito. Ita Fonseca in sua Metaphysica, cujus nec verba referre opus est, quia clariùs Molina id dicit *q. 23. disp. 1. membro 11.* Ubi tam in adultis, quàm in parvulis dicit oriri certitudinem prædestinationis à sola scientia media, non à divino proposito, sic enim ait concluſ. 2. *Licet adultus ita prædestinatus certò, hoc est absque ulla deceptione vitam æternam consequatur; certitudo tamen non est ex parte mediorum, effectusque prædestinationis, sed ex parte divinæ præscientiæ.* Et concluſ. 3. loquens de parvulis inquit. *Quod parvuli prædestinati vitam æternam consequantur, non est ex certitudine mediorum, effectusque prædestinationis, qui in se non est certò futurus, sed ex certitudine divinæ præscientiæ, qua Deus altitudine sui intellectus quod in se est incertum, potestque non esse, cognovit certò futurum.* Nec aliud Franciscus Suarez dicit in opusc. lib. 2. cap. 7. aut libro primo de prædestinatione: in priori enim loco hoc sic manifestat. *Si autem præscindamus in divina providentia voluntatem à præscientia, & è contrario, nec ex vi solius voluntatis erit semper certò effectus futurus, nisi præscientiam adjungas; nec ex vi præscientiæ erit certitudo de effectu futuro absolutè, sed tantum conditionalis, nisi adjungas voluntatem statuentem aliquid circa causam, scilicet quòd constituatur in tali opportunitate ad operandum cum omnibus sufficientibus mediis.* At in secundo loco nempe prima parte lib. 1. de essentia prædestinationis cap. 7. licet dicat quòd in ista præscientia non incipiat prædestinatio, tamen illa est conditio prævia ad prædestinationem. Unde omnes utrumque sine dubio ad prædestinationem requirunt, & præscientiam illam mediam antecedentem, & voluntatem statuendi homines in tali rerum ordine cum talibus auxilijs sufficientibus. Verùm totam certitudinem primò & originaliter ex præscientia desumunt, non ex Dei proposito, vel mediorum efficacia; Vnde quod aliqui in hoc loco tanquam diversa sentientes eos introducant ob verborum diversitatem, minus attendunt quod in substantia doctrinæ idem omnino dicunt, ut modò manet explicatum. Verum est in aliquo esse differentiam; nam Pater Suarez primo libro de essentia prædestinationis cap. 7. dicit scientiam illam mediam non pertinere ad prædestinationem, nec in illa prædestinationem inchoari, sed esse quid ad formalem prædestinationem prævium: At Molina *citato membro per totum, signanter conclusione 1. & 5. & potissimè §. Et quidem Deus, vers. qui ergo ex his omnibus* manifestè vult illam mediam scientiam pertinere ad rationem formalem prædestinationis, & in illa media scientia rationem formalem prædestinationis inchoari. Sive autem uno, sive alio modo, substantialis convenientia est, qua originaliter certitudinem prædestinationis ex præviso bono usu arbitrij per illam mediam scientiam constituunt.

129. Quatuor autem consequenter loquendo in hac sententia dicunt circa prædestinationem. Primum est, prædestinationem non esse secundum firmum & absolutum Dei propositum ante omnem prævisionem saltem conditionatam boni usus arbitrij. Et hoc est primum eorum sententiæ fundamentum; quia per tale firmum Dei propositum dicunt tolli hominis libertatem, & fatalem quandam induci necessitatem. Ita formalibus verbis habet Molina in concord. q. 14. art. 13. disput. 53. membr. 2. §. Nunc ad id, usque ad illa verba, petit namque arbitrij libertas. Et q. 23. art. 4. & 5. disput. 1. memb. 12. §. Illud addamus. Quæ verba nec referre oportet, omnes namque Doctores sciunt hoc esse præcipuum illorum fundamentum.

130. Secundò. asserunt prædestinationem esse secundum præscientiam boni usus, ita quòd ab ipsa præscientia tota proveniat certitudo prædestinationis. Hoc esse aliud iporum fundamentum etiam est notum, & sæpissimè in eorum libris ab ipsis fuisse publicatum, ut patet de Molina in concord quæst 23. art. 4. &. 5. disput. 1. memb. 11. §. secnnda conclusio in principio, & §. ex his, vers. Vt enim, & §. Tertia concluſio, in principio in medio & in fine, ubi sæpe repetit à sola præscientia & non aliunde provenire prædestinatiois certitudinem. Idem habet Franciscus Suarez per omnes tres libros de prædestinatione; quia nec ipsi negabunt hoc esse eorum sententiæ fundamentum, nec eorum verba in hac parte citamus.

131. Affirmant tertiò id, quod ex duobus prioribus fundamentis planè sequitur, prædestinationem non esse gratuitam in particulari respectu aliquorum, sed communem respectu omnium. Hoc enim sub his verbis Ludovicus Molina asserit in concord. quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 13. §. verum. *Verum non arbitramur à Deo prædestinationem esse factam, quasi prius ex his quos creare decrevit, nulla ratione habita arbitrij cujusque, constituerit hos solum in particulari prædestinare, perducereque in vitam æternam, reliquos verò meninè.* Idem habet *eadem disputat. memb. ultimo §. Credens autem Augustinos propter illud Apostoli, qui vult omnes homines salvos fieri.* Quibus constat illum non admittere ante prævisionem boni usus arbitrij, qui sit causa vel ratio certæ prædestinationis, gratuitam aliquorum prædestinationem, sed ex parte Dei omnibus æqualem atque communem.

132. Quartò asserunt (licet quandoque verbis negent) id, quod ex prædictis sequitur, videlicet prędestinationem fieri propter talem bonum usum prævisum, prædestinationem inquam, in ratione formali prædestinationis certæ, & distinctæ à communi providentia. Hoc enim quartum & ultimum, licet multoties se tenere negent; tamen ex prioribus manifestè concluditur, ut copiosè infra probaturi sumus, unde ipsis meritò imputatur. Præsertim quia quando

Digitized by Google

quando asserunt prædestinationem non fieri propter bonum usum prævisum, intelligunt quod prædestinatio secundum quod non distinguitur à communi providentia, non fit per illum bonum usum prævisum. At quatenus prædestinatio certa ponitur & distincta à communi providentia, ponitur ab eis fieri propter illum bonum usum prævisum: quod & ratio ipsa convincit. Prædestinatio enim in ratione formali prædestinationis constituitur distincta à communi providentia per certitudinem, quod etiam ij authores affirmant: ergo id propter quod ponitur certa prædestinatio, est id propter quod prædestinatio formaliter constituitur in ratione prædestinrtionis distinctæ à communi providentia; sed secundum hos authores propter bonum usum prævisum est prædestinatio certa: ergo propter eundem bonum usum ponitur ab eis prædestinatio in ratione formali prædestinationis ut distinctæ à communi providentia. Quæ ratio magis infra in hac materia fundanda est, & explicanda. Constat ergo prædicta quatuor ab his authoribus de prædestinatione proponi.

133. Hæc autem eadem quatuor fundamenta in terminis Semipelagiani priùs constituerunt; quod sic ostenditur. Manifestum est enim primum illud relatum, eorum fuisse etiam principale fundamentum, prædestinationem nempe non fieri secundum firmum absolutumque Dei propositum ante præscientiam boni usus arbitrij, ita de ipsis S. Prosper refert Epistola ad Augustinum. *Removeri itaque* supple dicunt *omnem industriam, tolliquè virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates; & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem.*

134. Similiter & illud secundum fundamentum habebant, prædestinationem fieri secundum præscientiam boni usus, ita quod tota certitudo prædestinationis ab illa præscientia haberetur, secundum quod ait idem S. Prospter citata Epistola. *Pene par omnium invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt* &c. Itaque propositum admittebant, sed secundum priorem præscientiam. Vnde & verbis immediatè antecedentibus per Augustinum informari S. Prosper desiderabat, an propositum divinum subderetur in certitudine præscientiæ, an è contra præscientia in certitudine subderetur proposito, cum dicit. *Tum utrum præscientia Dei ita secundum propositum maneat, ut ea ipsa quæ sunt proposita, sint accipienda præscita; an per genera causarum, & species personarum ista varientur, ut quia diversa sunt vocationes, in his, qui nihil operaturi salvantur; quasi solum Dei propositum videatur existere. In his autem, qui aliquid boni acturi sunt, per præscientiam possit stare propositum; an verò uniformiter licet dividi præscientia à proposito temporali distinctione non possit, præscientia tamen quodam ordine sit subnixa proposito.* Tota ergo quæstio tunc erat, an propositum in certitudine firmaretur per præscientiam, an è contra præscientia subderetur firmitati propositi. Quod est clarè dicere, an prædestinatio certa esset secundum propositum, ut Catholici dicebant, an fieret secundum præscientiam, ut dicebant Semipelagiani.

135. Parique ratione tertiò asserebant Semipelagiani prædestinationem non esse gratuitam respectu aliquorum, sed communem & æqualem ex parte Dei respectu omnium: sic enim de iis S. Prosper refert ubi supra. *Hæc enim ipsorum definitio & professio est omnem quidem hominem Adam peccante, peccasse; & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari: Vniversis tamen hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento Sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam &c.* Et infra iterum de illis dicit. *Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam; quantum autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxiliũ gratiæ merito credulitatis acceperint.* Quibus constat posuisse Semipelagianos prædestinationem Dei non esse gratuitam respectu aliquorum in particulari, sed æqualem & communem omnibus, & solùm differentiam esse ex parte solius præscientiæ; potissime verò in hanc inclinabant sententiam propter illud Apostoli. *Qui vult omnes homines salvos fieri.*

136. Quartum ipsorum fundamentum, quod ex prioribus apertè sequebatur, erat, quod prædestinatio fiebat propter illam boni usus præscientiam, sive propter illum bonum usum præscitum: hoc enim quartum de eis refert idem S. Prosper citata Epistola dicens. *Pene par omnium invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit: quia finem cujuscunque præviderit; & sub ipso gratia adjutorio, in qua futurus esset voluntate & actione, præscierit.* Ecce dicebant quod ob hoc Deus eos prædestinabat, quia bonum illorum usum sub adjutorio gratiæ prævidebat. Manifestum est ergo quatuor illa quæ Molina, & qui illius defundunt sententiã, modò publicãt, fuisse in terminis olim à Semipelagianis divulgata, & à S. Patribus expugnata. Et hoc sit primum & fundamentale argumentum contra hanc sententiam, quæ modò prædestinationem non secundum firmum Dei propositum certam constituit, sed secundum illam sæpè relatam, & 1. nostro lib. part. 2. tract. 5. expugnatam præscientiam.

137. Cæterum antequam hanc magis in particulari expugnemus doctrinam, aliorum verba sunt recensenda, quæ talia sunt, ut & si nihil aliud efficacius adesset, ut hæc illorum confunderetur sententia (qua prædestinationem primò & originaliter certam ex illa sua præscientia statuunt) illa planè sufficerent, ut Theologorum nemo illam amplecteretur. Inter alia namque quæ expresè tradunt, & à nobis relata sunt lib. 1. part. 1. tract. 6. duo plane asserunt quibus attentè consideratis, nullus est, qui ab illorum opinione in materia de prædestinatione libenter non recedat: hæc autem iterum hic sunt repetenda, cum apertè hanc illorum de prædestinatione secundum præscientiam, sententiam manifestent. Hæc verò duo expresè Molina asserit in concord. quæst. 23. disp. ultima memb. ultimo. Vnum habet *in §. longior* in hunc modum. *Longior fui in hac disputatione quam optarim, vereorque ne aliquarum rerum repetitio lectori molestiam attulerit, quia tamen res est magni momenti, ac valde lubrica, & hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrij cum divina prædestinatione à nemine quem viderim hucusque tradita, ideo satiùs duxi paulò fusiùs explicare.* Hæc ille. Ecce prudens lector, docteque Theologe disertis verbis novam tibi ponit doctrinam, novamque concordiam in materia prædestinationis ad liberi arbitrij, novam, inquam, à nemine quem viderit hucusque traditam, & illam amplecteris? Si nos tibi illam novam esse proponeremus, posses forsan an nova esset dubitare, illamque sequi. At ipso protestante, qui eam introducit, novam esse, qua securitate potest Theologus eam amplecti? Nunquid non ex isto capite solùm, etiam si adversus eam nihil aliud opponeretur, fugienda esset hæc nova doctrina, & ab omnibus pari consensu damnanda? Prophanas vocum novitates vitare præcipit Apostolus 1. Tim. 6. dicens *O Timothee depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Et tanto Apostolo hoc docente, nos novam doctrinam in materia prædestinationis sequemur? Novam, inquam, à suo authore agnitam, novamque propositam sub

nomine

Digitized by Google

nomine falsæ scientiæ toties expugnatæ ? Profectò si nova est in materia tam gravi, nec potest non esse prophana. Clamat cum antiquitate Vicentius ille Lirinensis in illo suo aureo libello quem adversus prophanas vocum novitates scripsit, *tenenda antiquitas, & novitas profliganda:* & postea post novam in materia de prædestinatione traditam & cognitam sententiam securus incedet Theologus ? Proculdubio qui scienter antiquam deserunt doctrinam & novam sequuntur, sanam doctrinam, quæ in materia fidei non nisi antiqua est, minus sustinent ; sed ad sua desideria coacervant sibi Magistros purientes auribus 2. ad Timoth. 4. *Pruritum enim*, ut S. Thomas super eundem locum exponit, *dicitur habere in pedibus, qui non vult quiescere ; in auribus verò qui semper audire vult nova, inaudita & curiosa, & quandoque noxia: Athenienses ad nihil aliud vacabant nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.*

138. Nec contentus Molina sic manifestè novam in materia prædestinationis doctrinam publicare, proferre audet, nec à S. Thoma, nec ab Augustino, nec in Ecclesia ipsa usque ad Molinæ tempora abunde & perfectè traditam fuisse concordiam liberi arbitrij cum gratia, & quòd ipse solus illam hac sua nova doctrina invenit. Itaque si fas est audire, ante Molinam numquam perfecta tradita fuit concordia liberi arbitrij cum divina prædestinatione, nec Sancti Patres omnes tum Græci, tum Latini, nec Scholastici ; imò nec Pontifices summi, aut sacra Generalia Concilia abunde concordiam liberi arbitrij cum divina prædestinatione tradiderunt, sed ille solus hanc noviter invenit, & soli ipsi reservata est. Inaudita hominis vanitas ! etsi nulla alia essent, puto quòd ea solum ratione sententia ejus ab omnibus esset damnanda. Addit insuper nec usque ad ipsum in Ecclesia fuisse aditum patefactum ut hæretici ad ipsam facilius converterentur. Verba ejus sunt. *At quamvis hæretici, qui vel divinæ gratiæ, vel libertati arbitrij præjudicium afferre moliti sunt, ex scripturis sanctis principiisque fidei efficaciter sint expugnati, haud tamen scio an explicata penitus, & abundè reddita ratione integra conciliandi libertatem arbitrij cum illis tribus, hæreticis aditus, quo facilius ad pacem, unitatemque Ecclesiæ redirent, sit patefactus.* Sic famosus ille elator arbitrij loqui non metuit. Metuere tamen debebant, qui id legebant, ejus doctrinam sequi ; quia et aliud in ipsa non inveniant, quæ modo sunt dicta ejus doctrinam manifestè suspectam ostendebant. Relata autem verba habet in *Concord. quæst. 23. art. 4. & 5. disput. ultim. memb. ultim. §. licet semper.* de quo copiosè egimus lib. 1. part. 1. tract. 6. Si ergo multi ad hoc minus attendentes, nec ista illius authoris verba legentes (quod nec mirum est, facile namque pauca quædam verba lectorem effugiunt) prædictæ de prædestinatione secundum præscientiam doctrinæ adhæsere : illa nos in eorum vel memoriam, vel mentem revocamus, ut jam apertè cognoscentes doctrinæ novitatem, non à nobis, sed à suo authore sic nominatam, eam pariter nobiscum iuxta Apostoli præceptum devitent.

139. Quod si hoc primum lectorem admonet, cautumque reddit, ut à tali de prædestinatione nova doctrina recedat. Secundum, quod sequitur, & ab eodem authore citata disput. & membro apponitur in §. credens, id multò magis, ut nos arbitramur, efficiet. Prosequitur namque novus ille concordator & ait, *credens Augustinus cum his quæ de gratia adversus hæresim Pelagianam ex scripturis rectissimè docuerat, conjunctum esse, prædestinationem Dei æternam non fuisse secundum merita, qualitatemque usus arbitrij à Deo prævisi, sed solùm secundùm Dei beneplacitum, iuxta etiam Doctrinam Apostoli ad Rom. 9. Quæ doctrina plurimos ex fidelibus, præsertim ex his, qui in Gallia morabantur, non solum indoctos, sed etiam doctissimos viros, atque in Episcopali dignitate constitutos, mirum in modum turbavit, ne dicam illius occasione salutem eorum fuisse periclitatam : ne enim hujusmodi doctrinæ adhærerent, potiùs Pelagianæ ex parte assentiendum putabant. Sententiam verò Augustini secutus est Divus Thomas, & post eum plerique scholasticorum.* Hæc ille. De sententia autem S. Thomæ in materia prædestinationis, in qua secutus fuit S. Thomas S. Patrem Augustinum, ita Molina profert in Concordia quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. his ita confutatis ut ad rem redeamus, salva reverentia quæ D. Thomæ debetur magna, non mirum si communior scholasticorum sententia præsertim eo modo intellecta, quo verba D. Thomæ hoc loco adducta, sonare videntur, à multis dura nimis, indignaque divina bonitate & clementia iudicatur.

140. Expendantur quæso singula istius hominis verba, & vel ipsa solùm quemlibet illa considerantem à sequela talis doctrinæ retardabunt. Ait namque primò, & id quidem manifestè, sententiam esse S. Augustini contra Pelagianos prædestinationem fieri non secundùm præscientiam aliquam, sed solùm secundùm Dei propositum, à quo solùm sumat primò & originaliter certitudinem suam : fatetur ergo negare S. Augustinum omnem præscientiam etiam conditionatam, quia aliàs nec ejus sententiam *refutaret*, nec ex illius sententia assereret *Catholicos* fuisse turbatos : nisi hoc ipsum de prædestinatione secundum illam suam conditionatam præscientiam fateri vellet.

141. Asserit secundo, etiam apertè, credidisse Augustinum prædestinationē secundum propositum esse secundùm doctrinam Apostoli ad Rom. 9. sicut revera Apostoli esse sententiam supra dedimus manifestum: nec Theologus aliquis id poterit contendere, nisi velit Apostoli verba citato loco non in sensu literali intelligere, sed ad alium valdè diversum sicut ipse author facit, detorquere.

142. Addit præterea credidisse S. Augustinum, cum sua doctrina de gratia, quam rectè contra Pelagianos docuerat, conjunctam esse prædestinationem secundum Dei propositum, non secundum præscientiam. Ex quo & illud convincitur quod si rectè, ut fatetur, de gratia adversus Pelagianos Sanctus Augustinus egit, rectè etiam de prædestinatione secundum propositum disseruit. Ex hac enim prædestinatione secundum propositum, sicut ex causa, rectè de gratia quæ illius effectus est, egit : Nec poterat S. Doctor de gratia, quam contra Pelagianos defendit rectè loqui, si malè de prædestinatione secundum propositum sentiret, ex qua sicut ex causa, gratiam illam rectè defendebat ; quod mirum est non advertisse authorem illum : certè vel ipse suo se gladio jugulat, dum enim confitetur rectè S. Augustinum de gratia fuisse contra Pelagianos locutum, concluditur rectè & de prædestinatione, quæ est gratiæ præparatio sensisse. Verùm author prædictus nec agnoscit conjunctam esse omnino cum recta de gratia sententia, rectam etiam de prædestinatione doctrinam, in quo manifestam consequentiam ignorat. Sed si cognoscit S. Patrem Augustinum certissimè de gratia contra Pelagianos sensisse, quare ipse oppositam doctrinam immerito contra S. Augustinum defendit, novam viam introducendo.

143. Prosequitur & ait, *interim verò dum sub ea caligine D. Augustinus ad hoc non attendit*, ideſt ad ponendam prædestinationem secundum præscientiam. Bone Deus quis ista audiat. Iam ergo Sanct. Augustinus in materia prædestinationis est quasi sub caligine,

Digitized by Google

caligine,& ſolus Molina videt. Profecto ſi Sanctus Auguſtinus in materia prædeſtinationis & gratiæ eſt ſub ſua quaſi caligine, doctrina prædeſtinationis & gratiæ tradita per Eccleſiam (quæ eadem eſt cum Sancti Auguſtini doctrina, ut ſtatim aperiemus) etiam erit ſub ſua quaſi caligine. Adeo autem inaudita hucuſque iſta verba fuerunt, ut cùm eis, qui Molinæ doctrinam defendebant, aliquando opponerentur, nihil aliud dicere potuerint niſi intendiſſe Molinam eſſe S. Auguſtinum ſub quaſi caligine mundi, non doctrinæ. Quod ab omnibus qui aſtabant fuit unanimiter explolum, cum manifeſtè Molina de caligine in materia prædeſtinationis ſub qua dicebatur eſſe Auguſtinus,manifeſtè loquatur. Nec ſolùm dicit S. Petrum Auguſtinum ſub ſua quaſi caligine fuiſſe, ſed ejus ſententiam in materia prædeſtinationis, quam ſequutus fuit, ut ait, S.Thomas, & communior Scolaſticorum ſententia, eſſe multis duram nimis, & indignam Dei bonitate, atque clementia: Nec aliud poterat dicere Molina ſequens in omnibus Caſſianum, & Fauſtum Semipelagianos, qui primitus eadem verba contra doctrinam Sancti Patris Auguſtini protulerunt, ut ex epiſtolis Proſperi & Hilarij ad Auguſtinum redditur manifeſtum.

144. Addit deinde turbatos fuiſſe, ex hac doctrina S. Auguſtini de prædeſtinatione, Catholicos in Gallia commorantes, viros doctiſſimos & in Epiſcopali dignitate conſtitutos; quod dictum fuiſſe propter Caſſianum Presbyterum & Fauſtum Rhegienſem Epiſcopum nullus eſt qui non ſciat. De quibus inquit, quòd ne adhærerent doctrinæ prædictæ S.Auguſtini, Pelagianæ potius conſenſerunt: in quo verum affirmat: ſed advertere debebat, quod talis eſt in hac parte Sancti Auguſtini de prædeſtinatione ſententia, ut quicumque ab ea recedat, eo ipſo ad partes Pelagianorum declinet. Quod ſi in hoc agnoſcit eorum fuiſſe ſalutem periclitatam, ſibi ipſi conſulat, dum ſe ex Auguſtini doctrina turbatum fatetur, & ab ea tam libenter recedit.

145. Vltimo concedit id quod apertiſſimum eſt, nimirum hanc de prædeſtinatione ſecundum propoſitum S.Auguſtini doctrinam, ſecutum fuiſſe S.Thomam, & Scholaſticos alios. Ex quibus fit manifeſtum agnoviſſe authorem iſtum id, quod apertiſſimum eſt, S.Auguſtinum, S.Thomam docuiſſe ſemper prædeſtinationem ſecundùm Dei propoſitum fieri, non ſecundùm mediam ſcientiam; unde ſciens & volens illorum doctrinam impugnavit: Et hoc ſit primum ac potiſſimum fundamentum ad convincendum prædeſtinationem non fieri ſecundum præſcientiam illam. Quæ cum ita ſint, quid ejus laborant diſcipuli ſuadere prædeſtinationem ſecundum illam præſcientiam Sanctis Auguſtino & Thomæ eſſe communem. Ceſſent ergo ab hac ſine dubio prætentione frivola, in qua in ſuis opuſculis quidam diu laborantes, nihil aliud quàm oleum & operam perdunt; eos enim proprius magiſter reprehendit, ac docet neminem poſſe Sanctis illis doctoribus hanc prædeſtinationem ſecundum mediam præſcientiam tribuere, cum illi apertiſſimè oppoſitam,quæ ſecundum Dei firmum præpoſitum eſt, manifeſtè tradiderint. Legatur S.Pater Auguſtinus ubique contra Pelagianos, ſignanter libro illo inſigni de prædeſtinatione Sanct. & luce clarius conſtabit, nihil aliud ipſum ex principali intentione velle, quàm negare prædeſtinationem fieri ſecundum præſcientiam conditionatam, quam Molina mediam appellavit, & quam Semipelagiani expreſsè conſtituebant. Imo ad illam damnandam, rogatus à Proſpero & Hilario, illum librum compoſuit. Semper verò prædeſtinationem ſecundum Dei firmum, ac immutabile propoſitum tradidit, tum in illo libro, tum de dono perſev. ut Molina ipſe fatetur: nec loca in particulari inducimus,oporteret enim illos duos libros ex integro tranſcribere.

146. Accedit quod cum Robertus Cardinalis Bellarminus in ſuis controverſijs de ſententia S. Auguſtini in materia prædeſtinationis, ita dicat. *Hæc ſententia*, (videlicet Sancti Auguſtini in materia prædeſtinationis) *non quorumvis Doctorum opinio, ſed fides Eccleſiæ Catholicæ dici debeat.* Et ſententia à S. Auguſtino tradita (& à Cæleſtino primo, & Leone primo atque Hormiſda approbata) ipſo teſtante Molina, ſit,prædeſtinationem eſſe ſecundum propoſitum, non ſecundum præſcientiam, Profectò prædeſtinatio ſecundum propoſitum,non ſecundum præſcientiam ipſa erit fides Eccleſiæ. Cum ergo illam in S. Auguſtino Molina citatis verbis reprehendat,videat cui veritati ſe contrarium oſtendat.

147. Quam autem authoritatem habeat in his materijs S. P. Auguſtinus,noſtro primo lib. tract.4. cap.1. notum dedimus, præter enim S.Hieronymum, Proſperum, Hilarium, Fulgentium, qui eum ſummis laudibus extollunt, extat Epiſtola Cæleſtini, in qua de impugnatoribus S. Auguſtini dicit inter alia, *reſiſtendum eſſe talibus, quos malè creſcere videmus.* S. etiam Leo primus verba Sancti Auguſtini pro canonibus in hac materia Eccleſiæ propoſuit, ut eſt videre ex Concilio Milevitano ſecundo. Deinde Gelaſius epiſtola ad Epiſcopos Picenos quemdam hæreſi Pelagiana infectum, qui doctrinam S.Auguſtini & Hieronymi audebat reprehendere, muſcam perituram vocat. Hormiſdas, quid in materia liberi arbitrij & gratiæ teneat ac ſervet Eccleſia, docet in libris S.Auguſtini poſſe cognoſci, maximè in illis qui ſunt ad Hilarium, & Proſperum. Joannes Papa ſecundus in decretali ad Liberium & Severinum ait. *Item S.Auguſtinus; cujus doctrinam ſecundum Prædeceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur & ſervat Eccleſia.* Concilium etiam Valentinum tempore Imperatoris Lotharij, inter alios, quibus fatetur ſe reverenter auditum, & intellectum obtemperanter ſubmittere, ſicut ſacræ Scripturæ lucidiſſimis expoſitoribus, expreſsè nominat Auguſtinum. Et tamen his omnibus Patribus & Summis Pontificibus ſe opponens Molina, irreverenter S.P. Auguſtini doctrinam in materia prædeſtinationis & gratiæ,in qua potiſſimè à Summis Pontificibus laudatur,reprehendit & carpit: illorum, quos S. Proſper refert in fine contra collatorem, ſequens non ſolùm doctrinam, ſed in S. Doctorem maleloquentiam. Sed nos, quod principaliter intendimus, ex propria hujus hominis confeſſione, hoc ſumimus fundamentum, ſententiam fuiſſe S. P. Auguſtini, quam Divus Thomas & communior Scholaſticorum ſententia ſequuta eſt; prædeſtinationem non fieri ſecundum boni uſus præſcientiam, ſed ſecundùm ſtabile, firmum, & divinum propoſitum. Et hoc ſit primum, ac potiſſimum fundamentum ad damnandam ſententiam Molinæ & ſuorum contendentium prædeſtinationem fieri ſecundum præſcientiam boni uſus. Illud tandem conſiderandum attentius proponimus, quòd cùm Molina verbis jam ſupra relatis dicit, non fuiſſe ante illum penitus explicatam, & abundè rationem redditam conciliandi arbitrij libertatem cum gratiæ donis, ut hæretici, qui vel divinæ gratiæ, vel libertati arbitrij præjudicium inferre moliti ſunt, faciliùs ad unitatem & pacem Eccleſiæ redirent: & cum in ſua concordia quæſt.23. memb. ulti. §. nos pro noſtra,affirmat,quod ſi hæc, quæ ipſe in hac materia & concordia exponit, dicta explicataque ſemper fuiſſent, fortè nec Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta, nec Lutherani tam impudenter arbitrij noſtri libertatem fuiſſent auſi negare,quæ ſunt illius propria verba. Cum inquam, iſta ipſe proponit, & putat ſe à Pelagianis & Lutheranis longius recedere

Digitized by Google

ire, omnes Theologi advertant, quòd potiùs per ſuam doctrinam in tota ſua concordia traditam & explanatam, Pelagianorum, & Lutheranorum ac Calviniſtarum hæreſim magis ipſe ſtabilit, atque confirmat, ut doctiſſimè inſignis illa Lovanienſium academia priùs denudavit: cujus verba in 1. lib. part. 2. tract. 5. in confutatione illius mediæ ſcientiæ quæ totius illius doctrinæ eſt fundamentũ relata invenientur: quod & ratio ipſa manifeſtat. Pelagianorum hæreſis in hac ratione tota conſiſtit. Eſt liberum arbitrium: ergo non eſt prædeſtinatio ſecundum firmum Dei propoſitum, nec eſt efficax gratia ex illo proveniens: in qua ex antecedenti de fide, hæreticè concludunt negationem prædeſtinationis, & gratiæ; contendentes iſta cum libertate arbitrij non cohærere. Lutherani verò & Calviniſtæ ex oppoſito conſequentis Pelagianorum ad oppoſitum antecedentis, ita ſuum dogma concludunt. Eſt prædeſtinatio ſecundùm firmum Dei propoſitum, eſtque gratia efficax ex illo proveniens: ergo non eſt libertas arbitrij; quia contendunt hanc cum tali prædeſtinatione & gratia minimè cohærere. Quorum antecedens cum ſit oppoſitum hæretici Pelagianorum conſequentis, procul dubio ad fidem pertinet; nec Lutherani, aut Calviniſtæ illud ſunt auſi negare, videntes illud ſemper à S. Patribus contra Pelagianos traditum & definitum: unde erraruntdum ex antecedente ad fidem pertinente hæreticum conſequens intulerunt. Molina verò in tota ſua concordia hoc habet pro fundamento. Eſt liberum arbitrium: ergo non eſt prædeſtinatio ſecundum firmum Dei propoſitum, nec eſt efficax gratia ex illo proveniens: in quo cum relatis omnino convenit: parique ratione & perpetuum illius fundamentum illud eſt. Prædeſtinatio ſecundum firmum Dei propoſitum eſt & efficax gratia ex illo proveniens: non ergo ſalvatur arbitrij libertas: in quo pravam conſequentiam Lutheranorum & Calviniſtarum ipſe approbat, illoſque quod bene intulerint excuſat, ac proinde ipſorum errorem magis ſtabilit atque confirmat.

148. Dicendum eſt ergo quod ſicut fuit Semipelagianorum error damnatus quod electio ad gloriam non fiat abſque præviſione abſoluta boni uſus arbitrij bene utentis gratia, ut ex tractatu præcedenti relinquitur comprobatum: ita damnatus error illorum fuit, quod prædeſtinatio fiat ſecundum boni uſus præſcientiam, ita ut prædeſtinatio ſuam ſumat certitudinem primò & originaliter ex præſcientia boni uſus, & non ex divino propoſito: cum enim prædeſtinatio eſſentialiter certa ſit (ut dictum eſt ſupra) & per certitudinem conſtituatur in formali ratione prædeſtinationis; id à quo primò certitudinem ſumit, eſt id à quo prædeſtinatio in ratione prædeſtinationis conſtituitur; & ex conſequenti idem omnino eſt prædeſtinationem reddi certam primò & originaliter ex præſcientia boni uſus, & conſtitui per talem præſcientiam in ratione formalis prædeſtinationis.

149. Nec valet aliquorum prætenſa excuſatio, dicentium errorem Semipelagianorum fuiſſe, prædeſtinationem fieri ſecundum boni uſus prævisionem abſolutam, & non ante illam; à quo tamen (ut ajunt) diſtat ſententia affirmans prædeſtinationem fieri ſecundum præſcientiam illam conditionatam, cum teneat fieri prædeſtinationem ante prævisionem abſolutam boni uſus: ex quo (ut dicunt) alia eſſentialis & magna oritur differentia inter Semipelagianorum errorem, & ſententiam aſſerentium prædeſtinationem non fieri ſine præſcientia illa media, ſeu conditionata: nam Semipelagiani qui dicebant fieri prædeſtinationem ſecundum abſolutam præſcientiam boni uſus, conſequenter affirmabant prædeſtinationem fieri propter illam boni uſus præſcientiam, & ſic prædeſtinationem conſtituebant non ex vocante, ſed ex prævisis operibus contra Apoſtoli doctrinam. At verò ſententia alia nunc relata ſicut dicit prædeſtinationem non fieri ſine illa conditionata præſcientia; ita affirmat non fieri propter illam præſcientiam boni uſus, nec fieri ex prævisis operibus, ſed ex vocante conformiter ad Apoſtoli doctrinam.

150. Hæc certè excuſatio nihil omnino juvat. Primò, quia infra ſequenti capite demonſtrabimus idem omnino eſſe prædeſtinationem eſſe certam primo & originaliter ſecundum præſcientiam boni uſus, & eſſe propter præſcientiam illam boni uſus: unde qui primum admittunt, convincuntur de hoc ſecundo, quidquid verbis duntaxat dicant, ut à damnato errore aliqualiter ſe excuſent. Secundò quia infra ex propriis verbis iſtorum recentiorum conſtabit ipſos manifeſtè dicere prædeſtinationem, ut diſtinguitur à communi providentiæ, pendere à bono illo uſu prævisо per illam præſcientiam, & ex conſequenti ab homine eſſe quòd ſit prædeſtinatus, & non relictus in ſtatu communi providentiæ. Quod eſt clarè affirmare prædeſtinationem, ut diſtinctam à communi providentia, fieri propter præſcientiam illam boni uſus, vel ex illo bono uſu prævisо ſicut ex operibus. Tertiò quia ut etiam ex propriis verbis & ſententiis horum authorum aperiemus, aliquale meritum ſaltem ſecundum pietatem ipſi conſtituunt in illa præſcientia conditionata boni uſus, ut Deus velit hominem conſtituere in tali ordine rerum, in quo ita prævideatur bene operaturus; & ex conſequenti ex omni parte convincuntur, quod prædeſtinationem conſtituant propter præſcientiam boni uſus. Quartò quia illa conditionata præſcientia eſſentialiter ordinatur ad abſolutam tanquam ad finem, ut ſupra agentes contra illam mediam ſcientiam in 1. lib. part. 2. tract. 5. ſatis oſtendimus. Quintò & ultimò quia illa media ſcientia conditionata adimpleta conditione, ut per fautores hujus ſcientiæ ponitur adimpleta, tranſit in abſolutam, & de ipſa ſicut de præſcientia abſoluta loquendum eſt, & per abſolutam omnino eſt regulanda.

151. Unde etiam Semipelagiani, conditionatam illam præſcientiam admittebant, ut illi authores fatentur, & nos ex apertа ipſorum confeſſione notificavimus ſupra libro 1. part. 2. tract. 5. agentes contra illam mediam ſcientiam: admittebant namque conditionatam præſcientiam ſicut radicem & originem, ex qua alia abſoluta præſcientia conſequebatur, ſecundùm quam certam prædeſtinationem conſtituebant. Sic enim & illi Philoſophabantur. Quod primò Deus præſciebat quod ſi tale auxilium generale his hominibus detur, ipſi bene eo utentur, & ſub eo uſque in finem vitæ perſeverabunt, in quo actu nec prædeſtinationem ponebant, ut eſt evidens: & hac præſuppoſita præſcientia, aſſerebant quod Deus omnibus volebat dare auxilium illud generale, præſciens jam abſolutâ præſcientiâ hos bene operaturos & perſeveraturos uſque in finem; & in iſto actu ſecundum hanc abſolutam præſcientiam, formalem prædeſtinationem collocabant; & ſic certitudinem prædeſtinationis originaliter ex illa media ſcientia petebant: at certitudinem prædeſtinationis abſolutam, quæ propria eſt prædeſtinationi, ſumebant ex abſoluta præſcientia, qua jam Deus videbat homines ſic conſtitutos ſub talibus auxiliis abſolutè bene operaturos & perſeveraturos.

152. Et quod iſta fuerit eorum circa prædeſtinationem ſententia, patet ex Epiſtola S. Proſperi ad Auguſtinum; manifeſtè enim illam conditionatam ſeu mediam ſcientiam fundabant, ſecundum quam, ut ibi S. Proſper refert, aſſerebant gratiam operari, quia ex illa dirigebatur gratia Dei vocantis ad certò operandum, & ex illa ſicut ex prima radice & origine certitudo in operatione pendebat. Et hac prima

fundata

Digitized by Google

fundata radice certitudinis sub conditione pergit S. Prosper, & exponit præscientiam aliam absolutam, quæ adimpleta conditione ex illa conditionata consequebatur secundum quam Semipelagiani formalem prædestinationem certam statuebant, dicit enim. *Penè omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate & actione, præscierit.* Quibus verbis prædestinationem (quæ sine dubio non conditionalem, sed absolutam habet certitudinem) secundùm absolutam præscientiam, qua Deus uniuscujusque finem sub abjutorio gratiæ (sufficienti videlicet) videbat, manifestè assignabant. Manifestum est ergo Semipelagianos utrâque prescientiâ in materia prædestinationis & gratiæ usos fuisse, & illa conditionata, ex qua origo certitudinis proveniebat; & absoluta, secundum quam prædestinationem ipsam formaliter certam contendebant.

153. A qua sententia planè nec ista, quæ his temporibus divulgatur, invenitur diversa, cum etiam ista conditionatam illam præscientiam præsupponat, ut primam radicem ex qua certitudo in prædestinationem dimanat, ut ejus authores apertè concedunt; & etiam aliam admittat absolutam, secundùm quam prædestinatio suam absolutam habeat certitudinem. Quod enim hoc secundum ipsi etiam apertè fateantur, constat; nam Molina tum alibi, tum expressius in apendice ad memb. 8. positum in fine concordiæ, expresè concedit & statuit, quod ille actus quo Deus vult hominem constituere in tali rerum ordine, in quo prævidetur bene operaturus, & perseveraturus (in quo actu, secundum ipsum formalis prædestinatio consistit) includit absolutam meritorum prævisionem, ob quæ Deus vult gratiam per prædestinationem dare: ergo in formali actu prędestinationis absolutam prescientiam constituit, secundùm quam formalis ipsa prędestinatio certa absolutè reddatur.

154. Quod clarius Franciscus Suarez expressit 2. lib. opusc. cap. 7. ita dicens. *Si autem præscindamus in providentia voluntatem à præscientia, & è contrario, nec ex vi solius voluntatis erit semper certò futurus, nisi præscientiam adjungas; nec ex vi præscientiæ erit certitudo de effectu futuro absolutè, sed tantum conditionalis nisi adjungas voluntatem statuentem aliquid circa causas, scilicet quod constituatur in tali oportunitate ad operandum cum omnibus sufficientibus mediis.* Hæc ille, ergo adjuncta tali Dei voluntate constituere hominem in tali opportunitate ad operandum cum omnibus generalibus remediis, erit præscientia absoluta de futuro absolutè: ergo eo ipso quod Deus sic vult constituere hominem in tali opportunitate, certò scit ipsum absolutè bene operaturum, perseveraturum, atque salvandum: ergo jam in ipso formali actu prædestinationis ponitur ipsa prædestinatio certa non secundùm propositum, sed secundùm absolutam præscientiam ut olim ponebant Semipelagiani. Quæ ratio in sententia Suarez ponentis scientiam mediam non pertinere ad ipsam formalem prædestinationem, sed præsupponi ad illam, magis convincit. Debet enim ipse ipsam formalem prædestinationem certam constituere absolutè, & non tantùm sub conditione; sed illa absoluta certitudo secundum ipsum non oritur ex divino proposito, nec præcisè ex illa conditionata præscientia: ergo provenit ex præscientia absoluta; licet hæc præscientia absoluta, ut dictum est, oriatur ab illa præsuppositа conditionata, quæ jam adimpleta conditione, transit in absolutam.

155. Quod ut magis manifestetur, dicant ij authores, quare isti sunt absolutè & cum effectu prædestinati, & non alij? Non possunt sine dubio dicere quia Deus prævidit per scientiam mediam, quod si in tali opportunitate reciperent auxilium aliquo modo sufficiens, bene operarentur, & usque in finem perseverarent; quia ista præscientia præcisè prædestinatio esse non potest, ut concedunt; nec possunt dicere, quia Deus omnibus dat æqualia auxilia sic aliquo modo sufficientia præscindendo à præscientia: necesse est ergo quod dicant ideo hos absolutè, & cum effectu prædestinatos, quia Deus dedit eis absolutè & cum effectu auxilium sic sufficiens, seu generale in tali opportunitate, certò præsciens eos absolutè & cum effectu bene operaturos, & perseveraturos usque in finem sub talibus auxiliis: ergo certam constituunt prædestinationem secundum absolutam præscientiam, ut olim, licet & tunc, & modò hæc oriatur ex illa priori scientia conditionata. Quod si Semipelagiani non utebantur illa conditionata præscientia ad negotium prædestinationis; sed omnibus modis utebantur præscientia absoluta, ut videtur ex Leonardo Lessio deduci, tractatu de prædestinatione inferiùs refutando (quem dicendi modum ille sequitur) nihil retulerit, quia differentia erit in hoc quod Leonardus Lessius clariùs loquitur & tollit pallium scientiæ mediæ. Verùm etiam usos fuisse Semipelagianos scientia illa media, seu conditionata, ostensum est sæpiùs.

156. Præterea ratio hoc manifestat, quia sicut est proprium præscientiæ conditionatæ prescire, quod si arbitrium hominis sub tali generali auxilio in tali opportunitate constituatur, bene eo utetur & in eo perseverabit usque in finem; ita adimpleta tali conditione, & posito jam homine in tali opportunitate, & sub tali generali auxilio, proprium est Dei, ut jam absolutè certò cognoscat hominem bene operaturum, & usque in finem perseveraturum, quod nec negare possunt.

157. Rursus sicut proprium est prescientiæ illius conditionatæ præscire, quod si homo sic constituatur, non ex auxilij efficacia, sed ex sua innata libertate bene operabitur, & perseverabit, ita proprium est præscientiæ absolutæ, ut jam adimpleta conditione, & sic homine constituto sub auxilio tali in tali opportunitate, videat hominem bene operaturum & perseveraturum, non ex efficacia auxilij, sed ex sua innata libertate: ergo de primo ad ultimum, cum prescientia, sive conditionata, sive absoluta sit certa, ex certitudine objecti, & objectum sit bonus usus arbitrij; prescientia utraque ex bono usu arbitrij sumet certitudinem; & ex consequenti prędestinatio quæ est certa per prescientiam, erit certa ex bono usu innatæ libertatis, reddentis ex se ipsa certam suam prædestinationem.

158. Uno ergo verbo concludendo, quod cum prędestinatio non ponatur certa ex firmo Dei prppósito, sed originaliter ex prescientia conditionata, & immediatè atque formaliter ex prescientia absoluta boni usus arbitrij bene utentis ex se auxiliis generalibus, manifestè ponitur certitudo absoluta prędestinationis secundum prescientiam absolutam, sicut antea ponebant Semiperagiani.

159. Nec valet dicere Semipelegianos errasse, quia dicebant Deum vocare ad fidem eos, qui prescibantur crediturі ex sua innata libertate, posita tantum exteriori prædicatione; non autem posita interiori excitatione, sicut ab his authoribus ponitur: non valet certè ista responsio. Primò quia nunc agimus de certitudine prædestinationis, non de certitudine receptionis fidei, cum multi fidem recipiant, qui tamen prædestinati non sunt; unde nec ad propositum ista modò in hac quęstione dicuntur. Secundo, quia nec circa fidei receptionem aliqua in-

Digitized by Google

ter eos differentia est : sicut enim Semipelagiani, ut 1. libro part. 1. tract. 5. præmsimus contendebant, Deum vocare ad fidem per prædicationem eos, quos præsciebat ex sua innata libertate esse credituros per illum actum, quo ex solis naturalibus certò crediderunt revelatis, propositis, & explicatis per prædicationem : ob quod initium fidei asserebant Deum illis dare fidei argumentum seu perfectionem : ita hi authores idem dicunt de illo actu credendi, quem posita prædicatione, homini ex sola innata facultate tribuunt, propter quem etiam dicunt, quod Deus ex certa lege dat excitantem gratiam, ut perfectior fiat; unde inter illos sola hæc differentia est, quod sola voce hi authores negant illum credendi actum esse initium fidei ; at Semipelagiani id planè, etiam voce fatebantur ; de quo infra expresse libro nostro tertio copiosè acturi sumus.

160. Vnde ad præsens omnino concludendum videtur, quod hac excusatione minus juvante, damnata sit Semipelagianorum sententia, quòd prædestinatio fiat certa primò originaliter secundum quancumque præscientiam boni usus, etiam conditionatam : quod & ratio ista convincit. Quando enim sententia aliqua idem omnino substantiale & unicum fundamentum habet, quod habet & alia, absque dubio cum illa convenire convincitur, etiamsi in aliquibus accidentibus ab illa distingui videatur ; sed recentiorum sententia eodem omnino utitur substantiali fundamento, quo utebantur Semipelagiani in materia de prædestinatione & gratia : ergo procul dubio cum illa convenire convincuntur. Fundamentum enim unicum Semipelagianorum fuit illud, quod S. Prosper Epistola ad S. Augustinum refert. *Renovari itaque omnem industrinam* (suple dicunt Semipelagiani) *tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates ; & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem.* Hoc ipsum fuisse Semipelagianorum argumentum constat ex prædicta S. Prosperi Epistola. Ad quod inconveniens evitandum negabant prædestinationē fieri secundum propositum, & illam secundum boni usus præscientiam constituebant modo dicto. Cum ergo hoc ipsum fundamentum in terminis constituant modò recentiores in omni sua doctrina, & hoc millies inculcare non desistant (propter quod negant prædestinationem fieri secundum propositum ante illam præscientiam) sine dubio convincitur, quòd cum illorum damnata sententia conveniant, cum potissimè certam prædestinationem constituant secundum præscientiam, vt olim, ut ostensum est.

161. Diximus damnatam esse sententiam quòd prædestinatio fiat primò & originaliter certa secundum præscientiam boni usus, quia nulli potest esse dubium quin secundario post primam certitudinem prædestinationis, quam habet ex divino proposito, etiam præscientia boni usus sit certa ex certitudine videlicet, & firmitate divini propositi, ad quod certa illa præscientia consequitur. Ideo enim Deus certo præscit hominis bonum usum futurum, quia ita ipse Deus secundum firmum suum propositum prædestinavit fieri.

162. Et hoc est quod Apostolus docet secundæ ad Timoth. 2. *firmum fundamentū Dei stat habens signaculum hoc, novit Dominus qui sunt ejus.* Vbi signum secutum ad firmitatem prædestinationis, docet esse certam prædestinatorum præscientiam. Si ergo secundum Apostolum hæc certa præscientia prædestinatorum signum est firmitatis prædestinationis, non ex tali præscientia sumitur primò & per se firmitas prædestinationis, sed ex divino proposito firmitatem primò habet; & hujus firmitatis signum, est certa Dei præscientia de illorum salute ; ita ut ideo Deus id certò sciat, quia id firmiter statuit atque decrevit: unde mirum est quod ex isto Apostoli testimonio Molina in concord. *quæst. 23. disp. 1. memb. 11. §. secundum est*, deducat, totam & originalem firmitatem prædestinationis ex præscientia sumi ; cum totum oppositum ex illo potius convincatur ratione facta. Videatur de plana intelligentia hujus testimonij Sanctus Thomas *super illum locum Apostoli, & 1. part. quæst. 24. art. 1.* Vbi ex Apostoli verbis deducit id quod ipsa sonant, & modò explicatum est, quod præscientia certa prædestinatorum, sicut signum consequatur ad firmitatem electionis & propositi divini, ac prædestinationis ; ex qua electione & divino proposito præscientia certa est : de quo tamen plura infra dicenda sunt & probanda. Ad præsens sufficiat verba S. Thomæ inducere quæ habet in utroque loco modò citato: supra Paulum ita dicit. *Sed firmum Dei propositum stat : hac enim fundamenta sunt illa, quibus datur gratia immobiliter standi, Matth. 7. fundata enim erat super firmam petram : firmum, quia immobile. Vnde præmittitur ibi Math. 7. Quod venerunt flumina & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Hujus firmitas dependet primò ex divina prædestinatione. Secundò ex libero arbitrio nostro. Et ideo quantum ad primum dicit, hoc firmum fundamentum habens hoc signaculum, id est hoc est signum hujus firmitatis Ioan. 3. Qui autem acceperit testimonium ejus signavit quia verax est. Et hac est prima pars signaculi, scilicet ex divina prædestinatione, quia novit Dominus qui sunt ejus. Et hac est notitia divina prædestinationis Ioann. 10. Ego cognosco oves meas, & alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili. Math. 7. Non novi vos. Sed quantum ad secundum dicit, discedat ab iniquitate omnis qui invocat, quasi dicat, si prædestinati sunt à Deo, quod per liberum arbitrium salvabuntur : quia ex hoc quod aliquis finaliter non adhæret peccato, ostendit se esse prædestinatum.* Hæc S. Thomas quibus tria ordinatè proponit. Omnium primum, firmitatem divinæ prædestinationis. Secundum notitiam certam hujus firmæ prædestinationis Dei, quæ consequitur ad illud primum. Tertium liberum nostrum arbitrium finaliter non adhærens peccato. Sicut autē illud secundum est primum signum firmitatis prędestinationis, ita hoc tertium signum est secundum ejusdem firmitatis; unde primò & originaliter ex divinæ prædestinationis firmitate, & non ex divina præscientia, constituit cum Apostolo S. Thomas certitudinem divinæ prædestinationis. *In quæst. verò 24. 1. part. in citato art. 1. in corpore* ad idem, sic concludit. *Vnde ipsa Dei notitia qua firmiter retinet se aliquos prædestinasse ad vitam æternam, dicitur liber vitæ. Nam sicut scriptura libri est signum eorum quæ fienda sunt, ita Dei notitia est quoddam signum apud ipsum, eorum qui sunt perducendi ad vitam æternam secundum illud 2. ad Timoth. 2. firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, novit Dominus qui sunt ejus.* Et solutione ad quartum subjungit. *Ad quartum dicendum quod secundum rationem differt liber vitæ à prædestinatione, importat enim notitiam prædestinationis.* Vbi semel, & iterum statuit illam certam notitiam, qua Dominus vovit qui sunt ejus, post firmam prædestinationem, sicut illius signum.

163. Quod si objicias. Certitudo primò & originaliter pertinet ad intellectum : ergo certitudo prædestinationis primò & originaliter ad præscientiam pertinet, & ad intellectum : ergo ex præscientia primò sumenda est.

164. Ad hoc dicendum, quod licet certitudo formalis ad intellectum pertineat, certitudo tamen originalis, sive causalis ex alio in intellectum derivatur; unde prima origo & causa certitudinis non provenit

Digitized by Google

nit ex intellectu, sed aliunde sumenda est. Quod sic manifestatur. Certitudo cognitionis tũc est, quando cognitio non declinat in aliquo ab eo quod in re invenitur, sed eo modo judicat de re sicut est: quia autem certum judicium habetur de re præcipuè per causam rei, ideo tractum est nomen certitudinis ad causam respectu sui effectus, ut videlicet ordo causæ ad effectum dicatur certus, quando causa infallibiliter effectum producit. v. g. ut in propria materia hoc aperiatur. Præscientia Dei certò videt bonum usum hominis prædestinati; illud autem certè scit, quia ita est, quod homo prædestinatus bene utitur arbitrio & donis gratiæ: ideo autem bene utitur, quia divina voluntas, & divina prædestinatio secundum propositum (quæ causa est quod homo bene operetur) facit efficaciter donis suæ gratiæ, quòd homo bene operetur: unde de primo ad ultimum prima causa, primaque radix illius certæ cognitionis, certæque præscientiæ boni usus arbitrij est prædestinatio secundum firmum & stabile propositum divinæ voluntatis; & ex illo derivatur ad præscientiam. Videatur Sanctus Thomas *quæst. 6. de veritate, art. 3. in corp.* Vbi hoc solvens argumentum, ait, duplicem esse certitudinem, aliam cognitionis; & hanc pertinere formaliter ad intellectum; aliam verò ordinis, & hanc pertinere ad causam, quæ certò suum producet effectum.

165. Supposito ergo, damnatam esse Semipelagianorum sententiam, quòd prædestinatio sit primò & originaliter certa ex boni usus præscientia, & non ex divino proposito; oportet nunc hujus damnati erroris impossibilitatem aperire, & absurda manifestare, quæ sequuntur ex hoc quòd prædestinatio reddatur primò & originaliter certa ex boni usus præscientia.

CAPUT XI.

Quod si prædestinatio est primò & originaliter certa ex præscientia qualibet boni usus, ille bonus usus præscitus est prædestinationis causa.

166. NON erit difficile aperire, quòd si prædestinatio constituitur certa primò & originaliter secundum quamlibet boni usus præscientiam, etiam conditionatam; talis præscientia sit prædestinationis causa, & propter illam fiat prædestinatio; & ex consequenti quod prædestinatio non sit ex vocante, sed ex operibus, quod apertè Apostolicam evertit doctrinam.

167. Manifestatur hæc veritas. Primò quia Sanctus Prosper Epistola citata ad Sanctum Augustinum pro eodem omnino reputat prædestinationem esse certam secundum præscientiam, & esse propter præscientiam; ita quòd præscientia illius sit causa: Sic enim dicit. *Par invenitur, & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit; quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate & actione, præscierit.* Igitur idem est secundum Sanctum Prosperum fieri prædestinationem secundum præscientiam, & fieri propter præscientiam.

168. Nec juvat dicere Sanctum Prosperum ibi referre sententiam Semipelagianorum, qui simul illa duo concedebant, & prædestinationem fieri secundum præscientiam; & fieri etiam propter præscientiam, errantes quidem in illo secundo (ut aiunt Recentiores) non autem in illo primo: unde cum ipsi in illo primo tantùm, in quo non errabant, cum illis conveniant, longè ab illorum erroribus distant. Non, inquam, hæc excusatio aliquid juvat, quia testante eodem Sancto Prospero, fundamentalis controversia inter Catholicos & Semipelagianos illa fuit, an præscientia daret certitudinem & firmitatem proposito, an è converso, ut supra ex Sancto Prospero manifestavimus. Semipelagiani enim contendebant quod boni usus præscientia daret certitudinem, & firmitatem proposito; ex quo principio consequenter loquendo, admittebant id, quod evidenter sequebatur, videlicet prædestinationem fieri secundum præscientiam illam, & propter illam: unde in hac illatione consequenter Semipelagiani loquebantur: Et Catholici in hoc conveniebant, quod si semel admittatur, quod præscientia boni usus det certitudinem proposito; ipsa prædestinatio & fit secundum præscientiam, & propter præscientiam: & hoc est quòd S. Prosper dicit verbis modò relatis. Nihil ergo juvat, quod Recentiores modò minus consequenter loquentes admittant illud primum, & laborent negare illud secundum, quod ex primo evidenter infertur.

169. Quòd autem evidenter ex illo primo, hoc secundum manifestè consequatur, docet apertissimè Sanctus Thomas post Sanctum Prosperum *in q. 6. de verit. art. 3.* qui est mirabilis locus omnem istam detegens materiam, & intentum nostrum concludens, sic enim dicit. *Non enim potest dici quod prædestinatio supra certitudinem providentiæ nihil aliud addat nisi certitudinem præscientiæ, ut si dicatur, quod Deus ordinat prædestinatum ad salutem sicut & quemlibet alium; sed cum hoc de prædestinato scit, quod non deficiet à salute: sic enim dicendo, non diceretur prædestinatus differre à non prædestinato ex parte ordinis, sed tantum ex parte præscientiæ eventus; & sic præscientia esset causa prædestinationis, nec prædestinatio esset per electionem prædestinantis, quod est contra authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum. Unde præter certitudinem præscientiæ ipse ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem.* Hæc Sanctus Ecclesiæ doctor. Iste locus licet supra libro primo contra illam mediam scientiam à nobis fuerit inductus, quia tamen ibi promisimus illum accuratiùs in hac prædestinationis materia explicare, id modò exequentes; illud primò dicimus. Per istud testimonium, omnem in universum doctrinam Recentiorum funditùs eradicari. In illo enim, omnium primò docet S. Thomas, non posse dici quòd prædestinatio supra certitudinem providentiæ nihil aliud addat nisi certitudinem præscientiæ. Et rationem reddit, quia aliàs, inquit, prædestinatus non differret à non prædestinato ex parte ordinis, sed tantùm ex parte præscientiæ eventus. Ex quo rursus infert, quòd præscientia esset causa prædestinationis: Et ex hoc iterum infert, quòd prædestinatio non esset secundum electionem liberam prædestinantis: hoc autem admittere (inquit S. Thomas) est contra authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum. Videat prudens lector gravissimam qualificationem S. Thomæ, qui rarissimè propositiones qualificat; divina enim sic ordinante providentia; quia pro his calamitosis temporibus ità expediebat: apertissimè enim dicit esse contra authoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum, asserere prædestinationem non esse per liberam electionem prædestinantis; & præscientiam esse prædestinationis causam; & prædestinatum non differre à non prædestinato ex parte ordinis, sed ex parte præscientiæ eventus; & quod prædestinatio non addit supra certitudinem providentiæ, nisi solam certitudinem præscientiæ. Ista quatuor, quæ adinvicem essentialiter consequuntur, docet procedere contra authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum. Cum autem omnia per se sequantur ex illo primo principio, quòd prædestinatio nihil addit supra certitudinem providentiæ, nisi certitudinem præscientiæ, ut manifestè deducit S.

Digitized by Google

Thomas, fit evidentissimum, illud primum principium contra authoritatem Scripturæ, & contra dicta Sanctorum malè ab aliquibus in hac materia statui: fit etiam manifestum id, quod intendimus, quòd si prædestinatio non habet aliam certitudinem supra communem providentiam incertam, nisi ratione præscientiæ, quòd talis præscientia sit causa prædestinationis. Itaque benè sequitur (ait expressè S. Thomas) prædestinatio supra certitudinem providentiæ solùm addit certitudinem præscientiæ: ergo prædestinatus non differt à non prædestinato ex parte ordinis, sed tantùm ex parte præscientiæ eventus: ergo præscientia illa est causa prædestinationis: ergo præscientia illa non fit per liberam electionem prædestinantis. Quod est contra authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum. Vnde quia Semipelagiani contendebant, quòd certitudo in prædestinatione sumebatur à boni usus præscientia, & ipsi fatebantur, & SS. Doctores illos convincebant, quòd assererent prædestinationem fieri propter boni usus præscientiam. Sic ratio formetur.

170. Præscientia quæ dat certitudinem prædestinationi supra communem providentiam, est ipsius prædestinationis causa; sed præscientia illa conditionata dat certitudinem prædestinationi supra communem providentiam: ergo illa est prædestinationis causa: ergo fit prædestinatio propter illam boni usus præscientiam. Major est expressa S. Thomæ doctrina cum illa qualificatione annexa. Minor in terminis sæpè constituitur à Recentioribus, ut patet ex relatis supra libro 1. part. 1. tract. 6. Ergo contra illos S. Thomas convincit, quòd illam præscientiam constituant esse prædestinationis causam. Omnes namque hi authores expressè dicunt, Quod certitudo prædestinationis non est ex parte mediorum, effectuum prædestinationis, sed ex parte præscientiæ divinæ. Ita sub his verbis Molina, quem alij sequuntur q. 23. art. 4. & 5. disput. 1. membro 11. §. 2. concl. & §. ex his omnibus, inquit. *In æterna prædestinatione non alia est certitudo, quòd prædestinatus sempiternam beatitudinem sit consequuturus, quàm quæ est in divina præscientia.* Et iterum §. 3. concl. id semel secundò & tertiò repetit dicens. *Secluſa ergo certitudine divinæ præscientiæ, nulla est certitudo in mediis, effectibusque prædestinationis.* Vnde aliquando Recentiores isti Theologi convicti, Hoc S. Thomæ testimonio, fatentur apertè id quod per illud convincitur, videlicet, illam boni usus præscientiam, quæ totam certitudinem dat prædestinationi, esse ipsius prædestinationis causam. Molina enim in concord: q. 23. disp. 1. membro 11. §. octava conclusio, ait. *Sumpta in particulari prædestinatione cujuscumque adulti, quæ reipsa jam ex æternitate fuit in Deo. Sane sicut præcedenti conclusione est ostensum, rationem seu conditionem, sine qua non fuisset in Deo prædicta præscientia, esse quòd adultus ipse pro sua libertate ita sit cooperaturus per suum arbitrium, ut ad vitam æternam perveniat. Sic etiam ab hoc ipso simili modo fuit dependens reliquum quod eadem prædestinatio includit, ut vel sortiretur rationem prædestinationis, vel retineret solùm rationem providentiæ circa illum in beatitudinem.* Idem repetit in fine illius §. quod & latè probat in §. sequenti incipiente hinc jam, & in §. altero, possumus confirmare in fine, ubi ita concludit. *Sicut ab usu liberi arbitrij Angelorum in unam sive alteram partem pro sua innata libertate futuro, fuit dependens, quòd Deus altitudine sui intellectus unam potius, quàm alteram partem certò præsciret; ita fuit dependens tanquam à conditione sine qua non, quòd ratio & decretum providendi illis eo modo vel haberet rationem prædestinationis, vel solùm providentiæ singulorum in beatitudinem.* Et iterum in §. Quis, alium discursum concludens ait. *Fit ut ab usu liberi Adami in unam, aut alteram partem pro suo libertate futuro tanquam à conditione sine qua non, fuerit dependens, quòd ratio & decretum eo pacto illis providendi vel permanserit solùm intra limites providentiæ, ut reipsa manserunt vel sortitum fuerit rationem prædestinationis.* Ecce multiplicatis expressis verbis assignat ex parte hominis rationem, vel conditionem prædestinationis formaliter sumptæ, ut distincta videlicet est à communi providentia: ergo formaliter & absolutè loquendo constituit causam prædestinationis ut prædestinatio est: & quamvis illam vocet conditionem, tamen reipsa causa vel ratio est prædestinationis, sicut causa est præscientiæ, cum sit objectum illius à quo præscientia & ex consequenti prædestinatio certitudinem habent. Infra enim ostendemus eos pro eodem sumere conditionem, rationem, vel causam in hac parte, ut dicetur infra.

171. Aliquando verò id admittere reformidant dicentes, S. Thomam loqui in prædicto testimonio, & ejus doctrinam verificari de præscientia absoluta, non de conditionata, ita quòd sentiat S. Thomas quòd cùm absoluta præscientia dat totam certitudinem prædestinationis, tunc illa præscientia est causa prædestinationis, & illa alia inconvenientia sequuntur, quæ in citato testimonio deducit, non autem procedunt de præscientia conditionata.

172. Sed ista explicatio cum apertè contra expressam literam procedat, non aliter quàm ex ipsa litera rejicienda est: litera enim apertè procedit de qualibet præscientia, quæ det certitudinem prædestinationi supra communem providentiam; sed illa media scientia secundùm istos authores dat prædestinationi certitudinem supra communem providentiam: ergo illam comprehendit expressè Sanctus Thomas in prædicto testimonio. Præcipuè quia S. Thomas dicit quod præter certitudinem præscientiæ, ipse ordo prædestinationis debet habere infallibilem certitudinem, aliter omnia illa inconvenientia sequuntur; sed in sententia, quam impugnamus, negatur expressè quod ordo prædestinationis habeat istam infallibilem certitudinem, & solùm certitudo ponitur ex parte præscientiæ: ergo ex ista sententia eadem inconvenientia sequuntur, quæ Sanctus Thomas deducit. Itaque ex quacumque præscientia, sive absoluta, sive conditionata ex qua tota certitudo prædestinationis provenit ut nullam aliam certitudinem habeat, convincit S. Thomas omnia illa relata inconvenientia.

173. Præterea, quia Semipelagiani illam præscientiam futuri sub conditione ideo constituebant, ut in illam sicut in primam radicem reducerent certitudinem prædestinationis supra communem providentiam, & ex illa inferebant id, quod ex illa inferri Sanctus Thomas in prædicto testimonio convincit, videlicet illam esse prædestinationis causam: dubitari ergo non potest quin etiam illam conditionatam præscientiam comprehendat Sanctus Thomas in prædicto testimonio.

174. Præterea, quia illa conditionata præscientia adimpleta conditione (ut à recentioribus adimplenda constituitur) transit in absolutam, ut diximus sæpe, & per illam est regulanda: ergo quantùm ad hoc, iudicium idem de utraque firmandum est: ergo si absoluta, ut fatentur, est causa prædestinationis, etiam illa conditionata præscientia adimpleta conditione erit prædestinationis causa. Nulli ergo potest esse dubium quin horum authorum sententiam S. Thomas in hoc loco condemnet, graviterque censuret, cum ipsa nullam certitudinem constituat in ipso ordine prædestinationis, sed tantùm in sola præscientia tum conditionata, tum absoluta, ut dictum est,

Digitized by Google

est, potissimè autem manifestè & clarè damnatur in allegato testimonio Sancti Thomæ sententia Leonardi Lessij qui in libro statim citando prælo mandato anno 1610. expressè ponit certitudinem prædestinationis ex præscientia sola, absoluta, negans pro prædestinatione scientiam illam mediam. Ista ergo hujus authoris sententia, quam ultimatè isti authores publicarunt in hac causa, etiam ipsis testantibus, cum ponat totam certitudinem prædestinationis ex sola præscientia absoluta, & non ex ordine mediorum ipsius prædestinationis, damnatur à S. Thoma ubi supra, sicut ponens causam prædestinationis ex nobis, & sicut constituens prædestinationem non esse per liberam electionem prædestinantis: quod esse contra authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum asserit D. Thomas: sed de hujus nova sententia in fine hujus tractatus ex professo acturi sumus.

175. Tandem quia ipse Franciscus Suarez sicut 1. lib. part. 2. tract. 5. notavimus *lib. 2. de scientia futur. cap. 8. §. ad secundam*, sub his verbis tradit absolutam præscientiam futurorum antecedere decretum sive prædestinationis, sive quodlibet aliud divinæ voluntatis. *Ad secundam confirmationem cum infertur quod etiam respectu creaturarum antecederet scientia absoluta futurorum ad decretum liberum divinæ voluntatis, distinguere oportet; antecederet ad illud ut cognitum, falsum est; quia saltem necessarium est præcognoscere decretum liberum voluntatis divinæ, ut secundum rationem futurum proximè post talem scientiam: nam ex illo pendent absolutè futura in creatura: Si vero inferatur quòd illa scientia antecedit ad illud decretum, ut actu in repositum secundum rationis ordinem, sic concedenda est sequela; nec hinc sequitur aliquod inconveniens.* Igitur manifestè admittit, ante liberum decretum divinæ voluntatis ut in re positum Deum certò cognoscere futura contingentia absoluta humanæ voluntatis: ergo ante decretum Dei prædestinantis ut in re positum, certò cognoscit Deus omnia futura absoluta humanarum voluntatum: ergo antequam Deus prædestinet homines, cognoscit certò ipse omnia quæ ipsi facturi sunt scientia absoluta: ergo ante decretum quo Deus statuit hos prædestinare, diligere, & eligere ad gloriam, habet præviſionem absolutam operum bonorum ipsorum prædestinatorum ut absolutè futurorum: ergo prædestinatio eorum fit ex præsuppositâ absoluta præviſione bonorum operum ipsorum prædestinatorum; & sic prædestinatio fit ex præviſis meritis absolutè præviſis. Quod nec ipse Franciscus Suarez audet concedere, cum dicat illam esse damnatam sententiam per Sanctum Augustinum contra Pelagianos: Vnde in illam quam meritò damnat ipse reipsa impingit, ut ratio facta concludit: idem enim omnino est decretum liberum divinæ voluntatis prædestinantis ut in re positum & divinum decretum, quo Deus vult de facto homines prædestinare. Vnde si ut libenter concedit, ante illum ut in re positum datur in Deo scientia futurorum absoluta; datur etiam hæc scientia futurorum absolutorum ante decretum liberum, quo Deus de facto vult homines prædestinare; & sic fit prædestinatio ex illis bonis operibus absolutè præviſis.

176. Sed opponit Franciscus Suarez *lib. 1. de essentia prædestinationis cap. 7. §. ne tandem*, Quod ex tali bono usu præviſo per illam mediam scientiam, non sequatur dari causam, vel rationem prædestinationis; asserens quòd qui hoc objiciunt, non advertunt idem argumentum posse fieri contra ipsos admittentes hanc efficaciam in auxilio prædeterminante: Quantumvis enim (inquit) fingatur dari hoc auxilium, numquam tale ponendum est, ut veram rationem meritorum excludat, ut ex certa fide constat: Ergo Deus priusquàm hominem talem prædestinet per talia auxilia, præscit eundem hominem meritum esse gloriam, si illi dentur talia auxilia prædeterminantia: & nihilominus inde non fit prædestinare Deum hominem propter talia merita, sed potius prædestinare illum per illa: ergo nec in nostra sententia sequitur, quia ad vim illationis parum refert quod illa præscientia sit in causa, vel in ipsa veritate eventus futuri. Hæc illius verba sunt cum ratione proposita.

177. Ad quod tamen Respondetur, minus advertere authorem istum ad patentissimam utriusque differentiam: Ratio enim discriminis in promptu est, quia bonus usus sub conditione præviſus per mediam illam scientiam, ut ostensum est suprà, & infra magis explicabimus, non est ex prædestinatione, nec ponitur prædestinationis effectus; sed potius constituitur ut est ratio illius, ut ex S. Thoma probatum est modò; unde cum præsupponatur ex parte prædestinati ut conditio, vel ratio prædestinationis, præsupponitur ut causa efficiens prædestinationem certam; & ex consequenti constituitur, vel introducitur ut causa prædestinationis: At verò scientia, qua Deus cognoscit quòd si huic vel illi det auxilium ex se efficax, seu prædeterminans, salvabitur; eo ipso cognoscit id; quod apertissimum est, videlicet illum bonum usum sub conditione præviſum esse prædestinatum, & non solum præviſum; & haberi ex prædestinatione ipsa, ac verè illius esse effectum; & nullo modo conditionem, rationem, vel causam illius: Cum ergo ille bonus usus sub conditione præviſus ex auxilio prædeterminante non sit causa, sed effectus prædestinationis, & ut sic per divinam scientiam prænoscatur, potiùs convincitur quòd causa prædestinationis non possit esse. Hæc enim patentissima sunt, si ad illa advertere volunt authores isti; qui hoc argumentum excogitarunt; ex eo enim potius totum contrarium deducitur. Sic ergo oppositio magna est, & differentiæ ratio notissima inter bonum usum sub conditione præviſum per mediam scientiam; & inter bonum usum præviſum sub conditione ex auxilio efficaciter prædeterminante: sicut enim ex illo priori verè concluditur, illum esse causam prædestinationis ob rationes inductas; ita ex hoc secundo convincitur quòd causa prædestinationis non sit bonus ille usus, imò verò ut prædestinationis effectus, sicuti verè est præcognoscitur; & mirum planè quòd ista noviter excogitaverint authores isti, ad effugiendam rationis vim; cum potuis per hæc sic noviter excogitata, supradicta veritas confirmetur & explicetur magis; & differentia clara inter utramque sententiam & illorum, & nostram manifestissimè deprehendatur.

178. Novissime Leonardus Lessius in suo lib. de efficaci gratia sub anno 1616. Antuerpiæ impresso respondet primò: *Quod si sermo sit non solum de auxilio pervenienti, sed etiam adjuvante, quæ sunt prædestinationis effectus; sic non solùm ex sola præscientia, sed etiam ex conditione ipsorum effectuum certus est finis prædestinationis; & hoc modo prædestinatus differt à non prædestinato ex parte ordinis mediorum: nam si omnia media, qua Deus ab æterno præparavit prædestinato spectentur, ex illis necessariò sequitur salus, suppositâ Dei ordinatione de salute perseverantibus conferenda.* Sic intellige (inquit) D. Thomam loco citato.

179. Cæterum ista evasio nihil omnino juvat, nec aliquid de novo dicit, quod non dixerit Molina priùs, & quod non damnetur citato loco à S. Thoma; certum est enim Molinam illud adjuvans, quod vocant auxilium, clarè posuisse, & omnes qui illius sententiam sequuntur, & tamen clarè etiam pronuntiat id, quod in sua sententia apertissimum est, prædestinationem non esse certam ex ordine ipsius prædestinationis,

Digitized by Google

nis, seu mediorum ejus, sed ex sola præscientia: ergo etiam posito illo, quod vocant adjuvans auxilium, tota certitudo prædestinationis est ex præscientia & non ex ordine mediorum: ergo etiam posito illo adjuvante auxilio, damnatur à S. Thoma ista sententia. Patet hæc ultima consequentia, nam alia manifesta sunt; quia Sanctus Thomas illam sententiam damnat, quæ ponit certitudinem prædestinationis solùm ex præscientia, & non ex ordine mediorum & effectuum prædestinationis; imò nihil aliud damnare intendit nisi hoc solum.

180. Confirmatur & explicatur: nam ista sententia etiam posito illo adjuvante auxilio, totam certitudinem prædestinationis supra communem providentiam constituit in illa præscientia, ut isti authores concedunt cum Molina quæst. 23. in concord. art. 4. & 5. disp. 1. membro 11. §. octava conclusio: hæcigitur sit Major; sed S. Thomas in littera citata illam sententiam damnat, quæ totam certitudinem prædestinationis supra communem providentiam constituit in illa præscientia: ergo hanc illorum sententiam S. Thomas damnat. Recurrere autem ad illud auxilium adjuvans inutile prorsus & vanum est. Quia illud auxilium datur consentiente jam libero arbitrio, & suo consensu reddente illud efficax, ut etiam in terminis authores hujus sententiæ fatentur: ergo præordinavit ab æterno illud Deus dare, quia prævidit homines ex se consensuros & efficax reddituros auxilium tale: ergo ex præscientia oritur tota illa certitudo; quod S. Thomas condemnat. Itaque ideo Deus sic adjuvat, quia homo consentit; ideò sic prædestinavit adjuvare, quia præscivit hominem exse consensurum: ergo de primo ad ultimum certitudo illa, qua Deus debet adjuvare, ex illa certitudine præscientiæ derivatur: unde prædictus author addit, quod si loquamur de solis effectibus prædestinationis, quibus Deus prævenit nostram voluntatem, sic ex sola præscientia, non ex conditione mediorum illorum certum est nos benè esse operaturos & salutem adepturos: addens hanc sententiam non esse contra authoritatem Scripturæ, vel dicta Sanctorum, sed esse eis planè conformen; quia Scriptura & Patres docent certitudinem prædestinationis non provenire ex effectibus gratiæ prævenientis, & ex ordine eorum, sed solum ex præscientia.

181. Absit autem hoc certum esse. Absit quod Scriptura & Patres hoc dicant; solùm enim Semipelagiani ita senserunt, ut efficaciam prævenientis gratiæ de medio tollerent, & secundum suam phantasiam illam humanis voluntatibus subderent. Sed advertat prudens lector, quomodo ista dicantur. S. Thomas planè docet, sententiam, quæ non ex ordine mediorum prædestinationis, sed ex sola præscientia certitudinem in prædestinatione constituit, esse contra Scripturæ authoritatem, & dicta Sanctorum; & author iste contendit illam esse conformem Scripturis & Sanctis: siquidem fatetur quod ex parte auxiliorum prævenientium, prædestinatio non est certa ex parte ordinis illorum, sed ex parte præscientiæ. Rursus posita illa, quam dicit adjuvantem gratiam, etiam ut probatum est, non ponitur certa prædestinatio nisi ex parte solius præscientiæ: & hanc doctrinam à S. Thoma damnatam tanquam contra authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum, iste author contendit esse conformem Scripturæ & Sanctis.

CAPUT XII.

Quod si prædestinatio fiat certa secundùm boni usus præscientiam, ipsa non fiat per liberam electionem prædestinantis.

182. ALIUD etiam gravissimum inconveniens deducit S. Thomas ex prædestinatione, quæ secundum præscientiam primò & originaliter certa constituitur. Cum enim illa præscientia det primò & originaliter certitudinem prædestinationi supra communem providentiam; ex hoc intulit primò præscientiam boni usus esse prædestinationis causam; & ex hoc secundo infert quod prædestinatio (ut distincta nempè à communi providentia) non sit per liberam electionem prædestinantis: quod ita verum est, & tam infallibiliter sequitur ex hac sententia horum authorum constituentium prædestinationem primò certam secundum præscientiam illam, ut sicut superioribus verbis relatis concedunt præscientiam illam esse causam, rationem, vel conditionem à qua pendet, quod prædestinatio distinguatur à communi providentia, & constituatur in ratione formali prædestinationis; ita consequenter admittant prædestinationem, ut distinctam à communi Providentia, non fieri per liberam electionem prædestinantis. Nam ut retulimus 1. lib. part. 1. tract. 6. expressè dicunt *præscientiam illam conditionatam*, quæ dat *prædestinationi* certitudinem supra communem *providentiam*, esse præcipuum in prædestinatione, & esse necessariam & non liberam in Deo: qui verò hæc dicit quomodo non expressè affirmat id quod est præcipuum in prædestinatione non fieri per liberam electionem prædestinantis; imo ex ipsorum dictis & illud convincitur, non solùm esse necessarium & non liberum in Deo id, quod est in prædestinatione præcipuum, sed etiam formale constitutivum prædestinationis esse necessarium & non liberum in Deo: & ex consequenti conuincitur, quod ipsa prædestinatio *formaliter* sumpta non sit per liberam electionem prædestinantis, ut *Sanctus* Thomas prius convicit. Quod sic demonstratur, nam prædestinatio à communi providentia in eo essentialiter distinguitur, quod prædestinatio semper est certa, non autem communis providentia ut sic, qua homines ordinantur in beatitudinem: ergo constitutivum prædestinationis ut sic supra communem providentiam est certitudo illius: ergo id per quod prædestinatio habet illam certitudinem, est *id* per quod fit ipsa prædestinatio; cum ergo propter illam præscientiam prædestinatio habeat certitudinem supra communem providentiam, fit consequens quod per eandem præscientiam constituitur prædestinatio in ratione prædestinationis ut sic, & ut distincta à communi providentia: ergo talis præscientia est constitutivum prædestinationis ut sic: ergo si talis præscientia est necessaria, & non libera in Deo, ut recentiores apertè concedunt, fit manifestum quod constitutivum prædestinationis non sit liberum in Deo, sed necessarium. Ex quo rursus concluditur quod ipsa formalis prædestinatio non sit libera, sed necessaria in Deo: sicut si rationale quod est formale constitutivum hominis, non esset liberè à Deo productum, sed necessariò, etiam homo non esset liberè à Deo productus, sed necessariò: ergo prædestinatio formalis, & ex consequenti absolutè nominata prædestinatio non ponitur libera in Deo, per liberam electionem prædestinantis, ut S. Thomas ostendit.

183. Ne autem quis arbitretur hoc illos non dicere, expressa verba Ludovici Molinæ adduco. Is enim *in concord. quæst. 23. disp. 1. memb. 11. §. & quidem*

Deus

Digitized by Google

Deus, inquit *Quia ergo ex omnibus quæ prædestinatio Dei æterna in sua ratione formali includit, solum propositum voluntatis, per quod ultimò completur in ratione prædestinationis liberum est in Deo; ratio vero mediorum, & prævisio quòd eis, si concedantur, reipsa devenietur in vitam æternam, libera in ea non sunt; sed antecedunt omnem liberum actum divinæ voluntatis inde est &c.* Quibus duo sunt apertissimis verbis prolata: alterum præscientiam conditionatam intrare formalem rationem prædestinationis: alterum eandem scientiam non esse in Deo liberam, sed antecedere omnem actum liberum divinæ voluntatis & præmiserat *eadem quæst. 23. art. 1. & 2. disp. 2. §. statuenda*, hæc verba *prædestinatio utrumque actum conjunctum significat, præcipuè tamen actum intellectus.* Tria ergo sumat Theologus, ab isto authore consequenter asserta. Primum, mediam illam conditionatam præscientiam non esse liberam in Deo, sed antevertere omnem liberum divinæ voluntatis actum. Secundum, illam præscientiam intrare formalem rationem prædestinationis. Tertium esse præcipuum in prædestinatione comparatione voluntatis volentis hominem constituere in tali rerum ordine & auxiliorum præviso sub conditione. Igitur manifestum est, ipsum expresè asserere, id quod formale, & quod præcipuum est in prædestinatione, non esse liberum, sed antevertere omnem liberum actum divinæ voluntatis. De cujus propterea sententia priùs Sanctus Thomas dixerat relato loco, quòd ponit prædestinationem non fieri per liberam electionem prædestinantis, prædestinationem, inquam, formaliter sumptam ut distinctam à communi providentia: de hac enim Sanctus Thomas loquebatur: Et de hac formali prædestinatione distincta a communi providentia per certitudinem provenientem ex sola illa præscientia, dicit D. Thomas, quod formale & præcipuum illius non est liberum, & antevertit omnem liberam divinam electionem. Quod planè cum piorum aurium sit offensivum, tamen id apertè Molina concedere non reformidat.

184. Vidit quidem Franciscus Suarez intolerabilem hanc consecutionem & ut illam evitaret (licet ipse non dicat hac ratione fuisse motum) asseruit 1. par. lib. 1. de essentia prædestinationis cap. 7. Quòd conditionata ista præscientia, seu media scientia non pertinet formaliter ad prædestinationem, tantùm abest quod sit præcipuum in illa, imò ait, quòd in illa Deus prædestinationem non inchoat, sed dicit esse præviam conditionem ad prædestinationem ipsam: unde ex hoc capite non potest contra illum, supradictum inconveniens concludi; bene tamen ex alio id venit convincendum, si illa ratio Sancti Thomæ penetretur. Ratio namque Sancti Thomæ non solùm illud inconveniens infert ex conditionata præscientia, sed potissimè ex absoluta. Quod sic evidenter ostenditur. Prædestinatio in seipsa est formaliter & essentialiter certa, quod Suarez negare nequit, cum id sæpius concedat, & non est in se formaliter & essentialiter certa per illam conditionatam: ergo per præscientiam absolutam, supposito quòd non vult quòd certitudinem habeat ex proposito: tunc rursus Deus ex sua libera voluntate tantùm voluit dare omnibus sufficientia, seu generalia auxilia ad beatitudinem cum præscientia quòd aliqui ipsis bene utentur, & in eis perseverabunt: hæc autem certa præscientia per quam prædestinatio constituitur in ratione prædestinationis, distinctæ à communi providentia est de bono usu hominis, quem Deus non dedit per suam liberam electionem, sed quem homo habet ex sua innata libertate: ergo illa præscientia per quam prædestinatio in ratione prædestinationis constituitur, est de aliquo quòd non habetur per liberam electionem Dei, sed aliunde ex libera voluntate hominis: ergo prædestinatio formaliter constituta per illam præscientiam non habetur per liberam electionem Dei, sed aliunde, ut Sanctus Thomas convincit. Unde quamvis providentia sit in hac sententia ex libera Dei electione, tamen prædestinatio formalis, ut ab illa distincta, & constituta per illam præscientiam boni usus, ex libera Dei electione non est, cum Deus videat id, quod ab homine, non ab ipso datur ut fiat.

185. Igitur concludendum, quòd licet ex hac prædestinatione secundum præscientiam, non ita apertè sequatur communem providentiam non fieri per liberam electionem prædestinantis (de quo tamen infra agendum nobis erit) tamen ex ea convincitur non fieri prædestinationem formaliter sumptam, (ut videlicet distinctam à communi providentia) per liberam electionem prædestinantis, ut Sanctus Thomas intulit, & Ludovicus Molina planè confessus est.

186. Sed mirum est quòd ex hoc allato testimonio Sancti Thomæ *ex q. 6. de verit. art. 3.* in quo tam apertè constituit prædestinatum & præfinitum esse bonum usum arbitrij, & non solum præscitum, inferant aliqui, Sanctum Doctorem in illo articulo non constituere prædefinitum seu prædeterminatum hoc auxilium, ex cujus efficacia homo est benè usurus arbitrio; sed quasi in confuso ita providere, ut si arbitrium uni, vel alteri auxilio non sit consensurum, ita provideat de alio, & de alio, & in multiplicandis illis ita persistat ac duret, quasi opportunè & importunè auxiliando, quousque tandem homo consentiat. Quod colligere videntur ex illis verbis: *Alio modo quando ex concursu causarum multarum contingentium & deficere possibilium pervenitur ad unum effectum, quarum unamquamque Deus ordinat ad consecutionem effectus loco ejus quæ deficit, vel ne altera deficiat: sicut videmus quod omnia singularia unius speciei sunt corruptibilia, & tamen per successionem unius ad alterum potest in eis secundum numerum salvari perpetuitas speciei, divina providentia taliter gubernante, quod non omnia deficiant uno deficiente, & hoc modo est in prædestinatione: liberum enim arbitrium deficere potest à salute, tamen in eo quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat, quod vel non cadat, vel si cadat, quod resurgat, sicut exhortationes & suffragia orationum, donum gratiæ, & alia hujusmodi.* Ex istis verbis valde sinistrè, & contra Sancti Thomæ mentem, quidam illi tribuunt confusam illam mediorum providentiam, & non certam illius medij & auxilij prædestinationem, ex cujus virtute & efficacia homo convertitur, & in bono usque ad finem vitæ perseverat.

187. Quis autem sibi persuadeat sentire Sanctum Thomam Deum in æterna suæ prædestinationis dispositione statuisse unum dare medium, nesciens an efficax futurum sit, ea intentione, ut si illud effectum non habuerit, apponat aliud; & sic procedere quasi tentando in mediorum dispositione quousque aliquod sortiatur effectum. Certè hoc esset Sancto Doctori tribuere, quòd imperfectissimam providentiam, & ignorantiæ modum, ac cæcam prædestinationem in Deo agnoverit: & sicut nihil in hac materia falsius posset excogitari; ita nihil menti ac doctrinæ Sancti Thomæ potest magis esse contrarium: imò stultius esset hoc de Deo sentire, quàm ponere bonum usum arbitrij solùm esse præscitum, non prædestinatum; quia nec prædestinatum agnosceret bonum arbitrij usum, sed nec determinate præscitum, sed in confuso tantum. Cum autem Sanctus Thomas in hoc eodem articulo sicut contrarium scri-

Digitized by Google

pturæ definiat bonum vſum arbitrij ſolùm eſſe præ-ſcitum, non prædeſtinatum; multo magis eſſe contrarium ſcripturæ docet, conſtituere illum bonum uſum nec prædeſtinatum, nec diſtinctè eſſe præſcitum, ſed in confuſo tantum præcognitum: unde ſatis mirari non poſſum aliquos fuiſſe ex his authoribus, qui id S. Thomæ tribuerent; quos proinde à tam falſa imputatione Suarez coërcet. *lib. 1. de eſſentia prædeſtinationis cap. 7.* ita dicens. *Exiſtimo ergo D. Thomam ſolùm voluiſſe declarare quomodo cum prædefinitione & determinatione finis prædeſtinationis infallibiliter conſequendi, eſſe poſſit libertas in mediis; quia nimirum poteſt in illis manere talis indifferentia, ut licet unum fruſtretur in effectu, aliud adhibeatur, & ſic conſequenter, donec medium aliquod efficiat quod intenditur. Non tamen dixit, nec inſinuavit D. Thomas Deum in eo ſigno in quo de iis mediis in ſua æterna providentia diſponit, ignorare an tale medium futurum ſit inefficax, vel an homo caſurus ſit etiam ſi illud detur; ſed dicit ita ſe gerere Deum pro ſervanda libertate, & propter alios fines ſapientiæ ſuæ, ut licet id præſciat, nihil hominus det tale medium, & permittat lapſum in ſuo electo; quia ipſemet Deus præneſcit quo alio medio illud malum reparari poſſit & cum effectu reparandum ſit: providet ergo Deus unum medium in defectum alterius; non quia ignoraverit futurum defectum etiam priuſquam decerneret tale auxilium dare; ſed quia ita expedit ad ſuavitatem providentiæ ſuæ, & ita ſe gerere in mediorum indifferentia & libertate ſervanda, ut & prædeſtinato interdum tribuat auxilium inefficax, ac ſi neſciret futurum eventum ex tali medio, ſi illud applicetur; & pro tempore opportuno provideat auxilium efficax, quod tam infallibiliter operetur intentum effectum ac ſi eſſet cauſa naturalis.* Hæc ille. Et revera hæc eſt mens Sancti Thomæ citatis verbis; addendo ſolùm quod Sanctus Thomas illud medium quod cognoſcit efficax, cognoſcit efficax eſſe ex Deo ipſo, & prout venit ex modo motionis divinæ independenter à bono uſu liberi arbitrij præviſo, à quo prævideatur efficax reddi ſicut à cauſa, ratione, vel conditione, ut in eodem articulo clarè expreſſit, damnando ſententiam, quæ dicit uſum bonum arbitrij præſcitum eſſe, & non verè prædeſtinatum ante quamcumque illius præſcientiam, ut manet explicatum.

188. Adde etiam quòd ſi author iſte illis verbis (ac ſi neſciret futurum eventum ex tali medio ſi illud applicetur) intendit, ut revera intendit S. Thomæ adſcribere ſcientiam illam mediam ſæpè expugnatam, tam falſum eſt, ac illi ſententiam modò relatam imputare. Adde & tertiò quod ultimis verbis, ait, ſenſiſſe nimirum Sanctum Thomam ita infallibiliter effectum eſſe futurum ex vi efficacis auxilij, ſicut ſi ex cauſa naturali produceretur, invidiam poſſe generare hanc comparationem, licet in aliquo ſenſu poſſit ſuſtineri. Si enim verbum *ſicut* dicat ſimilitudinem quoad modum producendi effectum ex neceſſitate, falſiſſima eſt, quia libertati voluntatis opponeretur: ſi autem intendat, infallibilem eſſe in ſuo modo operandi auxilium illud, itaut certum conſequatur effectum, ſicut cauſa neceſſaria in ſuo modo illum conſequitur, verum eſt, hoc Sanctum Thomam ſentire.

CAPUT XIII.

Quod talis præſcientia boni uſus ſit cauſa meritoria ſaltem de congruo, & ſecundum pietatem ipſius prædeſtinationis.

189. QVAMVIS cum ſermo ſit à Doctoribus de cauſa prædeſtinationis ex parte prædeſtinati, de meritoria cauſa ſit ſermo, ſive illa ſit meritoria de condigno, ſive de congruo: quia tamen multi contendunt quòd licet detur prædeſtinationis cauſa ex parte prædeſtinati, non tamen convincitur quòd illa ſit cauſa meritoria: quàm graviter in hoc fallantur oportet apetire. Quod eſt cauſa prædeſtinationis ex parte prædeſtinati, nequit eſſe cauſa finalis prædeſtinationis; iſta enim eſt gloria Dei ac Chriſti, & vita æterna, ut communiter Doctores affirmant, & Apoſt. docet ad Rom. 9.: non etiam eſt cauſa efficiens prædeſtinationis, quia iſta eſt divina voluntas, & divinus practicus intellectus: non etiam poteſt eſſe prædeſtinationis cauſa formalis, quia hac eſt ipſa prædeſtinationis ratio, & forma: ergo neceſſe eſt quòd talis cauſa ad genus cauſæ materialis reducatur: ergo vel talis cauſa erit diſpoſitiva cauſa prædeſtinationis, vel erit ipſius prædeſtinationis cauſa meritoria: utraque enim videtur ad genus *cauſæ* materialis reduci; de diſpoſitiva enim cauſa *hoc eſt* manifeſtum, de meritoria autem patet; *quia qui meretur*, ipſo ſuo merito ſe reddit diſpoſitum, ut præmium ſibi conferatur: ſed quidquid horum dicatur, obtinetur intentum, quòd videlicet illud quod ex parte prædeſtinati conſtituitur ejus prædeſtinationis cauſa, ſit meritoria cauſa illius: ergo revera ponitur cauſa meritoria prædeſtinationis. Minor patet: & quidem ſi concedatur eſſe cauſam meritoriam aliquo modo, erit concluſum, ſi autem dicatur illud eſſe cauſam tantùm diſpoſitivam, id ipſum convincitur; quia cauſa quæ per actum bonum & liberum ſe diſponit ut Deus ei aliquid tribuat, abſque dubio tali ſua diſpoſitione, & tali actu libero bono meretur aliquo modo ut illud à Deo accipiat: iſtæ enim duæ rationes diſpoſitionis & meriti in bono actu hominis libero inſeparabiliter conjunguntur, ut conſtat in omnibus actibus bonis liberis ſive prioritate naturæ tantùm gratiam antecedentibus, ſive ipſam ſubſequentibus. Contritio enim qua quis adjutus à Deo ſe diſponit ad gratiam, illam infuſionem gratia quodammodo meretur, videlicet ex quadam congruitate; congruum enim eſt, ut homini per Deum diſpoſito ad gratiam, ipſa gratia detur. In actibus autem jam gratiâ informatis, id eſt manifeſtius: ſicut enim quolibet tali actu homo mereretur gratiam, ita quolibet diſponitur ad illam, & ſicut poſt primum, quolibet meretur augmentum gratiæ; ita quolibet ad tale augmentum diſponitur: igitur ſi homo cauſa diſpoſitiva eſt ſuæ prædeſtinationis per opera ſua bona, per eadem cauſa erit aliquo modo meritoria prædeſtinationis ſuæ.

190. Conſulto dixi manifeſtè convinci, ſi aliquid conſtituatur ex parte hominis quod ſit ſuæ prædeſtinationis cauſa, illud eſſe aliquo modo cauſam meritoriam, ſaltem de congruo, vel ſecundum pietatem; quia verum eſt non convinci ita manifeſtè id eſſe cauſam meritoriam de condigno, ſive de iuſtitia.

191. Sed ad iſta ipſi reſpondent, non ſequi illum bonum uſum arbitrij tenentem ſe ex parte hominis, ſecundum cujus præſcientiam ſit prædeſtinatio, eſſe ipſius prædeſtinationis cauſam meritoriam etiam de congruo, vel ſecundum pietatem; cum tantùm ab eis

Digitized by Google

eis ponatur ut conditio sine qua prædestinatio non esset: conditio autem sine qua non esset prædestinatio, causa meritoria etiam de congruo prædestinationis non est: igitur salvari potest quod aliquid detur ex parte hominis, & tamen quod id nullo modo causa meritoria sit etiam de congruo prædestinationis. Quod tali exemplo declarant; si aliquis non daret pauperi eleemosynam nisi ipse manum extenderet, illa manus extensio rectè quidem diceretur in tali casu conditio sine qua non reciperet pauper eleemosynam illam; non tamen diceretur causa verè, aut meritum de congruo ob quod largiens eleemosynam eam daret; imò merè gratis eleemosyna daretur: sic igitur dicunt, quod licet sine bono usu arbitrij præviso ex parte hominis se tenente, prædestinatio ejus non esset, sed tantùm remaneret circa illam communem providentiam; tamen ille bonus usus præviſus non est verè causa meritoria etiam de congruo talis prædestinationis; sed tantùm sequitur quod sit conditio sine qua non esset ejus prædestinatio: parique ratione sicut in priori casu dationis eleemosynæ, verum est dicere, quòd si pauper manum non extenderet, nec eleemosynam acciperet; non tamen est verum asserere quòd propter illam manus extensionem sicut propter meritum aliquod etiam de congruo illam accipiat: sic etiam verum est dicere in casu præsenti, quòd si homo non extendat manum boni usus arbitrij ex parte sua, nec accipiet à Deo prædestinationem; non tamen est verum asserere quòd propter talem bonum usum arbitrij prædestinationem accipiat. Et hoc est, quod communiter isti authores dicunt, prædestinationem non fieri sine illa præscientia boni usus, non tamen fieri propter illam. Hæc solutio primitùs tradita fuit ab Henrico quodlib. 4. quæst. 10. & quodlib. 8. quæst. 5. à Ioanne à Bononia opusc. de prædest. 1. part. & in 2. part. post 6. opinionem. A Bartholomæo Camera: in Dialogo Catholico cap. 4. §. 1. & sequentibus. Cum enim viderent non posse dici sine nota Pelagianismi bonum usum præscitum ex parte hominis causam esse, aut rationem prædestinationis ejus; hoc sola voce temperantes, conditionem sine qua non constituerunt, quos secuti sunt hi authores, licet aliquando convicti etiam causam, & rationem prædestinationis admittant ex parte hominis, ut statim explicabitur.

192. Vnde in commentariis super epist. ad Rom. editis nomine Cardinalis Toleti Romæ 1592. sic dicitur. *Hoc solum annotare velim, quamvis aliquam causam esse affirmemus ex parte hominis, propter quam hos Deus ad fidem & gratiam vocare voluerit, & proposuerit, non autem illos; non propterea tolli rationem gratiæ divinæ; huic enim opponitur meritum, quod ex iustitia est: qui autem ponunt causam ex parte hominis, si non affirmant esse meritum & iustitiam, sed divinum bene placitum, quia eâ ex causâ voluit & proposuit vocare; non propterea sequitur eos negare rationem gratiæ. Longè enim differunt meritum & causa sine qua non, quando causa hæc voluntaria est ex parte dantis & vocantis Dei, quia sic ei placuit; non enim desinit esse beneficium & gratia quando aliquis donat pecunias manum porrigenti, quia manum porrigit.*

CAPUT XIV.

Quod ille bonus usus præviſus non solùm sit conditio, sed vera causa meritoria aliquo modo prædestinationis ponatur.

193. SI quis autem consideret, minùs responsio ista hos authores potest juvare, aut excusare quin præviſun illum bonum usum arbitrij causam gratiæ & prædestinationis constituant. Primò quia gratis admisso bonum illum usum ex illa præscientia præcognitum tantùm esse conditionem sine qua prædestinatio non esset. Primò sequitur ex parte ipsius hominis esse talem conditionem, & non ex Deo ipso prædiſtinante: ponere autem non ex Deo, sed ex homine esse conditionem sine qua prædestinatio non est, est ponere Deum prædestinando ab hac hominis condintione pendere. Rursus est ponere ex homine, & non ex Deo aliquid, quo homo dirigitur in æternam vitam: constat autem quod omne id, per quod homo dirigitur in vitam æternam, ex prædestinatione habeatur.

194 Confirmatur & explicatur magis; nam ponere illum bonum usum esse conditionem prædestinationis, & non esse ex prædestinatione, sed ex homine, est constituere prædestinationem certam, non secundum propositum, sed secundum præscientiam boni usus: hæc autem fuit antiqua Semipelagianorum sententia, ut ex Sancto Patre Augustino, Prospero, & Hilario ostensum est supra: SS. enim Patres ex eo illos expugnabant, quòd prædestinationem non constituerent secundum Dei propositum, sed secundum præscientiam boni usus, quomodolibet illam collocarent. Et certè si modò ponentes illum bonum usum præscitum conditionem esse prædestinationis, excusantur; ratione prorursus eadem possent & antiqui illi excusari, qui occasionem tantum ex parte hominis admittebant, ut Cassianus, sicut in 1. lib. part. 1. tract. 5. ostensum est.

195. Considerandum est ergo in hac materia, quæstionem inter antiquiores illos & SS. Ecclesiæ Patres fuisse, non de istis distinctionibus Methaphysicis an ponerent ex parte hominis causam prædestinationis, rationem, vel conditionem; sed substantialis quæstio erat, an prædestinatio esset certa ex firmo, stabilique Dei proposito; an potius ex aliquo tenente se ex parte hominis, quidquid illud esset & quocumque nomine vocaretur: negando enim prædestinationem secundùm Dei propositum, & ipsam constituendo secundùm boni usus præscientiam, quomodolibet illam assererent, idem omnino substantiale inconveniens sequebatur, quod nempè ex homine esset certitudo prædestinationis, & non ex Deo: quod semper in illis antiquioribus SS. Patres damnarunt; parique ratione SS. Patres quidquid vel minimum, quod ex homine præsupponatur sive ut conditio, sive ut occasio propter quod prædestinatio Dei sit certa, ut illum efficaciter vocet, & non alium, initium salutis, & meritum gratiæ vocarunt: unde rectè quidem D. Robertus Cardinalis Bellarminus lib. 2. de gratia & lib. arb. cap. 9. *Dicimus* (inquit) *nullam rationem assignari posse* (videlicet ex parte nostra) *ut excludamus non solum merita proprie dicta, sed etiam bonum usum liberi arbitrij, aut gratiæ, aut utriusque simul à Deo præviſum; etiam si non dicatur esse meritum nisi de congruo, & etiam si non dicatur vera causa, sed tantum conditio sine qua non prædestinaretur is, qui prædestinatur.* Et hanc conclusionem sic explicatam, quæ negat ex parte hominis omnem causam, omne meritum, seu omnem conditionem, ut prædestinatus evadat, probat in illo capite ex literis sacris. Et in cap. 11. dicit hanc veritatem apertissime docuisse SS. Patres Ecclesiæ contra Pelagianos tanquam veritatem Catholicam ad fidem pertinentem. Hos ergo authores, eorum præcipuus author illustrissimus Cardinalis condemnat, quod ponendo ex parte hominis illum bonum usum esse conditionem sine qua homo prædestinatus non esset, cum damnata Pelagianorum sententia coincidant; & quod à doctrina quam apertissimè SS. Patres contra illos priores sicut Catholicam defensarunt, recedant.

Digitized by Google

196. Præterea, ipſimet authores expreſſis verbis fatentur ſe pro eodem ſumere in hac parte cauſam, rationem, vel conditionem prædeſtinationis, quam ex parte boni uſus conſtituunt: nam Molina qui fuit primus hujus doctrinæ his temporibus author *in concord. quæſt. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. concl. 5.* ait, *prædeſtinationis parvulorum quoad integrum illius effectum non datur cauſa ſeu ratio ex parte eorum.* Et *concluſ. 7.* inquit, *præſcientia, qua Deus ante eum actum id prævidit ex hypotheſi, quod ex ſua parte conferre illi vellet ea media, datur conditio, & ratio ex parte uſus ſeu cooperationis liberæ talis prædeſtinati.* In quo ſecundo teſtimonio conſtat quod pro eodem ſumit conditionem, atque rationem; ſicut in priori pro eodem ſumit rationem, & cauſam. Unde *in concluſ. 8.* intentum concludens ita ſubdit. *Sumpta in particulari prædeſtinatione cujuſcumque adulti, quæ re ipſa jam ex æternitate fuit in Deo, ſanè ſicut præcedenti concluſione eſt oſtenſum; rationem, ſeu conditionem ſine qua in Deo non fuiſſet prædicta præſcientia, eſſe quod adultus ipſe pro ſua libertate ita ſit cooperaturus per ſuum arbitrium, ut ad vitam æternam perveniat: ſic etiam ab hoc ipſo ſimili modo fuit dependens, quòd reliquum quod eadem prædeſtinatio includit, vel ſortiretur rationem prædeſtinationis, vel retineret ſolùm rationem communis providentiæ circa illum in beatitudinem.* Cum ergo ſimili modo dependeat prædeſtinatio ab illo bono uſu arbitrij hominis, ad hoc quod illius prædeſtinatio ſit; ſicut dependet ſcientia illa media ab eodem bono uſu hominis, ut in hac octava concluſione manifeſtiſſimè dicit; & illa media ſcientia dependeat à tali bono uſu arbitrij ſicut a conditione, & ratione, ut apertè præmiſerat concluſione ſeptima; concluditur quòd ſentiat prædeſtinationem hominis pendere à bono uſu illius ſicut à conditione, & ratione, quantùm ad hoc quod illius prædeſtinatio ſit. Manifeſtum eſt ergo conſtituere bonum uſum arbitrij prævisum non ſolum conditionem, ſed etiam veram rationem, ſeu cauſam eſſe, à qua habet prædeſtinatio hominis quòd prædeſtinatio ſit: & ſic manifeſtum eſt ex parte hominis ponere non ſolùm conditionem, ſed veram rationem, ſeu cauſam prædeſtinationis ejus: non ergo cum argumento præmuntur, recurrant ad conditionem, negantes rationem, & cauſam; cum apertè utramque ex parte hominis reſpectu ſuæ prædeſtinationis admittant.

197. Vnde Vaſquez à nobis citatus lib. 1. p. 1. tract. 6. planè concedit hominem per bonum uſum arbitrij non ſolum eſſe cauſam, & conditionem ſine qua non, aut rationem tantum; ſed veram & propriam cauſam, ut in nobis vocatio ſit efficax (& ex conſequenti eſt vera & propria cauſa ut prædeſtinatio diſtinguatur à communi providentia) reprehenditque Henricum & ſuos, qui contendunt tantum eſſe conditionem ſine qua non: verba illius ſunt. *Primò ſi de hac prima vocatione loquamur, non ut in nobis ſit, ſed ut in nobis ſit congrua, & efficax; non ſolùm liberum arbitrium eſt conditio ſine qua non, quæ nullo modo ſit cauſa, ut recentiores poſterius allegati autumant; nec ſolùm eſt cauſa ſine qua non, & per accidens; nec ſolùm eſt ratio, ſed etiam vera cauſa per ſe & efficiens, cooperans primæ vocationi, & gratiæ: nam eodem modo cauſa eſt efficax gratiæ, ſicut eſt conſenſus, eo enim efficax dicitur gratia quòd conſenſum efficit in nobis; ſed liberum arbitrium eſt cauſa per ſe conſenſus, dum gratiæ cooperatur: ergo ſi prædicti authores loquantur de complemento primi effectus prædeſtinationis, aut de eo quod eſt congruam, & efficacem eſſe vocationem, minus rectè loquuntur: nam liberum arbitrium non eſt cauſa per accidens, aut ſine qua non, qua propriè dicitur tantùm applicare agens ad agendum, vel removere id, quod prohibet actionem; ſed cauſa propriè eſt & per ſe, quæ ad effectum per ſe concurrit ut oſtenſum eſt.* Quibus verbis ſuos proprios in doctrina conſortes reprehendit; & manifeſtè liberum arbitrium conſtituit cauſam per ſe gratiæ efficacis; & ex conſequenti prædeſtinationis ut diſtinctæ à communi providentia.

198. Quòd autem ita revera dicendum ſit, convincit Sanctus Thomas in illo inſigni loco allato ſupra *ex quæſt. 6. de verit. art. 3.* in quo determinat non poſſe dici, quòd prædeſtinatio ſupra certitudinem providentiæ nihil aliud addat niſi certitudinem præſcientiæ: Sic enim dicendo, ut inquit, præſcientia eſſet cauſa prædeſtinationis; ſed prædeſtinatio ſecundùm hos authores, ſupra certitudinem providentiæ nihil aliud addit niſi certitudinem præſcientiæ, quomodocumque nominent illam præſcientiam boni uſus, ſive cauſam, ſive conditionem: ergo ex majori Sancti Thomæ & minori horum authorum concluditur, quòd illa boni uſus præſcientia eſt vera cauſa prædeſtinationis: eſſe autem præſcientiam boni uſus cauſam prædeſtinationis, eſt eſſe cauſam gratiæ, ut manifeſtè Sanctus Doctor probat ſuper epiſtolam ad Rom. capite 9. lect. 5. ergo de primo ad ultimum, quomodocumque nominent illam boni uſus præſcientiam, illam conſtituunt cauſam gratiæ. Rurſus hæc cauſa nequit eſſe alia niſi diſpoſitiva, & meritoria, ut ſupra oſtenſum eſt: ergo quomodo libet *velint* nominare illam boni uſus præſcientiam, *eam conſtituunt* cauſam meritoriam gratiæ.

199. Ratione etiam id ampliùs declaratur, comparando illum bonum uſum arbitrij ad tria, ad quæ ſolùm comparari poteſt. Primò enim comparari poteſt ad gratiam excitantem, quam ſupponit; & reſpectu ejus certum eſt quòd non eſt cauſa, ratio, vel conditio ut gratia excitans detur; quia data præſupponitur ad talem uſum bonum & cooperationem. Comparari ſecundò poteſt ad terminum per illam productum; & ſic arbitrium eſt cauſa phyſica, quæ media illa ſua cooperatione bona producit efficienter terminum talis actionis, & cooperatio ipſa eſt cauſatio illius termini. Poteſt tertiò comparari illa cooperatio, ſeu bonus uſus arbitrij ad gratiam efficacem, ſive ad gratiam efficaciter cooperantem; & de hoc tota quæſtio eſt; & in hac comparatione, ſicut verum eſt nec arbitrium, nec illius bonum uſum eſſe cauſam verè efficientem, ſeu phyſicam gratiæ cooperantis ſive efficacitatis illius, quia illa efficienter à Deo fit; ita indubitatum eſt arbitrium eſſe verè cauſam diſpoſitivam & meritoriam gratiæ cooperantis & efficaciæ illius per illum bonum uſum; & bonus uſus erit ipſa diſpoſitio ſeu meritum illius. *Quod* ſic oſtenditur: ideo gratia redditur efficax, & cum effectu cooperans cum iſto homine, quia ipſe vult conſentire: ergo arbitrium ſic conſenſum præbens liberè & moraliter eſt cauſa diſpoſitiva & meritoria, quòd Deus cum illo concurrat gratia cooperante. Anteced. eſt evidens in ſententia horum authorum qui dicunt gratiam eſſe efficacem ab effectu, quia arbitrium conſentit; & iterum dicunt quòd conſentiente jam arbitrio gratiæ excitanti, ipſa ſit cooperans. Quare hoc, niſi quia jam conſentit arbitrium? Vnde tandem alij ex ipſis clarè hoc concedunt; Quia ego operor, Deus mecum cooperatur. Et procul dubio ſicut concedunt, id in ſua ſententia concedere tenentur: nec enim poſſunt aſſignare aliam rationem, vel cauſam quare cum iſto gratia cooperetur & non cum alio, niſi quia iſte vult conſentire gratiæ excitanti, & non alius. Igitur eſt manifeſtum illud antecedens, quòd ideò gratia eſt efficax & cooperans cum iſto, quia ipſe vult conſentire. Conſequentia autem non eſt mea, ſed in

libro

Digitized by Google

libro 3. hypognosticon capite 10. in fine sub his terminis statuitur. *Quod si dicas, ut dicere consuevisti: quia ego prior volui, Deus voluit; jam meritum facis, ut gratia ex operibus jam non sit gratia, sed merces.* Manifestum est igitur liberum arbitrium per illum bonum usum arbitrij quo gratiæ excitanti ita consentit ut infallibiliter Deus cum illo cooperetur, mereri ut Deus cum illo efficaciter concurrat. Unde cessent ij authores ad conditionem confugere, cum apertissimè meritum ponant. Cessat Franciscus Suarez in 2. lib. de causa prædestinationis cap. 20. suadere esse solum conditionem sine qua non prædestinationis & gratiæ, ut meritum effugiat. Cessat etiam Molina mentes obnubilare, cum in concord. postquam dixit liberum arbitrium reddere efficax suo consensu auxilium gratiæ, statim dicit, *non quod efficax auxilium efficiat, sed quia est conditio sine qua non auxilium efficax non esset.* Cessent, inquam, omnia subterfugia; quia dato quod conditio esset, idem inconveniens sequeretur, quod ex conditione illa hominis, & quæ non venit à Deo, certa esset prædestinatio; & quod ex homine quomodolibet operante prædestinatio Dei penderet; & quod prædestinatio non secundum Dei propositum esset, sed secundum præscientiam: quod olim fuit condemnatum, & nunc D. Robertus Cardinalis Bellarminus damnat. Cessent inquam se hac conditione protegere; quia memores esse debent se alibi necdum conditionem, sed rationem, & causam illam constituere: & causam veræ prædestinationis esse S. Thomas convincit, & ratio ipsa manifestat.

200. Quod si nimis contendant in genere Physico seu veræ causæ efficientis liberum arbitrium non esse causam efficacitatis gratiæ nec prædestinationis ut à communi providentia distinguitur, licet sit efficiens causa sui consensus; sed totam hanc efficientiam comparatam cum efficacia gratiæ, prædestinationis esse in genere Physico conditionem tantùm sine qua Deus non prædestinaret, & sine qua non efficaciter cum homine cooperaretur; nec in hoc cum illis multùm immorandùm, dummodo convincatur liberum arbitrium per suum consensum mereri ut Deus cum illo efficaciter operetur; & præscientiam illius boni usus esse meritum ut homo prædestinatus sit, & non solùm relictus in communi providentia: unde forsitan hæc est, eorum quæ dicunt, & diversa apparent, consonantia, atque concordia; ut cum negant bonum usum arbitrij causam, seu rationem esse, & solam conditionem statuunt, intelligantur procedere in genere Physico, seu causæ propriè efficientis: cum autem nedum conditionem, sed rationem & causam admittunt, tacitè meritoriam causam insinuent: quod nos infra clarè aperiemus.

201. Ad argumentum ergo de extensione manus pro eleemosyna recipienda, dicendum longè diversam esse rationem de porrectione manus pauperis respectu eleemosynæ, & de bono usu præviso respectu prædestinationis: extensio enim manus pauperis sicut per se infallibilitatem non habet cum datione eleemosynæ, ita nec illius est aliquod meritum, sed totum provenit ex misericordia largientis, qui pauperi manum extendenti eleemosynam donat, cum possit non donare: cæterum bonus usus arbitrij prævisus, quo homo gratiæ excitanti consentit, infallibilitatem habet cum hoc quod est Deum efficaciter illi cooperari, & cum hoc quod ille homo certò sit prædestinatus; nec enim fieri potest ut homo sic bene utatur arbitrio, & Deus illi non cooperetur, nec fieri potest ut sic prævideatur bene operari, & quod non reddatur certa ejus prædestinatio: unde sicut bonus ille usus infallibilem ordinem & connexionem habet cum efficaci Dei cooperatione, & certa prædestinatione; ità expostulat & meretur quod Deus efficaciter cum illo concurrat, & quod non relinquatur homo in communi providentia, sed prædestinatus evadat, ut dictum est.

202. Adde quòd tanta potest esse hujus pauperis miseri petitio ut aliquando secundum pietatem mereatur ut ei eleemosyna detur: experientia enim ipsa docet quòd homines multoties propter importunitatem pauperum tribuunt, quod aliàs non tribuerent; & quod ex illis verbis & miseriis multiplicatis, valde moventur & inclinantur ad eleemosynam dandam; Quod & Dominus dixit Lucæ 11. *Dico vobis & si non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi quoquot habet necessarios.* Sic ergo, ut etiam in eorum persistamus exemplo, erit ille bonus usus arbitrij prævisus saltem meritum secundum pietatem, & de congruo, ut propter illud Deus tali homini ad salutem ejus efficaciter cooperetur; & propter illius præscientiam ille sit prædestinatus, & non alius, qui talem bonum usum arbitrij non adhibuit, qua ratione relictus fuit solùm in communi statu generalis providentiæ.

203. Novissimè Martinus Becanus ejusdem Societatis ut defendat non esse inconveniens dari ex parte hominis conditionem prædestinationis ejus, id probat, quia quod homo sit, conditio est ut prædestinetur; nec enim prædestinari potest homo, qui non præsupponatur esse; & sic ex parte hominis datur aliqua condito prædestinationis ejus. Sed quis non videat quam lepida sit ista solutio vel potius evasio: Quis enim dicat hominem præsupponi in suo esse, conditionem esse prædestinationis, cum sit subjectum, quod prædestinatur, & quod antecedit omnem rationem & conditionem prædestinationis: subjectum autem prædestinationis nullomodo est conditio prædestinationis, sicut subjectum albefactionis nullomodo est conditio dealbationis. Præterea conditio prædestinationis illa est, sine qua prædestinatio non esset, & qua posita statim prædestinatio consurgit: at hominem præsupponi in suo esse, non est conditio qua posita, statim prædestinatio consurgat, aliàs omnes homines prædestinati essent. Deinde eadem ratione gloriam esse, posset ab isto authore dici conditio prædestinationis, quia ratione eadem si gloria non esset, nec esset prædestinatio; nullus autem dicet gloriam esse, conditionem esse prædestinationis, cum sit illius finis & terminus: igitur absurdè tum finis, tum subjectum prædestinationis conditio prædestinationis appellatur. Sed gratis ei demus hanc absurditatem, ut hominem esse, sit conditio prædestinationis, nunquid ex parte hominis datur conditio ista, an ex parte Dei ipsum creantis & in esse producentis? Nec enim homo ex se habet, quod in rerum natura sit, sed ex Deo liberè producente hoc habet: unde nihil tale datur ex parte hominis tanquam ab ipso existens, quod conditio sit prædestinationis ejus, & tædet ista vel referre, vel impugnare.

CAPUT XV.

Quod ille bonus usus prævisus non solùm conditio, sed vera causa meritoria prædestinationis aliquo modo ponatur.

204. UT autem omnia præcludantur, alius dicendi modus venit examinandus, quo hanc patentissimam Molinæ sententiam concedentis causam, rationem, vel conditionem prædestinationis, ut prædestinatio est, nititur excusare Franciscus

Digitized by Google

Suarez ſecundò libro de cauſa prædeſtinationis cap. 20. Dicit enim auxilium excitantis gratiæ non ſolum eſſe effectum prædeſtinationis qua ratione efficax eſt, ſed etiam abſolute & ſecundum ſe totum; & quia illius abſolutè conſiderati & ſecundum ſe totum non datur cauſa ex parte hominis, licet detur ex parte ejus cauſa ut efficax ſit; inde deducit quod totius effectus prædeſtinationis non detur ex parte hominis cauſa, vel ratio. Probat autem auxilium excitantis gratiæ ſecundum ſe totum eſſe prædeſtinationis effectum, quia totum procedit ab intentione efficaci dandi gloriam tali homini, nec priùs intelligitur dari ſub una ratione, quàm ſub altera, ut magis poſſit habere cauſam ex parte hominis ſub illa, quam ſub alia ratione. Deinde, inquit, ſi illud auxilium dicitur efficax ſolùm ab actuali actione, id eſt, quia actu efficit; ſic non conſideratur ut excitans, ſed ut adjuvans; nos autem conſideramus illud ſub priori ratione: ſi autem illud auxilium denominatur efficax ut excitans eſt, ſic non includit operationem liberi arbitrij intrinſecè, ſed terminativè tantùm; quia reſpicit illam & dicit habitudinem ad eam ut actu conſequendam; & ita non reſpicit eam ut cauſam, nec ut conditionem ſimultaneam; ſed ut finem & effectum ſuum; ac proinde non poteſt influxus liberi arbitrij ut ſimultaneus cum gratia eſſe ratio totius prædeſtinationis quoad effectus ejus. Hæc ille. Admittit autem prout verba iſta ultima ſonant, id, quod clariùs explicaverat in eodem cap. § *præterea præcedenti* videlicet cooperationem liberi arbitrij comparatam ad cauſalitatem gratiæ adjuvantis, rectè poſſe dici conditionem ſine qua tale gratiæ auxilium actuale non daretur homini; ſubditque quod quatenus auxilium illud actuale eſt effectus prædeſtinationis, dici poteſt, ex hoc capite dari ex parte hominis aliquam rationem, cauſam, vel conditionem prædeſtinationis, quoad aliquem effectum ejus, & conſequenter quoad illos effectus, qui ex illo conſequuntur.

205. Si autem quis iſta conſideret manifeſtè deprehendet verbis quidem, non re ipſa negari, dari ex parte hominis cauſam & rationem totius effectus prædeſtinationis, quatenus prædeſtinatio eſt diſtincta à communi providentia, ut manifeſtè Molina conceſſit, videns id ex prædeſtinatione poſita ſecundum illam mediam præſcientiam apertiſſimè deduci. Quod ſic denudatur: ſi ab excitante gratia præſcindamus rationem efficacitatis, manifeſtum eſt illam non eſſe effectum aliquo modo prædeſtinationis, ut prædeſtinatio eſt, ſed tantùm communis providentiæ: ergo gratia excitans conſiderata non ut efficax, ſed abſolutè, non eſt effectus prædeſtinationis ut diſtinctæ à communi providentia: ſolum ergo eſt effectus prædeſtinationis illa excitans gratia quatenus efficax eſt: cum ergo arbitrium ſua cooperatione ſit cauſa illius, ratio, vel conditio quatenus efficax eſt; arbitrium erit illius ratio quatenus eſt primus effectus prædeſtinationis ut diſtinctæ à communi providentia; & ex conſequenti erit ratio omnium aliorum ſequentium effectuum prædeſtinationis; & ſic erit cauſa totius effectus prædeſtinationis: quidquid enim eſt cauſa, vel ratio primi effectus prædeſtinationis & cæterorum, cauſa eſt totius effectus prædeſtinationis. Totus diſcurſus legitimus eſt, & ſolum ſupereſt probandum illud primum antecedens, à quo totus eſſentialiter procedit, quod facilis erit negotij: nam iſti authores expreſsè tenent quod Deus ex communi providentia omnibus dat auxilium gratiæ excitantis, licet ex communi providentia non habeat quod efficax ſit: ergo conſiderando gratiam excitantem ſine efficacia, effectus eſt communis providentiæ: ergo ut ſic non eſt effectus prædeſtinationis.

206 Præterea, id S. Thomas oſtendit citato illo teſtimonio ex queſt. 6. de ve. art. 3. in quo apertè monſtravit, quòd ſi certitudo prædeſtinationis ſumatur ex præſcientia boni uſus, illa eſt cauſa prædeſtinationis; ſimul docens quòd ſine certitudine manet res ſub communi providentia: ſed iſti authores ex ſola illa præſcientia boni uſus deſumunt certitudinem prædeſtinationis, ſimulque concedunt quod ſine certitudine res manet ſub communi tantum providentia: ergo quidquid verbis dicant, contra illos S. Thomas convincit, quod præſcientiam boni uſus conſtituant cauſam prædeſtinationis; & quod ſimul dicant ſine certitudine manere rem ſub communi providentia: ſed gratia excitans ſine efficacia certitudinem cooperationis arbitrij non habet, ut eſt manifeſtum: ergo gratia excitans ſine efficatia ſub prædeſtinatione ut ſic non conſtituitur, ſed ad communem tantùm pertinet providentiam. Quòd, ſicut manifeſtè deductum, Molina concedit, & Suarez ſolùm in hoc ultimo libro temperat; quia poſt multa, quæ audivit fuiſſe exactius tractata, non auſus eſt apertis verbis dicere cum Molina, quod præſcientia boni uſus ſit cauſa, ratio, vel conditio prædeſtinationis. Inſuper inquiro an ante prædeſtinationem priùs ratione ſit in Deo voluntas ſalvandi in univerſum omnes homines eiſque auxilia generalia excitantis gratiæ ad ſalutem dandi: & quia hoc ipſi apertiſſimè concedunt: inquiro rurſus an illo priori rationis auxilia generalia excitantis gratiæ ſint effectus communis providentiæ, hoc certè negare non poſſunt: *inferant* ergo & ipſi collationem gratiæ excitantis *quatenus* ſufficiens ponitur, ſive abſolutè *conſideratæ* ſine efficacia, eſſe effectum non prædeſtinationis, ſed illius generalis voluntatis & communis providentiæ: manifeſtum eſt ergo potiſſimè in horum authorum ſententia aſſerentium omnibus dari auxilia generalia ad ſalutem, illa ſub hac formalitate ac ratione non eſſe effectum prædeſtinationis, ſed communis providentiæ: unde licet hominis arbitrium non eſſet cauſa gratiæ ſub hac ratione, cum tamen ſit cauſa illius quatenus ipſa efficax eſt, concluditur eſſe cauſam primi effectus prædeſtinationis, & ſic totius ipſius prædeſtinationis, ut manet probatum.

207. Ad primum ergo argumentum in oppoſitum patet jam ex dictis; ſed ut apertius refutetur. Advertendum quod tria in illo opponuntur. Primum quod ex parte hominis datur cauſa ut gratia efficax ſit. Secundum quod gratiæ excitantis abſolutè conſideratę non datur cauſa ex parte hominis, ut nempe illi detur. Tertium quod hæc excitans gratia abſolutè conſiderata, cujus ut ſic non datur cauſa ex parte hominis, eſt effectus prædeſtinationis. Et quidem primum manifeſtè conſtituit cauſam prædeſtinationis ex parte hominis, cum cauſam ex ipſo conſtituit primi effectus proprij prædeſtinationis, ut diſtinguitur à communi providentia, qui eſt gratia efficax, ut oſtenſum eſt; quod conſequenter Molina conceſſit. Secundum autem neſcimus quomodo ab hoc authore dicatur, cum ipſe cum aliis ſuæ familiæ teneat, quod facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus certa lege detur illa gratia excitans abſolutè conſiderata: igitur cauſa eſt homo, ſic faciens quod in ſe eſt, ut ipſi detur illa excitans gratia abſolutè conſiderata: Quod clariùs oſtenſuri ſumus tertio noſtro libro. Tertium autem ex dictis manet rejectum; quia ſecundum hos authores cum omnibus detur illa excitans gratia abſolutè conſiderata, nec tamen ipſi concedere poſſint omnes eſſe prædeſtinatos. Quomodo dicere poſſunt illam gratiam excitantem ſic omnibus datam effectum eſſe prædeſtinationis? Igitur in illorum ſententia, ut benè in hoc dicit Molina, dicere tenentur illam excitantem gratiam abſolutè ſumptam, & generaliter in univerſum omnibus datam, non prædeſtinationis

Digitized by Google

nationis effectum esse, sed communis providentiæ. Nec modò de veritate hujus sententiæ disputamus; an illa gratia excitans omnibus in universum detur; de hoc agemus quarto nostro libro; sed in illorum sententia, ad hominem, ut dici solet, illis respondemus. Dato ergo quòd priùs ratione velit Deus in universum omnibus hominibus dare ad salutem auxilia generalia absolutè considerata excitantis gratiæ ex vi illius antecedentis voluntatis, qua vult omnes homines salvos fieri; hac ratione auxilia talia effectus erunt, non prædestinationis, sed communis providentiæ: cum verò in alio posteriori rationis signo vult illa dare electis, illa vult dare quatenus efficacia sunt; sub hac enim ratione effectus sunt electionis & prædestinationis; & quidquid illorum est causa sub hac ratione, est causa primi effectus prædestinationis, & sequentiũ, & sic totius prædestinationis. Imò dicendum quòd dato non haberet Deus in priori rationis signo illam communem voluntatem, & providentiam dandi omnibus excitantia auxilia generalia sic absoiutè considerata, adhuc est manifestum, quòd ex prædestinatione illa vult dari electis, quatenus efficacia sunt; & sub hac ratione solùm ad prędestinationem pertinent; sicut absolutè considerata pertinent ad communem providentiam: providentia enim communis superior est ad prædestinationem, quia prædestinatio quædam particularis providentia est contenta sub communi seu generali providentia: unde qua parte est communis providentia habet pro effectu gratiam excitantem absolutè consideratam: & qua parte est prædestinatio habet pro effectu illam ut efficax est; & simul Deus utrumque effectum tribuit proportionatum causis suis secundum diversas rationes: sicut qui generat hominem, simul dat & sensitivum, & rationale; alterum animali, alterum homini quatenus homo est, correspondens.

208. Ad secundum dicendum auxilium prævenientis gratiæ non dici præveniens efficax, quia simul cum arbitrio efficiat, quia ut sic simultaneus est, non præveniens, ut dicit ipse, & in quarto libro erit clariùs aperiendum; sed est præveniens efficax quia efficaciter movet hominem ut agat; ita quòd actio hominis, effectus & terminus illius sit sive mediatus, sive immediatus; de quo infra 4. lib. Et quidem hoc etiam ille author concedit. Quod si re ipsa, & in veritate poneretur, sicut verbis publicatur, finita esset tota ista controversia: at evidentissimum est istud auxilium excitantis gratiæ, efficax ab eis poni à cooperatione arbitrij prævisa sicut à causa vel ratione, sicque illam respicere, & ad illam habitudinem dicere; & non tanquam ad effectum seu terminum. Quod sicut infra quarto libro ex professo demonstrabimus, ita & nunc quoad præsens sub magna brevitate aperimus. Primò quia Molina, qui inter omnes suæ doctrinæ sectatores ut Magister præstat, id manifestè tradidit, sæpe dicens esse auxilia excitantis gratiæ efficax ab effectu, à cooperatione arbitrij: unde in vanum laborant alij posteriores ejus discipuli; quia vident hoc falsitatem habere, verbis temperare dicendo auxilia excitantis gratiæ esse efficacia non ab effectu, & à cooperatione arbitrij, sicut à causa, vel ratione; sed talem cooperationem respicere ut effectum & terminum; quod solis verbis in sua sententia illos dicere, est satis notum.

209. Deinde quia, quòd Molina in hoc dicit consequenter loquendo, ita in ejus doctrina apertissimum est, ut mirum sit, quod hoc posteriores non videant, aut non videre se fingant: nam auxilium illud excitantis gratiæ non est efficax sicut à causa ex Deo ipso, & ex vi motionis divinæ: ergo necesse est quod sit efficax ab homine, & à cooperatione arbitrij illius: nec enim aliud potest imaginari à quo efficax sit sicut à causa. Antecedens quod sæpiùs ab eis concessum est, fortè etiam verbis solùm in sua sententia negabunt, contendentes quòd ex Deo ipso, & ex vi motionis divinæ sicut à causa efficax sit. Quod si hoc dicant, inquiro an sit efficax illud auxilium excitans sicut à causa à solo Deo ex vi solius motionis divinæ, an non. Iam hîc video illos negare esse efficax ex solo Deo, & ex vi solius motionis divinæ, sicut à sola causa efficacitatis illius: ergo est efficax sicut à causa, vel totali, vel partiali à cooperatione arbitrij: Imo planè sequitur quod totalis causa efficaciæ sit arbitrium cooperatione sua; sicut enim quia vult consentit, ita quia vult, illud reddit efficax.

210. Præterea, per illam mediam scientiam cognoscit Deus quòd si auxilium excitantis gratiæ de se generale, secundum quod venit à divina voluntate, imo in virtute inæquale tributum reprobis, detur huic in tali opportunitate erit efficax, ex eo quod est attemperatum huic homini; habet autem quod sit attemperatum ex ipsa humana voluntate cui attemperatur, quia huic voluntati congruit, & non alteri; & hoc Deus cognoscit. Quare autem huic congruit, & non alij, si primam rationem inquiramus, alia esse non potest, nisi quia hæc humana voluntas, & non alia, ita est disposita in se, ut ei congruat, & non alteri: ergo prima causa, seu prima dispositio, à qua illa congruitas provenit in auxilio ab humana voluntate desumitur apertissimè, sicut infra libro quarto dicendum est copiosiùs. Igitur est manifestum quod ab his authoribus ponatur auxilium excitantis gratiæ efficax à cooperatione arbitrij sicut à causa, vel à ratione causandi; & quod auxilium illam ut sic respicit, & non sicut effectum vel terminum, ut iste author contra Molinam & suam doctrinam minus consequenter ad illam loquendo, dicit.

211. Tandem advertendum, dici etiam non posse resistentiam negativam, seu privativam, quæ non repugnantia, seu non resistentia vocatur, esse causam, rationem, vel conditionem prædestinationis, ut prædestinatio est distincta à communi providentia; nam eadem revera inconvenientia ex ista non resistentia, seu non repugnantia sequuntur, si ex sola arbitrij facultate ponatur quod homo non resistat, ac ex positiva arbitrij cooperatione; si enim illa ponatur erit causa prædestinationis certæ: Si enim in isto homine ideo ponitur certa prædestinatio, quia ipse non resistit vocationi, in alio autem non est certa, quia ille positivè resistit; & ideo Deus istum prædestinaverit, quia prævidit illum non restiturum aut repugnaturum, si sic, vel sic vocaretur, sequitur sicut de cooperatione arbitrij positiva dictum est, hominem esse causam prædestinationis suæ per illam suam non repugnantiam, seu non resistentiam; & illam non restentiam esse causam, vel rationem propter quam huic, & non alteri Deus tribuat prædestinationis gratiam: & sic ut ex Sancto Thoma relatum est supra, illa non resistentia erit meritum gratiæ; & homo sic non resistens causa meritoria ipsius; & quod ex homine ipso erit salutis exordium, contra id quod Concilia adversus Pelagianos sæpe definierunt.

212. Quod sic ostenditur. Primò quia vel illa non resistentia est volita saltem indirectè, vel nullo modo est volita, nec directè, vel indirectè, sed est pura, & mera negatio non minus ac cum homo domit, qui utique non resistit: hoc secundum dici in casu nulla ratione potest, quia supponitur quod Deus pulset, & excitet per gratiam excitantem, tam ex parte intellectus, quàm voluntatis: Impossibile autem

Digitized by Google

autem est omnino quod sic excitatis intellectu, & voluntate, ipsa voluntas non resistens se habeat merè negativè, & ut dormiens; unde si tunc non resistit, necesse est quod saltem indirectè velit non resistere, conformiter ad ea quæ S. Thomas, & discipuli ejus cum eo docent, *1.2.quæst.6.art.3. & quæst.71.art.5.* quorum doctrina est hîc attendenda. In qua docent quod non agere (& idem est de non resistere) cùm homo potest & tenetur, imputatur voluntati sicut ab ipsa existens ut indirectè volitum: cum ergo in casu quo Deus excitat, & pulsat excitante sua gratia, possit sine dubio, & teneatur homo non resistere; si tunc non resistat, hoc ipsum est ab illo indirectè volitum, sicut revera ab ipso voluntariè existens; si autem non resistere, est existens ut indirectè volitum à sola voluntate sola sua facultate naturæ, & ob id Deus prædestinat, vel dat efficacem prædestinationis effectum, manifestè consequitur quod ex parte solius facultatis naturæ detur aliquid aliqua ratione volitum, quod sit causa, ratio, vel conditio prædestinationis: unde quantùm ad hoc idem inconveniens sequitur ex hac resistentia negativa, ac ex actu positivo. Deinde quæstio illa antiquitus agitata à Sanctis Patribus contra eos, qui initia prædestinationis & gratiæ nobis ex nobis adscribebant, non fuit posita, an aliquis actus positivus ac directè à voluntate volitus præcederet gratiam, & prædestinationem; sed an aliquid quodcumque illud esset ex parte hominis præcederet, propter quod gratia & prædestinatio Dei daretur: unde etiam qualemcumque scintillam occasionis ex parte hominis habitam, propter quam gratia daretur, Sancti Patres adversus illos negarunt: unde si minimum & quomodolibet à voluntate sola hominis volitum, sive directè, sive indirectè ponatur, propter quod prædestinatio certa reddatur; idem omnino sequitur inconveniens, quod videlicet ex homine sit initium salutis, prædestinationis, & gratiæ.

113. Præterea illud non resistere tunc bonum est, ut de se constat, & voluntati ut bonum per intellectum repræsentatur, atque proponitur: ergo voluntas aliquo modo saltem indirectè vult non resistere: non ergo potest esse nuda & pura negatio sicut cum homo dormit. Deinde dato per impossibile quod sic esset mera negatio resistentiæ, sicut est in homine dormiente, nulla posset assignari ratio à defensoribus ejus, ut in homine illam habente magis esset gratia efficax, quàm in homine dormiente, in quo eadem omnino esset pura & nuda non resistentia nullo modo volita: necesse est ergo dicant illam non resistentiam saltem indirectè volitam esse; & tunc per illam ut dictum est, esset causa homo suæ prædestinationis & gratiæ, sicut per cooperationem directè à voluntate productam: non magis autem tollit rationem gratiæ cooperatio positivè & directè à voluntate elicita, quæ gratiam mereretur, quàm illa non resistentia indirectè volita; quia etiam hæc indirectè volita causa esset meritoria gratiæ, cum ideo prædestinatio certa in illo asseratur, & non in alio; quia ille non resistit sicut ille alius: unde ex homine ipso esset, per non resistentiam illam, causa, ob quam illius esset certa prædestinatio; & sic homo esset causa prædestinationis suæ.

114. Insuper impossibile est, quod si hoc, quod est non resistere vocationi ex solo provenit arbitrio libero, & non ex gratia, quod Deus cognoscat hominem non repugnaturum gratiæ vocanti nisi per mediam illam scientiam, qua videlicet cognoscit Deus illum hominem si sic vocetur, ex sua innata libertate non restiturum: unde ista non resistentia hoc modo libero arbitrio tributa, iterum illam mediam scientiam copiosè & efficaciter à nobis impugnatam primo libro, introducit ac fundat. Imo non minus illa per hanc non resistentiam fundatur, quàm per positivum consensum: unde quando aliud inconveniens non esset, omnia supra allata contra mediam illam scientiam, pariter hanc non resistentiam impugnant. Accedit quod infra quarto libro copiosè ex vera doctrina, ac Sanctis Patribus, potissimè SS. Augustino & Thoma probabimus effectum esse gratiæ, quod homo vocationi non resistat.

115. Præterea assertores hujus non resistentiæ, vel non repugnantiæ, ob quam contendunt certam reddi hominis prædestinationem, vel efficax fieri primum prædestinationis effectum, ideest, ipsam Dei vocationem, incompossibilia simul conjungunt: nam illa non resistentia vel est prior ratione & causalitate quàm cooperatio positiva ipsius liberi arbitrij, & quàm influxus gratiæ efficacis; vel est omnino concomitans; vel est omnino subsequens; nec enim aliud fingi potest: non est omnino subsequens, quia post arbitrij cooperationem & efficacem gratiam, non est in voluntate non resistentia negativa, imo potius præcessit positivus consensus, qui excludit non resistentiam negativam; Et gratis dato quòd illa non repugnantia negativa tunc in voluntate reperiatur, non deserviret intentioni ob quam introducitur; quia jam gratia esset aliundè reddita efficax, & prædestinatio certa: unde non esset certa prædestinatio, vel gratia efficax ex eo quod homo non resistit, ut ponunt. Similiter non potest astrui ista non repugnantia omnino concomitans cooperationem arbitrij, & influxum efficacis gratiæ; quia in illo eodem signo rationis voluntas jam intelligitur cooperari positivè: ergo non potest in eodem intelligi non resistere per meram negationem, seu privationem; imo intelligitur jam consentire per positivam formam, id est per positivum consensum, cum quo simul natura non stat resistentia merè negativa, seu privativa. Igitur necesse est quod illa non resistentia sit ratione prior; tunc vel est à solo libero arbitrio suspendente actum contrarium, vel est ex aliquo alio influxu gratiæ; si primum: ergo jam illa suspensio actus à solo arbitrio habita, & ille usus arbitrij per naturales vires est causa prædestinationis, & gratiæ; quod asserere sine dubio esset pelagianum; si secundum, restat ostendant à quo alio influxu habetur illa suspensio actus; non enim fit ab efficaci gratia; quia potius è contra gratia redditur efficax, quia voluntas sic actum suspendit non resistendo: non ab alia gratia non efficaci, quia ex illa nec provenit operatio; potissimè quia deberet fieri ab alia gratia concomitante (etiam in sententia horum authorum) quæ ante gratiæ efficaciam nec intelligi potest: quia si concomitatur de facto cooperationem arbitrij, jam est efficax; & sic jam ante gratiam efficacem, gratia esset efficax, quod repugnat: ergo necesse est quod primum dicatur, videlicet provenire ex sola arbitrij libertate, sicut & de cooperatione positiva arbitrij reddente gratiam efficacem, seu prædestinationem certam, dictum est supra; & infra lib.4. abundè monstrabimus.

116. Insuper in illo priori rationis in quo voluntas dicitur non resistere, vel potest pro illo positivè operari, vel id non potest. Si non potest pro illo positivè operari: ergo nec pro illo potest resistere, quia resistentia sine operatione non intelligitur. Rursus si non potest pro illo signo resistere: ergo nec pro eodem poterit liberè non resistere, quia ista non resistentia ut sit libera, præsupponere debet potestatem resistendi, & non resistendi pro eo eodem signo: Igitur ut tam resistentia, quàm non resistentia libera sit, necessariò debet supponi quod pro illo signo voluntas possit operari, & non operari: & sic tunc pro illo primo rationis signo potest voluntas operari seu cooperari cum Dei auxilio: ergo eo ipso quod non positivè

Digitized by Google

tivè cooperatur, resistit, vel saltem non facit quod in se est ex divino auxilio. Quod enim resistat probatur; posita excitante gratia potest illi positivè consentire, & ad hoc excitatur, & in casu quo currat præceptum, tenetur: ergo si positivè non consentiat, resistit, quidquid aliud faciat: Ex quo deducitur quod in casu præcepti peccet suspendendo actum, & non eliciendo positivum consensum. Sed dicamus id quod in omni casu apertissimum est, illum non facere quod in se est ex divino auxilio, hoc enim nullus negabit, cum tunc possit positivè consentire, sicut excitatur ad positivum consensum: ergo ex parte sua non consentiendo positivè, per illam non resistentiam reddit inefficacem gratiæ vocationem, tantùm abest quod suâ non resistentiâ reddat efficacem. Quod sic explicatur. Nam intentioni finis non solùm repugnat deviatio in alium finem, vel in media dissona tali fini; sed etiam non uti mediis necessariis ad talem finem: pari ergo ratione vocationi Dei non solùm repugnat illi contradicere, sed etiam non illi repugnare; cum illa petat positivum consensum ab homine: ergo non repugnantia vocationi non potest esse ratio obtinendi auxilium efficax; imo est de se sufficiens causa ob quam Deus neget ulteriorem gratiam, ut dictum est. Plura contra hanc non resistentiam, seu negativam dispositionem, quæ consistere ponitur in hoc quod voluntas sinat se duci, inducemus infra 3. & 4. lib. ubi & demonstrabitur quod hæc repugnantia non possit esse effectus motionis moralis ut prætendunt aliqui videntes quòd si hoc non affirment, argumenta supra facta convincunt: hoc etiam dabimus manifestum talem non repugnantiam non posse desumi ex D. Thoma q. 1. de malo art. 3. & q. 3. a. 2.

CAPUT XV.

Hoc ipsum magis explicatur & quod non resistentia vocationis non sit ratio prædestinationis ostenditur.

217. PVTANT recentiores Theologi se omnia vitare inconvenientia, dicendo quod ex parte prædestinati nulla datur causa, ratio, vel conditio actus divinæ voluntatis ad hoc ut illum hominem constituat in tali ordine rerum in quo prævidetur bene operaturus si in illo constituatur. Vnde in aliquibus assertionibus supra relatis libro primo part. 1. tract. 6. cap. 12. id affirmant, quod prædestinatio adulti quoad suum integrum effectum nullam habet causam ex parte ipsius prædestinati, sed quod tota in Dei voluntatem misericorditer prædestinantis tanquam in causam reducenda est. Dicunt etiam quod tota prædstinatio non habet causam ex parte prædestinati; quia prætendunt quod illius actus divinæ voluntatis, quo Deus vult hominem constituere in tali ordine rerum, in quo prævidetur bene operaturus, si in illo constituatur, nulla datu ratio, causa, vel conditio. Similiter prętendunt quod ideo totus effectus prædestinationis nó habet causã ex parte prędestinati; quia quod dentur homini genetalia auxilia, non datur ex parte hominis causa, ratio, vel conditio: imo suadere conantur hoc sufficere, ut absolutè, & simpliciter negetur prædestinationem habere causam ex parte prędestinati. Unde illorum est memoranda assertio in qua dicunt: *Quod cum illa præscientia sit necessaria in Deo; & propositum constituendi hominem in tali rerum ordine in quo prævidetur, si ponatur, bene operaturus, sit liberum; inde est quod quando doctores quærunt, an prædestinationis detur causa, ratio, vel conditio ex parte prædestinati, id solùm intendant; an actus voluntatis divinæ, quo prædestinato ea media conferre voluit, quibus in vitam æternam deveniet, detur ex parte arbitrij causa, ratio, vel conditio; ob quam illi, vel illi potius quàm alteri sit volita.*

318. Circa quam evasionem tria sunt aperienda. Primum falsa intelligentia, quam doctoribus tribuunt in hac assertione. Secundum quòd etiam admissa hac illorum prætensa excusatione, tantùm inferatur, quòd ut homo sit constitutus per divinam voluntatem in statu communis providentiæ, ad summum nulla detur causa, ratio, vel conditio; non autem quod non detur causa, ratio, vel conditio ut illa communis providentia sit prædestinatio; quod est apertè dari causam, rationem, vel conditionem prædestinationis formaliter de ipsa loquendo, ut videlicet prædestinatio est à communi providentia distincta. Tertiò probabimus ex ipsorum propriis verbis & principiis quod etiã assignent aliqualem causam hujus, quod est constitui hominem per divinã voluntatẽ in illo statu, in quo prævidetur bene operaturus; & ex consequenti quod omnibus modis causam ex parte hominis constituant totius effectus prædestinationis ejus.

319. Ad primum ergo devenientes: id quod doctoribus attribuunt in hac modò relata assertione, in uno sensu verum esse potest; sed in sensu ab his authoribus intento & explicato, contra omnium Doctorum sententiam procedit, & falsissimè illis assignatur. Verum est quidem quod Doctores negant dari causam prædestinationis, & primi actus divinæ voluntatis volentis prædestinare; quia supponunt prædestinationem fieri secundum divinum propositum, ut docet Apostolus, & non secundum præscientiam, ut contendebant Pelagiani: unde negantes causam, rationem, vel conditionem divinæ voluntatis secundum propositum prædestinantis, nihil relinquunt in homine quod causa sit, ratio, vel conditio prædestinationis ejus. Itaque Doctores Sancti, & Scolastici nihil essentialiter pertinens ad prædestinationem, supponunt esse necessarium in Deo, sed totaliter liberum esse, perpetuò docuerunt & ex libera Dei voluntate præparatum. Quare negantes ex parte hominis causam, rationem, sive conditionem actus liberi divinæ voluntatis, omnem rationem prædestinationis ex parte hominum negarunt, & in hoc sensu semper loquuti sunt. Cæterum illi authores cum quibus disputamus astutè in hac parte loquuntur, constituentes ex una parte illam præscientiam boni usus necessariam, & non libetam in Deo, & dicentes illam esse præcipuum in prædestinatione, & solum propositum constituendi hominem sub illa præscientia esse liberum; & hoc supposito (quod nullus Doctorum præsupposuit, imo omnes negarunt) inferunt quod Doctores tantùm negant dari ex parte hominis causam actus liberi divinę voluntatis, reservantes in homine causam respectu illius præscientiæ, quæ potissimum est in prædestinatione, & quæ in Deo libera non est, sed necessaria. Hoc autem aperta fallacia est, ut ex dictis constat, & contra sententiam Doctorum apertè pugnans.

320. De secundo puncto præter dicta in capite præcedenti, non oportet alia dicere: Certum est enim prædictos authores (ut ex propriis ipsorum verbis comprobavimus) admittere & expresè fateri, dari ex parte prædestinati rationem, causam, sive conditionem prædestinationis, ut distinguitur à communi providentia: & ex consequenti prædestinationis ut sic, causam, rationem, vel conditionem ex parte hominis constituunt: unde prædestinationis quatenus prædestinatio est, ex parte prædestinati causam assignant. Cum autem de prædestinatione absolutè & simpliciter sermo fit, sermo est de prædestinatione formaliter, & quatenus prædestinatio: & sic absolutè & simpliciter prædestinationis causam ex parte prædestinati constituunt, ut ex S. Thoma probavimus.

321. Sed ut omnis præcludatur evasio, etiam illud

Digitized by Google

tertium ſupra relatum oportet aperire, & oſtendere prædictos authores non ſolùm prædeſtinationis ut diſtinctæ à cõmuni providentia, cauſam ex parte prædeſtinati aſſignare, ſed etiam ipſius communis providentiæ: Itaque conſtituunt prædicti authores aliqualem cauſam ex parte hominis ut divina voluntas velit conſtituere hominem in tali ordine rerum, in quo prævidetur bene operaturus; iſta autem cauſa, ſive ratio eſt in illorum ſententia ille prævisus bonus uſus arbitrij ſub conditione futurus. Hoc probatur primo ex Ludovico Molina in concord. *q.* 14. *art.* 13. *diſp.* 9. §. *Patet* tertio ubi expreſsè ſic dicit. *Magis indignus ut ſupernaturaliter adjuvetur, atque vocetur is eſt, qui ſiniſtra intentione, quàm paratus obedire veritati; rationique valde conſentaneum eſt, ut hunc potius, quàm illum adjuvet Deus, utpote minus ineptum, & minus indignum.* Hæc ille. Si ergo rationi eſt valdè conſentaneum ut Deus magis vocet eum qui paratus eſt obedire veritati, quam alium: ergo cum præſcijt Deus per illam mediam ſcientiam iſtum paratum eſſe obedire veritati ſi tamen vocetur; certè erit valdè conſonum, quòd Deus illum vocet: ubi manifeſtè loquitur de illa media ſcientia, qua Deus cognoſcit, quod ſi is vocetur, paratus eſt obedire vocationi, & non alius: cum enim loquatur de præſcientia qua Deus cognoſcit hunc paratum obedire, ſi vocetur; manifeſtè de ſcientia media loquitur, & de bono uſu arbitrij, per illam ſub illa conditione præſcito. Quod ſi contendant loqui ibi Molinam de præſcientia abſoluta; à fortiori ratio concludit: ſi enim valdè rationi conſentaneum eſt, ut Deus illum vocet quem vidit paratum ad obediendum: ergo ita præparavit Deus ex hac conſonantia rationis illum vocare, potius quam alium, quem ſic paratum non præſciebat: ergo prædeſtinavit iſtum ſic vocare, & in tali rerum ordine ſic conſtituere, propter illam bonam præparationem quam in illo intuebatur. Quis non videat hos authores in verbis illis inſinuare aliquale meritum ſaltem ſecundum pietatem ex parte hominis, ut potius unus vocetur, quàm alius: Jam igitur ille bonus uſus arbitrij ſub conditione futurus & prævisus, aliqualis cauſa eſt ut ille homo vocetur, & conſtituatur in tali ordine rerum in quo prævidetur bene opetaturus.

322. Præterea idem Author Molina (quem Patres Societatis ut Doctorem venerantur, & ut talem pro viribus laboraverunt defendere cum graviſſima cauſa iſta Romæ corã Sanctiſſimo Clem. Papa VIII. & Paulo V. tractaretur) in eadem concord. *diſp.* 12. §. *ex dictis*, planè dicit, *quod homo per bona opera naturalia redditur aptus ut ſecundum communes leges recipiat à Deo prævenientem gratiam.* Ergo cum Deus per illam mediam ſcientiam præſcijt quòd ſi ille homo conſtituatur in tali rerum ordine, erit magis aptus ut vocetur ad fidem; illa major hominis aptitudo poſtulabit ut homo ille in tali rerum ordine collocetur. Expreſſiùs autem & in terminis id affirmat prædictus author *quæſt.* 23. *art.* 4. & 5. *diſput.* 1. *membr.* 11. §. *Illud addendum*, ubi ſic dicit. *Illud addendum eſt, quamvis Deus alligatus non fuerit uſui liberi arbitrij prævisò, aliiſve circunſtantiis ex parte adulti prædeſtinandi, ut hoc vel illo modo illi providere, & opitulari conſtituerit; potuiſſe tamen ad circunſtantias, & ad uſum reſpicere; decenſque ac rationi valdè conſentaneum fuiſſe ut id ita faceret; in multiſque reipſa ad multa reſpexiſſe, conſtituendo aliqua propter circunſtantias, & uſum prævisum, qua alioquin non conſtituiſſet.* Sic ille. Quid apertius dicere potuit, ut declararet ſe in illo prævisò bono uſu ſub conditione, conſtituere aliquale meritum ſecundum decentiam rationis, & ſecundum pietatem, ut Deus conſtituat hominem talem in tali rerum ſtatu & ordine ſub quo ſi conſtitueretur, prævidebatur bene operaturus. Ecce apertè dicit propter illum bonum uſum ſub conditione prævisum per illam mediam ſcientiam, Deum multa conſtituiſſe circa ponendum hominem in tali rerum ordine, quæ aliàs non conſtituiſſet, propter (inquam) illum bonum uſum. Conſideranda enim ſunt prædicta verba. Primò namque dicit Deum alligatum non fuiſſe ex illo bono uſu arbitrij prævisò, ut hominem in tali, vel tali rerum ordine collocaret. Quod ob duo dicit; tum quia de juſtitia, vel ex merito de condigno ad id non aſtringi Deum affirmat, cum hoc nec etiam Semipelagiani dixerint; tum etiam quia nec putat quod infallibiliter Deus conſtituere debeat omnem hominem, quem prævidit bene uſurum arbitrio ſi in tali rerum ordine collocaretur, in illo eodem ordine in quo bene operaturus prævidetur. Hoc enim vidit ipſe dici non poſſe; quia expreſsè Chriſtus Dominus Matth. 11. docet de Tyriis & Sidoniis, quod prævisi fuerãt crediturí, ſi eis Evangelium proponeretur; nec tamen in tali rerum ordine conſtituti ſunt, ut eis eſſet propoſitum: Et præterea quia de quolibet homine prævidit Deus quòd bene eſſet operaturus, ſi in his, uel illis circunſtantiis poneretur, & malè ſi in aliis collocaretur. Ad quæ attendens prædictus authot dixit non fuiſſe Deum alligatum ut ſemper & in univerſum omnes illos in illo ordine poneret, in quo ſi ponerentur, prævidebantur bene uſuri arbitrio ſuo. Et hoc eſt ejus primum dictum in allatis verbis: cum hoc autem *dicit* ſecundò potuiſſe Deum ad illum bonum *uſum reſpicere*, ut videlicet propter illum, hominem *in tali, vel* tali rerum ordine collocaret; in hoc ſufficientem cauſam manifeſtè ponit ex parte prædeſtinati ut Deus illum in tali rerum ordine velit conſtituere: Jam ergo admittit poſſe eſſe ex parte hominis cauſã prædeſtinationis ejus ex parte illius boni uſus prævisi. At vera doctrina non ſolùm docet Deum non prædeſtinare hominem propter cauſam ſe tenentẽ ex parte hominis; ſed docet quod nec eſt dabilis ex parte *hominis* cauſa prædeſtinationis ejus; quia quidquid hominem ordinat ad vitam æternam, ex prædeſtinatione debet eſſe, & effectus illius: unde nihil poteſt eſſe ex parte hominis illum ordinans in vitam æternam, quod ſit ante prædeſtinationem ut cauſa illius. Imo non ſolùm hanc ſufficientem cauſam prædeſtinationis aſſignat, ſed addit rationi valdè conſentaneum fuiſſe, quòd Deus ita faceret. Proculdubio ſi hoc ita eſt rationi valde conſentaneum, Deus qui non facit contra hoc quod ratio poſtulat, id effecit. Sed & illud adhibet, ut omnis evaſio præcludatur, quod in multis reipſa aſpexit ad illum bonum uſum, ut propter illum prævisum hominem in tali rerum ordine conſtitueret: quid clarius. Jam ergo in multis ille prævisus uſus ſub conditione futurus, cauſa fuit prædeſtinationis eorum, ob quam Deus illos voluit ponere in tali ordine rerum, in quo prævidebantur bene operaturi; ita quòd illi omnes ideo ſic prædeſtinati ſunt, imo ideo in tali rerum ordine ſunt conſtituti, quia prævidebantur bene uſuri arbitrio, ſi in tali rerum ordine conſtituerentur.

323. Qui autem ſint illi multi, licet ipſe non exprimat, tamen ſi alia ejus verba penſentur, videtur aſſerere, quod omnes qui prædeſtinati ſunt, ſic ſint prædeſtinati, & in tali rerum ordine conſtituti, quia prævisi ſunt melius aliis operaturi, ſi in illo ponerentur. Quod efficaciter videtur concludi ex aliis ipſius verbis. Nam in §. Immediatè ſequenti, ſic magis ſe explicans ait. *Illud etiam quod ad exaltationem & laudem & honorem Chriſti, Sanctiſſimaque ejus Matris ſpectat, mihi videtur admodum veriſimile, Sacratiſſimis eorum duorum animabus non ſolum excellentiora dona Deum conferre decreviſſe; ſed etiam eaſdem prævidiſſe, melius quàm cæteras*

pro

Digitized by Google

pro sua innata libertate usuras suo arbitrio ; eaque ratione in tantam dignitatem potius, quàm cæteras electas fuisse. Quod prius dixerat, propter bonum usum arbitrij sub conditione prævisi per illam mediam scientiam, Deum sic, vel sic opitulari multis : nunc specialiter de animabus Christi Domini & Beatissimæ Virginis dicit, quod ea ratione, quia prævidit per illam mediam scientiam, eas melius quàm cæteras usuras suo arbitrio, si in tali supremo rerum ordine collocarentur, ideo, inquam, in illo supremo ordine rerum fuisse collocatas, & ad tantam dignitatem electas. Aliquale ergo meritum apertissimè constituit in tali bono usu prævisо sub conditione, ut divina voluntas sic, vel sic constituat ponere homines in tali rerum ordine. Cum autem hoc dicit de Christo Domino primo omnium prædestinatorum ; in hoc quid de aliis sentiat non obscurè declarat, ut nos infra pandemus. Igitur nulla potest tergiversatione celari, quin manifestè convincatur, in illo prævisо bono usu sub conditione futuro, constituere qualemcumque causam, ut homines in tali rerum ordine constituantur, in quo sic benè prævidentur operaturi : Igitur manifestum est, quòd non solùm causam prædestinationis ut sic constituat ex parte prædestinati, sed etiam causam assignet ut divina voluntas illum in tali rerum ordine constituat. Imò ratio ipsa satis convincit, nam ille bonus usus sub conditione prævisus si homo sic constituatur, non potest certè non habere alicujus meriti rationem saltem secundum pietatem, ut sic constituatur, & sic vocetur. Quis enim dicat quod tam pia sequendi voluntas, tanquam laudabilis animi propentio à Deo præcognita non provocet ipsum Deum ad vocandum, & ad constituendum hominem in illo rerum ordine, in quo sic benè operaturus prævidetur. Sicut quis negare potest, quòd si Rex aliquis velit milites eligare, & videat quod si hos eligat, illi suis viribus futuri sunt egregij in militia, non verò alij, quin multùm supra modum moveretur ad illos præ cæteris eligendos, hoc postulante, atque petente bono illorum prævisо usu militiæ. Cum ergo Deus voluerit milites ad æternam vitam eligere si prævidit hos, & non alios ex suis viribus bene usuros esse Dei vocatione, non potuit non valde inclinari ut hos eligeret præ aliis, ex eo quod sic eos bene usuros prævidit.

324. Nec satis est respondere (ut ij authores prætendunt) illum prævisum bonum usum sub conditione futurum, ideo meritum non esse secundum pietatem, quia plurimis similiter, aut etiam melius affectis ut Tiriis & Sydoniis minimè datur. Hæc namque responsio nullo modo satisfacit ; neque enim ex hoc quod alicui pauperi denegetur eleemosyna ex aliqua iusta causa, propterea supplex eleemosynæ petitio in universum excludit omne impetrandi meritum. Quemadmodum ergo ad obtinendam eleemosynam invitat & provocat secundum pietatem supplex illa misericordiæ petitio ; ita non potest non provocare divinam misericordiam ut vocet, illa tam pia subsequendi voluntas præcognita ; potissimè cum Deus quantum ex se est, velit omnes homines salvos fieri, & omnibus ad id remedia generalia præstare, ut illi recentiores sæpius affirmant. Cum ergo præcognoscat, quod si ille homo sic vocetur, obtemperabit ; quomodo nó movebitur ex illo bono hominis prævisо vsu ad sic eum vocandum ? Sicut si rex, ut diximus, statuisset dare arma militibus ad inimicos vincendos, & statim præsciret Petrum benè vsurũ illis, & victoriam reportaturum, quis dubitat quin ex illo bono prævisо usu moveatur multùm Rex talis ad dandum illi arma ? Certè si ille bonus arbitrij usus potest sub conditione præsciri ante omnem prædestinationem, poterit utique & prædestinantem ad prædestinandum multum movere : & hoc est quod sæpius in hac materia notavimus, ex illa media scientia & ejus objecto sequi manifestè dari aliqualem causam prædestinationis, hac enim ratione illam Semipelagiani admiserunt ; unde errarunt in positione illius scientiæ, & ex illo alium errorem deduxerunt admittentes causam prædestinationis. Non ergo putent satisfacere affirmando, quòd aliquibus sic prævisis non datur id, quo bene prævidentur usuri, si eis daretur, cum apertissimè dicant Deum propter illum bonum usum multos vocare, sicut præsciuntur obtemperaturi ; & cum potissimè dicant, quod animæ Christi & Beatissimæ Virginis hac ratione electæ sunt ad tantam dignitatem, quia prævisæ fuerant ex sua innata libertate benè usuræ suo arbitrio si eligerentur. Nam si semel vel in vno solo meritum secundum pietatem, ob quod homo vocetur, constituant, intensivè in substantia Semipelagianorum erit error : dicere autem quod non detur omnibus, pluribus, vel paucioribus, ad erroris majorem extensionem ex parte materiæ tantum spectat, ut Doctores facillimè deprehendent. Substantialis autem error cum omni sua intensiva malitia salvatur, si gratia & prædestinatio ex merito, solum in uno homine cõstituatur, quia jam in illo uno prædestinatio ex gratia non esset, sed illi bono usui debita, propter quem daretur. Asserere autem quod vel in uno solo gratia non sit gratia sed debita naturæ, error Pelagianorum est, & ex ipso sequitur quod hoc admisso, in aliis cæteris ita fiat propter rationem eandem : qua ratione author ille dixit quod in multis ita factum est. Quid enim ipse intelligat per illos multos in exemplo de Christo Domino adhibito non obscurè manifestat. Cum enim Christus Dominus prædestinatorum omnium sit caput, si omnium prædestinatorum caput propter illum vsum sub conditione prævisum prædestinatus est ad hypostaticam unionem, omnes alij qui hujus capitis membra sunt, etiam propter bonum usum talem prævisum constituentur in tali rerum ordine, ut evadant prædestinati. Ratio est S. Augustini *lib. de prad. Sanct. cap. 15.* quæ latius infra à nobis agentibus de prædestinatione Christi Domini explicanda est. Verba S. Augustini sunt. *Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus : de ipso spiritu & hic renatus, de quo est ille natus, eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo spiritu factum est, ut nullum haberet ille peccatum. Hac se Deus esse facturum profectò præscivit. Ipsa est igitur prædestinatio sanctorum, quæ in Sancto Sanctorum maximè claruit, quam negare quis potest rectè intelligentium eloquia veritatis.* Hæc igitur major sit ex Sancto Augustino, quod eo merito quis prædestinatur ad gloriam, quo Christus prædestinatus est filius Dei, & apponamus minorem Molinæ ; sed Christus prædestinatus est ad tantam dignitatem, ut esset filius Dei propter prævisum bonum usum arbitrij sub conditione prævisum : ergo propter eundem bonum vsum prævisum sub conditione omnes alij prædestinantur ad gloriam. Major ut dixi, est Sancti Patris Augustini, minor Molinæ : ergo ipsi qui illius defendunt doctrinam concludant, si ipse sensit, & reipsa posuit in hoc exemplo de Christo Domino, quòd omnes qui prædestinati sunt, propter bonũ usum arbitrij sub conditione prævisum sint prædestinati : unde in summa hæc ejus videtur sententia quòd licet multi qui similiter prævidebãtur benè usuri arbitrio si sic cõstituerentur, prædestinati nõ sint, ut patet de Tiriis & Sydoniis, & aliis, tamé qui de facto prædestinati sunt, propter illũ bonũ

Digitized by Google

vsum prævisum sunt prædestinati; & hos vocat multos comparatione plurimorum qui prædestinati non sunt. Sicut in materia reprobationis Sanctus Pater Augustinus docet quod licet, quòd isti sint prædestinati, & isti reprobati, nulla causa detur ex parte eorum, sed sola divina voluntas id faciat cum è converso facere potuisset; tamen illi qui reprobi manserunt, justè propter originale peccatum reprobati sunt: de quo nos plenius infra agentes de reprobatione dicemus.

325. Concludendum est ergo, quòd omni ex parte ij authores constituunt ex parte prædestinati causam, rationem, vel conditionem totius prædestinationis, & quatenus prædestinatio est, & quatenus etiam rationem habet communis providentiæ; licet hoc ultimum aliquando verbis negent; sed alibi multoties, ut comprobatum est, non obscurè affirmant.

CAPUT XVIII.

Hoc ipsum ex aliis hujus sententiæ defensoribus aperitur.

326. HANC autem tam apertam horum authorum doctrinam constituentium ex parte hominis causam, rationem, vel conditionem non solùm prædestinationis ut prædestinatio est, verum & ut à Deo constituatur in tali ordine rerum & vocetur; novissimè temperans Franciscus Suarez *lib. 2. de prædest. cap. 5. & diffusius cap. 20.* inquit bonum usum sub conditione prævisum per illam mediam scientiam, non quidem esse meritum, ut quis à Deo in tali rerum ordine constituatur, & vocetur, sed esse finem proximum propter quem Deus sic hominem vult constituere in tali rerum ordine, & vocare. Qua novitet inventa distinctione de fine movente, & de merito postulante, putat se omnia coaptando, omnem Semipelagianorum errorem effugere, & omnem suam supra refutatam doctrinam sine errore defendere. Verba ejus sunt in cap. 5. §. dicendum num. 18. *Dicerent tamen fortasse adversarij* (scilicet Semipelagiani) *hujusmodi opera quæ prævidentur tamen futura, si homo viveret, non esse quidem sufficientem causam, quæ obliget divinam justitiam ad reddendum homini præmium, vel pœnam condignam talibus operibus, si fierent; tamen posse esse rationem sufficientem ad largiendam gratiam aliquam, non cogentem ut ita dicam, sed aliquo modo inducentem ad gratiam conferendam. At enim si isti solùm intelligerent hæc opera sic conditionaliter præcognita posse movere per modum finis, vel ad dandam gratiam quæ bona fiant, vel ad tollendam occasionem, & si necesse sit ad evitandum ne mala fiant, nulla esset nobis cum illis discrepatio. Nam Paulus dicit elegit nos, ut essemus Sancti. Et sapiens dixit, raptus est ne malitia mutaret intellectum eius; & uterque ostendit hunc esse primum finem à Deo intentum per hoc genus providentiæ. Et in hoc sensu interdum utuntur Patres consideratione illorum operum, ut reddant rationem divinæ Providentiæ erga infantes, ut videre licet in Nisseno supra, & Augustinus aliquando ex ipsis sumpsit rationem Adventus Christi Domini in hoc tempore potiùs quàm in alio, ut libro de prædest. Sanct. cap. 9. sed dicit non esse primam rationem, sed revocandam esse ad gratuitam Dei electionem.* In capite autem 20. copiosiùs hoc tractans, ita dicit in ultima assertione. *Hinc tandem dico, licet ante prædestinationem necessariò supponatur in Deo ordine rationis præscientia futurorum operum ex gratia, sub conditione si talis gratia detur; non tamen supponitur absoluta præscientia eorum, ideoque talia opera posse esse; & necessario esse causam prædestinationis quoad primum effectum ejus per modum finis, non tamen per modum meriti, aut conditionis moventis Deum ad dandum talem effectum.* Probat ex illo, *Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti. Si enim ait, Deus prædestinatos elegit ad Sanctitatem, præscivit sanè quibus mediis illos esset ad sanctitatem infallibiliter perducturus: ergo ante illam electionem necessariò supponitur illa præscientia: neque ex hac præscientia sequitur illud bonum sit præscitum sub conditione esse meritum auxilij prævenientis, quòd ad illud detur, vel prædestinationis ejus; ut enim homo pium usum suæ libertatis habeat, vult illi dare Deus auxilium: dat ergo Deus tale auxilium propter talem usum, tanquam propter proximum finem: Quod ita dicendum est, quocumque modo de gratia efficaci dicatur, quia quod medium sit efficax ex tali vel tali modo, vel magis aut minùs non variat rationem medij & finis.*

327. Vnde in toto illo cap 20. Sæpe meritum negat in illo bono usu sub conditione præscito respectu certæ prædestinationis, & etiam respectu hujus quod est illum hominem constituere in tali rerum ordine ubi prævidetur benè opetaturus, atque salvandus. Concedit autem Deum, & certò prædestinare & constituere hominem in tali rerum ordine *propter* illum bonum usum, sicut propter proximum finem; affirmans in æquivoco laborare, quotquot ex illa media scientia ab eis constituta ut conditione necessaria ex parte Dei prædestinantis, inferunt bonum usum per illam præscitum movere Deum ad prædestinandum per modum meriti: cum tamen ab eis tantùm constituatur, ut possit Deus gratis intendere finem prædestinationis per talia media; quod, ut ait, longè diversum est.

328. Tria ergo in substantia proponit. Primò bonum illum usum sub conditione prævisum per illam mediam præscientiam movere, & inducere Deum ad dandam gratiam; & propter illum Deum velle prædestinare, & velle hominem constituere in tali ordine rerum. Secundò illum bonum usum non esse meritum etiam de congruo, vel prædestinationis, vel volitionis qua Deus vult hominem constituere in illo, vel illo rerum ordine. Tertiò esse illum bonum usum finem proximum, propter quem Deus & vult prædestinare, & vult constituere hominem in tali rerum ordine, & in ratione finis esse illum bonum usum necessariò causam prædestinationis, & primi auxilij gratiæ.

329. Cæterum hæc nova explicatio, quæ aliquibus apparens forsan videbitur, minus prædictam sententiam excusare debet, aut potest. Nec enim sufficit, quod sæpiùs in hac materia advertendum ex Sanctis Patribus proposui, potissimè libro primo, verbis duntaxat negare meritum in illo bono usu præscito nostræ innatæ libertatis, bene ex seipsa utentis donis gratiæ, & illa efficacia reddentis (vident namque, & ipsi hoc apertè Semipelagianum esse) non inquam, hoc sufficit verbis fateri; cum reipsa concludatur illum bonum usum meritum esse, & prædestinationis, & primi auxilij gratiæ, quod & ostendemus statim.

330. Vt autem clariùs procedamus. Advertendum prædictum authorem non solum in hac sua doctrina concedere illum bonum sub conditione prævisum esse finalem causam prædestinationis certæ, id est, quod homo constitutus in tali rerum ordine certò evadat prædestinatus; sed etiam expresè admittere esse illum bonum usum sub conditione prævisum

Digitized by Google

visum causam finalem proximam, quòd ille homo à Deo constituatur in tali ordine rerum, & non in alio. Hoc enim verba supra ex ipso relata manifestè declarant: unde priùs probandum erit illum bonum usum constitui ab eis reipsa meritorium certæ prædestinationis; deinde etiam constitui ab eis meritum de congruo, quòd ille homo à Deo constituatur in tali ordine rerum, & non in alio.

331. Sed ante omnia illud est in hac materia pro fundamento supponendum. Concedere illum bonum usum sub conditione prævisum esse aliquale meritum saltem de congruo prædestinationis certæ, & quòd homo constituatur in tali rerum ordine, & non in alio, fuisse damnatam olim Semipelagianorum sententiam. Ponebant namque illi Deum prædestinare, & dare gratiam huic, quia prævidebat quod si ei gratia daretur, ille bene usurus esset illa: unde propter talem bonum usum sub conditione prævisum tanquam propter meritum de congruo, contendebant Deum hunc prædestinare, & in tali rerum ordine constituere; propter, inquam, boni arbitrij usum bene utentis ex se adjutorio gratiæ dicebant Deum & prædestinare, & gratiam dare. Itaque propter subsequentem bonum usum gratiæ contendebant gratiam dari: unde minus ad eorum sententiam aspexit prædictus Franciscus Suarez dum dixit in cap. 20. relato §. *existimant*, Semipelagianos erraſſe, quia non loquebantur de bono usu libertatis cum auxilio gratiæ, sed contenti erant solo usu liberi arbitrij per puras vires suas, ut ex illo rationem sumerent vocationis. Hæc enim Semipelagianis attribuere, contra expressam eorum sententiam procedit; ut enim supra satis abundè probavimus, nunquam ipsi dixerunt prædestinationem fieri propter bonum usum prævisum solius arbitrij sine gratia: sed expressè dixerunt prædestinationem fieri propter bonum usum prævisum arbitrij benè utentis ex se adjutorio gratiæ, sub quo constituebatur; nec aliqua sententia aliud potest ipsis adscribere, ut ab illa distare se dicat. Quod præter supradicta illud unum solum Sancti Prosperi testimonium in Epistola ad Sanctum Augustinum apertè convincit, quo ait. *Pene omnium par invenitur, & una sententia, qua propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate & actione, præscierit.* Et sub ipso, inquit, gratiæ adjutorio. Quomodo ergo ad tam manifesta verba non attendit, qui ob solum bonum usum arbitrij sine aliquo gratiæ adjutorio, asserit Semipelagianos prædestinationem constituere? Plura similia testimonia ad hoc convincendum inducere possemus; sed & supra à nobis allata sunt in hac materia, & utraque illa Epistola Prosperi & Hilarij ad Sanctum Augustinum passim id prædicat; & præterea quia aliud Semipelagianis adscribere planè repugnat. Quomodo enim dici, aut intelligi potest, Semipelagianos propter bonum usum consequentem, vel subsequutum ad gratiam constituisse prædestinationem, ut prædictus author etiam affirmat; & simul prætendere ipsos ex solo bono usu arbitrij sine gratia prædestinationem fieri dixisse? Quod si hoc modo iste author dicit, & alij salvant Semipelagianos posuisse prædestinationem ex solo bono usu arbitrij sine gratia, quia ex solis naturæ viribus homo bene utitur gratia data, & illam constituit efficacem, effectumque prædestinationis, advertant quod in hoc eodem sensu etiam ipsi constituunt prædestinationem ex solo usu arbitrij, ut supra satis ostendimus. Igitur hoc sit fundamentum, Semipelagianos posuisse prædestinationem propter bonum usum futurum arbitrij bene utentis ex sua innata libertate adjutorio gratiæ, sub quo ideo constituebatur, quia bene usurum illa gratia antea prævidebatur, si gratia ei daretur.

332. Quod si adversus quis opponat, quod S. Thomas *1. p. quæst. 23. art. 5.* postquam dixit Pelagianos posuisse prædestinationem fieri propter merita antecedentia ipsam gratiam, ita quod alicui datur effectus prædestinationis, & non alteri; quia unus initium dedit se præparando, & non alius; statim subdit. *Unde fuerunt aliqui qui dixerunt quod merita sequentia prædestinationis effectum, sunt ratio prædestinationis: ut intelligatur quod ideo Deus dat gratiam alicui, & præordinavit se ei daturum, quia præscivit eum bene usurum gratia: sicut si Rex dat alicui militi equum, quem scit eo bene usurum.* Quos tamen Semipelagianos non dicit.

333. Ad hoc facilis est responsio hoc argumentum esse desumptum ab authoritate negativa, quod nullius valoris est. Imò si attentè Sanctus Thomas legatur, per æquivalentia dicit hanc fuisse Semipelagianorum sententiam, cum dicit *Quod qui sic dicunt, videntur distinxisse inter id quod est ex gratia, & id quod est ex libero arbitrio, quasi non possit esse idem ex utroque.* Quæ fuit manifesta Semipelagianorum sententia constituentium liberum arbitrium, & gratiam partiales causas, ut libro nostro tertio dabimus manifestum: unde, & illorum sententiam S. Thomas dicit procedere contra illud. *Converte nos Domine ad te, & convertemur*, in quo pravitatem illius doctrinæ ostendit. Sicut ergo ponere merita antecedentia gratiam esse causam prædestinationis est Pelagianorum error; & qua parte id etiam Semipelagiani admittebant, convincit Sanctus Augustinus lib. de prædest. sanct. cap. 2. quod Pelagianis consentirent; quod totum comprehendit Sanctus Thomas in prioribus verbis: ita admittere prædestinationem fieri propter prævisa mera subsequentia ad gratiam, est potissimus Semipelagianorum error, quos suppresso nomine ibi Sanct. Thom. reprehendit. Et ratio est quia Concil. Arausi. *Can. 25.* & Tridentinum *Sess. 6. cap. 5.* expressè docent primam gratiam gratis dari, & non ex merito: ergo omne meritum negant, sive ex sola natura, sive antecedens gratiam, sive subsequens illam; quia etiam meritum subsequens gratiam meritum est; quod absolutè in Conciliis negatur, potissimè & principaliter, quia in sententia Semipelagianorum daretur gratia propter prævisum bonum usum arbitrij bene utentis ex se gratia: unde quod bene uteretur gratia, non esset ex gratia, sed ex innata libertate; & sic verè poneretur ex parte hominis meritum ipsius gratiæ.

CAPUT XIX.

Bonum usum sub conditione prævisum non solùm finem, sed reipsâ meritum constitui prædestinationis à recentioribus.

334. VT autem ad præsens omittam, quæ adversus hanc mediam scientiam, quæ totius hujus doctrinæ basis est, & fundamentum, diximus supra lib. 1. part. 2. tract. 5. & quæ illum bonum usum arbitrij à Deo quidem constituit præscitum, sed non prædestinatum (ut palam Molina concedit & omnes mediæ scientiæ defensores concedere coguntur) nec à Deo illum bonum usum ponit participatum, sed ex innata hominis voluntate elicitum. Vt, inquam, hæc, & plurima alia omittam quæ prædicto loco expendimus copiosè; ea quæ in specie noviter inducit author citatus diligentiùs sunt discu-

Digitized by Google

tienda. Quamvis enim voce dicat illum bonum usum esse tantùm finem proximum, propter quem Deus vult hominem prædestinare, & in tali rerum ordine constituere; non verò esse meritum aliquod prædestinationis, & primi doni gratiæ: si tamen negotium hoc accuratiùs expendatur, convincitur talem bonum usum arbitrij sub conditione præviſum, meritum reipsa esse tum prædestinationis, tum illius volitionis, qua Deus vult hominem in tali rerum ordine collocare; meritum, inquam, de congruo, vel secundum pietatem, ut diximus supra.

335. Quod sic ostendimus. Sancti Patres, & Concilia antiqua, quæ Semipelagianos expugnarunt, (ex eo quod Semipelagiani aliquid boni etiam minimum ex parte hominis admittebant, propter quod Deus prædestinaret, & gratiam tribueret) semper contra illos concluserunt illos meritum in illo bono usu hominis constituere respectu prædestinationis, & gratiæ: ergo quomodocunque nunc aliquid boni usus ex parte hominis ponatur antecedere, propter quod Deus prædestinet, & gratiam donet; per Sanctos Patres manet conclusum, illud esse meritum prædestinationis, & gratiæ: ergo sola voce prætenditur non esse meritum illum bonum usum ex parte hominis præviſum: imò quod est advertendum, contendebant Semipelagiani se meritum non collocare in tali præviso usu; sed de hoc à Sanctis Patribus quod meritum poneret, convincebantur. Antecedens ex quo tota ratio pendet ex multis testimoniis poterat convinci, sed unum vel aliud sufficiat.

336. Sanctus Prosper *cap. 6. contra collat.* ita concludit. *Quomodo autem non advertis, te in illud damnatum incidere, quod velis nolis, convinceris dicere, gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas.*

337 Nec juvat si quis prætendat illa verba dixisse Sanctum Prosperum contra illos conatus merè naturales, antecedentes omnem gratiam, propter quos Cassianus dicebat dari gratiam: unde non convincere contra bonum usum arbitrij utentis gratia, cum ille bonus usus gratiam supponat. Hæc enim excusatio facilè præcluditur; nam ille bonus usus præviſus, ex homine prævidetur, non ex gratia, & prævidetur antecedere omnem prædestinationem, & gratiam: ergo si propter illum Deus prædestinat, ille est meritum prædestinationis: similiter si propter illum Deus vult hominem constituere in tali vel tali rerum ordine, est meritum quo Deus sic velit homines constituere: parique ratione si propter illum vult dare prima gratiæ dona, erit meritum ipsius gratiæ saltem de congruo, ut sæpius dictum est; semper enim constituitur aliquid ex parte hominis procedere, propter quod prædestinatio, & gratia datur: quæ sunt verba ex quibus S. Prosper convincit meritum respectu gratiæ.

338. Quod si secundò dicant Sanctum Prosperum de absoluta præscientia loquutum, non de conditionata, nihil obstat; quia proportionaliter de conditionato bono usu infertur meritum, si ponatur antecedere volitionem dandi gratiam, ob quem Deus velit gratiam dare, ut probatum est supra, & in hoc capite ampliùs manifestatur.

339. Quod si tandem dicant repugnare illi bono usui sub conditione præviso rationem meriti, id nos ingenuè fatemur: sed asserimus, quod ex suppositione, qua ponitur ex parte hominis, non ex ipsa gratia oriri illum bonum usum; & qua ponitur antecedere prædestinationem, & omnem volitionem Dei de danda gratia; & qua ponitur movere Deum, & inclinare, ut prædestinationem, & gratiam donet; manifestè sequi, quod propter illum Deus prædestinet, ut etiam ipsi fatentur. Ex hoc autem rursus convincitur, quod sit meritum prædestinationis, & gratiæ. Itaque ex suppositione ejus sententiæ meritum convincitur in illo bono usu arbitrij præviſo.

340. Aliud testimonium habetur ex eodem S. Prospero Epistola ad S. Augustinum in qua asserit dixisse Semipelagianos *ad unamquamque gentem ita dispensata tempora, ac ministeria magistrorum, ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum.* Ex quibus verbis Sanctus Prosper pariter affirmat eos meritum constituisse in illa exortura bona voluntate præviſa, respectu hujus quod erat Deum sic, vel sic tempora administrare circa homines, ut exortura erat bona credulitas voluntarum; & ejus quod est Deum velle constituere hominem in tali, vel tali rerum ordine, ut exortura erat bona credulitas voluntatum.

341. Nec infringitur vis argumenti, si dicatur in illis relatis à Sancto Prospero verbis, Semipelagianos loqui de bona credulitate merè naturali, & ante donum gratiæ, quam ipsi constituebant; non de credulitate bene utente donis gratiæ: Tum quia respondetur, sicut modò ad primam excusationem responsum est. Tum secundò quia non solum loquebantur Semipelagiani in illis verbis de solo initio fidei, quod merè naturale ante omnem donum gratiæ admittebant; sed etiam de augmento fidei, & credulitatis, quod sub dono gratiæ admittebant: & tamen (ut visum est) ex illis verbis convincit Sanctus Prosper eos meritum constituere.

342. Confirmatur, & explicatur. *Nam si semel* antiqui Patres, qui cum Semipelagianis egerunt, eis concessissent dari aliquid minimum ex parte hominis præviſum, non ut effectum prædestinationis, & primi doni gratiæ, sed ut causam illius, propter quod Deus prædestinaret, & gratiam donaret; quidquid illud fingeretur, sive absolutè, sive sub conditione præviſum; planè Semipelagiani quiescerent, & suum præcipuum finem obtinerent, nec contenderent an illud esset meritum, vel non; quia ipsi illud primum intendebant tantùm & meritum negabant: ergo si modo hoc eis conceditur, totum suum Semipelagiani obtinent intentum.

443. Præterea quis non videat per hunc dicendi modum totam vim, & efficaciam Sanctorum Patrum, qui Semipelagianos debellarunt, omninò enervari; & eorum vim, ac testimonia quasi deludi? Si enim excusatur modò à damnata sententia, illa quæ tenet bonum usum ex parte hominis habitum, & non ex prædestinatione tributum, sub conditione præviſum, necessariò esse causam prædestinationis, & primi doni gratiæ, ut libenter ista sententia defendit, ex eo quod causam finalem dicat esse usum illum, non autem meritum: pari ratione facilè se excusassent antiquitus Semipelagiani hoc prætendendo; & sic nunc hac nova explicatione enervarentur omnia Sanctorum dicta & argumenta contra illos, nec aliquam vim haberent; quia posset quis dicere illa tantùm probare illum bonum usum esse finalem causam prædestinationis, non autem esse meritum: unde nec modò aliquid efficaciter conclusum contra illos haberemus. Certè hoc est excusare Semipelagianorum sententiam, vel reipsa asserere Sanctos Patres non rectè illos de merito convicisse; quorum quodlibet quam sit pernicioſum, nec oportet ampliùs comprobare. Quod sanè satis hujus authoris verba primo loco allata declarant, cum ait. *Quod si Semipelagiani tantùm intelligerent hæc opera sic conditionaliter præcognita posse movere per modum finis, vel ad dandam gratiam qua bona fiant, vel ad tollendam occasionem, & si necesse sit, ad evitandum ne mala fiant; nulla esset nobis cum illis disceptatio.* Fateor quod si hoc illis concedatur, nullam ipsi ampliùs haberent

disceptа-

Digitized by Google

disceptationem; quia (ut dixi) suum præcipuum obtinerent intentum. Et si iste author super hoc cum illis non disceptaret; at nobis cum illis magna restat disceptatio, quia inseparabilem videmus ab illo bono usu sub conditione præscito, rationem aliquam meriti; nec est possibile ponere solum finem proximum in illo, & non meritum aliquale, ut præter dicta, & allata, ampliùs ostenditur.

344. Nam ille bonus usus sub conditione prævidetur ex parte hominis ante omnem prædestinationem ipsius: ergo si est causa finalis prædestinationis ut dicitur, etiam est causa meritoria illius. Probatur consequentia, quia ille bonus usus se tenens ex parte hominis prævidetur ut bonus actus moralis, & ideò requirit libertatem, & bonitatem aliquo modo proportionatam ipsi prædestinationi, cujus causa ponitur. Quomodo enim erit causa prædestinationis, si proportionem cum illa non habet? Ergo quodammodo saltem de congruo illi causæ finali prædestinatio debetur: ergo ipsi homini sic præviso bene operaturo, ratione talis boni usus erit debita prædestinatio: hoc autem est meritum de congruo, & nihil aliud, ut est manifestum: repugnat ergo dicere illum bonum usum esse finem prædestinationis, & non meritum illius.

345. Explicatur ampliùs hæc ratio à simili: Nam author cum quo ista tractamus *lib. 2. de caus. dispos. prædest. §. Tandem.* Hac ratione probat non posse bonum actum moralem esse dispositionem ad gratiam, & non meritum illius; quia ille est actus moralis liber, & bonus, & proportionatus formæ ad quam disponit: unde qua ratione est dispositio, cui forma debetur, etiam est illius meritum: similiter ergo cum bonus usus sub conditione prævisus sit liber, bonus, & moralis, & prædestinationi proportionatus, ut causa finalis movens Deum ad prædestinandum, illi causæ finali erit aliqua modo debita ipsa prædestinatio, & sic erit meritum de congruo respectu prædestinationis.

346. Ampliùs, sicut supra probatum dedimus; Quis dicat illam tam promptam & piam obsequendi voluntatem præcognitam non multùm invitare, & provocare divinam misericordiam, ut vocet? Sicut nemo negabit quod multum moveat, & ad dandam eleemosynam invitet supplex illa pauperis assidua petito: cum ergo præcognoscat Deus quod si ille homo sic vocetur, ex se optemperabit; Quomodo non movebitur ex illo bono usu prævîso ad sic eum vocandum, sicut ex quodam merito de congruo sic divinam misericordiam postulante? Præterea si Rex ut supra diximus, statuisset dare arma militibus ad inimicos vincendos, & statim prævideret Petrum benè usurum illis, & victoriam reportaturum; Quis dubitet ex illo prævîso futuro merito saltem de congruo moveri multùm Regem ad dandum illi arma? Cum ergo Deus velit omnes homines salvos fieri, bene pugnare, & victoriam ex inimicis reportare, & ad hoc velit arma sufficientia illis dare; si statim præscit hos ex sua innata libertate bene usuros armis, & victoriam reportaturos, non possumus inficiari, multùm Deum ex tali bono usu prævîso sicut ex quodam merito de congruo moveri, ut illos taliter vocet, sicut vidit obtemperaturos. Planè S. Thomas 1. *p. q. 23. art. 5.* pro manifesto supponit, quod sicut in exemplo Regis, qui sic daret arma, quia prævidet bene illis usurum militem, est inseparabiliter ratio meriti, nec potest quis fingere solum ibi esse finem, non meritum; ita pro manifesto etiam ibi reliquit, quod si Deus prævidet hominem bene usurum gratia, & quia prævidit illam ei tribuit, sit inseparabilis ratio meriti à tali bono usu prævîso: unde & Ludovicus Molina hoc comprehendens, ut ex ipso diximus supra, manifestè meritum de congruo posuit in tali bono usu prævîso. Quod quia posterior author videt male sonare, sententiam quidem temperat voce, meritum negando, & tantùm finem proximum exprimendo.

347. Ad hæc, bonus usus prævisus sub conditione est finis movens Deum ad prædestinandum, ut concedunt: ergo Deus eum vocat, quem scit obedituram, & toto corde ad se conversurum; sed obedire, & toto corde converti ad Deum, ad meritum pertinet: ergo præscientia meriti erit causa prædestinationis, & hujus, quòd Deus hominem vocet: ergo inseparabilis est ab illo bono usu liberi arbitrij movente Deum ad prædestinandum, ratio meriti. Argumentum est S. Thomæ *quæst. 6. de verit. art. 2.* primo loco objectum, in quo manifestè ex bono usu arbitrij sub conditione prævîso infert rationem meriti. Et in solutione respondet, non posse esse quod ipse rectus gratiæ usus præscitus sit causa movens ad dandam gratiam; quia pro evidenti reputat, quod si est causa movens ad dandam gratiam, sit meritum ipsius, ratione facta.

348. Insuper ille bonus usus sub conditione se tenens ex parte hominis præsupponitur ad illam mediam scientiam, quia ideò in Deo est illa media scientia, quia sic homo ex sua libertate acturus est, ut primo libro agentes adversus hanc mediam præscientiam probabimus, & illi authores expressè concedunt, & illa præscientia præsupponitur ad prædestinationem; ergo ille bonus usus præsupponitur ad prædestinationem.

349. Rursus ille bonus usus præsupponitur ad illam mediam scientiam non solùm ut finis in quem tendit, sed à quo habet speciem & formam; quia objectum est causa scientiæ non solùm finalis, sed constitutiva illius: ergo præsupponitur talis bonus usus cognitus per illam præscientiam ad prædestinationem, non solum ut finis in quem tendit predestinatio, sed ut objectum à quo prædestinatio constituitur in ratione prædestinationis: ergo ille bonus usus ex parte hominis se tenens, est causa constitutiva prædestinationis, sive efficiens, sive formalis, sive meritoria. Quodcunque autem detur, damnata sententia est, & ille finis qui prætenditur efficaciter excluditur. Hoc argumentum procedit de prædestinatione quatenùs prædestinatio est distincta à communi providentia, & probat juxta superius disputata, illum bonum usum non esse tantum finem in quem tendat prædestinatio, sed esse constitutivum ipsius formalis prædestinationis; imò illam constituere non physicè, sed moraliter, merendo ut Deus efficaciter cum homine sic bene utente cooperetur, & certam reddat illius prædestinationem, ut supra probatum est. Si autem argumentum procedat de voluntate constituendi hominem in tali rerum ordine & eum sic vocandi sicut prævidetur operaturus, ex modò dictis in hoc capite constat bonum illum usum sub conditione prævîsum esse meritum de congruo petentem, & postulantem à Deo quod eum sic vocet, & in tali rerum ordine ponat:

350. Postremò quando Sancti negant ex parte hominis dari causam prædestinationis, & hoc contra Pelagianos defendunt, manifestè omne genus causæ respectu prædestinationis ex homine esse negant, & totum hoc refundunt in liberam, & solam divinam voluntatem: ergo non solùm negant causam meritoriam prædestinationis, & primi effectus illius ex parte hominis; sed etiam causam efficientem, causam formalem, & finalem. Imò Patres, & Concilia supponunt causam efficientem prædestinationis solum Deum esse; formalem ipsum ordinem prædestinationis; finalem proximam gloriam animæ Christi; & finem ultimum ipsam gloriam Dei. Igitur contra Sanctorum Patrum doctrinam procedit, constituere hominem

Digitized by Google

minem in aliquo genere cauſam prædeſtinationis ſuæ quoad primum effectum illius.

351. Tandem dato, & nullo modo conceſſo, illum bonum uſum ſub conditione præviſum tantùm eſſe finem in quem tendit prædeſtinatio non autem meritum illius; adhuc defendi non poteſt iſta doctrina. Ponere enim ex parte hominis aliquid quod non habeatur ex Deo, & quod ſit finis movens Deum ad prædeſtinandum, defendi non poteſt, quia aliàs aliquid ex parte hominis eſſet finalis cauſa movens Deum ad prædeſtinandum; & ſic ex parte hominis poneretur cauſa finalis divinæ voluntatis, potiſſimè reſpectu primi actus qui ex ſola ſimplici Dei voluntate dependet; quod nullus Theologorum poteſt admittere: de quo Sanctus Thomas 1.*p.quæſt.*19.*art.*5. Et 1.*contra gentes cap.*87. 88. Et *quæſt.*6.*de verit. art.*2. Conſtat autem manifeſtè ex eodem Sancto Thoma ultimo nunc loco citato qui omninò videndus eſt, & conſiderandus, *Quod velle Deum alicui dare gratiam & gloriam, ex mera Dei liberalitate procedit, & quod in his quæ ex liberalitate procedunt, tantùm cauſa volendi eſt ipſa ſuperabundans affectio volentis ad finem, in quo attenditur perfectio bonitatis ipſius: unde cauſa (inquit) prædeſtinationis, nihil eſt aliud quam bonitas ipſius Dei.* Hæc Sanctus Thomas. Et intuenti articuli literam erit manifeſtum illum negare cauſam finalem quamcumque moventem Deum ad prædeſtinandum, præter ſolam divinam voluntatem, quæ eſt finis ob quem Deus liberè prædeſtinat. & rurſus *ſolutione ad* 1. inquit, *Unde non poteſt eſſe quod ipſe rectus gratia uſus præſcitus, ſit cauſa movens ad dandum gratiam.* Imò ex illo articulo fit ſatis apertum, quod ſi ex parte hominis daretur finis movens Deum ad prædeſtinandum, jam illi fini ſic moventi eſſet debita illa prædeſtinatio; nec ipſa prædeſtinatio ex ſimplici Dei libera voluntate penderet; per quod mirificè confirmatur id quod dictum eſt ſupra.

CAPUT XX.

Oppoſita argumenta ſolvuntur.

352. Reliqvvm eſt, ut argumentis ſatisfiat quæ in cap.17. objecta fuere, quibus prætenditur illum bonum uſum ſub conditione præviſum non meritum, ſed finem tantùm eſſe proximum, tum prædeſtinationis, tum primi effectus illius, & voluntatis qua Deus vult hominem conſtituere in tali ordine rerum.

353. Ad quæ prius quadam generali ſolutione reſponderur, quæ in quadam diſtinctione conſiſtit. Diſtinguendum eſt enim diligenter de fine in hac materia & cauſa; quia alius eſt finis totaliter ſe tenens ex parte Dei; & alius qui ſe tenet ex parte hominis qui venit prædeſtinandus, & vocandus: Vel ſub alijs verbis, & in idem tendit, diſtinguatur de fine; quia alius eſt ad quem Deus ordinat electionem, & prædeſtinationem ſicut cauſam in effectum: alius autem qui eſt cauſa movens, & inclinans Deum ad prædeſtinandum: omnis enim finis qui totaliter ſe tenet ex parte Dei, talis eſt quòd ſemper ad ipſum Deus ordinat ſuam electionem, & prædeſtinationem ut cauſam in effectum: omnis autem alius, qui ſe tenet ex parte hominis qui venit eligendus, prædeſtinandus, atque vocandus, ſemper eſt movens & inclinans Deum ad eligendum, prædeſtinandum, & vocandum; & ex conſequenti præſupponitur ad electionem prædeſtinationem & vocationem ſicut cauſa, nec poteſt eſſe effectus ejus.

354. Secundùm quam diſtinctionem ad argumenta omnia ſimul reſpondetur. Scripturam divinam, & Sanctos Patres paſſim quidem docere dari finem proximum prædeſtinationis, & divinæ vocationis, qui totaliter ſe teneat ex parte Dei; & ad quem Deus ſuam prædeſtinationem, & vocationem ordinet ſicut cauſam in effectum. Cæterum nunquam docent dari finem proximum prædeſtinationis, & vocationis Dei, qui ſe teneat ex parte ipſius hominis qui eſt prædeſtinandus, & vocandus; & qui proinde moveat, & inclinet Deum ad prædeſtinandum atque vocandum: ſicut enim illud primum concedere cum Scriptura, & Sanctis eſt neceſſarium; ita neceſſarium eſt hoc ſecundum negare. Etenim illud primum nihil præſupponit ex parte hominis, quod ſit cauſa ut à Deo prædeſtinetur atque vocetur; & ſic prædeſtinatio & vocatio ſolum ſe tenent ex parte Dei & ejus liberæ voluntatis. At hoc ſecundum manifeſtè ex parte hominis conſtituit cauſam, ut à Deo prædeſtinetur, atque vocetur, quod ſemper Scriptura, & Patres damnarunt; & ſic jam prædeſtinatio non eſſet per liberam omnino electionem prædeſtinantis, ſed eſſet debita illi finali cauſæ ſic moventi, & Deum inclinanti; & ex conſequenti, ut dictum eſt, præſcientia illius cauſæ inclinantis atque moventis Deum ad prædeſtinandum, eſſet præſcientia meritorum; & ipſa prædeſtinatio ex præſcientia illorum meritorum fieret. Non ergo confundendi ſunt fines iſti, ſicut objecta argumenta confundunt; ſed attentione maxima ſunt ſeparandi, ne ſi minus diſtinguantur, ex prava intelligentia Scripturæ atque Sanctorum error deducatur.

355. Prædicta diſtinctio neceſſaria manifeſtè colligitur, ſi jam non expreſsè traditur, ex Sancto Thoma *q.6. de verit. citata art.*2. Vbi agens de fine movente voluntatem, dicit primò quòd finis ultimus movet abſolutè per modum debiti; quia ita illam movet, ut ab ipſo divertere non poſſit, ſicut nullus poteſt velle non eſſe beatus. Secundò dicit quòd aliquid movet voluntatem ex ſuppoſitione alterius ſine quo finis haberi non poteſt; ita quod ſuppoſito quod voluntas liberè ſe inclinaverit in aliquem proximum finem, inclinetur ad illa ſine quibus finis haberi non poteſt. Sicut ſi Rex ex ſua liberalitate vult facere aliquem militem, quod eſt finis proximus, quem mera liberalitas Regis intendit, & non poteſt eſſe miles niſi habeat arma, efficitur debitum & neceſſarium ex ſuppoſitione liberalitatis prædictæ, quòd ei det arma. Et applicans hanc doctrinam ad divinam voluntatem reſpectu prædeſtinationis & gratiæ ſubdit. *Finis autem divinæ voluntatis eſt ipſa ejus bonitas, quæ non dependet ab aliquo alio, unde ad hoc quod habeatur à Deo, nullo alio indiget, & ideo voluntas ejus non inclinatur primo ad aliquid faciendum per modum debiti, ſed liberaliter tantum, in quantum eſt bonitas ejus in opere manifeſta: Sed ex quo ſupponitur quod Deus aliquid facere velit, ex ſuppoſitione liberalitatis illius per modum debiti cujuſdam, ſequitur quod faciat ea, ſine quibus res ipſa volita eſſe non poteſt: ſicut ſi vult facere hominem, quod det ei rationem.* Ita clara ſunt hæc verba, ut explicatione non indigeant; his enim docet quod divina voluntas non poteſt velle aliquid primò per modum debiti; ex ſuppoſitione tamen quòd aliquid mere liberè velit, efficitur debitum ut aliud ſine quo illud primum non ſtat, velit. Et proſequens, hæc verba adhibet. *Ubicumque autem occurrit aliquid, ſine quo aliud à Deo volitum eſſe poſſit, hoc non procedit ab eo ſecundum rationem alicujus debiti, ſed ſecundum meram liberalitatem: Perfectio autem gratiæ & gloriæ ſunt hujuſmodi bona quod ſine eis natura eſſe poteſt, excedunt enim naturalis virtutis limites. Vnde quod Deus velit alicui dare gratiam & gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit. In his autem quæ ex liberalitate procedunt*

Digitized by Google

dunt tantum causa volendi est ipsa superabundans affectio volentis ad finem, in quo attenditur perfectio bonitatis ipsius, unde causa prædestinationis nihil est aliud quam bonitas ipsius Dei. Est etiam notissima hæc doctrina, qua habetur quod velle dare gratiam & gloriam, & velle prædestinare, nullam potest habere causam finalem ex parte hominis moventem & inclinatem Deum ad prædestinandum, & dandam gratiam, & gloriam; sed quod sola superabundantia bonitatis Dei hujus causa est: igitur nullus finis proximus ex parte hominis se tenens potest à Deo præsciri qui sit finalis causa movens Deum ad prædestinandum, & ad suâ gratiâ vocandum. Non ergo potest bonus usus præviſus ex parte hominis sub conditione esse causa finalis movens & inclinans Deum ad prædestinandum, & vocandum; sed hujus causa finalis sola est superabundans affectio bonitatis Dei. At supposito quod sua libera omnino voluntate Deus velit alicui dare gloriam, vel illum Sanctum efficere, ex præsuppositione hujus proximi finis omnino liberè prævoliti fit debitum, ut eum velit prædestinare, & suâ gratiâ vocare, quia sine his non potest stare ille finis liberè à Deo volitus. Et hoc nos uno verbo diximus; quòd tunc finis totaliter se tenet ex parte Dei, quia ex sola & mera bonitate divina sine aliquo præviſo ex parte hominis Deus vult illum proximum finem, videlicet hominem Sanctum efficere; & ex hoc fine totaliter se tenente ex mera sola divina liberalitate, ex bonitate movetur ad præstinandum, atque vocandum; & prædestinationem & vocationem ordinat ad illius finis consecutionem. Et hanc suam doctrinam magis explicans Sanctissimus præceptor subdit ad primum. *Ad primum ergo dicendum, quod debitus gratiæ usus est quoddam ad quod divina providentia gratiam collatam ordinat: Vnde non potest esse quod ipse rectus gratiæ usus præscitus, sit causa movens ad dandam gratiam.* Et sic dicit esse explicandum Ambrosium quem in primo argumento opposuerat. Quid clarius? præscitus gratiæ usus est id, ad quod Deus gratiam ordinat, sicut causam in suum effectum; non tamen ille præscitus usus gratiæ est causa movens (& loquitur de finali, sicut patet ex toto processu articuli) ad dandam gratiam. Quibus distinctionem à nobis positam in terminis statuit, quòd videlicet præscitus usus gratiæ est finis totaliter liberè à Deo volitus, ad cujus productionem Deus ordinat prædestinationem, & gratiam; non autem est se tenens ex parte hominis movens ut finis Deum ad prædestinandum, & suâ gratiâ vocandum; quia alias ut in illo articulo, & argumento primo concludit, præscientia meritorum esset causa prædestinationis; quia præscientia illius boni usus non posset non esse præscientia meriti moventis Deum ad prædestinandum & vocandum. Idem dicit solutione ad secundum, ubi magis explicans id quod dixerat, bonum usum gratiæ præscitum esse id, ad quod Deus gratiam collatam ordinat, dicit quòd id quod etiam est ex parte nostra, id est, bonus usus gratiæ præscitus, non est inclinans divinam voluntatem ad volendum; sed est id, ad cujus productionem divina voluntas gratiam ordinat; ad cujus, inquam, productionem, quia ipse bonus usus est effectus ipsius prædestinationis & gratiæ, à qua sicut à causa fit.

356. Et per hoc patet ad primum in particulari. Dicendum est enim quod cum Paulus dicit, elegit nos, ut Sancti essemus, totum divinæ tribuit liberæ voluntati; quia enim Deus solùm ex superabundanti affectione bonitatis suæ, absque aliquo præviſo ex parte nostra quod illum ut finis moverit ad prædestinandum, voluit hunc proximum finem, videlicet nos Sanctos efficere; ex suppositione hujus liberrimæ voluntatatis, voluit consequenter ea sine quibus haberi non poterat finis ille, nempe nos eligere, & prædestinare; ordinans suam liberam electionem, ut nos Sanctos efficeret, sicut liberè & misericorditer prævoluit. Et idem tantùm docent S. Augustinus, S. Prosper, & omnes alij inducti: & constat manifestè de Sancto Augustino *lib. de prædest. Sanct. cap. 16. & 17.* Ubi illud Apostoli testimonium expendit. Ex quo proinde testimonio Pauli, & Sanctorum doctrina tantùm abest, quod inferatur dari ex parte hominis præviſum illum bonum usum per scientiam mediam, qui ut finis proximus sit inclinans & movens Deum ad prædestinandum, & suâ gratiâ vocandum, quin potius totum oppositũ manifestè convincitur, ut Sanctus P. Augustinus citato loco demonstrat. Et ratio est, quia illud testimonium apertè prædicat, quòd eâ omnino libera sua voluntate (sine aliquo ex parte hominis id merente vel postulante) qua Deus voluit nos Sanctos efficere, voluit nos eligere, faciendo sua electione quod nos Sancti redderemur: unde totum Apostolus divinæ misericordiæ adscribit, non præviſis meritis hominum, vel præviſo fini se tenenti ex parte hominis, & ad id divinam voluntatem moventi, seu inclinanti, ut malè authores cũ quibus agimus, attribuunt illi bono usui præscito sub conditione. Ponunt enim primò illum bonum usum prædestinatum non esse, sed præscitum; nec ex prædestinatione propriè & verè effici; sed ex parte nostræ innatæ libertatis volentis ex se bene uti auxiliis gratiæ & excitatione ipsius, effici; & movere ac inclinare divinam voluntatem, ut nos prædestinet nobisque prima dona gratiæ tribuat; quod sine merito intelligi nequit, ut dictum manet & explicatum.

357. Similiter patet quàm sinistrè S. P. Augustinus inducatur *libro de prædest. Sanct. c. 9.* Vt enim latè probavimus lib. 1. Sanctus Doctor ibi expresè loquitur de bono usu arbitrij præviſo post divinam electionem, & qui sit effectus ejus, non causa. Vnde docet tunc venisse Christum quando sciebat, & ubi sciebat qui ex divina electione in ipsum erant credituri; quia ergo divina bonitas voluit eis per Christum, & in Christo fidem, & sanctitatem donare (nihil præviſo ex parte ipsorum, quod ad illa Deum moverit) tali tempore quo illi præsciebantur in Christum ex divina electione credituri, voluit Christus apparere, ut illos salvaret, sicut ex divina electione, & prædestinatione præordinatum erat. Nihil ergo ex parte hominis ponit Sanctus Augustinus, quod ut finis Deum moveat, & inclinet ad prædestinandum, & vocandum, ut ista sententia, quam impugnamus, prætendit; sed tantùm constituit Deum ordinasse incarnationem Christi ut causam in illum effectum, qui erat illorum hominum fides & salus.

358. Ad aliud, quod objicit prædictus author. In omni sententia quæ sive isto, sive illo modo constituat efficaciam gratiæ, esse dicendum bonum usum arbitrij sub conditione præviſum, esse finem proximum prædestinationis, & primi gratiæ doni; quia, ut ait, quòd medium sit efficax tali, vel tali modo, vel magis & minus, non variat rationem medij, & finis: ex dictis patet responsio, in nostra & ejus sententia rationem esse valde diversam, imo planè contrariã. Quia enim in ejus sententia ille bonus usus arbitrij utentis donis gratiæ, ex homine habetur, non ex prędestinatione ut effectus ejus, imo illius causa ponitur, ideo cõstituitur ex parte hominis finis movens Deum ad prædestinandum, & sic meritum prædestinationis constituitur, ut dictum est: cæterum in nostra sententia, quia ille bonus usus arbitrij præscitus est verè ex prædestinatione ut effectus ejus; ideo non potest ut causa ex parte nostra Deum movere ad prædestinandum; & sic solùm est finis ad quem producendũ divina bonitas suam ordinat prædestinationem; & utrumque ex sua benignitate fit absque aliquo se tenente ex parte hominis

Digitized by Google

prævisо ante prædestinationem, quod Deum moveat, vel inclinet ad prædestinandum. Multum ergo variat rationem medij & finis, quod medium efficax ponatur ex Deo ipso, ut nostra defendit sententia, vel ex homine, ut ipsi dicunt: Quia si ponatur efficax ex Deo, ex ipso infallibiliter ponitur usus præscitus verè effectus prædestinationis, non causa ejus; & verè asseritur quòd ad illum effectum producendum liberè Deus suam ordinat prædestinationem, sine aliquo ex parte nostra quod Deum moveat ad prædestinandum. At in sententia oppositа cum medium ponatur efficax ex homine; ex parte hominis prævidetur bonus ille usus gratiæ ex mera illius libertate; & prævidetur, ut hi authores fatentur, inclinans, & movens Deum ad prædestinationem, & sic ponitur causa prædestinationis ex parte hominis, ut deductum est & probatum.

CAPUT XXI.

Alia ex prædestinatione secundùm præscientiam deducuntur inconvenientia.

359. EX eo quod prædestinatio secundùm boni usus præscientiam certa reddatur; & ex eo quod talis præscientia, prædestinationis sit causa, ut visum est modò, plura alia gravissima inconvenientia deducuntur: sequitur enim manifestè si præscientia boni usus est causa nostræ prædestinationis, quòd ille bonus usus prævisus non sit effectus prædestinationis; quia idem simùl causam, & effectum esse respectu ejusdem repugnat: jam ergo ille bonus usus non erit prædestinatus, sed prævisus tantum; & sic ille bonus usus non erit ex prædestinatione & gratia, sed ex hominis arbitrio. Iam ergo dividit ista sententia inter id quod est ex gratia, & id quod est ex libro arbitrio, quasi non possit idem esse ex utroque. Quæ sententia damnata expressè invenitur in Sancto Thoma 1.*part. quæst.* 23. *art.* 5. ubi refert & damnat sententiam, quæ ita dividebat inter gratiam & arbitrium, ut vocare sit ex prædestinatione & gratia, obedire autem & vocantem sequi, sit ex libero hominis arbitrio; & quod vocare sit prædestinatum, vocantem autem sequi sit tantùm præscitum. Quod autem hoc apertè sequatur, patet; nam si ille bonus usus est causa prædestinationis, ex prædestinatione non habetur, nec est effectus illius. Item quia id ipsum apertè prædicti authores concedunt, non solùm cum gratiam, & liberum arbitrium duas constituant causas partiales (in quo partiali concursu dividunt absque dubio inter id quod est ex gratia, & id quod est ex libero arbitrio) sed expressius in terminis id fatetur Ludovicus Molina in cord. *quæst.* 23. *art.* 4. & 5. *disput.* 1 *memb.* 10. §. *unde quando*, ubi loquendo de bono usu arbitrij, ut præcisè procedit ab arbitrio, sic dicit. *Non enim eo modo spectatus effectus est gratiæ prævenientis, sed solius arbitrij* Et in §. immediate sequenti dicit iterum, illum usum arbitrij, quia ratione procedit à libero arbitrio, non esse effectum gratiæ, & prædestinationis. Et omnium clarissimè eadem *quæst.* 23. *disput.* 1. *memb.* 10. §. *examinandum est*, & §. *nos dicimus*, sic dicit. *Examinandum autem restat, ut cum idem bonus usus spectatus ut præcisè emanat ab arbitrio ipsoque &c. dicendus sit effectus prædestinationis; nos dicimus* (ait) *ex eo capite non habere quod effectus sit prædestinationis, eoque modo spectatum, non esse computandum inter effectus prædestinationis, sed esse id quod se tenet ex parte prædestinati & quod Deus ab illo exigit.* Apertè ergo dicit bonum usum arbitrij, qua ratione procedit ab arbitrio, non procedere à gratia, & prædestinatione.

360. Contra hanc autem intollerabilem sententiam sic dividentem inter id quod est ex gratia, & id quod est ex libero arbitrio, expressè concludit S. Thomas citato loco 1.*part. quæst.* 23. *art.* 5. Quod quidquid ordinat hominem in salutem comprehenditur totum sub effectu prædestinationis; sed quod homo vocationi obediat, & vocantem sequatur, ordinat hominem in salutem: ergo quod vocationi obediat, & vocantem sequatur, comprehenditur sub prædestinationis effectu, habetur ex gratia, & verè est à Deo prædestinatum, & non solum prævisum. Quæ Sancti Thomæ doctrina est Sanctorum Patrum Augustini, Prosperi & Hilarij contra Pelagianos, & Fulgentij qui ad Monimum integrum tractatum de prædestinatione instituit, in quo definit frequenter omnia bona opera, & omnem bonum usum arbitrij non solùm à Deo esse præscitum, sed prædestinatum. Poterant in hujus confirmationem induci omnia Affricana concilia contra Pelagium, & Arausicanum secundum contra Semipelagianos, & Pontifices summi, præcipuè videatur Cœlestinus primus in Epistola ad Episcopos Galliæ, in qua definit quòd nullus bene utitur libero arbitrio nisi per Christum. Sed omnes has definitiones in alium locum reservamus. Ad præsens sufficiat quod intendimus, sequi videlicet manifestè ex eo quod præscientia boni usus sit prædestinationis causa, quod ille bonus usus arbitrij *non sit effectus prædestinationis*, nec ex prædestinatione & gratia procedens, ut etiam recentiores fatentur: mirum enim est, quod tam apertè loquantur, & ab omnibus non intelligantur.

361. Insuper si prædestinatio fit secundum præscientiam, dicant ij authores, unde præsciat Deus hunc secuturum, si hoc vel illo modo vocetur; an quia facturus est ipse Deus ut homo sequatur; an quia inter hanc vocationem & hominis obedientiam putent esse necessarium nexum & connexionem, ut unum ex altero infallibiliter sequatur antequam Deus statuat quod unum ex alio proveniat; an propterea, quia præscit Deus affectum & propensionem voluntatis, & tali occasione invitatam ex se ipsa consensuram. Si primum admittant: ergo præscit Deus quæ ipse facturus est, & sic prædestinatio erit secundum firmum Dei propositum, non secundum boni usus præscientiam, quod intendimus: si secundum concedant: ergo cum homo vocatur, sequitur jam absoluta obediendi necessitas, & sic non salvatur libertas, ad quam tamen salvandam hanc mediam scientiam introducunt. Vnde tertium absque dubio eligunt ij authores. Sed tunc primò assignent causam ex qua Deus præsciat voluntatem consensuram, cum ipsa ad sequendum, & non sequendum sit indifferens. De qua ratione quia abunde diximus lib. 1. part. 2. tract. 5. supra agentes contra illam mediam scientiam, ideo plura non inducimus. Proculdubio ut doctissimè dixit Schola illa Lovaniensis, voluntas posita in illo certo ordine rerum, in quo prævidetur bene operatura, non operabitur certò ex efficacia auxiliorum gratiæ, sed ex sua propria & innata libertate: ergo ejus natura erit habere ordinem infallibilem, & nexum cum illis auxiliis datis in tali occasione; & sic erit à natura determinata ad id absque libertate. Quæ ratio in hoc principio fundatur; quod si præscientia illa est certa, & necessaria; etiam objectum illius debet esse certum, & necessarium; objectum autem illius est, liberum arbitrium sic constitutum operabitur: si autem hoc objectum est certum & necessarium, vel debet esse necessarium ex suppositione, vel necessarium simpliciter: non est necessarium ex suppositione aliqua priori vel divinæ, vel humanæ voluntatis;

Digitized by Google

tis: ergo erit necessarium simpliciter, & absolutè & ex natura intrinseca voluntatis sic determinata ad operandum; & ex consequenti tollitur illius libertas.

362. Confirmatur, quia ipse Molina dicit *quæst. 14. art. 13. disp. 52. §. quia fortasse*, quod si præsciret ante actum suæ voluntatis in quam partem esset sua inclinatura voluntas, quod non maneret libertas in illa; quia stante illa præscientia non posset aliter operari: pari ergo ratione si Deus præscit voluntatem creatam hoc operaturam ante decretum divinæ voluntatis, cum ipsa non possit etiam aliud operari, nec libera erit secundum principia Molinæ: si enim hæc præscientia à divina voluntate, quæ infinitè libera est, aufert libertatem; à fortiori à voluntate creata, quæ finita est, libertatem tollet.

363. Præterea si Deus præscit voluntatem ex viribus suis consensuram, si sic vocetur: ergo jam gratia & prædestinatio supponit in homine bonam affectionem, & bonam dispositionem ad bene utendum gratia: ergo illam bonam affectionem non facit prædestinatio, & gratia: poterit ergo homo de illa sua bona affectione gloriari, & poterit per illam, quam à gratia non accepit, etiam se discernere ab alio: quod expressè isti authores admittunt; sed id non esse admittendum expressè clamat Apostolus, ut accuratissime in hujus operis libro quarto erit manifestandum.

364. Ampliùs contra hanc prædestinationem secundum præscientiam clamat apertè parvulorum prædestinatorum copiosa multitudo, qui absque boni usus præscientia aliqua prædestinantur. Quo argumento inter egregia alia contra Pelagianos triumphavit Augustinus; qnod ut solverent Pelagiani, & Semipelagiani plures adhibuerunt solutiones, inconvenientibus & erroribus plenas, quas etiam ut evadant recentiores in alia non minora inconvenientia prolabuntur; ut agentes de propria parvulorum prædestinatione manifestbimus. Pro nunc satis sit notare hoc fuisse fortissimum sancti Augustini argumentum ad convincendum quod sicut parvuli sine aliqua boni usus præscientia prædestinantur; ita & majores natu prædestinantur à Deo secundum propositum, & non secundum boni usus præscientiam; & quod propositum facit illos bene uti arbitrio suo.

365. Postremò, ex prædestinatione secundum præscientiam boni usus, sequitur quod Deus prædestinet ad culpam; consequens non potest admitti: ergo nec illud unde sequitur, sequela probatur ex traditis à sancto Augustino *lib. 1. de prædest. sanct. cap. 10.* & à S. Prospero *in responsione ad objectiones Gallorum respons. 15.* & *in sent. pariter sent. 15.* & à S. Fulgentio *lib. de prædest. ad Monimum in fine.* Ex quibus satis clarè deducitur, quod si bonus usus gratiæ est solum à Deo præscitus, & non præparatus seu prædestinatus, præsciret tunc Deus aliena opera, id est peccata, & prædestinaret: Non potest ergo poni prædestinatio cum sola præscientia boni usus faciendi ab homine sine ejus præparatione atque datione; aliàs cum Deus etiam peccata præsciat ab homine facienda, ipsa prædestinaret: sed verba Sancti Augustini inducamus. Explicans enim Sanctus Doctor illud Apostoli Rom. 4. *Quoniam qui promisit potens est & facere* sic habet. *Non ait, prædicere, non ait, præscire; nam & aliena facta potest prædicere atque præscire: sed ait, potens est & facere: ac per hoc facta non aliena, sed sua.* Quasi clariùs dicat non consistit prædestinatio illa in præscientia, qua Deus sciat hominem non ex Deo, sed ex se ipso bene usurum auxiliis gratiæ; aliàs præsciret Deus aliena facta, non sua; & si hoc sufficit ad prædestinationem, cum Deus præsciat peccata, quæ sunt aliena ejus facta, etiam illa prædestinaret: igitur ex prædestinatione secundum præscientiam boni usus, & non secundum Dei propositum; sequitur quod pari ratione Deus prædestinet ad peccata, quæ non ex Deo, sed ex homine fieri præscit.

366. Hoc magis explicatur ex Sancto Prospero ubi supra. Cum enim Semipelagiani contra doctrinam S. Augustini hanc opponeret 15. objectionem, quod ex sententia Sancti Doctoris idem sit præscientia quòd prædestinatio, illis respondens S. Prosper ait. *Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur adscribere: sed cum bona ad largitorem cooperatoremque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda sint, dubium non est sine ulla temporali differentia Deum & præscisse simul, & prædestinasse quæ ipso erant authore facienda, vel quæ malis meritis justo erant judicio retribuenda. Præscisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura.* Quibus verbis pro certo habet quod si Deus tantùm præscit bona nostra, & non prædestinat, in nullo præscientia Dei ab ejus prædestinatione secernitur; imò quod tribuendum est Deo de bonis, hoc etiam de malis ei adscribitur; & quòd dita ponitur prædestinare ad mala, sicut ad bona, si non magis bona prædestinat quàm mala, sed tantùm utraque præscit.

367. Similiter Sanctus Fulgentius in fine primi libri de prædestinatione ad Monimum. *Non autem ignoras etiam præterito tempore illi luculentissimo Sancti Augustini operi, quod scripsit de prædestinatione Sanctorum, à quibusdam Gallis objectum, quod Beatus Augustinus in assertione prædestinationis divinæ, peccatores non solum prædestinatos diceret ad judicium, sed etiam peccatum, cujus dicta, quia ipse celeri præventus est obitu, Prosper vir eruditus, & Sanctus recta defendit fide, & copioso sermone.* Et ex Gallorum objectionibus, & responsionibus Prosperi ibi tantùm duas transcribit, 14. videlicet & 15. & omissâ nunc decimâ quartâ, decima quinta, quæ instituto deservit, etiam à nobis hîc transcribenda videtur. Sic autem illam Sanctus Fulgentius refert. *Quinta decima etiam objecto his verbis inserta est, quod idem sit præscientia, quod prædestinatio; cui Prosper sic respondit. Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur adscribere, &c.* Vbi omnia verba supra ex Prospero relata, & ipse refert, eandem cum illo doctrinam tenens ac docens; quod si bona opera tantùm essent à Deo præscita, & non prædestinata, non poneretur præscientia distincta à prædestinatione; sed quod ita Deo tribueretur prædestinatio de malis sicut de bonis: cum ergo sententia horum authorum cum quibus agimus, apertè concedat bonum usum arbitrij, qui est potissimum nostrum bonum, non esse à Deo prædestinatum, sed tantùm præscitum, sequitur quod in nullo ponat præscientiam à Dei predestinatione distinctam, sed quod tribuendum est Deo de bonis, etiam de malis ei conetur adscribere, si non magis illud bonum, quàm malum prædestinet, sed utrumque præsciat.

368. Quamvis autem tantorum Doctorum authoritas pro veritate suadenda sufficiat, libet tamen aperire unde Sancti Doctores hanc consecutionem intulerunt. Sic ergo ipsi concludebant. Prædestinatio est tantùm secundum boni usus præscientiam, nec ipsa bonum usum facit: ergo cum Deus certissimè præsciat culpam, quam nullo modo facit, ipsam culpam prædestinavit: vel si placet sic formetur argumentum. Prædestinare ad bonum nihil aliud est secundum hanc sententiam, quàm constituere hominem in tali ordine rerum, in quo præscitur malè operaturus

Digitized by Google

raturus, erit prædestinare illum ad malum. Hoc certe fuit Sanctorum Patrum argumentum, & hæc sine dubio illorum facta consequutio. Necputent recentiores se illi respondere dicendo, diversam esse valde rationem, quia Deus constituendo hominem in illo ordine rerum in quo prævidetur bene usurus, intendit illum bonum usum; non autem intendit malum usum alterius, quando illum constituit in tali rerum ordine, in quo prævidetur malè operaturus. Non, inquam, putent recentiores se respondere rationi Sanctorum; quia Sanctorum rationes & fundamenta si penetrentur, majorem habent vim, quam ut tam facilè illis respondeatur. Vnde quod ista responsio non tollat vim prædictæ rationis, sic ostenditur. Deus non habet majorem causalitatem supra bonum usum, quàm supra malum in eorum sententia; nec magis activè propriè facit quod homo bene utatur, quam quod utatur male; sed utrumque tantùm præscit: non ergo potest dici quod unum intendat magis quà alium, vel quod unum intendat, & non alium. Vnde certè verbis solum videntur asserere Deum illum bonum usum intendere, aut velle magis, quàm malum usum, si non concurrit magis ad producendum unum, quàm alium.

369. Dicent fortè quod ideo bonum usum intendit, non verò malum, quia dat auxilium generale & excitat atque invitat ad bonum usum, non vero ad malum, & illud auxilium dat hac intentione, ut homo illo bene utatur; non autem dat alteri ea intentione ut malè utatur eo auxilio oblato. Sed nec ista responsio prædictam rationem Sanctorum infringit; quia quantùm ad communem rationem providendi æqualiter Deus illis duobus hominibus auxilium generale impendit; & quantùm ad voluntatem Dei antecedentem æqualiter etiam (ut ij authoris concedunt) intendit illos salvare; & æqualiter illos ordinat in beatitudinem; & æqualiter eis dat auxilium hac intentione ut illo bene utantur; nec per hanc communem providendi rationem, & per hanc voluntatem antecedentem usus unius est magis prædestinatus, quàm alterius, ut est apertissimum: igitur si illa præscientia tantùm boni usus sufficit, ut verè dicatur prædestinatus ad bonum; etiam alia illa præscientia mali usus sufficiet, ut ille homo verè dicatur prædestinatus ad malum. Itaque licet generali antecedenti voluntate, & communi ratione providendi Deus non intendat malum illius (hoc enim solùm isti authores probant) tamen speciali intentione illud videretur intendere: sicut per oppositum, in bono usu prævisо, præter communem voluntatem providendi per voluntatem antecedentem duobus æqualem, particulari efficaci intentione vult Deus illius hominis bonum usum; quia illum constituit in tali rerum ordine, in quo præscit benè usurum: ergo quia alium constituit in tali etiam rerum ordine, in quo præscit malè usurum, etiam efficaci intentione vult Deus ejus malum usum: unde semper vera manet Sanctorum doctrina, quod videlicet qui præscientiam Dei in nullo ab ejus prædestinatione discernunt, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis ponantur adscribere.

370. Recurrent sine dubio tandem ij authores ad illam, quam ipsi fingunt, cooperantem, & subsequentem gratiam, qua Deus cum operante bonum usum concurrit, non autem cum operante peccatum. Sed nec hoc sufficit, quia ille concursus cooperantis gratiæ, quem dicunt, sequitur jam ad præscitum bonum usum hominis ut suo loco dicemus; & ideo si Deus concurrit, quia homo vult, sic etiam alio concursu postquam homo vult peccare, cum illo Deus concurrit ut author naturæ: unde uterque datur, quia homo vult, nec per unum Deus magis quàm per alium hominem facit aut bene aut malè operari; & sic nec per unum magis, quàm per alium prædestinat; potissimè quia, ut 4. lib. monstrabimus voce sola ponitur ab illis illa gratia cooperans, non re & veritate: imo ut ibi ostendemus, nec illa potest recedere in illorum sententia à lege atque doctrina, unde nec effectus potest esse prædestinationis, ut prædestinatio est distincta à communi providentia.

371 Attribuebant quidam Semipelagiani S. Augustino quòd ex prædestinatione secundum propositum (quam ab Apostolo edoctus semper S. Doctor defensavit) sequebatur, prædestinare Deum ad malum culpæ; sed ipsemet S. Aug. & ejus discipuli Prosper atque Fulgen: è contra inferunt quòd potius ex prædestinatione secundum boni usus præscientiam, sequatur Deum prædestinare ad malum, ut deductum relinquitur.

372 Vltimò ex illo decreto prædestintionis secundum illam mediam scientiam, impossibilis ponitur nostra prædestinatio: ergo omnino negandum est a Theologis. Antecedens patet, quia impossibile est hominem ex sua innata libertate uti bene auxiliis gratiæ: ergo prædestinatio, quæ hoc asserit, impossibilis est. Antecedens multipliciter ostenditur. Primò ex illo generali physicorum principio quod secunda causa mota movet: ergo si non est mota non movet. Et ex illo alio quod nihil se reducit de potentia in actum: & in particulari ex illo quod S. Thomas affirmat 1. *p. q.* 115. *&* 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 1. quod nulla potentia quantumvis perfectissima *exit in* actum nisi virtute divinæ motionis *ipsam moventis* & applicantis ad actum; & ex illo quod addit eadem 1. *p. quæst.* 19. *art.* 3. *ad* 5. quòd causa quæ est ex se contingens, qualis est voluntas, operetur quod ab alio determinetur ad agendum: igitur voluntas nisi reducatur in actum à Deo, & nisi moveatur & determinetur ut bene utatur auxiliis generalibus, nunquam eis bene utetur; & si hoc Deus præscit, per decretum prædestinationis, præscit nunquam bene usuram voluntatem; & sic præscit impossibilem prædestinationem ipsam. Specialiter autem idem probatur, quia voluntas non habet ex se vires ad bene utendum auxiliis generalibus, nisi illas à divino accipiat auxilio: ergo si hoc verum auxilium, seu verum adjutorium negatur, sicut revera negatur in prædestinatione secundum illam mediam scientiam, prædestinatio redditur impossibilis, cum impossibilis ponatur effectus ejus: nunquam enim erit factibile, ut voluntas ex sua tantùm libertate sine adjutorio Dei benè utatur auxiliis generalibus gratiæ.

CAPUT XXII.

Quod prædestinatio secundum istam præscientiam non ponatur ab his authoribus necessaria, ut quis absolutè justificetur atque salvetur.

373. A Deo verum est prædestinationem secundum hanc mediam scientiam non propriè efficere quod homo consentiat vocationi, benè operetur, & in ea perseveret, ut etiam illius defensores id clarissimis verbis fateantur, apertè contendentes omnem effectum, qui fit ex prædestinatione per illam mediam scientiam aliter de facto evenire posse absolutè atque simpliciter, etiam si in Deo nec illa media scientia esset, nec prædestinatio per illam constituta. Vnde jam secundum ipsos hæc duo possent stare simul, & quod homo justificaretur, ac salvaretur; & quod nulla in Deo prædestinatio esset. Quod libenter hujus mediæ scientiæ divulgatores concedunt. Suarez enim *lib.* 1. *de essentia prædestinationis cap.* 7. §. *addendum* hæc verba habet. *Addendum ultimò*

Digitized by Google

ultimò est, & valdè considerandum, aliud esse, hanc scientiam esse per se ac simpliciter necessariam ad effectus, qui prædestinantur, per se spectatos; aliud verò esse necessariam ad prædestinationem, & consequenter ad ipsos effectus ut ex prædestinatione fiant. Hactenùs enim solum diximus hoc secundum, ex quo non sequitur primum, nec in rigore verum est, quia prædestinatio seu præfinitio non est ex parte effectus simpliciter necessaria ut effectus aliquando sit, nam actus mali non præfiniuntur, & tamen fiunt absque præfinitione: ergo quantum ex parte sua, & solius effectionis possunt eodè modo fieri boni absque præfinitione, & prædestinatione propriè sũpta: ergo ex eo quod præscientia illa sit necessaria ad præfinitionem, non sequitur esse necessariam ad effectum ipsum præfinitum secundum se spectatum. Ratio autem a priori est, quia ut effectus sit futurus, satis est quod Deus velit dare voluntati creatæ omnia principia necessaria ad talem actum juxta exigentiam ejus; & quòd offerat ex parte sua concursum necessarium, & ejusdem rationis cum actu; & quòd sinat arbitrium operari paratus illud adjuvare si per ipsum non steterit. Nam his positis præcisè, & absque alio adjutorio stat illum effectum esse futurum, vel sequi cooperante libero arbitrio. At verò omnia illa possunt poni absque præfinitione absoluta ipsius actus, quantùm est ex parte actus secundum se spectati. Vnde etiam illa omnia sub conditione posita, absque ulla præfinitione vel posita, vel in conditione inclusa, sufficiunt ut præscire possit Deus quid sit operatura voluntas, si talis conditio poneretur: ergo ad futuritionem talis effectus ex parte ejus non est necessaria talis præscientia. Hæc ille.

374. Molina verò priùs in sua concordia *quæst. 23. art. 4. disput. 1. membro 13. in Epilogo totius suæ de prædestinatione sententiæ*, inquit. *Sic ergo per impossibile ponamus Deum, dum hunc ordinem rerum, ac auxiliorum elegit, habuisse quidem plenissimam scientiam naturalem &c. At non habuisse scientiam illam, mediam inter liberam, & merè naturalem, qua altitudine sui intellectus determinationem liberi arbitrij creati, ac proinde complexiones contingentes, quæ ab eo pendent penetraret; utique illa eadem electio talis ordinis rerum habuisset quidem rationem providentiæ in beatitudinem comparatione creaturarum omnium rationalium: Attamen quoad modum Deus nesciret quænam earum in eo ordine rerum pro libertate sui arbitrij in vitam æternam essent perventuræ, sed quàm incertum esset Deo, ita electio illa nullius creaturæ comparatione habuisset rationem prædestinationis, qua certitudinem assequendæ beatitudinis ex certitudine divinæ præscientiæ provenientem in se includit.* Ita citato loco hic alius author affirmat, & uterque concedit quod prædestinatio per illam mediam scientiam constituta non est necessaria ut absolutè & simpliciter quis benè operetur, & salutem consequatur; quia posset evenire sine tali certa prædestinatione ex parte Dei; sed tantùm est necessaria ut quis benè operetur, & salvetur ex Dei certa prædestinatione, id est, id Deo certò ab æterno præsciente. Vnde ut illorum dicta planè, & sub brevitate pandamus: hæc illorum definitio, ac professio est, quòd quamvis in Deo non esset illa media scientia, & ex consequenti nec prædestinatio quæ per illam constituitur, nec Deus certò sciret qui homines essent de facto justificandi, & salvandi, antequam ipsi de facto justificarentur, & salvarentur; aliqui tamen de facto & justificarentur & salvarentur, per hoc solùm quòd Deus vellet omnes homines salvos fieri, & eis auxilia generalia ad salutẽ dare, paratus arbitriũ, si ipsum operari velit, adjuvare.

375. Et quidem in hoc consequenter ad suam sententiam procedunt: cum enim ipsi rationem formalem prædestinationis ut distinctam à communi providentia, per certitudinem ponãt, & hæc certitudo primò & originaliter, ut dictum est, à sola illa oriatur præscientia, consequens est ut ablata præscientia illa, prædestinatio formaliter auferatur. Similiter consequens est ut prædestinatio formaliter certam causalitatem non importet supra causalitatem communis providentiæ, sed cognitionem incertam: unde ablata hac certa cognitione, & prædestinatione, causa secunda libera, cum auxiliis tantùm generalibus tributis sibi per communem providentiam, cum voluerit, bene operabitur, & salutem consequetur, & sua bona operatione utente bene auxiliis generalibus efficiet, ut Deus cum illa cooperetur, ut sæpiùs dictum est, & explicatum. At hoc quod inseparabiliter eorum consequitur doctrinam, ipsis evidentibus verbis modò relatis exponere visum fuit: minùs formidant sed valdè considerandum præmittunt (ut admonet author primo loco inductus in ultimis suis de prædestinatione libris, in quibus proinde magis, ac magis se declarat, & doctrinam denudat) quod fieri potest ut justificatio, & glorificatio simpliciter & absolutè fiant absque prædestinatione Dei. Itaque hoc clarissimis verbis proponunt, prædestinationem non esse necessariam, ut homo de facto justificetur, perseveret, atque salvetur; sed ad hoc tantùm ut Deus certò sciat hominem esse justificandum, atque salvandum, secundum quod illorum expressa verba testantur, potissimè illius primo loco inducti, ut videnti & legenti erit manifestum.

376. Ne autem quis aliter eum exponat, quàm ipse intelligit, advertat eum per propriam prædestinationem, quam dicit minùs necessariam ut effectus illius secundum se spectatus absolutè fiat, intelligere planè omnem certam prædestinationem, sive consistat in illo actu quem dicit præfinientem, suppositia illa media scientia, sive in alio qui sic præfiniens non sit, ut ponit Molina: omnem enim talem quomodolibet certam prædestinationem negat necessariam, ut effectus illius absolutè & secundum se spectati fiant. Et ratio est quia illam mediam scientiam (sine qua nullam penitùs prædestinationem agnoscit) dicit non esse necessariam ut effectus illi absolutè fiant, ac per consequens sentit nullam prædestinationem, quæ per illam mediam scientiam constituatur, esse necessariam ad absolutam effectionem illorum effectuum. Et præterea, quia alia ejus subjuncta verba hoc manifestè declarant, cum dicit, satis esse ut effectus illi absolutè fiant, quòd Deus velit dare omnibus principia sufficientia, & suum generalem concursum, quibus positis cooperante arbitrio absque aliqua Dei certa prædestinatione, effectus illi fiant simpliciter & absolutè. Quæ verba omnem prorsus prædestinationem, quæ ex parte Dei certa constituatur, manifestè excludunt. Vnde cum inquit, fieri posse effectum sine propria prædestinatione, per hanc propriam prædestinationem intelligit omnem ex Deo certam prædestinationem, quomodocunque ex ipso, vel à quocunque certa ponatur. Et hæc est ejus aperta sententia.

377. Vt autem ab hoc incipiamus, non multùm cohærere videtur ista sententia cum his, quæ prædictus author eodem libro præmiserat *cap. 3. §. Secundò dicendum est.* Præmiserat namque quod si semel supponamus aliquos homines cum effectu consecuturos esse vitam æternam, necesse est prædestinationem esse in Deo, ita ut licet absolutè, ut ait, necessaria non sit, quia nempe possibile fuit Deum nullum velle salvare, ad tales effectus tamen necessaria est. Hæc ille. Modò minùs hæc duo cohærere videntur. Supposito quod aliqui consecuturi sunt vitam æternam, necessaria est ad tales effectus prædestinatio, ut in priori loco præmisit; & prædestinatio non est necessaria ad tales effectus, ut absolutè fiant.

Digitized by Google

378. Quod si quis asserat illum in priori loco asseruisse necessariam esse prædestinationem ad tales effectus, ut ex prædestinatione fiant, ita quod omnia quæ dixit à principio illius libri usque ad illum §. *Addendum* citati cap. 7. procedant, & intelligantur de effectibus prædestinationis absolutè spectatis; fateor quòd ista videtur ejus sententia: sed hinc intelliget quisque ipsum, totum quod per illa septem capita de necessitate prædestinationis tradiderat, unico illo §. *Addendum* negasse, & per illum, totum quod ædificaverat, destruxisse. Quis enim unquam dubitare potuit, quod ut effectus illi fiant ex prędestinatione, est necessaria prædestinatio? Procul dubio asserere quod ad hoc quod fiant ex prædestinatione, est necessaria prædestinatio, idem est dicere per idem, vel ut formalis sit sermo, est nihil asserere, & nullam confiteri necessariam prædestinationem, ut quis de facto vitam consequatur æternam,

379. Quia tamen nullus audet negare prædestinationem esse necessariam, adhibita illa distinctione de necessitate illius, ut ex ea fiant effectus ex prædestinatione, & non ut absolutè fiant, reipsa prædestinatio simpliciter negatur. Quia intellecta illa distinctio hoc docet quòd prædestinatio non est necessaria ut effectus illi fiant, cum tamen Sancti Patres doceant, quòd non possunt aliqua ratione nisi ex prædestinatione fieri, ad quod vellem omnes attenderent. Nam temporibus istis quædam proferuntur distinctiones, quæ intellectæ ac penetratæ nihil prorsus dicunt in re, imò cum earum membrum unum negatur, totaliter totum divisum negatur reipsa. Vnde & introductæ videntur ad vitandam invidiam. Talis est v.g. illa, quæ in his materiis auditur, & infra à nobis in materia meriti Christi Domini confutabitur, qua quidam contendunt Christum Dominum non meruisse per substantiam mortis ac Passionis, sed tantùm per quemdam modum majoris intentionis, videlicet, quia majori intensione mori voluit, quàm à Patre esset præfinitum, illique præceptum. Qui majoris intensionis modus, cum nec in literis sacris, Summis Pontificibus, approbatis Conciliis, aut Sanctis Patribus habeat fundamentum, eadem facilitate qua asseritur, & negatur. Vnde ad illud debilissimum fundamentum reducere Christi Domini meritum (ut opinamur) videtur ipsum absolutè negari? sed ad hanc vitandam invidiam distinctio illa de merito secundum substantiam, vel secundum modum videtur accommodata. Nec tamen hæc dixerim, credens authores harum distinctionum ex industria ad prædictam vitandam invidiam, & sententiam temperandam, illas adinvenisse; sed ideò hæc à nobis dicuntur, ut si minùs advertenter ista ipsi proponunt, quasi aliquid subtilius de novo ministrent, deinceps ab his distinctionibus caveant, & quod semper docuit, ac tenuit antiqua veraque doctrina, sequantur ac venerentur.

380. Ad nostrum ergo institutum revertentes, cum Sancti omnes antiqui Patres, & Scholastici Doctores, qui hoc nomine digni censentur, prædestinationem in Deo constituant necessariam, non solùm quantum ad hunc modum, ut videlicet effectus illius ex prædestinatione sint, sed ut absolutè & simpliciter tales effectus proveniant, dici non potest illam solùm necessariam esse ut effectus illi ex prædestinatione sint, non verò ut absolutè, & secundum se spectati fiant.

381. Quod autem ita semper Sancti Patres docuerint, nec est difficile ostendere, quia in nullo talem distinctionem de necessitate prædestinationis ut fiant effectus ex prædestinatione, non autem ut fiant absolutè, nec insinuatam vel à longè invenimus; quin potiùs ex omnibus eorum dictis totum oppositum planè deducitur, videlicet non stare quòd aliquis vitam consequatur æternam aliquo modo, nec id esse possibile nisi per Dei prædestinationem. Legantur primò omnes Sancti Doctores, & expositores ad illud Apostoli, *Quos prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit illos & glorificavit*, & erit manifestum docere hos effectus, videlicet efficacem vocationem, justificationem, & glorificationem ita esse effectus prædestinationis, quòd ex sola Dei prædestinatione fieri possunt, ita ut illa de medio sublata, nec evenirent. Et ratio est manifesta, quia omnes Sancti Patres semper docuerunt Dei prædestinationem non solùm speculativè certò scire futuram conversionem hominis, ejus justificationem, & glorificationem; sed illam verè ac propriè causare, & efficere: ergo semper docuerunt prædestinationem, veram & propriam causam esse vocationis, justificationis, & glorificationis, & ex consequenti docuerunt effectus tales nonnisi ab illa tanquam propria causa provenire posse, & tamen in horum authorum nova sententia totum contrarium dicitur atque fundatur.

382. Innumeri possent Patres induci contra doctrinam prædictam, sed strictiùs procedendo celebriores inducentur. Omnes namque qui prædestinationem certam non solùm quoad cognitionem, verùm etiam quoad ejus causalitatem tuentur, pariter hanc doctrinam expugnant. Sunt autem illi omnes, qui contra Pelagianos prædestinationem defensarunt divinam. Præcipuè autem Sanctus Pater *Augustinus* in utroque illo libro de prædestinatione *Sanctorum* nihil aliud perpetuò docet nisi efficaciam *vocationis* ad fidem, in ipsa & in gratia perseverantiam, ac glorificationem, absolutè & simpliciter & secundum se effectus esse proprios prædestinationis quæ est secundum Dei propositum. Nam de prædestinatione Sanctorum *cap.* 16. præter vocationem illam, qua vocati sunt, qui noluerunt venire; aliam certam vocationem eorum astruit, qui secundum propositum vocati sunt. Ubi hanc firmam vocationem ex illo firmo, stabilique proposito, sicut ex propria causa deducit, planè docens quòd nisi illud firmum esset, nec illa esset firma vocatio, magis quàm in eis qui venire noluerunt. Et tamen ista sententia quam impugnamus etiamsi firmum illud propositum cesset, firmam in aliquibus admittit futuram vocationem, efficacem conversionem, justificationem & glorificationem.

383. Item in *cap.* 18. in explicatione illius dicti Apostoli ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti* post multa inquit. *Nempe certum est, certum, manifestum est, ideò quippe tales eramus futuri, quia elegit nos ipse prædestinans, ut tales per gratiam ejus essemus.* Si certum, & manifestum est Sancto Patre Augustino clamante, quòd ideò sancti futuri sumus, quia Deus non prædestinavit: ergo necessaria est prædestinatio, ut tales simus futuri: ergo dici non potest non esse necessariam prędestinationem, ut tales futuri simus. An hîc etiam dicere poterunt sensisse Augustinum necessariam prędestinationem non ut absolutè sancti simus, cum hoc aliunde possit evenire, sed tantùm ut sancti simus ex prædestinatione? Certè si ita Sanctus Augustinus intelligeret, tota efficacia rationis ejus periret. Quid enim concludere intendebat Sanctissimus Doctor, nisi hoc quod est nos sanctos fieri, non aliunde, non ex nobis, non ex alia causa quàm ex prædestinatione posse provenire. Simile est illud aliud quod Sanctus Doctor inducit lib. de dono perseverantiæ cap. 13. *Neminem tamen* (inquit) *venire ad Christum, nisi cui fuerit datũ, & eis dari, qui in illo electi sunt ante mundi constitutionem, procul dubio confitetur, à quo non surdis auribus cordis eloquium divinum auribus carnis auditur &c.* Si ergo confiteri tenemur neminem venire ad Christum, nisi cui datum est; & nemini dari, nisi

ex

Digitized by Google

ex electione, & prædestinatione: necessaria ergo est electio, & prædestinatio, ut quis veniat ad Christum: nullus ergo veniet, nec unquam iste erit effectus nisi ex prædestinatione divina.

384. Præterea S. Augustinus citato loco de dono perseverantiæ, tam necessariam dicit prædestinationem ut homines salventur, quàm præscientiam; sed si homines salvandi sunt, necessario est hujus in Deo constituenda præscientia; nisi quis dicat posse esse futurum, cujus Deus præscius non sit, quod est planè impossibile: ergo etiam impossibile secundum S. Augustinum erit, quod homines sine prædestinatione salventur: ergo nunquam erit futurum quod homines salventur sine prædestinatione: ergo necessaria est omninò prædestinatio, ut ille effectus sit, quòd videlicet homo salvetur.

385. Deinde in cap. 17. ait. *Hæc utique dona Dei, quæ dantur electis secundum Dei propositum vocatis, (in quibus donis est incipere, credere, & in fide usque ad vitæ hujus terminum perseverare, sicut tanta rationum, atque authoritatum contestatione probavimus) hæc inquam, Dei dona, si nulla est prædestinatio quam defendimus, non præsciuntur à Deo, præsciuntur autem: hæc est igitur prædestinatio quam defendimus.* Ecce si nulla est prædestinatio quam defendit Augustinus, nempe secundum Dei propositum, ut sæpiùs ipse ex Apostolo explicavit, non præsciit Deus hominem, vel crediturum, vel in fide usque ad vitæ hujus terminum perseveraturum: ideò autem illa Deus non præscit, quia nec illa erunt: si enim aliunde quacunque ratione futura essent, utique & à Deo præscirentur, cum nullus possit in aliquo casu ponere Deum non præscium futurorum: ergo si non esset prædestinatio, nec esset futurum quod homo crederet, perseveraret, aut gloriam obtineret: ergo ut ista dona sint, & à Deo ex consequenti præsciantur, necessaria est prædestinatio; imò non quæcunque, sed illa quæ vera prædestinatio est secundum propositum Dei. Quid clariùs dicere potuit S. Augustinus, ut doceret sine hac prædestinatione nunquam eventurum, quod homo credat, & in fide perseveret, atque salvetur: Necessaria est ergo prædestinatio ad hoc quod isti effectus eveniant; nec aliqua ratione fieri potest, ut eveniant, etiamsi secundum se absolutè spectentur, si absit prædestinatio. Hoc ipsum latè prosequitur S. Augustinus lib. de corr. & gratia cap. 9. & in multis aliis suæ doctrinæ locis, quæ longum esset recensere.

CAPUT XXIII.

Eadem sententia concedens sine prædestinatione evenire posse absolutè & simpliciter totum effectum prædestinationis secundum se spectatum, amplius confutatur.

386. EANDEM sententiam concedentem sine prædestinatione evenire posse absolutè atque simpliciter istum effectum secundum se spectatum, quod homo justificetur, & gloriam consequatur, præter S. Augustinum, ubique in sua doctrina S. Thomas confundit, potissimè 1. *p. quæst.* 23. *art.* 1. ubi pro certo supponit, quod sicut sagitta nisi à sagittante mitatur in signum, nunquam ad ipsum perveniet, ita rationalis creatura nisi à Deo per prædestinationem in beatitudinem destinetur, nunquam ad eam perveniet; quæ etiam sententia communiter à scholasticis affirmatur: ergo necessaria prædestinatio est ut homo beatitudinem consequatur: ergo sine prædestinatione nunquam futurum erit, quod illam obtineat: necessaria est ergo prædestinatio ad hunc & alios effectus prædestinationis simpliciter, & absolutè; & secundum se spectatos. Item in art. 1. ejusdem quæstionis docet quod vocatio, justificatio, ac glorificatio sunt executio prædestinationis: ergo ablata de medio prædestinatione, & executio illius penitùs auferretur: nulla ergo ratione erit vocatio efficax, justificatio, aut glorificatio sine prædestinatione: quomodo enim erit alicujus executio sine eo cujus ponitur executio?

387. Præterea ubique S. Thomas, ut ostensum fuit supra, docet prædestinationem non solùm esse certam quoad cognitionem, sed etiam quoad ordinem, & causalitatem boni usus arbitrij, ut patet *quæst.* 6. *de verit. art.* 2. & 3. & *super* 9. *cap. epist ad Rom. lect.* 3 & ex multis aliis testimoniis: ergo de medio sublata prædestinatione, non solùm auferetur certa Dei cognitio boni usus arbitrij futuri, sed etiam aufertur vera, & propria causalitas à qua primò, & principaliter bonus usus arbitrij dependet: ergo tollitur & ipse bonus usus arbitrij, & sic tollitur quod homo credat, bene operetur, & in gratia perseveret: ergo non possunt esse isti effectus absolutè & simpliciter sine prædestinatione, sicut nequit aliquis effectus esse absque sua propria causa.

388. Confirmatur quia ut Sanctus Thomas inquit super epist. ad Rom. *cap.* 1. *lect.* 3. idem est negare prædestinationem, quod negare præparationem, seu prædestinationem divinam ab æterno de his quæ sunt facienda in tempore; ergo negata prædestinatione, negatur præordinatio justificationis, & glorificationis hominis: ergo negatur quod Deus ab æterno velit hos homines justificari, & glorificari: ergo si justificantur, & glorificantur, sine Dei voluntate justificantur, & glorificantur. Quis autem dicat fieri posse ut homo justificetur, ac glorificetur absque Dei voluntate id volente, & absque cognitione id cognoscente? Procul dubio accidentaliter omninò, & præter intentionem Dei tunc justificatio, & glorificatio evenirent. Impossibile est ergo ponere quod sine prædestinatione Dei absolutè & simpliciter quis justificetur.

389. Rationes etiam, præter allatas modò, id manifestè convincunt. Impossibile est quod homines aliqui salventur, & quod hoc Deus antea non præsciat, cum sit futurorum præscius; quod negare, esset Divinitatem negare: ergo impossibile est quod homines aliqui salventur, & illos Deus non prædestinet. Patet consequentia, quia ut ex Sancto Patre Augustino probatum est supra, tam necessaria est in Deo prædestinatio ut homines salventur, quàm præscientia. Et ratio hujus Sancti Doctoris dicti est; quia impossibile est Deum præscire futurum bonum aliquod in homine, nisi præsciat id hominem ex Deo habiturum: ergo impossibile est illud futurum bonum præscire in homine, nisi Deus id dare homini disposuerit: ergo impossibile est illud bonum futurum præscire in homine, nisi prædestinaverit, seu præparaverit dare.

390. Insuper impossibile est quod res aliæ suum finem consequantur, nisi ipsæ per divinam providentiam illis proportionatam in tales fines ordinentur: ergo impossibile est homines consequi beatitudinem sine providentia Dei huic fini proportionata; sed prædestinatio nihil est aliud quam hujusmodi providentia: ergo sine prædestinatione impossibile est quod homines suæ beatitudinis finem consequantur.

391. Minus autem juvat si dicatur, quod sine prædestinatione non erunt effectus illi, seu fines ut ex prædestinatione; benè tamen erunt absolutè & simpliciter. Nam inductæ rationes etiam probant, quòd nullo modo, & sub nulla ratione essent, aut possent esse

Digitized by Google

esse effectus tales sine prædestinatione ; quia sub nulla ratione possunt esse sine præscientia : parique ratione sub nulla etiam possunt esse sine prædestinatione : similiter nullam bonum potest esse sub quacunque ratione quod ex Deo non participetur : eodem ergo modo cum finis hominis sit consequi beatitudinem in se spectatam, quomodo hunc finem obtinebit homo nisi à Deo in illum ordinetur, & per prædestinationem mittatur ?

392. Non etiam potest dici quòd Deus per illam communem & generalem voluntatem, ac providentiam (qua omnibus in universum, ut aiunt, dare voluit sufficientia principia ad salutem, & suum præbere generalem concursum) efficiat in aliquibus cooperante jam illorum arbitrio justificationem, & glorificationem. Nam sine præscientia, & prædestinatione voluntas illa dandi omnibus communia auxilia æqualis est omnino respectu omnium ; & eorum qui benè operantur, & salvantur ; & eorum qui malè agunt, & condemnantur : ergo communis & æqualis in omnibus causalitas est ex parte Dei : ergo nihil magis in his quàm in illis operaretur ; sed in his qui malè operarentur, non efficeret Deus justificationem, ac glorificationem : ergo nec hos effectus efficeret in aliis qui benè operarentur. Similique modo ante præscientiam, & prædestinationem non potest Deus velle dare alicui auxilium quod sit infallibiliter effectum habiturum : ergo nec tunc daret magis his quàm illis auxilium aliquod efficax, etiam secundum illam congruitatem, quam defendere solent : ergo nihil magis efficeret per auxilia talia in his qui salvantur, quàm in his qui condemnantur : ergo quod isti tunc salvarentur ex eis esset solùm ; sicut quod alij damnarentur, etiam solum esset ex eis. Cum ergo impossibile sit asserere ex homine, & non ex Deo esse quod de facto quis bene operetur, & salutem consequatur (quia hoc apertè Scripturæ Sacræ repugnat) ita impossibile est dicere quòd sine prædestinatione sit futurum quòd quis salvetur, & justificetur.

393. Confirmatur quia absque illa præscientiæ & prædestinatione ex parte Dei, per illam generalem voluntatem & providentiam nullam majorem benevolentiam haberet Deus ad eum qui salvaretur, quàm ad illum qui condemnaretur : unde necesse esset dicere tunc quod à solo homine esset quod bonus sit, & discernatur ab alio qui malus est, & perit ; quod tamen contra Scripturam planè diceretur : Igitur impossibile esset quod sine prædestinatione ex parte Dei eveniret quòd aliqui justificarentur, & salvarentur per illam generalem Dei voluntatem & communem omnibus providentiam. Unde sic poterit fortius formari argumentum. Contra Scripturam procedit ponere quod homo ab alio ex seipso se discernat ; sed ponere quòd quis sine prædestinatione salvetur, est ponere quòd se ex seipso ab alio discernat : ergo hoc contra Scripturam procedit. Major patet ex illo *quis se discernit ?* quod frequentissimè ex Apostolo inducitur in hac materia. Minor probata est modò : ergo habetur intentum.

394. Præterea sine auxilio perseverantiæ non stat quod quis salvetur, ut habet Catholica veritas ; sed in casu quo quis salvaretur sine prædestinatione, salvaretur sine dono perseverantiæ : ergo hoc contra veritatem admittitur. Minor probatur, quia auxilium perseverantiæ essentialiter est specialissimum Dei donum, ut docet Trid. Concil. *sess. 6. cap.* 13. docens quod donum perseverantiæ aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum, qui stat, statuere : at tunc tale donum perseverantiæ non esset à Deo, ut probatum est, quia nihil magis prorsus daret Deus his qui perseverarent, quàm his qui non perseverarent ergo.

395. Confirmatur. Donum perseverantiæ non potest haberi nisi à Deo ut habent apertissima verba Concilij : ergo non potest haberi ab homine : ergo non potest homo sine Deo dante quòd perseveret, perseverare : ergo non potest homo, sine Deo dante tale auxilium perseverantiæ, salvari : aliàs si sine prædestinatione posset salvari, jam posset salvari sine dono perseverantiæ ; vel perseverantiæ donum ab alio posset quàm ex Deo haberi, quod utrumque veritas damnat.

396. Tandem impossibile est quod aliquid in Mundo eveniat à casu, vel fortuna respectu Dei, ut est apertissimum, & Sanctus Thomas docet 1. *p. q.* 22. *art.* 2. *ad* 1. *& q.* 116. *art.* 1. & alibi sæpe ; sed si sine Dei prædestinatione evenire posset ut quis justificaretur & salvaretur, illius justificatio & glorificatio à casu esset respectu Dei : ergo impossibilis est ista positio. Minor patet quia talis justificatio & glorificatio eveniret præter Dei intentionem, scientiam, & mentem ; neque enim antequam illa fierent, Deus ea intenderet, imò nec præsciret, sed post facta ea intuendo quasi in eis complaceret : unde per accidens omninò, & præter intentionem Dei evenirent.

397. Quod si quis contendat hæc omnia probare, impossibile esse quòd non sit in Deo illa præscientia per quam constituatur prædestinatio ; at *per impossibile* hac de medio sublata præscientia, & prædestinatione, ex hoc impossibili dato, alia nunc objecta deduci. Quia ut dici solet dato uno *impossibili* sequitur quodlibet.

398. Ad hoc dicendum primò quod illo impossibili admisso, quod in Deo non sit prædestinatio, dicendum esset ex consequenti quod justificatio & glorificatio, quæ ex ipsa sicut ex propria causa dimanant non fierent ; & hoc si consequenter vellet loqui, debebat asserere prædictus author : consequenter dico ad veritatem, nam ad suam sententiam, ut dictum est, consequenter satis procedit : eum enim ipse revera prædestinationem non ponat veram causam illorum effectuum, sed potiùs liberum hominis arbitrium, ideo ex ejus sententia, prædicta deduximus, quæ relata & impugnata sunt supra.

399. Dicendum secundò, nos illius sententiam impugnasse quatenus dicebat non esse necessariam prædestinationem ad hoc quod illi effectus absolutè, & simpliciter, & secundum se spectati fierent ; & supradicta omnia inconvenientia ex tali sententia intulisse, sicut revera sequuntur. Imò addendum est tertiò ex illa sententia ac positione concludi, quod si prædestinatio non est necessaria ut illi effectus fiant absolutè & simpliciter (quia possunt fieri ex illa voluntate generali Dei dantis omnibus auxilia sufficientia, & ex cooperatione arbitrij) quòd prædestinatio non concurrat ad effectionem absolutam illorum effectuum, sed ad modum illum, ut nempè ex prædestinatione fiant. Ostenditur, nam sic de facto concurrit Dei prædestinatio ad effectus suos, sicut necessaria est ad concurrendum ; sed non est necessaria (ut inquit ista positio) ad efficiendum absolutè & simpliciter effectus illos : ergo nec de facto modò concurrit ad producendum illos effectus absolutè atque simpliciter, sed tantùmmodo concurrit ut illi effectus ex prædestinatione fiant, ad quem modum tantùm necessaria prædestinatio suadetur.

400. Unde, & de facto juxta hanc sententiam distinguere deberemus in effectibus prædestinationis, & substantiam illorum effectuum, & modum illum quo ex prædestinatione fiunt ; & singula singulis coaptando, ac proprios effectus in proprias causas redu

Digitized by Google

reducendo, referre deberemus absolutam effectionem illorum effectuum in illam Dei generalem voluntatem, & cooperationem arbitrij a quo fiunt; & eosdem effectus quatenus ex prædestinatione solùm proveniunt, in æternam Dei prædestinationem sicut in causam. Et tunc rursus sequeretur quod si absolutè potest esse justificatio & glorificatio sine Dei prædestinatione, quòd ex superfluo in Deo prædestinatio constituatur; sed solùm voluntas dandi omnibus generalia auxilia ad salutem, cum præscientia quod isti salvabuntur. Imò si clarè loqui vellent prædicti Authores, hoc est quod intendunt, & quod omnia eorum principia certè concludunt. Nam per ista duo modò signata salvatur quidquid modò prædestinationi attribuunt, nempè quod illius effectus proveniant ex prædestinatione, ideſt ex Deo certò præsciente quòd sic certò evenient, supposito quod propriam causalitatem prædestinationis nec dicunt necessariam ut illi effectus fiant.

401. Quam autem censuram mereatur ista sententia, quę tam evidenter constituit justificationem & glorificationem absolutè & secundum se spectatas non esse effectus prædestinationis; nec prædestinationem necessariam esse ad illos absolutè efficiendos, prudentiori Theologorum judicio duximus committendum: Imò ex dictis & resolutis, quorum sit ista doctrina, non obscurè innotescit.

402. Attendant namque omnes, precor, quænam illa sententia sit in materia prædestinationis; & qualis sit prædestinatio quæ per illam mediam scientiam constituitur, quæ suos proprios Authores coëgit, consequenter loquendo fateri prædestinationem non esse necessariam ut quis absolutè atque simpliciter justificetur, atque salvetur. Quamvis enim omnia supra deducta inconvenientia, quibus hanc illorum de prædestinatione sententiam impugnavimus, omninò cessarent; vel hoc solùm quod in ultimis suis libris tam patenter denudarunt, sufficere deberet ut Theologi universi talem de prædestinatione sententiam perhorrescerent.

CAPUT XXIV.

Si prædestinatio fiat secundùm boni usus præscientiam, fiet secundùm propositum hominis, non Dei.

403. EX prædestinatione etiam secundum boni usus præscientiam, & illud manifestè convincitur, electorum prædestinationem secundum hominis propositum fieri, non secundum propositum Dei; imò hoc reipsa intendunt authores hujus præscientiæ: Nam idem omnino est prædestinationem fieri secundum præscientiam boni usus arbitrii, & fieri secundum propositum hominis à Deo tantùm præscitum. Quod si prædestinatio fit secundum propisitum hominis præviſum, convincitur quod ex operibus fiat. Idem enim omnino est fieri prædestinationem secundum propositum hominis præviſum, & fieri ex operibus præviſis, quæ præviſa opera esse prædestinationis causam manifestè negat Apostolus, cum ait, *non ex operibus, sed ex vocante dictum est &c.* Unde qui contendunt prædestinationem fieri secundum boni usus præscientiam, frustra laborant verbis duntaxat negare, illam fieri secundum hominis propositum præviſum; sed illud primum concedentes, voce tantùm negant hoc secundum; quia vident tolerare aures non posse prædestinationem fieri secundum hominis propositum, quare illud verbis expresè admittere reformidant. Sed quid eos juvat quod eandem rem diversis verbis dicunt, ut non intelligantur, prædestinationem secundum hominis propositum constituere? Quantùm autem existimo, ideo verentur intelligi, quia vident damnatam esse sententiam, quòd prædestinatio secundum hominis propositum fiat; & tamen latere se putant, eum aliis atque aliis locutionibus versant significationem propositi hominis, non Dei, ad hunc enim finem illorum media scientia ordinatur.

404. Unde libri posteriores, editi in deffensionem doctrinæ quæ prædestinationem Dei secundum illam boni usus præscientiam constituebat, magis eandem explicantes, apertis verbis affirmabant prædestinationem fieri secundum hominis propositum. Hujusmodi fuit liber ille de prædestinatione à quodam presbytero Cordubensi Ferdinando de las Infantas excuso Parisiis anno 1601. cujus titulus erat. *Tractatus de prædestinatione secundum Scripturam Sacram, & veram Evangelicam lucem, divina mediante gratia ab idiota Ferdinado de las Infantas Presbytero Cordubensi compositus, & extra omnem prætensionem ipsi veræ luci Christo Dei filio à quo accepit omnia, dicatus.* Cujus libri mentionem fecimus supra libro 1. part. 1. tract. 6. cap. 2. cujus finis erat suadere prædestinationem hominum fieri ex præviſis operibus, & ex hominum proposito. Hoc enim sæpe in prædicto tractatu aperte dicit, sed præcipuè folio 3. pag. 2. dicit illud Apostoli, his qui secundum propositum vocati sunt sancti, *de proposito legis atque voluntatis humanæ esse intelligendum, non de proposito voluntatis divinæ.*

405. Similiter anno 1603. Patavii alius liber est typis mandatus, cujus titulus erat, *Qua tandem ratione dirimi possit controversia, quæ in præsens de efficaci Dei auxilio, & libero arbitrio inter non nullos Catholicos agitatur. Ad Sanctissimum & Beatissimum Clementem 8. Pont. Max. Authore Paulo Benio Eugubino, inter Patavini Collegi Theologos minimo.* Cujus etiam meminimus loco citato. In illo libro idem ac in illo primo nunc relato præfigebatur finis ut videlicet Dei prædestinatio ex operibus præviſis fiat. Unde eodem modo contendebat illud Apostoli ad Rom. 8. *Iis qui secundum propositum vocati sunt sancti*, de proposito hominis, non Dei esse intelligendum.

406. Consultò hæc omnia sic expresè referendo notamus, ut appareat qualiter his periculosis temporibus doctrina Pelagiana, & Semipelagiana (de qua S. Hieronymus Epistola ad Ctesiphontem ait. *Quæ enim potest alia major esse temeritas, quam Dei sibi non dicam similitudinem, sed æqualitatem sibi vendicare, & brevi sententia omnium hæreticorum venena complecti*) grassabatur per orbem, & qualiter posteriores libri magis explicantes priores, electorum prædestinationem secundum hominis propositum fieri pertinaciter contendebant; & quod ita expresè in prioribus non erat, in sequentibus aperto jam marte publicabatur. Unde & verificatur quod S. Hieronymus prædicta Epistola ad Ctesiphontem affirmat. *Quod Magistrorum silentia, profert rabies discipulorum.* Tota autem hæc doctrina, quæ secundum majorem, vel minorem expressionem in prioribus & posterioribus libris relatis continetur, expresè desumpta invenitur ex Fausto Reghiensi Episcopo Semipelagianorum Duce, jam antiquitus per Ecclesiam & Sanctos Patres damnato. Is enim in duobus libris de gratia, & humanæ mentis arbitrio, potissimè in *secundo libro* manifestè affirmat prædestinationem secundum hominis propositum fieri, & ex præviſis ipsius operibus; & esse veluti perennem fontem de se indifferentem ad omnes; ita ut qui voluerit hauriret, hauriat, sin minus non bibat: ex quo etiam recentiores cum quibus disputamus, illam indifferentem gratiam & indifferentem concur-

Digitized by Google

sum sibi vendicarunt, ut in tertio & quarto hujus operis libro agentes de concursu Dei expresse satis aperiemus. Et hoc est quod anno 1604. mense Maio ex literis cujusdam magni doctoris Theologi Lovaniensi ad se missis, retulit in hac alma urbe doctissimus quidam & zelantissimus prelatus attestantibus literis, quod in illis regionibus quidam publicè & palam doctrinam Fausti legebant, atque defendebant, jam apertè manifestantes cujus sequerentur doctrinam: licet enim id doctis in hac materia satis esset manifestum, & nos in disputationibus publicis multipliciter & multoties dederimus apertissimum, tamen jam, (quod majus est) idipsum prædicti authores satis palam manifestant. Igitur ad principale revertemur intentum, concludentes ex prædestinatione secundum præscientiam boni usus, convinci prædestinationem fieri secundum hominis propositum, non Dei; quæ Fausti, & aliorum Semipelagianorum olim per Ecclesiam proscriptorum, fuit damnata doctrina.

CAPUT XXV.

Quod electorum prædestinatio fiat secundùm firmum propositum Dei probatur tum ex Apostolo, cum ex S. P. Augustino.

407. IMPUGNATA satis, & ut putamus, penitus confutatâ Semipelagianorum sententiâ damnatâ, quòd prædestinatio secundum præscientiam boni usus fiat, & secundum hominis propositum; immobilis veritas prædestinationis & gratiæ docet prædestinationem electorum secundum firmum Dei propositum fieri, & ab illo suam primordialiter sumere certitudinem. Hæc, ut iterum dicam, est immobilis veritas prædestinationis & gratiæ, quam semper Ecclesia Christi, quæ columna & firmamentum est veritatis, contra Pelagianos & Semipelagianos perpetuò firmavit. Hanc veritatem docuit Apostolus semper: ad Rom. 4. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio.* Et iterum ibi. *Credenti autem in eum qui justificat impium reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ.* Et iterum. *Quoniam qui promisit potens est & facere.* Et loquebatur Apostolus de promissione facta Abrahæ, quod in semine ejus, id est, in Christo, & per Christum esset fidem, gratiam, & prædestinationē gentibus daturus, ut patet manifestè ex contextu Apostoli. Hanc autem fidem, gratiam, prædestinationem, & promissionem docet certitudinem habere & firmitatem, non ex libero hominis arbitrio, non ex præscientia boni usus, sed ex gratia, ex divino proposito, & ex potentia Dei, qui potens est facere firmiter omne hoc quod promisit. Unde S. D. Augustinus hoc potissimè utitur testimonio *lib. de prædest. Sanct. cap.* 10. ad probandum prædestinationem secundum Dei propositum fieri, non secundum præscientiam, ait enim. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit.* Et iterum. *Non ait,* (supple Apostolus) *prædicere, non ait præscire; nam & aliena facta potest prædicere, atque præscire: sed ait, potens est & facere; ac per hoc facta non aliena, sed sua.* Igitur ex hoc Apostoli testimonio satis aperto cum evidenti explicatione S.P. Augustini, quam & super hunc locum Apostoli tradit S. Thomas, fit manifestum, prædestinationem, & promissionem prædestinatorum certitudinem & firmitatem habere non ex præscientia usus arbitrij, sed ex divina gratia, ex divino proposito, & ex divina omnipotentia. Hæc enim tria expressè memorat Apostolus. & ex illis firmitatem ac certitudinem divinæ prædestinationis deducit. Tangitque S. Augustinus duplicem rationem convincentem, quod ita sit dicendum, quia aliàs si prædestinatio & prædestinatorum promissio non ex proposito gratiæ, sed ex humanæ mentis arbitrio haberet firmitatem & certitudinem, promitteret utique Deus id, quod est de nostræ potestatis arbitrio, non quod est de sua prædestinatione. Quis autem promittit certò id quod ex alterius pendet voluntate? nisi habeat in sua potestate illius voluntatem, ut faciat illam facere quodcumque voluerit. Et ista est prima ratio S. Augustini. Secunda est, quia aliàs Deus promitteret aliena facta, non sua, si præsciret liberum arbitrium ex se fidem receptarum, & ex se consensurum, & ex se redditurum certam & firmam divinam promissionem, ac prædestinationem. Quæ secunda ratio oritur ex priori & illam magis declarat.

408. Idem manifestè docet Apostolus Rom. 9. cum ait. *Non ex operibus, sed ex vocante.* Ubi glosa ait. *Sicut non pro meritis præcedentibus illud dictum fuisse ostendit, ita nec pro meritis futuris.* Et infrà super illud. Numquid iniquitas est apud Deum? Dicit glosa. *Nemo dicat Deum quia futura opera prævidebat, alterum elegisse, alterum reprobasse.* Igitur non ex præscientia operum, sed ex Dei firmo proposito fit electorum prædestinatio. Item ad Titum primo dicit Apostolus. *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos.* Igitur secundum Apostolum prædestinatio non ex operum præscientia fit, sed ex divino beneplacito. Insigne autem inter omnia & celebre magis est illud Apostoli testimonium ad Ephes. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in Cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, in ipsum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis in omni sapientia & prudentia, ut notum facere nobis sacramentum voluntatis suæ secundum beneplacitum ejus quod proposuit in eos in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in Cœlis, & quæ in terra sunt in ipso: in quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ: ut simus in laudem gloriæ ejus.* Quæ verba deducens S. P. Augustinus de præd. Sanct. *cap.* 18. post illa sic concludit. *Quis, inquam, hæc audiat diligenter, & intelligenter, & audeat de hac, quam defendimus tam clara veritate dubitare.* Et expendens paulatim Doctor Sanctus omnia Apostoli verba citata, tandem veniens ad verba illa, *Secundum placitum voluntatis suæ,* & ad illa alia, *Prædestinati secundum propositum voluntatis ejus,* sic concludit, *Fecit autem hoc secundum placitum voluntatis suæ, ut nemo de sua, sed de illius erga se voluntate glorietur. Fecit hoc secundum divitias gratiæ suæ, secundum bonam voluntatem suam, quam proposuit in dilecto filio suo, in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum non vestrum, sed ejus qui universa operatur usque adeo ut ipse in nobis operetur & velle.* Sic concludit S. Augustinus ex tot & tantis Apostoli multiplicatis verbis prædestinationem non secundum hominis propositum prævisum fieri, sed secundum Dei voluntatem, secundum divitias gratiæ ejus, secundum Dei beneplacitum, secundum Dei propositum, & secundum consilium voluntatis Dei, qua universa operatur. Nec oportet tam aperta Apostoli verba expendere magis, ne illa

Digitized by Google

illa potiùs obscura reddamus, cum adeo clara sint ac manifesta, ut solùm lectore indigeant, non expositore. Igitur manifestum est, igitur evidentissimum est, magnum gratiæ prædicatorem Apostolum prædestinationem electorum, non secundum hominis prævisum propositum, sed secundum firmum ac stabile propositum Dei omnibus prædicare; quod qui negant, apertissimè tanto Apostolo contradicunt.

409. Idem probatur ex illo Apostoli 2. ad Timoth. 2. *Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc, novit Dominus qui sunt ejus.* Quæ verba hunc habent sensum. Electio fidelium ex parte Dei certa & immutabilis est; & hanc vocat fundamentum, quoniam primum est humanæ salutis initium, nam quos prædestinavit hos vocavit, &c. Firmum igitur fundamentum Dei stat habens signaculum hoc, novit Dominus qui sunt ejus: electio quippe nostra nobis ipsis obscura & incognita, solius Dei notitiâ certissimâ quasi quodam signaculo obsignata claditur, ut hinc & apud nos incerta & occulta sit, & apud Deum certa & firma: cum ergo Paulus firmam Dei notitiam de salvandis post illud firmum atque certum fundamentum divinæ electionis constituat, manifestè secundum firmum Dei propositum certitudinem prædestinationis statuit. Vnde mirum est, quòd ex hoc loco, ut alibi diximus, nitatur Molina suam de prædestinatione fundare sententiam, statuentem certitudinem prædestinationis primò & originaliter ex boni usus præscientia, & non ex propositio Dei.

410. Similiter secundus post Apostolum magnus gratiæ defensor Augustinus in nullo alio per tot annos fæliciſſimè contra Pelagianos pugnavit, nisi ostendendo veritatem hanc, quod prædestinatio fiat secundum Dei propositum firmum; & quod gratia, quæ effectus est prædestinationis firmitatem & efficaciam habeat ex eodem divino proposito, non ex beneplacito voluntatis humanæ, ut sic gratia sit verè gratia, & non secundum opera nostra detur. Pleni sunt libri quos contra Pelagianos scripsit veritate ista; ex quibus si testimonia inducere vellemus integros ipsius libros transcribere oporteret. Sufficiant ergo inducta testimonia simul cum aliis duobus, quæ in terminis veritatem istam manifestant. Alterum desumitur ex *lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap.* 10. cujus & ibi verba sunt. *Hoc quippe ita dicunt, velut homo à se ipso sine adjutorio Dei habeat propositum bonum, studiumque virtutis, quo merito precedente dignus sit adjuvari Dei gratia subsequente. Putant enim fortasse ita dixisse Apostolum: scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt: ut propositum hominis vellet intelligi, quod propositum tanquam bonum meritum sequatur misericordia vocantis Dei: ignorantes ideo dictum esse, qui secundum propositum vocati sunt, ut Dei, non hominis propositum intelligatur, quo eos quos præscivit & prædestinavit conformes imaginis Filiis sui, elegit ante mundi constitutionem. Non enim omnes vocati, secundum propositum sunt vocati; quoniam multi vocati, pauci electi. Ipsi ergo secundum propositum vocati, qui electi ante constitutionem mundi. De hoc proposito Dei dictum est & illud, quod jam commemoravi de geminis Esaü, & Iacob, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Major serviet minori. Hoc propositum Dei & illo commemoratur loco, ubi ad Thimotheum scribens ait, Collabora Evangelio secundum virtutem Dei salvos nos facientis, & vocantis vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, &c.*

411. Alterum testimonium habetur lib. de corr. & gra. cap. 7. ubi sic dicit. *Non enim sic sunt vocati, ut non essent electi; propter quod dictum est, multi sunt vocati, pauci verò electi: sed quoniam secundum propositum vocati sunt, profecto electi sunt per electionem, ut dictum est gratiæ, non precedentium meritorum suorum; quia gratia illis est omne meritum. De talibus dicit Apostolus. Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt; quoniam quos ante præscivit & prædestinavit conformes imaginis Filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; quos autem prædestinavit, illos & vocavit; quos autem vocavit, ipsos & justificavit; quos autem justificavit, ipsos & glorificavit. Existis nullus perit, quia omnes electi sunt: electi sunt autem quia secundum propositum vocati sunt, propositum autem non suum, sed Dei. De quo alibi dicit, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori: Et alibi non secundum opera nostra, inquit, sed secundum suum propositum & gratiam.* Hæc sanctus Pater Augustinus. Vbi fieri prædestinationem non secundum hominis propositum, sed secundum firmum propositum Dei apertissimè ostendit. Qua in re & si sola esset Augustini authoritas, ea tamen cæteris procul dubio esset præferenda; quia ipse accuratiùs, explicatiùs quàm alij prædestinationis argumentum contra Pelagianos tractavit, cujus proinde, in hac materia, doctrina approbata est per Ecclesiam, ut dictum est supra.

CAPUT XXVI.

Quod electorum prædestinatio fiat secundùm propositum Dei probatur tum ex alijs Patribus, tùm ex rationibus Theologicis.

412. OMNES præterea Sancti Doctores qui contra Pelagianos scripserunt, pro primo principio tenent electorum prædestinationem fieri secundum Dei propositum, non secundum hominis beneplacitum. S. Prosper epistola ad Augustinum, contra collatorem, contra objectiones Gallorum, & alias Vincentianas, Epistola ad Rufinum, libris duobus de vocatione gentium, & prosa de ingratis sæpissimè prædestinationem fieri secundum Dei propositum constantissimè defendit. S. Hilarius in Epistola ad S. Augustinum idem tenet, atque defendit, S: Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia, sive de gratia & lib. arb. sæpe confirmat, & lib. de prædest. ad Monimum per totum nihil aliud docet, & probat nisi electorum prædestinationem secundum Dei propositum fieri. Petrus etiam Diaconus cum aliis sociis lib. de Incarnatione & gratia apud Fulgentium, idem omnino confitetur contra Faustum & alios Semipelagianos, S. Thomas in hac defendenda veritate est totus in 1. dist. 40. de verit quæst. 6. opusc. de præscientia, quodlib. 12. 1. p. quæst. 23. art. 3. & alibi frequenter.

413. Item Syriaca novi testamenti translatio, qua etiam hodie Syriacæ Ecclesiæ utuntur, cujus authorem Sanctum Marcum Evangelistam fuisse, Syrij omnes uno ore affirmant, hunc locum Pauli (ut in Regiis Bibliis fideliſſimè excusis habetur) loco *secundum propositum* habet *secundum præordinationem*, & aliam non potuit intelligere nisi Dei. Primasius Adrumentinus Episcopus in Africa antiquus & nobilis author hunc locum Pauli explicat de proposito Dei, non hominis. Aurelius Cassiadorus lib. 1. divinarum lectionum cap. 8. refert Petrum abbatem hunc locum Pauli de proposito Dei explicasse. Theodolus in Cælesyria Episcopus in catena Rom. 8. inquit.

Digitized by Google

quit. *His qui secundum propositum vocati sunt. Ostendit omnes quidem vocatos esse, verum eos dumtaxat obedisse, adjutosque à Deo esse, qui secundum propositum ad prædestinationem sunt vocati.* Strabus Monachus fuldensis qui circiter annum Domini 840 floruit, in glosa ordinaria ait, *secundum propositum. Quasi dicat, quòd vocati sunt non aliunde est quàm à prædestinatione Dei, non ex merito.* S. Anselmus qui anno salutis 1080. claruit in comment Rom. 8. propositum Dei intelligit, & semper explicat. Anselmus alius Laudunensis cognomẽto scholasticus qui ad annum Domini 1110. vixit, in glosa interlin. hæc habet. *His qui secundum propositum, non meritum, propositum Dei, id est secundum præscientiam & prædestinationem vocati sunt.* Recentiorum, post istos, sequitur innumera multitudo, Hugo Cardinalis, Caietanus, Dominicus Soto, Joannes Arboreus, Adamus Delfius, Arias Montanus, Antonius Scainus, Emanuël sa, Franciscus Toletus, Benedictus Pererius, Cornelius Mussus, omnes hi in Epist. ad Rom. locum Apostoli explicant de propositio Dei, non hominis. Alios plures omittimus.

414. Solùm autem referam confessionem fidei, Petri Diaconi, & sociorum, qui ab Oriente ex Græcis Romam missi fuerant ad profitendam fidem suam contra Pelagianos ac Semipelagianos. Isti enim doctissimi viri Catholici, nomine suo & eorum à quibus missi fuerant, in lib. de Incarnatione & gratia Domini nostri Jesu Christi, sic concludunt post plurima Sanctorum Patrum testimonia quibus fidem suam confirmant. *Quorum omnium Sanctorum Patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium & Celestium, simulque etiam Julianum Edanensem, & qui illis similia sapiunt, præcipuè libros Fausti Galliarum Episcopi qui de Monasterij Lirinensi profectus est, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est. In quibus non solùm contra horum omnium Sanctorum Patrum, verum etiam contra ipsius Apostoli contradictionem veniens, humano labori subjungit gratiæ adjutorium, atque totam omninò Christi evacuans gratiam, antiquos Sanctos non ea gratia qua & nos, secundum quod docet beatissimus Petrus Apostolus, sed naturæ possibilitate salvatos impiè profitetur.*

415. Theologicæ etiam rationes pro hac probanda veritate plures traditæ sunt supra, cum actum fuit de electione ad gloriam sine prævisis operibus; aliæ autem etiam inductæ sunt modò cum tot inconvenientia ex prædestinatione secundum præscientiam deduximus: omnes enim rationes istæ hoc suadent, hoc concludunt, prædestinationem fieri debere secundum Dei absolutum, firmumque propositum. Quibus aliæ tres ex S. Augustino deductæ simul conjungantur.

416. Prima est, Christus Dominus non est prædestinatus filius Dei in virtute secundum boni usus præscientiam: ergo nec alij prædestinantur secundum præscientiam boni usus. Consequentia probatur ex S. Augustino *lib. de prad. sanct. cap. 15.* ubi dicit *quod ea gratia fit ab initio fidei sua homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus;* Et ratio ulterius est, quia membrorum prædestinatio sequitur prædestinationem capitis, & per illam regulatur. Antecedens autem latè probatur à S. Augustino tum prædicto loco, tum alibi frequenter. Hanc rationem conatur infringere Ludovicus Molina in concord. quæst. 23. disp. 1. memb. 11. § *Illud etiam*, ubi contendit animam Christi ideo ad tantam dignitatem unionis cum verbo electam fuisse, quia fuit prævisa quod si sic uniretur bene usura esset sua innata libertate. Sed hanc ejus falsissimam doctrinam oppositam S. Augustino agentes infra de prædestinatione Christi Domini falsitatis eximiæ convincemus.

417. Secunda ratio est. Parvuli qui post baptismum statim moriuntur & salvantur prædestinati sunt tantùm ex divino proposito, & non ex præscientia alicujus boni usus: ergo & majores natu prædestinantur secundum divinum propositum, & non ex boni usus præscientia. Hoc argumento fuit præcipuè in S. Aug. contra Pelagianos & Semipelagianos, & si penetretur, est demonstrativè convincens. Ideo enim Pelagiani dicebant prædestinationem fieri secundum præscientiam boni usus, ut aliquid ex parte hominis assignarent propter quod unus magis quàm alter eligeretur à Deo, ut sic evitaretur in Deo vitium injustitiæ, & acceptionis personarum. Putabant enim Pelagiani esse acceptionem personarum, si ex duobus in omnibus omnino æqualibus, unus prædestinaretur, & non alius: Quod ipsorum fundamentum manifestè evertit S. Augustinus, hoc facto argumento de parvulis, in quibus absque acceptione personarum, & absque alicujus boni præscientia ex parte parvuli, ille prædestinatur, & iste alius reprobatur: ergo manifestum est quod etiam ex duobus ætate grandibus licet nihil prævideatur boni magis in uno quàm in alio, potest fieri prædestinatio secundum divinum propositum, absque aliquo vitio acceptionis personarum. Qua ratione S. P. August. *lib. de prad. sanct. cap. 12.* sic dicit. *Laboratur aliquando in ætate majorum jam utentium voluntatis arbitrio; sed ubi venitur ad parvulos, & ad ipsum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, omnis deficit præcedentium gratiam Dei humanorum assertio meritorum.* Hoc argumento in tantum eruciabantur Pelagiani, & Semipelagiani, ut illud solvere protutantes in absurda deliramenta illos videas profluxisse; nec minora fortassis admittunt inconvenientia, qui noviter illud solvere procurarunt, ut infra suo proprio loco agentes de parvulorum prædestinatione, dabimus manifestum.

418. Tertia ratio, illaque præcipua & fundamentalis in S. P. Augustino fuit, quòd si prædestinatio non fit ex firmo Dei proposito, sed ex præscientia boni usus arbitrij, gratia Dei ponitur secundum merita nostra dari, quæ est ipsissima Pelagiana hæresis. Patet hoc manifestè quia præcedit ille bonus usus præscitus ipsam prædestinationis gratiam; & posito illo præscito usu, inevitabiliter ponitur prædestinationis gratia: ergo gratiæ illa ex illo bono usu tanquam ex merito datur.

CAPUT XXVII.

Præcluditur quædam evasio contra rationes prædictas, earumque efficaciam excogitata.

419. NEc valet respondere, quod ille præscitus usus supponit excitantem gratiã cui prævidetur consentire. Primò quia ante illam excitantem gratiam in sententia horum authorum datur præscitus bonus usus hominis facientis quod in se est; & ex consequenti etiam illi bono usui correspondet illa excitans gratia ex debito, ut apertè monstrabimus in tertio hujus operis libro. Secundò quoniam etiam posita illa gratia excitante, prævidetur arbitrium ex se ipso, & non ex efficacia illius prævenientis gratiæ consentire, & sic consentienti datur gratia cooperans, seu verè adjuvans, quia homo consentit; & ex consequenti adjuvatur arbitrium quia vult; & gratia cooperatur, quia arbitrium operatur: unde convincitur quòd illa cooperans gratia detur secundum merita ipsius arbitrij bene utentis ex se gratia excitante. 420.

Digitized by Google

420. Minus etiam juvat se excusare, dicendo quòd illa præscientia boni usus, seu bonus ille usus præscitus (quod idem omnino est) non est causa gratiæ prædestinationis, sed tantùm est conditio sine qua non dabitur prædestinationis causa. Tum primò quia, ut dictum est, idem error est dicere quod prædestinatio non fiat secundum firmum Dei propositum, sed quod fiat secundum præscientiam boni usus quomodolibet ponatur, pendere prædestinationem ab illa boni usus præscientia; sive pendeat tanquam à causa, sive tanquam à ratione, sive tanquam à conditione: hæc enim ad præsens metaphysica distinctio nihil omnino excusat; quia quomodolibet ponatur, prædestinationem ab homine pendere, & ab ejus præscito usu, & non ex firmo Dei proposito, in errorem venitur Pelagianorum. Nec enim ipsi differentur concedere illum bonum usum conditionem esse, quia idem omnino intentum suum, & finem hac viâ obtinerent; quòd videlicet ab homine pendeat ejus efficax prædestinatio, & non ex firmo Dei proposito antecedente omnem boni usus præscientiam. Tum secundò quia ipsi authores qui utuntur voce conditionis sine qua non, sæpè pro eodem reputant conditionem sine qua non, & rationem, ut videre est apud primum hujus doctrinæ divulgatorem Molinam in concord. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. §. octava conclusio. Tum tertiò quia alij ex hujusmodi authoribus eandem sententiam defendentibus, expressè fatentur quasi corrigentes alios, illum bonum usum non solum conditionem esse, sed etiam rationem, ac veram & propriam causam, quod vocatio in nobis efficax sit: ergo concedunt quòd sit homo verè ac propriè causa primi effectus prædestinationis; primus enim effectus prædestinationis vocatio est, non quomodocumque, sed efficax, ut est apertissimum: ergo concedunt illum bonum usum verè ac propriè causam esse ipsius prædestinationis. Sciunt enim Theologi omnes quod quidquid est causa primi effectus prædestinationis, est causa totius effectus prædestinationis; & ex consequenti est causa ipsius prædestinationis. Sed de omnibus istis latè supra disputavimus, & resumimus dilucidè modò quod ex parte supra tetigimus.

421. Quòd si quis diligenter advertat, hos authores (quorum alij admittunt illum bonum usum esse conditionem, alij verò esse verè & propriè causam quod vocatio in nobis efficax sit,) nulla ratione inter se discordes etiam in hoc inveniet. Quia qui admittunt esse conditionem, & non verè & propriè causam, loquuntur de causa efficiente, sivè physica; de qua loquendo nullus illorum dicet bonum usum verè ac propriè causam efficientem physicam esse efficacitatis gratiæ, quia in hoc genere causæ propriæ efficientis, conditio tantum est, seu dispositio. Qui verò concedunt esse verè ac propriè causam, loquuntur de causa morali, seu meritoria: sæpe enim causa, quæ in genere physico per accidens est & sine qua non; in genere moris est per se, ut commune est apud Theologos omnes; cujus & multa se offerunt exempla, quæ omittuntur, ne in re clara immoremur. Verùm solùm sufficiat de homine merente augmentum gratiæ, cujus actus non est causa efficiens illud augmentum, ut est certissimum; est tamen verè causa moralis meritoria illius. Sic ergo in sententia horum authorum, ille bonus usus arbitrij causa efficiens non est efficacitatis gratiæ, ut quidam concedunt: est autem causa meritoria illius gratiæ efficacis, ut alij fatentur; & ex consequenti illa efficacia gratiæ quæ effectus est prædestinationis, datur secundum merita nostra, ut à principio ex S. P. Augustino deducebamus. Hæc omnia diffusiùs supra explicata sunt.

CAPUT XXVIII.

Proponuntur Recentiorum argumenta pro suadendâ prædestinatione secundùm præscientiam ex sacris literis.

422. TEMPVS est jam ut argumenta, quibus ij authores prædestinationem tuentur fieri secundum præscientiam, opponamus, ut eis plenariè satisfaciendo, cognoscant universi nil prorsus illa contra veritatem posse suadere.

423. Primò ergo sic opponunt ex scripturis. Nam apud Matth. 25. sic dicitur. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* Ex quo loco inferunt quod salvandis præparatum sit regnum à constitutione mundi, propter prævisa merita.

424. Ad hoc respondetur primò in illis verbis nullo modi dici regnum præparatum propter hominum prævisa merita, sed quod possidere illud regnum sit propter merita. Electis enim suis regnum æternum Deus præparavit, nulla in eis reperiens merita, sed ea per gratiam dare volens, quibus jam gloriam præparaverat, ut sic meritis bonis instructi ad regni possessionem introducerentur. Itaque illa vox *esurivi enim* non debet conjungi cum illa voce (*paratum*) ita quod sit sensus, regnum fuisse præparatum, quia esurivi, & dedistis mihi &c. Aliàs debebat dicere regnum præparatum, quia esuriturus eram, & vos mihi daturi eratis manducare; sed conjungenda est illa vox *esurivi* &c. cum illa voce *possidete*, ita ut sit sensus. Regnum sine meritis præparatum, possidete propter merita, quia esurivi & dedistis mihi manducare; de quo jam supra agentes de electione ad gloriam absque meritorum prævisione, plura diximus. Secundò respondetur illud posse rectè intelligi de præparatione regni in ratione præmij, & mercedis, seu ultimi effectus prædestinationis, & quoad executionem; talis enim præparatio fit ex meritorum prævisione, sicut de facto datur in tempore ex meritis ipsis: non autem ibi fieri sermonem de alia prioti præparatione in ratione gratuiti doni, sive quoad intentionem, ut diximus supra. Et juxta hanc expositionem procedit Sanctus Ambrosius *libro 5. de fide, cap. 2.* cum ait. *Quibus paratum est, ut ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis, quia Deus personarum acceptor non est. Unde & Apostolus ait, quos præscivit & prædestinavit. Non enim ante prædestinavit, quàm præsciret: sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* Quæ verba Sancti Doctoris intelligi de prædestinatione ad gloriam in ratione præmij & mercedis, nec aliter intelligi posse, ipsa verba declarant, cum loquantur de præmio.

245. Secundò opponunt ex Matth. 20. dicente Domino, *Sedere ad dexteram vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Quam præparationem Sancti Patres exponunt factam à Patre ex prævisis meritis, & non titulo consanguinitatis, Epiphanius, Cyrillus lib. 10. thesauri cap. 6. Ambros. citato loco, Theophil. super illud Matth. 20. Chrysost. homilia 25. in Matthæum.

426. Ad hoc respondetur primò illum locum rectè intelligi posse. Non est meum dare vobis, titulo quo petitis, sed quibus paratum est à patre meo, titulo gratuitæ suæ electionis. Secundò respondetur loqui ibi Christum de præparatione ad gloriam in ratione præmij quæ sit ob prævisa merita; & de hac Sancti inducti loquuntur, cum di-

Digitized by Google

cunt talem præparationem ex meritis prævisis fuisse: non tamen negant aliam priorem gratuitam, quam in aliis locis exponunt: & de hac loquitur S. Thomas etiam in quadam oratione ad Beatam Virginem dicens fac etiam &c. ac de meis peccatis puram, & sinceram confessionem, & veram pœnitentiam faciam, ut suam consequi merear misericordiam, & gratiam, consumatam nempè in patria. Sicut etiam Paulus dicit *reposita est mihi corona justitiæ*, id est præparata est mihi corona per merita; & tamen alibi docuit prædestinationem esse non ex operibus, sed secundum electionem, & propositum Dei, utramque simul electionem ad gloriam manifestans. Quod etiam Apostolus satis exposuit, cum dicit *gratia Dei vita æterna*; gratiæ autem rationem apud Apostolum vita æterna non haberet, nisi quadam consideratione esset indebita, & homini nihil ex se merenti, planèque indigno gratuitâ Dei miseratione præparata. Igitur præter illam mercedis, & præmij præparationem ad Dei justitiam pertinentem, quæ coronam justitiæ præparat, (de qua citati authores loquuntur) asserenda est ista alia gratuita, & utraque secundum Apostoli manifestam sententiam, secundum illud aliud *gratiam pro gratia* id est gloriam, quæ ut dictum est gratia appellatur, quia propter gratiam datur, præparat Deus pro gratia priùs gratuito data.

427. Tertiò opponunt ex Apostolo Rom. 8. ubi sic dicit. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui.* Vbi sensus est, quos præscivit conformes fieri imaginis Filij sui, illos prædestinavit: ergo secundum Apostolum prædestinatio fit ex præscientia meritorum; si enim prædestinatio ab illa meritorum præscientia non penderet, quare illam priùs ante prædestinationem collocavit Apostolus?

428. Hoc Apostoli testimonium quatuor Catholicas, & à Sanctis Doctoribus traditas habet explicationes & intelligentias, & duas falsas à Pelagianis, & Semipelagianis introductas. Interpretatio prima falsa, est quod præscientia meritotum causa sit prædestinationis, ita quod dicat Apostolus, quos præscivit futuros conformes imaginis Filij sui per sæ voluntatis arbitrium, illos prædestinavit. In quo sensu non solùm à S. P. Augustino, & S. Thoma, Prospero, Hilario, atque Fulgentio; sed etiam à Doctoribus, & Scholasticis omnibus qui negant meritorum præscientiam esse causam prædestinationis, uniformiter negatur illud intendisse Apostolum; quia talis sensus falsus est, & Pelagianus. Secunda falsa intelligentia fuit postea à Semipelagianis inventa, quòd videlicet quos præscivit Deus conformes imaginis Filij sui futuros ex usu arbitrij benè utentis ex seipso gratia tantùm excitante, seu tantùm dante posse, illos prædestinavit. In quo etiam ex homine ipso causam prædestinationis ponunt, ut copiosè probatum est supra. Vnde Sanctus Thomas super illum locum Apostoli hanc aliquorum referens sententiam sic dicit. *Vnde ponere quod aliquod meritum ex parte nostra præsupponatur, cujus præscientia sit ratio prædestinationis, nihil est aliud quàm gratiam ponere dari ex meritis nostris; & quod principium bonorũ operum est ex nobis, & consummatio ex Deo*, quod esse Pelagianorum hæresim nullus est qui non videat. Similiter notandum valde utrumque testimonium inductum nihil omnino favere istis recentioribus constituentibus prædestinationem non secundum meritorũ præscientiam absolutam, sed conditionatam: quia testimonium utrumque apertè de absoluta præscientia intelligitur, non de conditionata: unde consequens est, ut ij authores è duobus unum eligant, vel prædestinationem fieri secundum meritorum præscientiam absolutam, quod aliqui posteriores concedunt; vel ista testimonia non inducere pro scientia conditionata, de qua in illis nullo modo fit mentio. Vel potiùs dicamus utrumque ex sententia horum sequi, si enim prædestinatio fit secundum illam illorum conditionatam præscientiam, ex qua alia sequitur absoluta, conditione impleta; sequitur sine dubio fieri jam prædestinationem secundum merita hominum benè utentium ex sua innata facultate donis gratiæ excitantis, & illa reddentium efficacia; ita ut iste homo sit prædestinatus, quia præscitur benè usurus arbitrio suo reddente efficacia auxilia gratiæ.

429. Hoc supposito prima ex quatuor veris intelligentiis est ut verbum *præscivit* sumatur pro approbatione; & tunc est sensus, quos præscivit, idest diligendo & eligendo approbavit futuros fore conformes imaginis Filij sui, hos prædestinavit, quia ideò hos prædestinavit & præparavit per actum practicũ divini intellectus, quia eos dilexit; ut à principio hujus Tractatus de prædestinatione ex Sancto Thoma præmisimus. Consuetum est enim in Scripturis Sacris poni *scire*, pro approbare, seu diligere; & *nescire* pro reprobare, seu refutare, sicut est illud *nescio vos*. Quam explicationem etiam notavit Origenes super istum locum. Imò Apostolus ipse in eadem Epistola ad Rom. cap. 11. continuans hanc prædestinationis materiam, sumpsit verbum *præscivit*, pro dilectione, & approbatione, cum ait. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*, idest quam approbavit, & quam *dilexit*, ut docet S. Augustinus libro de dono perseverantiæ *cap.* 18. qui est insignis locus, in quo *traditur ista* explicatio.

430. Vel aliter potest Apostolus optimè intelligi de præscientia speculativè sumpta, quætamen sequatur ad primum firmum Dei propositum, quo aliquos eligit ad gloriam; quod propositum, & præscientia ad illud sequuta ratione antecedunt ipsam formalem prædestinationem divini *intellectus* practici; & tunc est sensus Apostoli; quòd Deus prædestinavit, & justificavit, ac glorificavit quos secundum prius suum propositum præscivit gloriam consecuturos; vel clariùs quos præscivit electos à se, ad gloriam prædestinavit; & de hac loquitur Fulgentius *lib. de Incarnat. & gratia cap.* 26. jam supra relatus cum dicit *Quod nullus accusat, quia Deus eos secundum propositum præscitos, & prædestinatos, vocatosque justificat.* Sed tunc oportet advertere quod sicut illa præscientia est post actum electionis ad gloriam, qui est actus voluntatis circa finem, ita solùm præscit Deus electos ad gloriam, illam infallibiliter consecuturos; sed non præscit per illam præscientiam media, quibus illam sunt adepturi, cum talis præscientia antecedat formalem prædestinationem, quæ talia media præparat. Et de hac præscientia optimè intelligitur illud Christi Domini Joan. 13. *Ego scio quos elegerim.*

431. Tertia explicatio & intelligentia legitima est ut verbum *præscivit* sumatur pro prævisione intellectus, qua Deus præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui; ita tamen quòd illa præscientia supponat prædestinationem, & in prædestinatione ipsa præsciat Deus illos fieri conformes imaginis Filij sui. Nec enim Apostolus dicit; quos præscivit conformes fieri imaginis Filij sui, hos prædestinavit. Si enim hoc dixisset, possent forsan apparenter inferre prædestinationem ex meritorum præscientia; sed dixit quos præscivit, & prædestinavit: in quo Apostolus ipse satis expresè significat ad idem retulisse præscientiam, & prædestinationem, nempe ad illam cum Filio conformitatem; ita quod talis conformitas non sit ratio prædestinationis, sed terminus, aut effectus illius, quam proinde conformitatem

Digitized by Google

mitatem non propterea prædestinavit, quia præscivit; sed potiùs ideo præscivit, quia prædestinavit. Sicut si quispiam diceret, quas habeo facultates, eas mihi industria & labore comparavi; non potest intelligi, quod priùs habuerit divitias, quàm sibi labore comparaverit, sed ideo potiùs eas habuisse, quia labore & industriâ comparavit. Quem sensum tradit S. Augustinus *lib. de prædest. sanct. cap.* 10. sic dicens: *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* Et sæpe in illo libro, & de dono perseverantiæ repetit, quòd præscientia est eorum quæ Deus prædestinavit, & eorum quæ ipse facturus est. Quæ loca infra adducentur. Hanc eandem intelligentiam satis insinuat Fulgentius de fide ad Petrum, & potissimè libro de prædestinatione ad Monimum: illam etiam expresè tradit Anselmus in comment. super istum locum. Et de hac intelligitur illud Pauli, *novit Deus qui sunt ejus*, ex prædestinatione videlicet novit.

432. Est quarta legitima explicatio, quòd prænotio personarum sit rationis & naturæ ordine prior quàm prædestinatio; & tunc est sensus quòd Deus priùs præscivit eos, quàm prædestinavit. Ista explicatio est Sancti Thomæ super hunc locum Apostoli, quem multi sequuntur. Nullo ergo modo potest ex hoc Apostoli testimonio deduci quod prædestinatio fiat secundum illam mediam præscientiam, ut supra diximus. Est etiam hæc explicatio Sancti Fulgentij libro de fide ad Petrum *cap.* 34. ubi ait, *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Trinitatem Deum incommutabilem rerum omnium atque operum, tam suorum, quam humanorum certissimum cognitorem, ante omnia sæcula scire quibus esset per fidem gratiam largiturus: sine qua nemo potest ex initio mundi usque in finem à reatu peccati, tam originalis, quàm actualis absolui. Quos enim Deus præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui.* Ubi explicat prædictum locum Apostoli, ut procedat de præscientia, quâ Deus cognovit ante sæcula eos, quibus esset per fidem gratiam largiturus.

433. Ad idem opponunt quarto loco illud ad Rom. 11. *Vide ergo bonitatem, & severitatem Dei; in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris; sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur.* Ex quibus verbis, inquiunt, apertè colligitur de fine nihil esse absolutè statutum, sed solùm sub conditione, & totum ab illa pendere.

434. Ad hoc dicendum Apostolum ibi loqui cum Gentilitate ad fidem Ecclesiæ admissa, à qua Judæi ceciderant, cui dicit quod si in bonitate non manserit, excidetur; sicut & Judæi ob incredulitatem ab eâ præcisi sunt: ubi non loquitur de solis prædestinatis, sed de omnibus Gentilibus ad Christi fidem admissis. Et dato de solis prædestinatis loqueretur, ex illa conditione perperam negant Deum absolutè de fine statuisse: hoc enim de fine firmum propositum cum illâ conditione, & aliis quibus Scriptura plena est, optimè consistit. Sicut enim verum est, quod si fidelis non permanserit in fide, ab Ecclesia excidetur; & sicut verum est, quòd si usque in finem in gratia non perseveraverit, non salvabitur: ita & verum est statuisse Deum absoluto proposito omnibus salvandis tribuere quod in fide & charitate usque in finem vitæ permaneant. Circa quod testimonium plura dicemus infra agentes contra prædestinationem statutam à Leonardo Lessio. Id autem quod ultimò dicunt totum negotium salutis ab illa conditione pendere, quæ in nostra, ut aiunt, posita est innata libertate, est dicere quòd ab eadem potestate nostra totum negotium salutis dependeat; cum potius id totum dependeat à potestate divina, ut semper Sanctus Augustinus affirmat; dicens quòd hoc totum nobis dandum non est; sed potiùs totum Deo: sed de hoc infra citato loco.

435. Quintus locus sit ex Epist. 1. ad Timoth. cap. 2. ubi Apostolus jubet fieri orationem pro omnibus; *quia*, inquit, *hoc bonum; & acceptum est coram salvatore nostro Deo; qui vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Qui locus ita passim explicatur à S. Patribus, & Doctoribus, ut nemo intelligatur exceptus: At quomodo verè, & sincerè vult omnes salvare, si in primo illo decreto de salvandis hominibus quòd ex se concepit, tam paucos ad salutem elegit, & tam immensum numerum excluſit?

436. Ad hoc respondere non oportet, cum supra copiosè de veris intelligentiis illius testimonij egerimus. Nunc breviter dicimus, quòd illi Patres qui passim illud explicant, ità ut nullus homo in illo intelligatur exceptus, pariter dicunt illud tunc esse intelligendum de voluntate antecedenti, seu ineffi-caci; non de voluntate consequente & absolutâ, quæ utraque optimè in Deo concordat. Videantur quæ supra sunt dicta, & explanata.

437. Alia autem scripturæ testimonia quæ pro prædestinatione secundum absolutam præscientiam multiplicat Leonardus Lessius, in fine hujus, ubi in particulari sententiam ejus tractabimus, inducenda sunt, & in vera intelligentia explicanda.

CAPUT XXIX.

Proponuntur recentiorum argumenta ex authoritatibus SS. Patrum desumpta ad stabiliendum prædestinationem secundum illam præscientiam boni usus.

438. TErtio loco opponunt ex veteribus Patribus testimonia, quos magno consensu nobis adversari profitentur. Sed antequam ad Sanctorum Patrum deveniamus veram intelligentiam, quosdam in hoc numero idoneos ad testimonium ferendum non admittimus. In primis rejicimus Authorem illorum Scholiorum apud Sanctum Hieronymum in Epist. ad Rom. quæ esse ipsius Pelagij plusquam probabile est, ut rectè notarunt Doctores Lovanienses in illo tractatu justificationis, cujus jam supra mentionem fecimus. Idem affirmat Sixtus senensis libro 4. Bibliothecæ sub his verbis. *Stili diversitas; & dogmatum discrimen, Hieronymum non esse indicant. Ambrosius Compsæ Archiepiscopus autumat Scriptorem operis fuisse Pelagium, quia in expositione octavi & noni capitis Epistolæ ad Rom. docet prædestinationem æternam esse ex meritis electorum divinâ præscientiâ prævisis. Ego verò ut liberè pronuntiem quid sentiam, nihil dubito authorem, quisquis ille fuerit, Pelagiana peste laboraſſe, prout apertissimè deprehendi potest ex annotationibus septimi capitis Epistolæ ad Rom. ubi edisserens illud sine lege peccatum erat mortuum, insanire eos putat qui credunt peccatum Adæ ex traduce parentum in nos devenisse, affirmans idem peccatum nō propagatione, sed exemplo dumtaxat ad posteros transmissum.* Hæc Sixtus. Vide eundem lib. 6. annot. 238. Marianus Victorius in censura tom. 8. operum Sancti Hieronymi ita scribit. *Commentarij in 13. Pauli Apostoli Epistolas; Hieronymi ipsius etiam minimè sunt; nam nec ejus phrasim habent, nec eruditionem; quamvis in fronte operis Epistolam ad Heliodorum inscriptam contineant; quin potiùs hominis esse Pelagiana labe contaminati, apertissimum est.* Card. Bellarmin. lib. 4. de amiss. grat. & statu peccati cap. 2. sic ait. *Authorem illorum commentariorum fuisse Pelagium, aut Pelagianū aliquem, extra controversiam est:* Et paulò inferius. *Illud certum est judicio Doctorum omnium, authorem*

illum

Digitized by Google

illum esse, si non Pelagium, certè Pelagianum. Et lib. 2. de gratia, & lib. arb. cap. 14. *Sed ea commentaria non Hieronymi esse, sed Pelagij aut Pelagiani alicujus non est dubium.* Idem dicit Aurelius Cassiodorus lib. 1. divinarum lect. cap. 8. Et tandem idem Card. Bellarmin. lib. de scriptoribus Eccles. impressò Romæ anno 1613. pag. 93. sic ait. *Commentaria in omnes Epistolas, non solum non sunt Hieronymi, sed quod magis mirum est, Pelagij hæresiarchæ sunt.* Sanctus etiam Augustinus *lib. 34.* de peccatorum meritis, & remiss. *cap. 1.* dicit se legisse commentaria Pelagij brevia in omnes Epistolas Pauli, & cap. 12. allegat quædam ex commentario in cap. 7. prioris ad Corinth. quæ in his commentariis inveniuntur. Vide Authorem horum commentariorum in caput 5. 6. 7. & 8. & 11. ad Rom. Item 1. Cor. 4. Philip. 1. & 3. & in caput 6. prioris ad Timoth. & invenies sententias manifestè Pelagianas.

439. Scholia etiam quæ sub nomine Ambrosij circumferuntur in Epistolam ad Romanos, Sancti Ambrosij non esse, multi eruditi affirmant. Cardin. Baron. tom. 10. annal. anno 862. pag. 226. edit. Rom. ad marginem, dicit. *Non est Sancti Ambrosij expositio in Epistolas Pauli.* Card. Bellarm. lib. 1. de matrimonio cap. 17. ait. *In promptu est responsio, authorem illorum commentariorum non esse Ambrosium, quod eruditi non ignorant, neque aliquem ex celebratis Patribus.* Et lib. 2. de gratia, & lib. arb. cap. 14. inquit. *Respondeo commentarios istos falsò tribui Sancto Ambrosio, viri docti non sine causa judicant.* Unde quod in illis habetur, non multùm æstimandum est. Dicitur enim ibi. *Istos quos præscivit sibi futuros devotos, ipsos elegit ad præmia capessenda, ut hi qui credere videntur, & non permanent in fide accepta à Deo electi negentur.* Et iterum. *Vocare est cogitantem de fide adjuvare, aut compungere eum quem sciat audire* &c. Quæ verba si Sancti Ambrosij verè essent, indigerent explicatione ex aliis Sancti Doctoris testimoniis. Et meritò cum durissima sint, Sancti Ambrosij esse negantur, nec in eorum explicatione multò laborandum est, licet infra illa posse in vero sensu intelligi, cum de mente Sancti Ambrosij tractabimus, exponemus. Vnde Card. Bellarm. libro eodem pag. 81. sic ait. *In quinto tomo sunt commentaria in Epistolas Sancti Pauli, quæ à multis non creduntur Ambrosij, nec sine causa.*

440. Primò quia Sanctus Augustinus, qui libenter, & frequenter Ambrosij testimoniis utitur contra Pelagianos, ex his commentariis nulla testimonia petit. Secundò quia Pelagius ipse qui Ambrosij testimonia Sancto Augustino objicere solet, ex his commentariis nihil objicit; cum tamen in his commentariis sint non pauca, quæ Pelagij errores continere videntur, ut perspicuum est in commentariis in Epistolam ad Romanos. Tertiò quia author horum commentariorum multa exponit contra sententiam Sancti Ambrosij, quod planè perspiciet, qui conferre voluerit illud Philip. 2. *Qui cum in forma Dei esset* explicatum in commentario hujus authoris, cum explicatione Ambrosiana in *epist. 37.* Et *libro 2. de fide cap. 4.* Et illud 1. Timoth. 1. *Regi sæculorum immortali* explicatum in commentario hujus authoris, cum expositione Ambrosiana *lib. 3. de fide cap. 2. & lib. 5. cap. 1.*

441. Eodem modo aliqui tractatus ex Sancto Patre Augustino citantur, quos constat apertè Sancti Doctoris non esse, sed contra ejus expressam sententiam pugnare. Vt est Epistola ad Demetriadem, quæ inter opera Sancti Augustini circumfertur, quam tamen constat esse Pelagij, aut Juliani, & Pelagianis erroribus plenam; ut facilè constat ex eodem Sancto Augustino libro de gratia Christi cap. 22. 27. 37. 38. & 40. Vnde ipse Augustinus ne virgo illa falleretur, matrem ejus Julianam monet Epistola 143. Aliqui hanc Epistolam tribuunt Sancto Hieronymo, ut Venerabilis Beda refert lib. 1. in cantica cap. 6. in principio, sed falsò ut ibi docet Beda, asserens illam Juliani esse: de quo egimus & nos primo nostro libro cap 1. Idem dicit Card. Bellarm. lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 93. sic enim ait. *Epistola ad Demetriadem virginem, quæ incipit* Si summo ingenio, *Pelagiana est, & à Sancto Augustino tribuitur ipsi Pelagio, & confutatur lib. de gratia Christi cap. 22. 27. 37. 38. & 40.*

442. Similiter idipsum ex alia Epistola Sancti Prosperi ad eandem Demetriadem constat, in qua virginem informat contra prædictam Epistolam Pelagianorum. Adversus eandem Epistolam scribit Beda lib. 1. in cantica cap. 6. & illam dicit esse Juliani Pelagiani. Est ergo manifestum prædictam Epistolam non esse Augustini, vel Sancti Hieronymi ut alij putant, sed Pelagiani, vel ejus discipuli Juliani: incipit hæc damnata Epistola, *Si summo ingenio*, & inter Epistolas Sancti Augustini est numero 142.

443. Ille etiam liber de Ecclesiasticis dogmatibus, qui inter opera Sancti Augustini recensetur, nullo modo Sancti Augustini est, sed cujusdam Gennadij Semipelagiani; & nomine Gennadij refertur à Magistro sent. & Sancto Thoma, & à Lovanienſibus Doctoribus in Epistola proëmiali ad lectorem, quæ præmittitur operibus Sancti Prosperi: Magister verò sent. id refert in 2 dist. 8. prope finem sic dicens litera C. *De hoc autem Gennadius in definitionibus Ecclesiasticorum dogmatum.* Et Sanctus Thomas *quodlib. 12. art. 10.* ita dicit. *Augustinus hanc quæstionem non determinat, sed indeterminatam relinquit in libro de Eccles. dogmat. sed ille liber non est Augustini, sed Gennady.* Et in catena ad primum cap. Matth. in expositione illius (de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus) ita dicit litera C. *Gennadius de Ecclesiasticis dogmatibus* &c. Idem habent Doctores Lovanienses in scholiis, seu in præfatione ad illum librum de Eccles. dogmat. & prologo in Sanctum Prosperum. Citatur etiam sub nomine Gennadij ab Vvalafrido Strabone lib. de reb. Eccles. cap. 20. Gennadij item esse tractatum illum dicit author thesauri catholici 1. libro art. 1. pag. 1. & 9. Placet autē apponere quę habent doctores Lovanienses in præfatione ad S. Prosperum dicunt ergo. Huic libro de Ecclesiasticis dogmatibus (quoniā minimè catholicus est, ut ex multis capitibus cōstat, potissimè ex cap. 21. in quo Semipelagianam hæresim tradit) studiosus quidam lector statim veneno antidotum apponens, caput 27. & 29. & sequētia ex Cōcilio Arausicano secundo adhibuit. Quæ capita licet ejusdem libri esse videantur, tamen in nonnullis exemplaribus tam scriptis, quàm impressis omissa inveniuntur omninò; & cum expresè repugnent illis, quæ præmittuntur in cap. 21. constat non nisi ad ejus redargutionem fuisse annexa.

444. In Scholio ad illum librum de Eccles. dogmat. ita habetur. *Liber hic non est Catholici Scriptoris, sed Gennadij Massilienſis in Gallia Presbyteri, unde Vvalafridus Strabo libro de rebus Ecclesiasticis cap. 20. Gennadius, inquit, Massilienſis Presbyter in dogmate Ecclesiastico* & sub eodem nomine citatur ab Algero *libro primo de corpore, & sanguine cap. 22.* in prima editione &c.

445. Et quidem iste Gennadius Massilienſis Presbyter sicut in cathalogo virorum illustrium graves habet errores, sic & in his dogmatibus Ecclesiasticis quædam habet à lectore cavenda, quæ planè errores sapiunt Pelagianorum. Nec enim hic author in isto libro unquam meminit peccati originalis, aut baptis-

matis

Digitized by Google

matis infantium in remissionem peccatorum. Cumque multos nominet hæreticos, nunquam meminit Pelagij, aut catholici dogmatis contra eum prolati; sed multoties inculcat animas non esse ex traduce, eo quod sciret Pelagium inde suum dogma firmare. Vnde constat professione de secta Semipelagianorum fuisse, ut 1. lib. part. 1. tract. 1. cap. 19. præmisimus. Quod si aliqui scriptores graves affirmant ipsum postea ab errore Semipelagianorum fuisse mundatum, quia ad eum destinatæ inveniuntur Apostolicæ literæ, quæ ad hominem hæresi infectum non destinarentur: his quidem non contradicimus; sed in iis quæ scripsit, & retractata non invenimus, dicimus illum tunc fuisse hæresi Semipelagianorum infectum. Sic etiam de libro isto de eccles. dogmat. Card. Bellarm. dicit in suo de Scriptor. eccles. pag. 103. liber de Ecclesiasticis dogmatibus non videtur esse sancti Augustini cum præcipuè conflatus sit ex sententiis Concilij Arausicani, & Summorum Pontificum Innocentij, Zosimi, Cœlestini, & maxima ex parte ex operibus sancti Augustini: Concilium autem Arausicanum, & epistolam Cœlestini scripta esse constat post obitum S. Augustini. Hadrianus etiam Papa in epistola ad Carolum Magnum tom. 3. epistolarum Summorum Pontificum citat de reliquiarum veneratione cap. 73. librum de ecclesiasticis dogmatibus sub nomine Gennadij Massilienſis presbyteri. Algerus qui floruit anno Domini 1100. tribuit eundem librum Gennadio, scribens de corpore & sanguine Domini lib. 1. cap. 22. quod etiam facit Platina in vita Simmachi, ubi dicit tempore hujus Pontificis scriptum fuisse à Gennadio Massilienſi librum de ecclesiasticis dogmatibus.

446. Quod autem citatur ab Hadriano ex cap. 73. illius libri sub nomine Gennadij, superiùs dictis non obstat; quia sub nomine Gennadij totus ille liber circumferebatur, & à cap. 26. & deinceps, ut dictum est, sanam continet doctrinam, sive ab ipso, postea ab errore Pelagianorum mundato additam, primam revocante; sive ab alio, ut præmisimus, ut antidotum appositam. Quod exactiùs examinare non intendimus, sed tantùm illum librum S. P. Augustini non esse, quod manet satis probatum.

447. Parique ratione tractatus ille alius de prædestinatione & gratia, qui etiam inter opera S. Augustini enumeratur, non ipsius esse, sed suspecti cujusdam authoris, Doctores Lovanienses in titulo illius libri rectè affirmant; continet enim (si aliquali attentione inspiciatur) Semipelagianorum errorem non semel repetitum, quod videlicet Deus gratis vocat, & illuminat, & nos ex nobis consensum præstamus, & Deus etiam perficit adjuvando, quod à nobis fuerat inceptum.

448. Vnde Card. Bellarm. in libro prædicto de Scriptor. Eccles. pag. 109. ait. Liber de prædestinatione, & gratia non videtur esse Augustini, nam discrepat à phrasi, & à doctrina Augustini; siquidem cap. 16. dicit hic author hominem potuisse justè à Deo damnari, etiamsi non peccasset. Contrarium docet S. Augustinus in Epistola 105. & 106. & libro 2. de pecca merit. & remiss. cap. 16. & alibi: deinde nulla erat ratio cur hunc librum scriberet, quia copiosè scripserat de prædstinatione Sanctorum. Denique liber hic neque à possidio, neque à Beda, neque ab alio veteri testimonium habet.

449. Nec te moveat quod 23. quæst. 4. cap. Nabuchodonosor, tanquam sancti Augustini verba referuntur, quæ habentur in isto libro de prædestinatione, & gratia. Quia compilator Gratianus minùs attentè consideravit illud opus S. Augustini non esse. Vnde nec quia à Gratiano putatur esse S. Augustini, ideò S. Augustini est; nec majorem habet auctoritatem ex eo quod à Gratiano compilatur, quàm habeat in seipso. Vt autem modò diximus, in seipso suspecti authoris est.

450. Idem omnino ferendum judicium est de alio tractatu simili, cujus titulus est de prædestinatione Dei, qui etiam inter opera S. Augustini enumeratur; est namque ejusdem farinæ sicut & præcedens modò relatus, & à suspecto quodam authore de Semipelagianorum errore invenitur conscriptus, ut etiam meritò Doctores Lovanienses notarunt. Quoniam non semel dicit prædestinationem non nisi ex prævisis operibus fieri. Istos tractatus, qui nomine Augustini falsissimè circumferuntur, & testimonia ex ipsis decerpta, nullo modo admittenda esse censemus.

451. De hoc libro ita Card. Bellarm. in suo relato dixit. Libellus de prædestinatione Dei non est S. Augustini, cum in extremo libro doceat, prædestinationem esse ex prævisione operum, quam sententiam ubique S. Augustinus oppugnat.

452. Sunt & alij circa istam materiam duo libri nomine S. Augustini, qui S. Augustini non sunt, sed incerti authoris: hujusmodi sunt liber responsionum ad articulos sibi falsò impositos, & liber Hypognost. qui optimam continent doctrinam, & communiter recipiuntur. De quibus libris ita dicit idem Card. Bellarm. ubi supra pag. 110. Responsio ad articulos sibi falsò impositos, S. Prosperi est, & inter ejus opera haberur. Libri qui inscribuntur Hypognosticon eruditi sunt, & utiles, & vetusti authoris; sed phrasim non habent Augustini, neque à Possidio, vel Beda, vel aliò vetere citantur sub nomine Augustini.

453. Carmen etiam illud de providentia inter opera S. Prosperi relatum, nullo modo S. Prosperi est, quia Pelagianam continet doctrinam, cui S. Prosper infensissimus fuit. Docet enim optimum quemque non plus gratiæ accipere à Deo, quàm pessimum; & Sanctos antiquos Patres ex lege naturæ bonos factos; & à voluntate nostra præveniri Dei auxilium; & alia multa errori Pelagianorum conformia, quæ Sancto Prospero semper displicuerunt. Vnde carmini illi de providentia optimo consilio videtur adjunctum carmen de ingratis, quod verè S. Prosperi est, ne cum esset illud de providentia perniciosum, suo careret conjuncto antidoto. De hac prosa de providentia ita dicit Card. Bellarm. in supradicto libro pag. 127. Liber de providentia Dei non videtur Prosperi, sed alicujus ex factione Gallorum, qui Semipelagiani sunt appellati. Legat prudens lector & judicet.

454. Omnia autem quæ de prædictis libris à Cardinale Bellarmino dicta sunt in illo suo libro de scriptoribus Ecclesiasticis, priùs à nobis dicta, & probata fuerant in congregationibus: cum ab istis libris argumenta ab aliquibus contra divinam prædestinationem proponebantur. Nec tamen intentionis nostræ est omnia, quæ vel Sancto Hieronymo, vel Sancto Augustino, vel aliis Sanctis falsò attribuuntur hîc inserere; sed illa tantùm quæ eum sapiant errorem Pelagianorum, adscibuntur Doctoribus sacris: imò fortè nec omnia memoravimus, sed illa potissime à quibus præcavere oportet.

CAPUT XXX.

Authores adducuntur qui in hac materia admittendi non sunt

455. Sunt etiam authores plures quorum authoritas in hac parte nulla omnino est, sed penitus rejicienda. In primis Gennadius (ut diximus)

Digitized by Google

admittendis non est, nec Cassianus quia Semipelagiani fuerunt, & multò minus Faustus Regiensis Episcopus, quem ij Authores, cum quibus disputamus, inter Patres non dubitant nominandum, cum nec liceat eum vel inter Patres nominare, vel ejus doctrinam sequi. Fuit enim Semipelagianorum quasi caput, cujus proinde damnatur doctrina *cap. Sancta Romana* à Gelasio Pontifice Summo de consilio septuaginta Episcoporum, ab Hormisda Pontifice Maximo in Epistola ad Possessorem, à Concilio etiam Arausicano 2. sub Leone Primo, à Cœlestino in Epistola ad Episcopos Galliæ: & à Petro Diacono, & sociis ab Oriente Romam missis anathematizatur, ut retulimus supra: de quibus copiosè egimus libro 1. part. 1. tract. 3. cap. 1. & 2.

456. Nec alio modo habendus est Arnobius (non ille antiquus ante annos mille ex Africa ortus, & Lactantij præceptor insignis qui adversus gentes septem libros conscripsit) sed Arnobius alius, sive Afer, sive Gallus (quod verius videtur) cujus breves in psalmos enarrationes primus in lucem nobis protulit Erasmus. Iste enim Arnobius cum Fausto, & Massilienssibus erroribus Pelagianis consentit in commentariis in Psalm. 90. 91. 118. 147. & aliis in locis, quibus Dei gratiam infideliter confitetur, & eam secundum merita nostra dari nulla verborum ambiguitate contenit; imò Sancti Augustini de prædestinatione doctrinam suo more depravans, veluti hæreticam confutare non timet: & acceptatorem personarum vocat Deum, si non ex prævisis operibus Jacob intelligatur electus, & Esau reprobatus. Unde nec dubito hunc eundem esse Arnobium, cujus opuscula Gelasius in *cap. Sancta Romana dist.* 15. apocrypha censuit: quare nec laborandum videtur in his explicandis, nec vel ex illius aliis locis vera de prædestinatione doctrina est colligenda.

457. Sed nec Origenem admittimus in hac materia, quem constat dum liberi arbitrij vires vehementiùs extollit, nascituro postea Pelagio aditum patefecisse; qua ratione Sanctus Hieronymus Epist. ad Ctesiph. doctrinam Pelagij vocat Origenis ramusculum; & multoties tum in illa Epistola, tum in libro contra Rufinum ex Origene id didicisse Pelagium affirmat. Unde propter ista, & alia multa tanquam hæreticus damnatur Origenes cum operibus plurimis: de illo enim sic ait Cassiodorus lib. 1. divin. lect. cap. 1. *Origenem multorum quidem Patrum sententia designat hæreticum. Et à Vigilio Beatissimo Papa de novo constat etiam esse damnatum.* Lateranense etiam Concilium præsente Sancto Martino Papa recitat, & approbat anathemata quintæ Synodi generalis, inter quæ undecimum sic habet. *Si quis non anathematizat Arrium, Eunomium, Macedonium, Apolinarem, Nestorium, Eutichem, Origenem cum impiis eorum conscriptis, & omnes alios hæreticos, qui condemnati, & anathematizati sunt à Sancta Dei Catholica, & Apostolica Ecclesia..... talis anathema esto.* Romæ quoque damnatum Origenem à Sancto Anastasio Papa certissimum est. Et quidem de Origenis tanquam hæretici cum suis operibus damnatione variis temporibus, & diversis occasionibus ab Ecclesia sæpiùs iterata, vide Cassiodorum loco citato, Vincentium Lirinensem in suo libello aureo contra prophanas vocum novitates, Theophilum Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum, Epiphanium, & Cardinalem Baronium tom. 1. 5. & 7. annal. sed potissimè Sanctum Hieronymum libro contra Rufinum, in quo passim Origenem hæreticum vocat.

458. Similiter nec Theodoretus audiendus, qui Origenem sequutus ejusque verba transcribens, non solùm prædestinationem ad gloriam, sed etiam ad gratiam ex prævisis concedit operibus. Unde nec in illius explicatione licet immorari.

459. Nec etiam admittendi videntur Theophilactus & Oecumenius quos constat in Schismate Græco scripsisse contra Ecclesiam Latinam. Et quidem Theophilactus comment. in Joan. cap. 3. explicans qua ratione Spiritus Sanctus dicatur Spiritus Filij, inquit. *Sanè hæc Latini malè exponentes, & minus rectè intelligentes, dicunt quod Spiritus etiam ex Filio procedat.* Et hanc suam hæreticam sententiam multis argumentis conatur comprobare. De Oecumenio verò statim dicemus, veram aliquando tenuisse sententiam, per quam aliam non rectè traditam, vel retractavit, vel explicavit.

460. Quod si aliquis voluerit Theodoretum, Theophilactum, & Oecumenium explicare, habet ex ipsis aliqua, unde possit. Nam Theodoretus super Epist. ad Ephes. cap. 1. ita ait. *Et præscivit nos, & dilexit, & nostram vocationem præconstituit.* Similiter Theophilactus super eundem locum Pauli ita dicit. *Prædestinans nos, hoc est, propriæ suæ clementiæ gratiis diligens, nos prædestinavit.* Oecumenius verò in eodem loco Pauli ita habet. *Quæ adoptio facta, ac præfinita est per Filium.* Et iterum ibi. *Nam & hoc prædestinaverat.* Et iterum. *Et hoc erat arcanum voluntatis suæ prædestinatum.* Et rursus. *Significat* (ait) *quod hoc rursum diffinitum erat.* Item explicans illud, *juxta decretum voluntatis suæ*, ita dicit. *Vult enim ostendere quod non ex consequenti vocatæ sint gentes, eo quod resilierunt Judæi; sed hoc cælitus prædestinatum, & primitùs prædefinitum erat.*

461. Sed nec in istis ipsorum verbis multùm est insistendum, quia illæ prædefinitiones, & præconstitutiones videntur ab eis admitti post boni usus præscientiam aliquam; unde verè prædefinitiones, & præconstitutiones non sunt. His ergo omissis ad Sanctos Patres veniamus, quorum maxima authoritas est. Sed in Oecumenio expressiora inveniuntur verba super cap. 2. ad Ephes. ubi sic legit. *Ut sciatis quæ sit species vocationis ipsius, & quæ sit excellens magnitudo illius erga nos, qui credimus secundum efficaciam roboris fortitudinis ejus.* Super quem locum ita dicit. *Ait ergo secundum efficaciam, quasi dicat propter efficaciam roboris fortitudinis ejus. Nam secundum illam & propter illam, & credimus, & servati sumus.* Ubi veram profitetur sententiam.

CAPVT XXXI.

Quod Sancti Patres antiqui non constituant prædestinationem secundum præscientiam boni usus.

462. ANTEQVAM in particulari ostendamus nihil Sanctos Patres contra prædestinationem docuisse, quam ex veritate definivimus: possunt omnes generali intelligentia explicari de electione, & prædestinatione ad gloriam in ratione præmij & mercedis, seu quoad exequutionem; & sic intelligi debent Patrum dicta, præsertim Græcorum in cap. 8. & 9. Epist. ad Rom. cum scribunt Deum prædestinasse ad gloriam eos, quorum bonum propositum ante prævidit. Accipiunt enim prædestinationem pro dispositione exequutionis, quantùm videlicet ad ultimum effectum illius, non quantùm ad primum omninò gratuitum, seu quantùm ad electionem ad gloriam per modum intentionis. Quo modo etiam aliquando loquuntur latini scriptores, illi potissimè qui ante exortam hæresim Pelagianam scripsere, ut Hieronymus & Ambrosius; sed ad particularia descendamus.

463. Inter Sanctos Patres Clementem Romanum in suis recognitionibus inducunt primò, ex cujus libro

Digitized by Google

libro 3. hæc proferuntur verba *Prævidens Deus quod potestas liberi arbitrij alios quidem faceret bona eligere, alios mala, & propter hæc in duos ordines propagandum necessariò hominum genus, unicuique ordini concessit, & locum, & legem.* Sed citata ista verba quid ad præsens attinent de prædestinatione secundum præscientiam institutum? An quia dicit prævidisse Deum quòd potestas arbitrij faciet in aliquibus bona. Quis hoc dubitet prævidisse Deum? sed non dicit id prævidisse antequam id ita evenire determinasset: imò ut jam diximus supra defendentes divinas prædefinitiones; idem Clemens lib. 3. recog. fol. 19. docet expressè Apostolum Petrum tractatum scripsisse de divinis prædefinitionibus contra Simonem Magum; adversus quem refert publicè disputasse Apostolum, prout plenius nostro 1. lib. part. 2. tract. 3. agentes de divinis prædefinitionibus ex propriis verbis relatis dedimus manifestum. Nihil etiam eis favet quæ ex lib. 4. fol. 17. & epist. 3. objiciunt, quia non expressè de prædestinatione secundum propositum, vel secundum præscientiam procedunt, sed de effectu ipsius prædestinationis: unde in nostro libro quarto erunt plenius examinanda, ut suo loco singula disponantur: pro nunc autem dicimus, in illis solùm dicere Deum non vi voluntatem hominis movere; ita quòd sit vis in homine ad unum determinata sine potestate libertatis; quod certissimum est.

464. Præterea libri recognitionum Clementis aliàs itinerarium Petri, vel circuitus Petri nuncupati, ratione aliquorum additorum per hæreticos apocryphi sunt: ita enim de illis dicit Sixtus Senensis lib. 2. Bibliot. pag. 53. col. 2. §. tòt igitur *suspicor non esse Clementis*, & post aliqua *sunt quoque in his libris pleraque incerta; multa fabulosa; nonnulla insuper & Ecclesiasticis dogmatibus adversantia* Cardinalis etiam Baronius tomo 2. Ann. pag. 13. §. inter alia, & §. meritò igitur, dicit libros hos à Clemente quidem scriptos, sed ab hæreticis ita depravatos, ut multa in ipsis corrumpentes, pauca vera reliquerint. Unde meritò ait, à Gelasio inter apocryphos esse numeratos, *cap. Sancta Romana.* Fuerunt autem hi libri à Ruffino translati qui malè de arbitrio sensit, SS. Hieronymo, & eodem Gelasio referentibus prædicto *cap. Sancta Romana*: unde in materia liberi arbitrij & gratiæ quidquid dicunt, quod veritati non congruit, penitus cum translatore rejiciendum.

465. Quidquid autem veritati divinæ prædestinationis, & prædefinitionis congruit (utpote quod dentur prædefinitiones divinæ; & quod Sanctus Petrus tractatum de illis scripserit contra Simonem Magum, quia in hoc convenit cum aliis Sanctis Patribus) credendum ab hæreticis non fuisse corruptum, sed verè ipsius Clementis esse. Nec invenio Scriptorem aliquem qui neget illam disputationem cum Simone Mago Petri esse, vel à Clemente verè fuisse conscriptam; cum tamen meritò aliæ disputationes ibi relatæ negentur; de quo tamen videatur Cardinalis Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 33. cujus verba à nobis in primo nostro libro referuntur.

466. Magnus ille Dionysius Areopagita inducitur ex cap. 9. de Celesti Hierarchia ubi sic dicit. *Dum inquit Moyses, elegisti hodie ut sit tibi Deus, & ambules in vijs ejus, & custodias ceremonias illius, & mandata atque judicia, & obedias eius imperio. En Dominus elegit te hodie, ut scis ei populus peculiaris sicut loquutus est tibi.* Ex isto loco inferunt ij authores homines eligi à Deo, quia ipsi Deum elegerunt. Inducitur etiam in illo capite, quia dicit quod Dei præscientia non cogit hominis voluntatem, & in quarto cap. de divinis nominibus, ait, quod divina providentia non cogit nos.

467. Circa primum testimonium advertant, quod si sic intelligunt Sanctum Dionysium; ut priùs homines eligant Deum, antequam eligantur ab ipso hoc expresse; & in terminis erit contra illud Christi Domini *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Unde Sanctus Augustinus *de prædest. Sanct. cap. 17.* sic dicit. *Quod profectò si propterea dictum est, quia præscivit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes; contra istam præscientiam loquitur Filius, dicens, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi: cum hoc potius præscierit Deus, quod ipsi eum fuerant electuri, ut ab illo mererentur eligi.* Igitur Sanctus Dionysius non approbat hanc electorum præscientiam, quam tam apertè Christus condemnat; nec Sanctus Dionysius loco citato loquebatur de electione ad gloriam, vel de prædestinatione ad illam: unde sinistrè omnino pro materia de prædestinatione inducitur: sed loquebatur de electione ad peculiaria quædam veteris testamenti beneficia; & dignitatem singularem, ad quam sunt à Deo electi; quia ipsi adjuti prius divino auxilio, & gratiâ elegerunt sibi Deum.

468. Quod ex eo fit manifestum, quia expressè ipse Moyses *in cap. 7. & 9.* ejusdem Deuteronomij negat illum populum propter sua merita fuisse à Domino electum in illam tam particularem dignitatem: unde restat quod hoc ipsum quod ipsi elegerunt Deum, ex Deidono; & gratiâ fuerit: ipse enim Deus fecit suâ gratiâ ut ipsi Deum ut Ducem suum elegerint; & pro merito hujus electionis ex gratia procedentis, Deus illos elegit in populum: si autem gratia faciens quod ipsi Deum eligerent non præcessisset, propter sua merita nec essent à Deo in populum ipsi electi. Vel dicendum quod licet in eis nulla merita ex priori gratia essent, illos Deus sua gratiâ elegit, & electione sua fecit ut ipsi Deum vellent sibi eligere.

469. Ex illo autem secundo loco in eodem cap. 9. cum solùm dicat Sanctus Dionysius, quòd Dei præscientia non cogit humanam voluntatem, & similiter cum in tertio ait quod divina providentia non cogit nos; unde inferunt ij authores, quòd vel providentia, vel prædestinatio fiat ex boni usus præscientia: certè illatio ista nulla est secundum Sanctum Dionysium. Præscientia Dei & divina providentia non cogunt humanam voluntatem: ergo secundum Dionysium prædestinatio est secundum præscientiam boni usus: nisi dicatur esse illationem Semipelagianorum. Reputant enim ipsi bonam illationem illam, quod videlicet ut præscientia, & providentia servent libertatem, debet præscientia boni usus antecedere firmum Dei propositum: at verò illa illatio à mente Sancti Dionysij est omninò aliena, qui in cap. 5. apertè divinas prædeterminationes constituit, ut supra fuit declaratum lib. 1. par. 2. tract. 3. agendo de divinis prædefinitionibus.

470. Irenæus etiam antiquissimus inducitur *lib. 4. contra hæreses cap. 38.* ubi ait *in futurorum præscientia dictum fuisse Iacob dilexi; Esaü autem odio habui.* Alter locus inducitur, quòd reprobatio fiat ex prævisis demeritis; sed de hoc secundo loco infra agentes de reprobatione erit copiosius tractandum: nunc ad primum qui materiam, quam tractamus de prædestinatione, tangit. Dicendum in hoc sensu Irenæum dixisse Jacob electum fuisse ex præscientia meritorum; quia præscivit Deus dona sua, quæ illi erat daturus, ut sæpè Sanctus Augustinus declarat: qua ratione prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, ut explicavimus supra. Alia multa loca, quæ adduci solent ex Irenæo, utpote ex eodem *lib. 4. cap. 71. 75. 76. & ex libro 5. pag. 2.* nihil juvant

Digitized by Google

quia in illis solùm docet quòd homines sunt liberi arbitrij, & quod sumus nostræ potestatis; sed non negat per hoc, hanc nostram potestatem respectu operum & effectuum prædestinationis esse acceptam ex gratia & ex ipsa Dei prædestinatione haberi, & ex illius firmo proposito provenire. Vide illum in eodem 4. lib. cap. 45. ubi expressè tenet omnia minutissima esse à divina providentia prædeffinita & præordinata; in quo etiam istorum authorum reprehendit sententiam, qui prædeffinitiones divinæ providentiæ negant; simulque à fortiori docet omnia nostra merita multò meliùs debere esse à divina providentia prædestinata, prefinita, & præparata, & non solùm secundum præscientiam cognita.

471. Sanctus Cyrillius ab his authoribus opponitur *lib. 4. in Joan. cap. 7. & 8. & contra Iulianum §. si autem, & sequentibus.* Sed nihil in illis locis dicit Cyrillus quod istis authoribus & eorum præscientiæ possit favere. Nam in cap. 7. citato nihil aliud dicit, nisi quod homo habet liberum arbitrium; quod Deus movet suasione, sed efficaci & faciente ipsum consentire, ut jam supra in materia de divinis prædefinitionibus reliquimus declaratum. In cap. autem 8. nec verbum dicit quod præscientiam, vel prædestinationem insinuet: loco vero citato contra Julianum solum docet, hominem liberum arbitrium habere, & *in §. Tandem sequenti* solùm docet quod homo bonum, vel malum eligit spontè, & non coactè. Quibus verbis non intendit docere, ut adversarij volunt, quod Deus non prædestinet nostrum bonum usum secundum suum firmum propositum; vel quod non moveat voluntatem efficaci auxilio, quod effectus est prædestinationis secundum propositum: quin potuis ipse Cyrillus expressè ut dicemus infra lib 4. distinguit duplex auxilium a Deo proveniens, sufficiens videlcet, & efficax; quod efficax auxlium ex prædestinatione divina præparatur. Verba illius sunt lib. 1. de adoratione & cultu in spiritu & veritate in medio tomo 2 *Cum verò mane factum esset, urgebant angeli Lot dicentes, accipe uxorem tuam & duas filias tuas quas habes, & exi, ne & tu pereas cum iniquitatibus civitatis: & turbati sunt & tenuerunt Angeli manum ejus, & manum uxoris ejus, & manum Filiarum ejus, eo quod Dominus parceret illi.* Quæ verba sic interpretatur Cyrillus. *Id porro esse argumento evidentissimo potest, nos non verbis tantùm & admonitionibus in animum immissis invitare, ut à peccatis recedamus; sed etiam ad eam erga nos benegnitatem descendere omnium salvatorem Deum, ut efficaci nos auxilio juvet; juxta illud tenuisti manum dexteram meam & in voluntate tua deduxisti me: nam quia hominis natura non est admodum firma, nec satis virium habet ut emergere è vitiis possit, opem illi fert in ea re Deus. Itaque duplicem gratiam tribuere cognoscitur: cum enim monitis suadet tunc adjuvandi rationes invenit, easque præsente malo, vimque nobis inferente, valentiores efficit.* Nullum autem ex SS. Patribus græcis crediderim cum minori apparentia posse ab his authoribus induci pro sua sententia, quàm Cyrillum; tum ob rationem factam de distinctione expressa duplicis auxilij, sufficientis, & alterius fortioris efficacis: tum & jam quia præfuit hic magnus Doctor ex Pontificis summi authoritate illi Ephesinæ Synodo, in qua damnato Nestorio, damnati fuere Pelagius, Celestius, atque Julianus, qui prædestinationem Dei secundum præscientiam boni usus constituebant, sicut suorum errorum fundamentum, ut epistola illius Concilij ad Cælestinum Pontificem Summum missa apretè testatur. Unde certissimum est Cyrillum deffensorem fuisse prædestinationis & gratiæ, & inimicos gratiæ condemnasse. Inducunt etiam S. Cyrillum apud Oecumenium ad 8. cap. Epist. ad Rom. sed de Oecumenio in præcedenti cap. diximus satis. In Cyrillo nihil tale invenimus.

472. Præterea inducunt Clementem Alexandrinum *lib. 1. Pedagogi cap. 8. & lib. 7. stromatum.* Sed in primo loco nihil invenitur, quod favere possit sententiæ horum authorum asserentium prædestinationem fieri secundum boni usus præscientiam. In secundo autem sic habet. *Ecclesia Catholica Dei voluntate per unum Dominum congregat eos, qui jam sunt ordinati, quos prædestinavit Deus, cum eos justos cognovisset.* Qui locus in prioribus quidem verbis etiam pro prædestinatione secundum propositum facit; dicit enim quod congregavit Deus eos qui jam sunt ordinati, idest præordinati ad vitam, alludit enim ad illud act. 13. *crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam.* Posteriora autem verba facilem possunt habera sensum, ut videlicet, sit talis. Prædestinavit, cum justos cognovisset, ad assequendum præordinatum finem, in quem eos jam antea præordinaverat. Potest etiam dici quod à Gelasio *in cap. Sancta Romana* non multùm authoritatis Clementi isti Alexandrio tribuitur; qua ratione poterat à nobis ejus authoritas rejici. Verba Gelasij sunt, *item alterius Clementis Alexandrini opuscula apochrypha.*

473. Majori cum apparentia inducitur Sanctus Damascenus, quem dicunt, apertè hanc illorum sententiam tueri de prædestinatione secundum præscientiam, quia *lib. 2. fidei orthod. cap. 29. & 30.* habet illa verba *præscit Deus ea quæ in nobis sunt, non prædeffinit autem hæc.* Ex quibus inferunt non dari prædestinationem secundum prædeffinitionem divinæ voluntatis, sed solùm secundum præscientiam eorum quæ nos facturi sumus.

474. Sed quæ sit vera intelligentia S. Damasceni, jam supra agentes de divinis prędiffinitionibus declaravimus satis ex expressa sententia Sancti Thomæ, tum ex *quæst. 5. de verit. art. 5.* tum *ex 3. contra gent. cap. 90.* tum ex *1. par. quæst. 23. art. 1.* Quod videlicet non negat Damascenus omnem prædeffinitivam prædestinationem humanarum actionum, sed tantùm illam quæ cum impositione necessitatis determinat ad unum per modum naturæ. Videatur Damasc. *lib. 2. fid. orthod. cap. 29.* ubi omnia dicit subdi divinæ voluntati providenti, adducens illud Psalm. 134. *omnia quæcumque voluit Dominus fecit &c.* & illud ad Rom. 9. *voluntati ejus quis resistit.* Videatur etiam *lib. 4. cap. 20.* in illud ad Rom. 9. *An non habet potestatem figulus &c.* Notentur ejus verba in historia de Barlaam & Josaphat, ubi inquit, *quod qui plus virtutis habebat, totum Dei gratiæ adscribebat.* In quo apertè omnia bona esse ex gratia, & ex divina prædestinatione prædeterminata affirmat contra illam præscientiam boni usus, quæ bonum ex homine constituit, non tribuens totum divinæ gratiæ.

475. Et quamvis ista abundè sufficiant pro vera intelligentia S Damasceni, aliam tamen placet adducere intelligentiam ipsius ex S. Thoma, quæ & talis est. Quod videlicet ideo Damascenus dicit quòd prædestinatio est eorum quæ non sunt in nobis, quia est & gloriæ, & gratiæ, quæ in nostra potestate non sunt. Ita S. Thomas in *1. dist. 40. quæst 1. art. 2. in corpore*, & hoc ipsum docuit glosa ordinaria, quæ est S. Hieronymi, supra illud Matth. 1. *ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam ecce virgo &c.* Ubi dicitur quòd *Prophetia alia est ex prædestinatione Dei*, quam necesse est *omnibus modis evenire ut sine nostro impleatur arbitrio:* alia *autem ex præscientia cui nostrum admiscetur arbitrium.* Ecce Sanctus Hieronymus dicit. Quod prædestinatio est eorum quæ non sunt nostri liberi arbitrij; sed eorum quæ sunt ex Dei potestate.

476.

Digitized by Google

476. Sed tunc major insurgit difficultas, si enim secundum Damascenum, Hieronymum, & S. Thomam prædestinatio est eorum quæ non sunt in nobis, nec in nostro arbitrio: ergo quilibet bonus usus gratiæ non erit ex prædestinatione, sed solùm ex præscientia erit; quod est contra superius deffinita. Patet consequentia, quia quilibet bonus usus ex nostro habetur arbitrio, & ex nobis est. Hoc argumentum fit in teriminis à S. Thoma *q.* 12. *de verit. art.* 10. Ubi 4. loco opponens contra id quod S. Hieronymus loco à nobis citato dicebat, quòd Prophetia secundum prædestinationem non est eorum in quibus nostrum admiscetur arbitrium, sic dicit S. Thomas. *Prædestinatio, ut dicit Augustinus est de bonis salutaribus; sed inter bona salutaria nostra merita computantur, quæ ex libero arbitrio dependent: ergo prophetia secundum prædestinationem nostrum admiscetur arbitrium; & sic Hieronymus malè distinguit.* Ad quod argumentum sic respondet. *Ad quartum dicendum quod meritum nostrum & est ex gratia, & ex libero arbitrio; non autem subjacet prædestinationi nisi secundum quod est ex gratia, quæ à solo Deo est: unde id quod ex nostro arbitrio est, prædestinationi subesse dicitur per accidens.* Hæc S. Thomas. Quibus verbis manifestè & S. Hieronymum, & S. Augustinum conciliat; & veram de prædestinatione tradit doctrinam, dicens quòd id quod est ex nostro libero arbitrio subditur prædestinationi per accidens, id est per aliud: & explicans quid sit hoc aliud, per quod id quod est ex nostro libero arbitrio subditur prædestinationi, dicit illud esse divinam gratiam, quæ à solo Deo est talis, ut ei subdatur liberum arbitrium: unde semper est verum quòd prædestinatio est tantùm eorum quæ ex Deo sunt; quia si est eorum quæ in nostra sunt potestate, hoc fit in quantùm ipsa gratia, quæ à Deo prædestinatur, facit nos facere & consentire. In tantùm ergo Deus prædestinat, in quantùm gratiam ex ipso efficacem tribuit, ad quam consequitur liber consensus arbitrij, ratione cujus efficacis gratiæ facientis quòd arbitrium consentiat, consensus ille liberi arbitrij subditur prædestinationi. Si ergo aufferas à gratia efficaciam, quam habet ex solo Deo, fit evidens quòd motus liberij arbitrij non subdatur prædestinationi, nec sit prædestinationis effectus. Qua ratione ij authores cum quibus disputamus, negantes ex Deo ipso esse efficaciam gratiæ facientis nos consentire, ex consequenti concedunt motum arbitrij prædestinatū non esse, sed præscitum tantùm. Hanc eandem doctrinam docet S. Thomas in *illo ar. 10. citato ad 6.* Ubi opponens quod Christi conceptio prædicta à Propheta fuit prophetia prædestinationis, cui non admiscetur nostrum arbitrium, Respondet ad illā difficultatem de consensu Virginis, quæ in tali conceptione interfuit, quòd ille consensus non fuit operans Christi incarnationem, sed fuit impedimentum removens. Hæc habet S. Thomas: in quo prædictam solutionem ad quartum præsupponit, videlicet hoc ipsum, quod est virginem præbuisse talem consensum removendo impedimentum, fuisse ex efficacia gratiæ, qua fuit prævenia; & ex consequenti per talem efficaciam gratiæ subditur ille consensus prædestinationi: quare semper prædestinatio est eorum quæ Deus facit. Vide de hoc S. Thomam 2.2. q. 172. de Prophetia art. 1.

CAPUT XXXIII.

Opponunt recentiores ex Chrysostomo pro stabilienda prædestinatione secundùm præscientiam boni usus.

478. PRÆCIPVÈ Instant recentiores, quòd S. Chrysostomus prædestinationem constituat secundum præscientiam boni usus, plurima ex ipso testimonia ad hoc cumulantes. Inducunt enim primò homiliam de Esaü & Jacob. Item homiliam 4. & 11. in Joan. præcipuè tamen homiliam 12. in Epist. ad Hebr. & homil. 43. ad Populum, item homil. 31. & 65. in Matth. Item homil. 15. & 16. in Epist. ad Rom. homil. etiam 1. & 2. in Epist. ad Ephes.

479. Omnia autem inducta testimonia ad tres classes videntur esse reducta. Nam quædam sunt, quæ nec de prædestinatione, nec de auxilio gratiæ præveniente loquuntur. Alia secundi generis sunt quæ expresè de auxilio præveniente procedunt. In tertio autem genere exponuntur quæ de prædestinatione sunt. Ad primum genus pertinet ille inductus locus ex homilia de Esaü & Jacob, in quo nihil dicit Chrysostomus quod in hac materia possit adduci: solùm enim dicit quòd *Deus præsciens futurorum, monstruosum certamen in utero matris voluit exerceri, dans certandi affectus.* Verba enim hæc sunt, quæ modò retulimus. Ex quibus potius contrarium videtur concludi, quod videlicet prævidit Deus mysteriosum certamen, quia illud voluit fieri; & quia ipse dederat certandi affectus. Alia etiam verba ibi dicit in hunc modum. *Nec diu ejus gratiam indigenus* (scilicet Esaü) *potuit usurpare, quam Jacob meruit, antequam nasceretur, accipere.* Sed ibi apertè loquitur de gratia primogenituræ. Deinde non dicit quod sine dono gratiæ prævenientis qua præsciebatur adjuvandus, id meruit. Unde iste locus sine dubio absque ratione aliqua inducitur.

480. In secundo genere & ordine sunt inducta testimonia ex homil. 4. & 11. in Joan. & potissimè ex homilia 12. ad Hebr. & ex illa quæ est ad populum Antiochenum: in illis enim omnibus loquitur de auxilio prævenientis gratiæ & de modo quo nostras prævenit voluntates: unde de istis, ne materiam confusè & nos præveniamus, erit copiosiùs agendum in 3. & 4. hujus operis libro. Nec enim in illis Chrysostomus errorem tenuit Pelagianorum, ut quidam non sine tanti doctoris injuria affirmant, licet dicant id sine culpa Chrysostomo contigisse, ex eo quod tunc nondum res ista erat satis explicata, ut in defensionem Chrysostomi ibi non obscurè monstrabimus. Igitur quod ad præsentem attinet quæstionem, illa solum nunc Chrysostomi testimonia veniunt acuratius expendenda, quæ de prædestinatione loqui videntur: sunt autem illa quæ inducuntur ex homil. 15. & 16. in Epist. ad Rom. & ex homil. 1. & 2. in Epist. ad Ephes. & etiam ex homil. 31. & 65. in Matth. in quibus duobus ultimis testimoniis loqui videtur de vocatione secundum præscientiam boni usus arbitrij.

481. A primo ergo loco exordium sumentes ex homil. 15. ad Rom. hæc ibi habet Chrysostomus explicans illud. *Iis qui secundum propositum vocati sunt. Propositum porro hic dicit, ut ne totum vocationi tribuat: ita enim contradicturi erant & Græci & Judæi: nam si vocatio solùm sufficeret, qua tandem causa non omnes salvi facti sunt? propterea ait, non vocationem tantùm, sed & ipsum vocatorum propositum salutem efficisse: nec enim coacta aut violenta facta est vocatio.* Quibus verbis dicit vocationem, quæ

Digitized by Google

effectus est prædestinationis secundum hominis propositum fieri: & hoc est primum quod dicit. Secundò asserit vocationem solam nō sufficere. Tertiò affirmat quod ideo vocatio est secundū hominis propositū, quia vocatio nō est coacta aut violenta. Videtur ergo apertè Chrysostomus constituere prædestinationē secundum hominis propositum, & secundum præscientiam boni usus liberi arbitrij. In homil. autem 16. ita prosequitur. *Quæ præparavit in gloriam, non Dei rem totam esse, ait: quandoquidem si hoc esset, nihil esset, quod omnes salvos fieri prohiberet. Sed rursus illius præscientiam declarat, Judæorumque ac Gentium differentiam tollit.* Et post pauca. *Quemadmodum Pharao vas iræ effectus est à sua iniquitate: ità & hi vasa misericordiæ à sua probitate, gratoque erga Deum animo. Quanquam enim quod plus est in re, ipsius Dei est; tamen & ipsi etiam parvulum quiddam attulerunt. Quapropter non dixit, vasa rectè factorum, nec vasa fiduciæ; sed vasa misericordiæ, ostendens rem totam Dei esse.* Et iterum ibi. *Unde ergo alij quidem vasa iræ, alij autem misericordiæ? à propria voluntate.* Et iterum ibi. *Vides ut ille etiam non omnes, ait, salvos fieri, sed eos qui salute digni sunt? neque enim multitudinem, ait, miror, nec vereor genus sic effusum: sed illos salute dono tantum, qui seipsos dignos præstant.* Quibus verbis primò prædestinationem & vocationem secundum præscientiam videtur constituere. Secundò dicit quod sicuti isti sunt mali ex sua iniquitate; ita alij sunt vasa misericordiæ ex sua probitate. Tertiò dicit quod licet principale sit quod habetur ex Deo, tamen minimum quid facit etiam homo.

482. In homil. autem prima super Epistol. ad Ephes. ita habet loquens de hominum sanctitate. *Non enim fit* (videlicet sanctitas) *à laboribus, sed à charitate; nec à charitate solùm, sed à nostra virtute: nam si à charitate sola, oporteret omnes esse salvos.* Et post pauca explicat illud Apostoli secundum propositum voluntatis suæ, de voluntate prima & præcedente, seu antecedente, qua Deus maximè desiderat nostram salutem: ubi prædestinationem Sanctorum videtur constituere secundum illam voluntatem præcedentem de omnium salute, cum præscientia quod isti bene operaturi erunt: quod est prædestinationem constituere secundum boni usus præscientiam, non secundum firmum propositum Dei. Similiter in homil. 2. explicans illud Apostoli, *Prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia*, sic dicit, *Totum autem est, ab animi instituto & libero arbitrio prædestinatos, hoc est, sibi electos destinavit ac posuit: ut puta vidit nos priusquam essemus sorte vocati: est enim admiranda Dei præscientia, & quæ omnia novit priusquam ea fierent*, & in margine sic habetur hoc ipsum magis declarando. *Prædestinatos ex libero arbitrio sibi elegit ac seposuit Deus.* Vbi apertè satis videtur constituere prædestinationem secundum præscientiam boni usus arbitrij, non autem secundum Dei absolutum firmumque propositum. Idem omnino magis videtur confirmare homil. 31. & 65. in Matth. ubi agens de gratia vocationis quæ primus effectus est prædestinationis, illam vocationem constituit secundum præscientiam. Sic enim habet homil. 31. in principio super illa verba Matth. 9. sequere me. *Nam qui corda scrutatur & occulta mentium perspicit, is etiam quando unusquisque ad obediendum paratus erat, non ignoravit: propterea non continuò incipiens quando durior fuit, sed post mille miracula, & insignem atque pervulgatam famam, aptiorem jam ad obtemperandum vocavit.* In homil. autem 65. in Matth. loquens de vocatis diversis temporibus ad vineam sic dicit. *Sed curnam inquies, non statim omnes conduxit? omnes quidem ille ab initio conduxisse voluisset, si verò non omnes eodem tempore paruerunt, à voluntate vocatorum hæc differentia resultavit; idcirco alij mane, alij tertia, alij sexta, alij nona, alij undecima hora vocantur, quia tunc obtemperaturi erant: quod & Paulus apertè significavit dicens. Quando autem visum est Deo, me segregavit ex utero matris meæ. Quando autem & visum est? quando certè obtemperaturus erat. Nam ille à primis etiam incunabulis voluisset: sed quia illum renixurum sciebat, tunc voluit, cum animum ipsius penetraturam vocationem non ignorabat.*

483. Ex his Sancti Chrysostomi testimoniis & ex illius mente apertè sibi videntur colligere authores cum quibus disputamus, prædestinationem Sanctorum secundum præscientiam boni visus arbitrij ipsorum fieri, non verò secundum Dei absolutum firmumque propositum, affirmantes, potissimè propter Sanctum Chrysostomum & S. Damascenum Sanctos Patres Græcos secum consentire, & illorum eos tenere sententiam; quod & sæpius dicunt, & in imperitum vulgus quod magis est, publicant.

CAPVT XXXIV.

Quod S. Chrysostomus non teneat prædestinationem secundum hujusmodi boni usus præscientiam.

484. NEGARI non potest quin in apparentia & in cortice literæ Sanctus Chrysostomus in citatis locis prædestinationem secundum boni usus præscientiam videatur constituere; sed quia litera occidit, spiritus autem vivificat, deberent ij authores veram Chrysostomi intelligentiam, tum ex aliis ejusdem locis, tum ex S. P. Augustini explicatione vendicare. Sententia enim est Jansenij in sua concordia & aliorum doctissimorum, quòd nisi Patres Græci attentè legantur & debitè explicentur, facilè quis ex eorum dictis poterit occasionem sumere incidendi in Pelagianum errorem.

485. Vnde pro vera S. Chrysostomi intelligentia & aliorum Sanctorum Græcorum, hoc omnium primum cum Sancto Augustino de prædest. Sanct. istis authoribus dicimus. *Quid igitur est opus, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod procul dubio facerent si respondere talibus cogerentur. Unde factum est ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis & transeunter attingerent: immorarentur verò in eis quæ adversus alios inimicos Ecclesiæ disputabant; & in exhortationibus ad quasque virtutes, quibus Deo vivo & vero pro adipiscenda vita æterna & vera fœlicitate servitur: frequentationibus autem orationum simpliciter apperebat Dei gratia quid valeret; non enim poscerentur à Deo, quæ præcepit fieri, nisi ab eo donarentur ut fierent.* Vbi Sanctus Augustinus mirabiliter & summa cum brevitate Sanctos Patres Græcos explicat & illorum veram tradit intelligentiam.

486. Considerent ergo ij authores Sanctos Augustino antiquiores nihil contra divinam gratiam protulisse, ut S. August. rectè docet. Considerent secundò illos breviter & transeunter de divina gratia disputasse, quia nondum exorta fuerat eorum temporibus hæresis Pelagiana. Considerent tertiò quod si temporibus eorum hæresis Pelagiana fuisset exorta fecissent sine dubio illi Sancti Patres quod fecit S. Augustinus. Considerent quartò quod licet in suis libris & scriptis sancti illi doctores antiqui nullam facerent divinæ gratiæ mentionem; assiduis tamen suis orationibus, quibus sunt eorum libri pleni, & quibus

à Deo

Digitized by Google

à Deo instanter petebant ut converteret hominum corda, apertissimè divinam gratiam, & illius efficacem virtutem quæ ex prædestinatione procedit, cõfessi sunt, satisque publicant suis orationibus, quòd omnia nostra bona, & omnem nostrum bonum usum ex divina prædestinatione & gratia habeamus, & non ex nobis, ut non ex nobis gloriemur. Considerent ultimò hanc oppositionem ex S. Patribus Græcis prætensam pro arbitrij elatione contra divinam gratiam, antiquissimam fuisse, & non solùm Prospero & Hilario, sed ipsi Sancto Augustino objectam; quando & Massilienses clamabant quod præter D. Augustinum par inveniebatur & una sententia doctorum, qui prædestinationem secundum præscientiam recipiebant, ut refert S. Prosper Epist. ad S. Augustinum. Unde non deberent ij authores idipsum in terminis modò opponere, quod illi antiquitùs opposuerunt, quibus & Sanctus Augustinus respondet verbis supra relatis. Quod si adhuc modò perseverant in eodem fundamento ex Græcorum Patrum authoritate prætenso; & nos perseveramus in eadem solutione, quam Sanctus Augustinus eis adhibuit verbis citatis. Nec enim nova acie modò dimicandum est, nec nova sunt ineunda certamina: tunc enim omnes istorum machinæ fractæ sunt cum Antistites Summi Cælestinus, Leo primus, Hormisdas, atque Gelasius, & alij Pontifices, Sacraque Concilia doctrinam approbarunt Sancti Augustini in materia de prædestinatione, & gratia ac humana libertate.

487. Poterant fortè Massilienses antequam doctrina S. P. Augustini non ita per Ecclesiam probaretur, aliquam prætendere excusationem ad tenendum contra doctrinam ejus, prætextu doctrinæ aliorum Sanctorum antiquorum, quam sequi profitebantur: at verò post tot Summorum Pontificum approbationes, quibus doctrina S. Augustini defenditur & confirmatur, nullam excusationem prætendere possunt, qui relictâ S. Augustini doctrinâ in materia de prædestinatione, & gratia, ac humana libertate, ad Sanctos alios Græcos divertunt, contendentes (ut sæpè audivimus) se Sanctorum Græcorum doctrinam sequi, nec acquiescentes doctrinæ S. Augustini, nec illius veræ explicationi & intelligentiæ, quam ut verè Sanctus & egregius Doctor, Sanctis aliis Doctoribus adhibuit in præcitatis verbis. Igitur in summa hæc est prima solutio, quod nec Chrysostomus, nec Sancti Græci constituunt prædestinationem secundum boni usus præscientiam, ut explicat S. Augustinus ubi supra.

488. Hoc ipsum magis declarat expressiùsque confirmat ipse S. P. Augustinus *lib. de dono persev. cap.* 18. quòd videlicet aliquando in Scriptura Sancta prædestinatio explicatur nomine præscientiæ, ut est illud quod dixit Apostolus. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit* ubi verbum *præscivit*, non rectè intelligitur nisi constituatur loco verbi prædestinavit; quod cap. 19. S. Augustinus manifestè convincit, sub his verbis: *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? Magis autem fortasse voluerunt hoc verbo in ea re uti quod facilius intelligitur & non repugnat; imo & congruit veritati quæ de prædestinatione gratiæ prædicatur. Hoc scio, neminem contrà istam prædestinationem, quam secundum Scripturas Sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Hæc S. Augustinus. Præscientia autem quæ pro prædestinatione sumitur, illa est qua Deus præscit quid ipse in nobis facturus est, ut nos faciamus; & hanc præscientiam intellexisse Sanctos verbi Dei tractatores, docet S. August. Crediderim autem quod potissimè propter Sanctum Chrysostomum hanc explicationem tradiderit Augustinus; opponebatur enim præcipuè tunc & modò contra prædestinationem secundum Dei firmum propositum, quam ex Scripturis Sanctis defendebat S. Augustinus.

489. Quod autem hæc Sanctorum intelligentia à S. P. Augustino expressa sit ipsa ipsorum Sanctorum sententia, præter authoritatem tanti Doctoris id tam expressè affirmantis, constat apertè ex quadam epistola Athanasij & aliorum Ægyptiorum Episcoporum qui simul Synodicè congregati in Concilio Alexandrino illam ad Pontificem Summum Liberium transmiserunt: in cujus Epistolæ principio omnes S. Doctores & Episcopi Græci simul (quod majus est) in Concilio congregati profitentur præscientiam sequi ad prædestinationis gratiam; istis enim verbis id testantur. *Per divinorum tamen eruditionem eloquiorum vera instruente admonitione exhortatoria superædificatur orthodoxa Christi Ecclesia, Apostolica institutione fundata & à fidelibus patribus firmissimè roborata, ad quam omnes beatissimi Apostoli, pari honoris & potestatis consortio præditi, populorum agmina convertentes, piè sanctèque de tenebris ad lucem, de lapsu ad veram fidem, de morte ad vitam homines divinæ prædestinationis gratia præscitos, salutaribus præceptis ac monitis perduxerunt.* Itaque apertissimè docent quòd Apostoli perduxerunt ad vitam suis præceptis, ac monitis homines præscitos divinæ prædestinationis gratia, id est, præscitos in ipsa gratia prædestinationis, & in ipso divino proposito, ad quod sequebatur talis præscientia. Ita manifestè Sancti Doctores Græci in Synodo congregati fatentur prædestinationem non secundum præscientiam, sed secundum firmum Dei propositum, ac Augustinus ipse: sicut enim sæpe dicit S. Augustinus quòd Deus præscivit, sed id quod ipse facturus est præscivit, & quòd si præscivit, dona sua præscivit: ita illi expressè affirmant homines, qui sunt præsciti divina prædestinationis gratia, converti de facto. Ex quo appareret quàm verè S. P. Augustinus mentem Sanctorum Græcorum exponat, & quàm immeritò contra ipsorum sententiam expressam, Sanctis Patribus Græcis attribuatur prædestinatio secundum præscientiam: nullo ergo modo procurent aliqui novum bellum inter S. Augustinum & Sanctos Patres Græcos publicare, sicut publicatum est antiquitus, & superatum; quia in summa concordia sunt, ut Patres Græci non divisi, sed in uno Concilio congregati manifestè fatentur.

490. Sit secunda intelligentia pro Sanctis Patribus Græcis, vel quibuscunque aliis, in quibus invenitur Deum secundum præscientiam boni usus homines prædestinasse, ut videlicet intelligantur loqui de prædestinatione ad vitam æternam sicut ultimum effectum prædestinationis recipiendam: talis enim prædestinatio cum consideretur jam in ratione præmij & mercedis, non dubium quin fiat ex meritorum præscientia: & hoc modò potest optimè exponi Chrysostomus citatis locis.

491. Alia tertia intelligentia, quæ ex Sancto Thoma habetur (ut dicemus infra agentes de mente Sancti Ambrosij) adhibeatur vel Sanctis Patribus Græcis, vel Sanctis aliis, quod videlicet cum dicunt Deum prædestinasse quos bene sciebat usuros, credituros, vel operaturos; sensus est non quod ille bonus usus prævisus sit causa, ratio, vel conditio inclinans voluntatem ad dandam gratiam, sed sit sicut id, ad cujus productionem divina voluntas gratiam ordinat: unde ille bonus usus non causa, sed effectus erit ipsius prædestinationis: hoc modo ergo congruè potest explicari & intelligi S. Chrysostomus. Eodem modo intelligi debet Cyrillus Hierosolimitanus Episcopus

Digitized by Google

copus præfatione in cathecheſi cum dicit, quòd propoſitum proprium facit nos vocatos. Intelligendus eſt enim quòd facit nos vocatos ad præmium; vel intelligatur ſecundum alias traditas explicationes: ſimiliter cum citato loco dicit quòd expectat Deus voluntates noſtras, corrigi & emendari debet, quia contrarium definitur in Concilio *Arauſ.* 2. *can.* 4. de quo inferius lib. 4. hujus operis multa.

CAPUT XXXV.

In particulari dicta Sancti Chryſoſtomi enucleantur, ac declarantur.

492. AD primum locum ex inductis ex S. Chryſoſtomo ex homil. 15. ſuper Epiſt. ad Rom. ubi videtur explicare illud Apoſtoli, *Iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti*, de propoſito hominis. Dicendum ipſum loqui de prædeſtinatione ad gloriam conſideratam ut ultimum prædeſtinationis effectum, & in ratione mercedis, quæ fit etiam ſecundum propoſitum præviſum; & hoc modo videtur procedere. Secundò dicendum quòd ſi loquatur de prædeſtinatione in ratione gratuiti doni, poteſt habere ſanum & facilem ſenſum, quod videlicet illa includit hominis propoſitum, non ſicut cauſam prædeſtinationis, ſed ſicut terminum & effectum illius: & hoc videtur apertè ſignificare, quia non dicit ibi prædeſtinationem fieri ſecundum propoſitum hominis, ſed quòd etiam fit ſecundum hominis propoſitum, id eſt, includit etiam hominis propoſitum ſicut ſuum effectum. Illud autem aliud quod ibi affirmat, vocationem ſolam non ſufficere, ſic debet exponi quòd niſi ponatur conſenſus voluntatis, illa non ſufficit ſe ſola illum conſenſum producere; non verò quòd non ſufficiat ſua efficaci virtute facere ut arbitrium faciat, ipſum movendo & applicando ad conſentiendum. Verum eſt quòd non ita propriè loquitur Chryſoſtomus aſſerendo gratiam non ſufficere: propter quod crediderim tradidiſſe S. P. Auguſtinum illam egregiam doctrinam *in quæſt.* 2. *ad Simplic.* quòd gratia & miſericordia Dei ſufficit, & in Enchirid. *cap.* 32. idem repetit: & illam aliam ſæpè ab ipſo repetitam, quòd totum dandum eſt gratiæ, quæ operatur in nobis & velle; ipſa enim ſufficit ad efficaciter faciendum quòd homo conſentiat.

493. Ad illud aliud quod dixit in eadem homilia, quòd ſicut Pharao vas iræ effectus eſt à ſua iniquitate, ita & hi ſunt facti vaſa miſericordiæ ex ſua probitate, & ex ſuo erga Deum grato animo; & quòd Deus vult ſalvos facere eos, qui ſalute digni ſunt. Reſpondetur priora verba ſic eſſe accipienda, quod ſicut peccator fit vas iræ à ſola ſua iniquitate, ita bonus fit vas miſericordiæ à ſua probitate, à divina gratia & prædeſtinatione præparata. Nec ſimilitudo poteſt in omnibus tenere, quia mali prima cauſa eſt mala voluntas, ſed boni prima cauſa eſt divina bonitas, ut infra 4. hujus operis libro oſtendemus apertè. Alia autem poſteriora verba ſic intelliguntur quòd videlicet vult Deus ſalvos facere qui digni ſunt, ſed ipſe eligendo, illos facit dignos; non enim ſunt digni voluntate humana, ſed gratiâ & prædeſtinatione divina, ut exponit S. P. Auguſtinus *libro de prædeſtinatione ſanct. cap.* 10.

494. Secundus locus ex homilia 16. hanc habet intelligentiam, quòd non à ſola charitate fit ſanctitas, ſed etiam à bono uſu arbitrij qui efficaciter ex charitate habetur. Itaque ſine uſu arbitrij non haberet homo liberè ſanctitatem ex ſola charitate. Cæterum quòd homo benè utatur gratiâ, ex virtute ipſius gratiæ provenit. Cum autem explicat illud Apoſtoli. *Secundum propoſitum voluntatis ſuæ*, de voluntate præcedente primaria & vehementi, hujus jam ſupra a nobis vera intelligentia tradita eſt, cum de voluntate Dei antecedente ageremus. Illud autem aliud quod affirmat, ſecundum præſcientiam fieri prædeſtinationem; nomine præſcientiæ intelligit præſcientiam illius quod Deus facturus eſt. Et ad idem refertur id quod dicit, quòd totum negotium prædeſtinationis ſit ex inſtituto & libero arbitrio, ex libero inquam arbitrio & inſtituto non hominis, ſed Dei.

495. Et per hoc patet intelligentia illius quod aſſerit in homil. 31. quòd videlicet Deus vocavit Mathæum quando vidit illum aptum, & paratum ad obediendum: in his enim verbis nihil aliud intendit niſi quod Deus præſcivit, quòd ſi alio tempore vocaret, nec obediret, quia præſciebat ſe illo tempore non daturum auxilium, ut obediret. Alio autem tempore præſcivit ſe daturum illi ut obediret, & tunc placuit illum vocare, quando ſciebat ſua vocatione efficaci ſe facturum, ut ille obediret, unde iſta præſcientia eſt donorum ſuorum, & eorum quæ ipſe Deus facturus erat. Unde Card. Toletus. *Ad cap.* 5. *Luc. annot.* 54. Hanc Sancti Chryſoſtomi ſententiam referens ita dicit. *Poteſt autem intelligi Chryſoſtomus ſic, tunc vocaſſe Diſcipulos quando ſciebat illos obtemperaturos, nimirum per ipſius gratiam: ſciebat enim quando ipſe operaturus erat in eis, ut obtemperarent vocanti, & tunc vocavit.* Et ſubdit ſtatim. *Niſi ſic intelligas, doctrinam non probo.* Et ibi *poſtquam* hanc ſuam fundavit explicationem, quam *vides eſſe* & noſtram, concludit. *Totus eſt Auguſtinus in hac doctrina, quam in hac parte probo.*

496. Similis intelligentia adhibenda omninò eſt citatis ex homilia. 65. in quibus quatuor ordine quodam videntur proponi. Primum eſt, quòd Deus non ſtatim, aut hora una omnes operarios vocavit ad vineam, licet omnes ab initio conduxiſſe voluiſſet. Quod docet propter illam Dei voluntatem ineffacem, ſeu antecedentem, qua Deus ſemper vult omnes homines ſalvos fieri. Secundò dicit quòd ſi omnes non uno & eodem tempore parverunt, differentia fuit ex voluntate vocatorum, quod ſic debet intelligi, quod illi non obedirent, ex ſola mala illorum voluntate fuit. Ex quo tamen nemo colligat Chryſoſtomum ſentire quod qui obtemperaverunt, ex ſola etiam eorum bona voluntate obtemperaverunt, ſed ex divina vocatione faciente liberum arbitrium liberrimè obtemperare. Tertiò dicit quòd ideò alij manè, alij hora tertia, alij hora ſexta, alij hora nona, alij hora undecima vocati ſunt, quia tunc obtemperaturi erant, non quidem ex ſeipſis, ſed ex Deo hoc præſciente in ſua prædeſtinatione, qua determinavit illos efficaciter vocare, ut tali vocatione illos faceret obtemperare, magna ipſorum libertate ſervata. Quartò inducit ad hujus doctrinæ ſuæ probationem illud Apoſtoli; *Quando viſum eſt Deo qui me ſegregavit ex utero matris meæ.* Ubi explicans illud verbum (quando) dicit, quod tunc placuit Deo, & viſum illi fuit vocare Paulum, quando ſciebat animum ipſius penetraturam vocationem. Quibus verbis efficaciam divinæ vocationis animum penetrantis non obſcurè declarat. Ac ſi clariùs diceret. Tunc placuit Deo vocare Paulum, quando ſciebat ſe daturum ex divina prædeſtinatione efficacem vocationem, quæ virtute ſua erat animum illius penetratura. Itaque ut uno verbo dicam, in omnibus iſtis dictis & allegationibus quæ ex Sancto adhibentur Chryſoſtomo in quibus de præſcientia loquitur, illud intendit & illud affirmat, Deum præſcire efficaciam ſuæ vocationis, quæ ſecundum divinum propoſitum eſt; & tunc vocare aliquos voluit, quando ſciebat ſe præparaſſe æterna ſua prædeſtinatione ſic efficaciter illos homines vocare, ut de facto conſentirent.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXXVI.

Quod Sanctus Hieronymus non faveat prædestinationi secundùm præscientiam boni usus.

497. INDUCUNT defensores prædestinationis secundum boni usus præscientiam Sanctum Hieronymum in multis locis, videlicet in lib. 3. contra Plagianos paulò post medium Epist. ad Damas. 146. de filio prodgo, & Epist. ad Hedibiam quæst. 10. Malach. 2. & Hierem. 16. & Isaï. 1. super illa verba, si volueritis &c. Epist. ad Rom. cap. 8. & 9. & Epist. ad Galatas cap. 2. Quomodo autem non advertunt, qui Sancti Hieronymi patrocinio se defendere conantur, quod Sanctus Hieronymus acerrimus fuerit erroris Pelagiani debellator, nec aliquid unquam dixerit, quod errorem quem destruebat, ædificaret. Quod erit manifestum si Epistola ad Ctesiphontem, & Dialogi adversus Pelagianos, vel superficie tenus considerentur. Vbi sæpe doctrinam horum recentiorum, quam impugnamus, impugnat primus. Totus enim est in probando adversus Pelagianos liberum hominis arbitrium à Dei voluntate pendere, & quod omnia bona quæ facit ex Dei voluntate, & auxilio procedant, & quod à Deo movetur voluntas, & quod Deus dat nobis omne bonum, quod gerimus. Et quod loquatur de auxilio Dei efficaci præveniente, quod est effectus prædestinationis secundum Dei propositum, constat, quia ei opponebant quod liberum negaret arbitrium: quod illi non opponerent, nisi efficacem gratiam prævenientem defenderet. Cui argumento ipse sæpe locis citatis respondet potius Pelagianos liberum arbitrium negare.

498. Ex multis ergo ejus testimoniis pauca proponam. Epistola ad Ctesiphontem inter multa ita dicit Pelagio. *Injuriam tibi fieri putas, & destrui arbitrij libertatem, si ad Deum semper authorem recurras, si ex illius pendeas voluntate, & dicas: oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Unde & audes lingua proferre temeraria unumquemque arbitrio suo regi.* Idipsum repetit lib. 1. contra Pelagianos dicens. *Illud verò quod in alio ponis loco, omnes voluntate propria regi, quis Christianorum potest audire? Si enim non unus, nec pauci, nec multi, sed omnes reguntur propria voluntate, ubi erit auxilium Dei?* Profectò si homines reguntur propria voluntate, non reguntur prædestininatione divina: ac proinde sicut illud dici à Christianis non posse affirmat, ita & negare homines regi prædestinatione divina, illa videlicet quæ est secundum propositum, eandem Hieronymi censuram meretur. Nam posita prædestinatione secundum præscientiam, homines suo regerentur arbitrio, imò ad hoc illam ponunt ejus assertores, ut suo homines regantur arbitrio, & non certo judicio divino.

499. Rursus citata Epistola opponens argumentum quo semper usi sunt Pelagiani, sic refert. *Si nihil ago absque Dei auxilio: & per singula opera ejus est omne quod ego gessero: non ego qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilium, frustraque dedit arbitrij potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adjuverit: destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget:* Quod & confirmans argumentum subdit. *Aut utor semel potestate quæ mihi data est, ut liberum servetur arbitrium; aut si alterius ope indigeo, libertas arbitrij in me destruitur.* Quod argumentum frequentissimè, imò semper his temporibus nobis objicitur, ut libri horum authorum cum quibus agimus, testantur, qui hoc argumento pleni sunt. Cui tamen statim S. Hieronymus respondet his verbis. *Qui hæc dicit, quam non excedit blasphemiam? quæ hæreticorum venena non superat?* Quod & ibi ex Sanctis Scripturis probat; sic concludens. *Velle, & currere meum est; sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum: dicit enim idem Apostolus, Deus est qui operatur in nobis & velle, & perficere.* Ex his apertissimè cognoscitur, quàm constanter Sanctus Hieronymus sententiam illam damnaverit, quæ illo fundatur, & convincitur argumento. Unde, & statim subdit. *Quod autem sursum deorsumque jactitant, liberum à nobis arbitrium destrui, audiant è contrario eos arbitrij destruere libertatem, qui malè eo abutuntur adversus beneficium largitoris. Quis destruit arbitrium? Ille qui semper Deo gratis agit, & quodcumque in suo rivulo fluit ad fontem refert? An qui dicit: recede à me, quia mundus sum, non habeo te necessarium? Dedisti enim mihi semel arbitrij libertatem, ut faciam quod voluero: Quid rursum te ingeris, ut nihil possim facere nisi tu in me tua dona compleveris?* Quomodo potest Sancto Hieronymo tribui sententia quæ hoc convincitur argumento, illudque pro Achile opponit, cum ipse ita patenter illam cum hoc fundamento prosternat? Et iterum ibi. *Frustra blasphemas, & ignorantiam auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare: damnetur ille qui damnat. Caterum nos ex eo differimus à brutis animalibus, quod liberi arbitrij conditi sumus, sed ipsum liberum, ut diximus, arbitrium Dei nititur auxilio, illiusque per singula ope indiget: quod vos non vultis, sed id vultis, ut qui semel habet liberum arbitrium, Deo adjutore non egeat. Liberum arbitrium dat liberam voluntatem, & non statim ex libero arbitrio homo facit, sed Domini auxilio qui nullius ope indiget.* Apertissimè Sanctus Hieronymus docet, & millies repetit quod homo bene utatur arbitrio, esse ex divino auxilio, quod efficaciam habet ex Dei omnipotentia, ex Dei prædestinatione, firmoque proposito divinæ voluntatis: per quod prædestinationem secundum præscientiam boni usus, & non secundum propositum Dei penitus evertit.

500. Nec immorari oportet in suadenda hac veritate ex Sancto Hieronymo, sed remittere lectores ad illam Epistolam, ad illos tres libros dialogorum contra Pelagianos. Oportet tamen ostendere quàm sinistrè inducantur hæc testimonia, cum contra ipsum militent.

501. Primò autem id quod supra diximus confirmamus: commentaria illa in Epistolam ad Rom. S. Hieronymi non esse, nec testimonia ex illis deducta Sancto Hieronymo tribuenda esse. Unde illa duo loca ultimò adducta ex cap. 8. & 9. ad Rom. tanquam dicta à Sancto Hieronymo nullo modo admittimus. Ad abundantiorem tamen doctrinam si quis gratis illa ut Sancti Hieronymi admittat, eadem explicabit, sicut similia omninò alia verba quæ tribuuntur Ambrosio explicat S. Thomas 1. p. quæst. 23. art. 5. ad 1. quod videlicet cum dicitur prædestinasse Deum *quos præscivit credituros, vel benè operaturos*, intelligendum sit, quòd in genere causæ finalis ad hoc Deus prædestinet ut homines credant, & ut benè operentur, ita quòd quilibet talis bonus usus arbitrij præsciatur esse finis, seu effectus ad quem Deus ordinat factam prædestinationem secundum suum divinum propositum. Potest & id confirmari ex commentariis citatis supra Epist. ad Ephes. cap. 1. ubi explicans (quicunque illorum scholiorum sit author) illud, *prædestinati secundum propositum voluntatis suæ*, ait, non secundum merita nostra. Et explicans illud *qui operatur*, &c. inquit. Horum omnium causa voluntas Dei est, quam rationabilem esse non dubium est. Ubi omnia refundit in Dei voluntatem,

Digitized by Google

Fateor quod si ista scholia, ut putatur, sunt ipsius Pelagij, potest etiam in illis verbis suum immiscere errorem, dicendo omnia operari divinam voluntatem rationabiliter, id est, secundum bona operum merita prævisa, nec enim Pelagiani aliam admittunt in Deo rationabilem voluntatem. Quare absque istis explicationibus tutius est cum doctrina Lovanienſium affirmare illa scholia non esse Sancti Hieronymi, sed plusquam probabile esse, quòd ipsius Pelagij sint. Et idem dicendum de authoritate inducta ex Epist. ad Galat. cap. 2. Illis ergo omissis testimoniis ad alia quæ verè Sancti Hieronymi sunt, accedamus.

502. Primus locus qui ex Sancto Hieronymo inducitur ex libro 3. contra Pelagianos adversariis non favet, sed potiùs nostram sententiam confirmat. Respondens enim ibi Pelagio asserenti quòd per gratiam tollitur arbitrium, sic ait. *Egone liberum tollo arbitrium, qui in tota disputatione mea nihil aliud egi, nisi ut omnipotentiam Dei cum libero arbitrio conservarem?* Vbi Sanctus Doctor omnipotentiam Dei, qua efficaciter secundum suum propositum homines prædestinat, & ipsorum efficaciter movet voluntates, salvari cum libero arbitrio prædicat manifestè. Et paulò infra contra Pelagium affirmat, quòd Deus non solùm dat posse, sive auxilium aliquo modo sufficiens, qui est effectus prædestinationis secundum præscientiam: sed quòd Deus dat velle, & operari; qui effectus provenit ex prædestinatione secundum propositum. Et postea de efficaci auxilio gratiæ, quod effectus est prædestinationis secundum Dei propositum, explicat illud Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum.* Nec in objecto loco aliud dicit, nisi quod in nostra positum est potestate peccare, aut non peccare; quod intelligendum est, ut ipse sæpe explicat, quod potest homo peccare ex sua mala voluntate: potest autem non peccare ex sua bona voluntate à Deo tamen in benedictionibus dulcedinis efficaciter præventa.

503. In libro etiam secundo ait. *Ex quo intelligimus, non nostræ solum esse potestatis facere quod velimus, sed & Dei clementiæ, si nostram adjuvat voluntatem.* Et infra. *Et ut sciamus non ex nobis, sed ex Dei cuncta pendere judicio, veniam, inquit, citiùs ad vos, si Dominus voluerit.* Ecce omnia quæ Apostolus faciebat, ex Dei judicio, beneplacito, & prædestinatione dicit pendere, non ex præscientia boni usus sine Deo determinante ad operandum, ut assertores prædestinationis secundum præscientiam defendunt. Ecce, si Deus nostram non adjuvat voluntatem, auxilio videlicet quod ex firmo Dei proposito, & prædestinatione proveniat, est solius nostræ potestatis aliquid facere clamat Hieronymus: exponens verò se loqui de auxilio quod adjuvet voluntatem, ipsamque mutet efficacitate sua, quam ex Dei potentia & prædestinatione secundum illius propositum habeat, ad omnes falsas explicationes præscindendas, quæ aliud quodcunque interpretantur auxilium, inferiùs subdit. *Et dixi, nunc capi, hæc est mutatio dextera excelsi. Justi vox est*, inquit, *qui post meditationem somnij, & conscientiæ cruces, ad extremum ait, nunc capi, vel pœnitentiam agere, vel scientiæ lumen intrare: & hæc ipsa de bonis ad meliora mutatio, non mearum virium, sed dextera & potentia Dei est.* Plura ex Sancto Doctore omittimus in illis dialogis, quibus perpetuus est in firmando efficax divinum adjutorium immutans voluntatem, quod effectus est prædestinationis secundum Dei propositum, non secundum præscientiam boni usus. Quibus proinde certam ex divino proposito prædestinationem firmat, & oppositam secundum boni usus præscientiam condemnat.

504. Quod si objiciant adversarij verba quædam quæ paulò infra locum citatum ex lib. 3. habentur in hunc modum. *Vbi autem misericordia & gratia est, liberum ex parte cessat arbitrium.* Quibus verbis volunt se munire adversarij. Advertant non ita esse intelligenda, quod libertatem arbitrij gratia Dei auferat si efficax sit. Oppositum enim docet Hieronymus locis modò citatis: sed sensus est, quod ubi gratia requiritur, vires liberi arbitrij non sufficiunt, quod & verba, quæ immediatè antecedunt satis manifestant. Præmittit enim. *Totus sermo Sanctorum ad Deum oratio est: tota oratio, & deprecatio extorqueat clementiam salvatoris: ut qui nostris viribus & studio servari non possumus, illius misericordia conservemur.* Et statim sequuntur verba supra opposita. Vnde fit manifestum prædictum sensum, & explicationem legitimè assignari, nec aliud intendere Sanctum Hieronymum. Itaque hoc docet, quòd ante gratiam Dei cessat liberum arbitrium respectu omnium operum supernaturalium, quia vires non habet ad illa. Cum autem gratia efficax datur, quia vires efficaces arbitrio confert, ipsum facit liberè talia bona opera exercere.

505. Ille alius locus qui inducitur ex Epistola ad Damasum absque ulla ratione allegatur, quia solum ibi dicitur quod Deus dedit homini liberum arbitrium, ut virtus habeat locum. Sed ex hoc unde inferunt ij authores negari vel prædestinationem secundum propositum Dei, vel gratiæ divinæ efficax adjutorium præveniens hominum voluntates. An quia dixit liberum homines habere arbitrium? quasi Sanctus Hieronymus aliud ex professo per tres libros contra Pelagianos fecerit, quàm ut ipse omnipotentiam Dei cum libero arbitrio conservaret. Objiciebat olim Sancto Doctori Pelagius quod liberum negaret arbitrium, sicut idem nobis modò à recentioribus audimus oppositum. Noverat namque Pelagius Sanctum Hieronymum & in prædestinatione, & gratia totaliter opponi Pelagianis, quod & recentiores etiam debebant advertere, & non illi adscribere prædestinationem secundum præscientiam quæ à Pelagianis fuit introducta: unde illi respondens ait. *Egone liberum tollo arbitrium qui in tota disputatione mea nihil aliud egi, nisi ut omnipotentiam Dei cum libero arbitrio conservarem.* Conservat ergo Hieronymus & omnipotentiam prædestinantis secundum firmum ejus propositum, & libertatem hominis divinæ gratiæ cooperantis, & utrumque simul perpetuò docuit.

506. Similiter ille alius locus introductus ex quæst. 10. epist. ad Hedibiã, nihil magis probat quàm præcedens. Solum enim in illo dicitur quòd Deus cunctis dedit libertatem arbitrij, ut faciat unusquisque quod vult, sive bonum, sive malum. Idem dicit super cap. 26. Hierem. ubi sic concludit. *Ergo positum est in nostra potestate vel facere quid, vel non facere.* Nihil, inquam, ex hoc possunt inferre adversarij, quia statim addit Sanctus Hieronymus hæc verba. *Ita videlicet ut quidquid boni operis volumus, appetimus, explemus, ad Dei gratiam referamus: qui juxta Apostolum dedit nobis, & velle, & perficere.* Vbi apertè efficax auxilium prævenientis gratiæ ex prædestinatione secundum propositum dependens manifestat Sanctus Hieronymus.

507. Majori cum apparentia inducitur illud aliud testimonium ex commentario super cap. 1. Malach. ubi sic habetur. *Dominusque respondit, Esaü & Jacob de una stirpe generatos: hoc est, vitia atque virtutes ex uno cordis fonte procedere: dum ex arbitrij libertate in utramque partem, ut volumus, declinamus.* Et post pauca, *Porro delectio & odium Dei, vel ex præscientia nascitur futurorum, vel ex operibus.* Si ergo secundum Sanctum Hieronymum dilectio quæ formalem actum prædestinationis antecedit, ex præscientia nascitur futurorum, fit consequens quòd prædestinatio

Digitized by Google

destinatio ipsa etiam ex præscientia fiat futurorum: ergo prædestinatio fit secundum præscientiam boni usus futuri ipsius arbitrij. Hoc ipsum potest confirmari ex illo quod idem Sanctus Doctor dicit super cap. 26. Hierem. Deum servare liberum arbitrium, ne ex præscientia ejus, quasi necessitate, facere quid, vel non facere, cogatur. *Non enim*, ait, *ex eo quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est, sed quia futurum est, Deus novit quasi præscius futurorum.* Ex quibus verbis inferunt ij Authores Deum nihil prædestinasse, vel decrevisse respectu futurarum humanarum operationum nisi ex præscientia liberi arbitrij, & boni usus ipsius; & ex consequenti secundum Sanctum Hieronymum prædestinationem fieri secundum boni usus præscientiam.

508. Sed ad ista non est difficilis responsio, quod enim in prioribus verbis dicitur, habere nos libertatem ad declinandum ut volumus in utramque partem, verissimum est, illâ semper regulâ servatâ quam S. Thomas, S. Augustinus, & ipse S. Hieronymus perpetuò docuerunt, quòd in malum, solùm à mala voluntate declinamus, in bonum verò nonnisi adjuti, & præventi à divina gratia: quod (ut infra suo loco dicemus) Pontifices Summi, & Concilia Sacra semper tradiderunt, & multoties idem S. Hieronymus testatur Epistola ad Ctesiphontem; & tribus libris contra Pelagianos; ubi ex professo hanc pertractat quæstionem; ex quibus unum, vel alterum inducam. Epistola namque citata, ait. *Liberum arbitrium dat liberam voluntatem, & non statim ex libero arbitrio homo facit, sed Domini auxilio qui nullius ope indiget.* Et lib. 2. contra Pelagianos. *Ex quo intelligimus non solum nostræ esse potestatis facere quod velimus, sed & Dei clementiæ si nostram adjuvet voluntatem.*

509. Illud verò aliud, in quo major potest fieri vis, quòd nempe dilectio Dei oritur ex præscientia meritorum; de dilectione ad gloriam secundum quod est ultimus prædestinationis effectus, videtur intelligendum: diligit enim Deus hominem ad gloriam illi dandam ut mercedem, & ut ultimum prædestinationis effectum ex operibus, sive ex operum futurorum præscientia; & ita videtur ibi procedere S. Hieronymus. Quòd si loquatur de prima omnium dilectione, quæ præintelligitur ante formalem prædestinationis actum, sic debet intelligi, quòd dilectio ordinatur à Deo in futura bona, sicut in finem ad quem ordinatur: ordinat enim Deus dilectionem suam ad danda bona futura opera, & quia finis ad quem res ordinatur, licet in executione sit effectus & posterior, tamen in intentione est prior, ideò dicitur quod ex illa præscientia futurorum nascitur dilectio: quia enim Deus intendit dare bona opera, ideò diligit ut dilectione sua bona opera conferat nobis. Nullo autem modo intendit Sanctus Hieronymus, quòd ex præscientia futurorum bonorum, sicut ex causa meritoria, oriatur in Deo prima dilectio; hoc enim planè repugnat. Ad illud aliud de illa causali, non quia Deus præscivit, hoc erit. Quomodo Sanctus Hieronymus intelligatur, diximus supra abundè lib. 1. part. 2. tract. 5.

510. Aliorum locorum (quæ ex S. Hieronymo possent adduci quia potissimè procedunt de effectu prædestinationis, quæ est ipsa Dei vocatio) vera intelligentia tradenda est infra libro 4. nec enim omnia in omnibus locis differenda sunt. Unum autem, in quo vim etiá faciunt, inducamus super 1. cap. Isaiæ in explicatione illorum verborum. Si volueritis, bona terræ comedetis, ait enim. *Liberum arbitrium servat, ut in utramque partem, non ex præjudicio Dei, sed ex meritis singulorum, vel pœna, vel præmium sit.* Esset autem ex Dei præjudicio, si ante prævisionem meritorum firmâ sententiâ alios Deus eligeret, alios reprobaret. Præjudicium enim est sententia judicis concepta ante causæ examen.

511. Ad hoc respondetur, solùm intendere S. Hieronymum in relatis verbis quòd Deus non præjudicat libero arbitrio, illud videlicet ad unam partem sine libertate determinando; talis enim omnimoda naturalis determinatio libertati præjudicium afferret, ut patet in brutis: At efficax & gratuita Dei electio, seu prædestinatio ex divino proposito ante omnem meritorum prævisionem non præjudicat libertati, imò eam adjuvat, & eam movet ut cum libertate bona operetur. Ad illud autem quòd sententia judicis præjudicet, si concipiatur ante causæ examen, dicendum quòd sententia judicis vel præmiantis, vel punientis ante causæ examen concepta præjudicat; unde & ipse Deus qui ut judex præmia, vel pœnam debet infligere, id non facit ante causæ examen, & meritorum prævisionem, ut sæpe dictum est. Cæterum in illa gratuita electione, & prædestinatione secundum propositum ante meritorum prævisionem Deus non ut judex præmians eligit, sed ex misericordia eligit, quibus daturus est bona opera, quæ ut judex postea præmiat.

CAPUT XXXVII.

Quòd nec S. Ambrosius, nec D. Anselmus prædestinationem constituant secundum hujusmodi præscientiam boni usus.

512. INDUCUNT præterea defensores prædestinationis secundum boni usus præscientiam in suum favorem Sanctum Ambrosium, S. Anselmum; imò quod majus est, Sanctum Patrem Augustinum citare audent pro hac sententia, sæpius ab ipso efficacissimè expugnata.

513. Inducitur in primis glosa super illud ad Rom. 9. *Miserebor cui miserebor &c.* quæ est S. Ambrosij & sic habet. *Misericordiam illi dabo, quem præscio toto corde reversurum ad me: hoc est, dare illi cui dandum est, & non dare illi cui dandum non est, ut eum vocet quem sciat obedire; illum verò non, quem sciat non obedire.* Hæc S. Ambrosius: Ergo præscientia meriti vel demeriti causa, vel ratio est, quare Deus proponat uni misericordiam facere, alium verò à misericordia excludere; hoc autem est prædestinare, vel reprobare: ergo præscientia causa est prædestinationis. Et iterum ibi ait. *Quos futuros præscivit sibi devotos, ipsos elegit ad promissa capessenda, ut hi qui credere videntur, & non permanent in fide accepta à Deo electi negentur.* Et postea. *Vocare est cogitantem de fide adjuvare, aut compungere eum, quem sciat audire.* Et iterum. *Unum elegit præscientia, alterum sprevit.* Videantur sequentia, quibus suadet præscientiam futurorum esse causam prædestinationis, & reprobationis.

514. Ad hoc in primis respondemus, commentaria illa Sancti Ambrosij non esse, ut jam in hoc tractatu cap. 29. prænotavimus. Cujuscunque autem sint, possunt habere rectam intelligentiam, quæ adhibetur à S. Thoma tum *q. 6. de verit. art. 2. ad 1.* tum *1. par. q. 23. art. 5. ad 1.* tum aliis in locis, & est talis, quòd videlicet bonus usus gratiæ præscitus non est ratio prædestinationis, aut collationis gratiæ nisi secundum rationem causæ finalis. Quod est clariùs dicere, quòd bonus usus gratiæ præscitus non est causa seu ratio movens aut inclinans divinam voluntatem ad prædestinandum, vel ad dandam homini gratiam; benè tamen ille bonus usus est id, ad cujus productionem divina prædestinatio gratiam ordinat; & hoc est quod dicitur ibi. Misericordiam illi dabo, quem scio ex ipsius gratiæ efficacia toto corde esse reversu

Digitized by Google

reversurum ad me, & ad hunc finem misericordiam illi dabo, ut videlicet ex toto corde revertatur ad me. Ita explicat Sanctus Thomas in utroque loco citato. Aliam etiam secundam adhibet intelligentiam in illa *q. 6. de verit. art. citato*, quæ, ut etiam in sensu verè intento à S. Thoma intelligatur, hîc referenda est. Postquam enim dixit quod bonus usus gratiæ præscitus est id, ad cujus productionem divina voluntas gratiam ordinat, sic ad 2. ait. *Vel etiam sicut id quod ad gratiam quodammodo disponit, & gloriam meretur.* Quibus verbis loquitur apertè de bono usu gratiæ ex priori auxilio ipsius gratiæ, qui bonus usus gratiæ disponit ad justificantem gratiam, & postquam est gratia informatus gloriam meretur, ut ejus verba apertè sonant: & tunc est sensus, illi dabo misericordiam, id est gratiam justificantem, quem scio ex priori auxilio gratiæ toto corde ad me per contritionis actum reversurum. Et hoc indicant sequentia verba, cum subdit, *hoc est dare illi* (videlicet gratiam justificantem) *cui dandum est*, id est converso ex priori gratiæ auxilio ex toto corde; *& non dare* eamdem gratiam justificantem, *cui non dandum est* videlicet illi, qui non prævidetur reversurus ex toto corde.

515. Tertia intelligentia est, quòd loquatur ibi S. Ambrosius de electione, & prædestinatione ad gloriam in ratione coronæ, præmij, & mercedis, sic enim illam Deus dandam in executione prædestinavit ex meritorum præscientia. Quarta explicatio est, quam & Sanctus Pater Augustinus similibus Sanctorum locutionibus adhibet, quòd videlicet nomine præscientiæ approbationem & prædestinationem accipiant. Ad aliud dicendum in illis verbis sentire, Deum eligere ad præmia, quem præscivit ex priori auxilio gratiæ devotum Deo, itaut loquatur de electione ad gloriam in ratione præmij, & mercedis, sicut supra cap. 22. ex ipso Sancto Doctore libro 5. de fide diximus: in quo apertè de prædestinatione ad gloriam in ratione mercedis loquitur, cum illam, sicut hîc post præscientiam meritorum ex gratia factorum, constituat.

516. Ad aliud tertium dicatur, quòd vocare est cogitantem de fide adjuvare, non ad hunc sensum quòd priùs ex naturæ viribus cogitantem de fide, Deus gratiæ auxilio adjuvet, Juliani enim hæc sententia est, ut ex primo nostro libro constat; sed quod cogitantem Deus adjuvat, in hoc sensu, quòd adjuvat ad cogitandum, ita quòd non solùm perfectio, sed initium illius cogitationis de fide ex Deo sit, & ex bono gratiæ ejus. Juxta prædictam explicationem intelligendus est idem Sanctus Ambrosius Epistola ad Ephes. cap. 1. dicens in explicatione illius, sicut elegit nos in ipso ante mundi &c. *Præscius omnium Deus scit, qui crediturí essent in Christum, sicut dicit ad Rom. quos præscivit, & vocavit, non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus. Quos ergo Deus vocare dicitur, perseverant in fide: hi sunt quos elegit ante mundum in Christo.* Cujus sensus est, quòd Deus omnium præscius scit, qui ex dono gratiæ suæ crediturí sunt in Christum; & quòd quos Deus sic vocat ex efficaci dono gratiæ vocatione quæ est secundum propositum perseverant in fide; & hi sunt quos elegit ante Mundi constitutionem. In hoc enim cognoscitur sic fuisse electos, quia sic in fide perseverant.

517. Secundum testimonium inducitur ex Sancto Ambrosio *lib. 5. de fide cap. 2.* Cujus ibi verba sunt. *Quid est*, inquit, *quod Dominus ait, non est meum dare vobis? Non est meum, qui justitiam servo, non gratiam: denique ad Patrem referens addidit: quibus paratum est; ut ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis, quia Deus acceptor personarum non est. Unde & Apostolus ait, quos præscivit, & prædestinavit: non enim ante prædestinavit quàm præscivit: sed quorum merita præscivit, etiam præmia prædestinavit.* Ex hoc loco prædestinationem colligunt secundum præscientiam boni usus, & ex meritorum præscientia.

518. Respondetur autem manifestum esse, Sanctum Doctorem loqui in prædicto loco de vita æterna quoad executionem, & sub ratione mercedis, & præmij, quam ut sic consideratam, certum est ex meritorum provenire præscientia, & meritorum intuitu esse præparatam; nec enim merces præparari nisi merito potest, quia secundum justitiam redditur. Non autem negat Sanctus Ambrosius ante hanc mercedis ultimæ præparationem præcessisse in Deo gratuitam omninò prædestinationem ad vitam æternam quoad intentionem, & in ratione gratuiti doni ante omnem meritorum præscientiam, ut supra declaravimus satis. Sed & illud sciendum, vetustiora exemplaria diversis impressa temporibus ea verba non habere. Nec scimus quanam ratione in textum irrepere potuerint, quòd rectè Schola Lovaniensis annotavit.

519. Vetusta enim exemplaria in duobus diversa apparent: Primò quia non habent: *Sed meritis*; imò habent: *non meritis*, quod contrarium est. Secundò quia ibi finiunt: *quos præscivit, & prædestinavit:* nec alia sequentia verba, quæ modò relata sunt habent. Verùm in vaticana duo manuscripta vetustissima asservantur, quorum alterum habet illam negativam *non meritis*, & finit illis verbis *quos præscivit, & prædestinavit:* Alterum verò habet affirmativam, *sed meritis*, & addit alia sequentia verba, quæ relata sunt: At revera literæ contextui magis congruit illa affirmativa, *sed meritis*; quam opposita negativa *non meritis*, ut quisque facillimè deprehendet: Addita autem verba nullam difficultatem inferunt secundum supradictam intelligentiam de prædestinatione ad gloriam in ratione præmij, & mercedis; de qua literam procedere jam manifestavimus.

520. Alia testimonia, quæ ex Sancto Ambrosio possent adduci, quia expresè procedunt de vocatione gratiæ in tempore exhibita, quæ effectus est prædestinationis, commodiùs in libro quarto hujus referentur, in quo dabimus manifestum Sanctum Ambrosium efficax auxilium ex se (quod est effectus prædestinationis secundum firmum propositum Dei) semper docuisse, ut & ipse Sanctus Pater Augustinus lib. de gratia Christi *cap. 46.* ex Sancto Ambrosio convincit. Interim videatur celebris illa Epistola ad Demetriadem quæ *est 33. in tomo 5.* & erit manifestum Sanctum Ambrosium, magnum fuisse prædestinationis absolutæ & efficacitatis gratiæ propugnatorem, sed hæc in quarto nostro libro commodiùs expendemus.

521. Ex Sancto verò Anselmo hæc afferuntur testimonia ad suadendum ex ipso prædestinationem secundum præscientiam. Primò ex libro de concord. prædestinat. & lib. arb. cap. 2. item ex lib. 2. cur Deus homo cap. 17. & 18. præterea in elucidario paulò post initium.

522. Verùm jam supra primo hujus operis libro part. 2. tract. 3. cap. 17. 18. & 19. contextum, & intelligentiam Sancti Anselmi elucidantes dedimus manifestum Doctorem Sanctum nullo modo, nullaque ratione sensisse per suppositionem antecedétem divinæ voluntatis tolli aut lædi libertatem, imò expressissimè illam suppositionem efficacem divinæ voluntatis antecedentis voluntatem humanam constituisse. Quamvis nihil aliud pro perfecta S. Anselmi intelligentia opporteret superaddere, libet tamen juxta hanc subjectam materiam, quid de prædestinatione secundum propositum divinæ voluntatis sensc-

Digitized by Google

rit aperire: in 4. verò lib. aperietur quid de efficaci auxilio gratiæ ipse docuerit, ut sic omni ex parte hujus Sancti Doctoris doctrina maneat manifesta. Miramur enim qualiter defensores prædestinationis secundum præscientiam suo se proprio gladio jugulantes Sanctum Anselmum inducant, arma sua nobis præbentes quibus contra ipsorum sententiam pugnemus: unde antequam referamus, & explicemus S. Anselmi verba, & hæc pauciſſima quæ doctrinæ ipsorum favere videntur in apparentia, adducenda sunt illa, quæ in veritate nobis patrocinantur, sunt enim quam plurima.

523. Certè Sanctus Anselmus libro de voluntate Dei, & libro de concord. præscien. & prædestinationis expresse docet dari gratiam efficacem præviam ad opera voluntatis nostræ ex Dei prædestinatione, & voluntatis divinæ prædiffinitione. Nam in libro de voluntate Dei sic incipit. *Voluntatem Dei appellamus quidquid in nobis ipse misericorditer operatur, revocando nos ab errore, vel per se confirmando in justitia.* Quibus verbis efficacem Dei voluntatem confirmantem nos in justitia, satis manifestè declarat, & ex consequenti Dei prædestinationem secundum absolutum, & efficax propositum divinæ voluntatis manifestat. Et adhibet argumentum contra præfinitam à se veritatem, quo sæpè solent uti authores cum quibus disputamus: sic enim subjungit. *Sed dicitur, si omnia procedunt ex voluntate Dei, quam semper & bonam & rectam esse, tunc omnia & recta sunt; & si hoc est, tunc frustra judicatur aliquis iniquus, vel damnatur impius, quod fateri contrarium invenitur Catholicæ fidei.* Sed vide solutionem. *Voluntas* (inquit) *itaque Dei accipitur aliquando in scripturis æquipollens omnipotentiæ suæ, præscientiæ, & ordinationi sagaciter disponenti.* Et ne aliquis putaret, quia priùs nominavit præscientiam quàm ordinationem, ipsum sentire illam ordinationem esse secundum præscientiam operis, & non secundum absolutum Dei propositum, immediatè verbis relatis conjungens sequentia, sic dicit. *Unde dicitur omnia quæcunque voluit Dominus fecit, hoc est quidquid Deus ab æterno facturum se ordinavit, nihil inexpletum reliquit.* Ubi apertissimè ordinationem secundum Dei firmum propositum de omnibus quæ ipse facturus est, constituit, non secundum præscientiam illorum, quæ ipse homo facturus est, ut malè constituunt assertores prædestinationis secundum præscientiam.

524. Hoc ipsum magis expresse declarat lib. de concord. præscien. & prædest. in quo pag. 2. litera B, sic dicit. *Quoniam enim quod Deus vult, non potest non esse; cum vult hominis voluntatem nulla cogi vel prohiberi necessitate ad volendum, vel ad non volendum; & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult.* Ubi apertè quòd homo infallibiliter velit, & liberè velit, reducit in efficaciam divinæ voluntatis, quæ utrumque vult: per quod omnis præscientia eorum quæ homo facturus est, antequam Deus velit ipsum operari, manifestissimè præcluditur, & omnia fieri secundum Dei absoiutum propositum manifestatur; omnia, inquam, quæ entis rationem habent, ut sæpiùs ipse declaravit.

525. Deinde immediatè in eodem contextu dicit, quòd cum homo vult, licet jam non possit non velle, quia tamen antequam vellet, potuit non velle, ideò in eo servatur libertas: simulque dicit quòd cum homo vult ex sua libertate, duplicem incurrit necessitatem. Primam, quia supposito quod sua libertate vult, necesse est ipsum velle: secundam, quia supposito quòd libertate vult quod fit, non potest simul non fieri. Has tamen necessitates (ait) facit voluntatis libertas, quæ priùsquam sint, eas cavere potest. Ex quibus verbis potest aliquis sinistrè deducere S. Anselmum nullam aliam necessitatem etiam consequentiæ, seu conditionatam agnoscere in nostris voluntatibus, nisi solum illam duplicem, quam ipsa nostra libertas facit, & quæ supponit nostram priorem libertatem; & ex consequenti malè posset aliquis ex mente Sancti Anselmi asserere ipsum nullam aliam antecedentem necessitatem conditionatam provenientem ex divina voluntate admittere supra voluntates humanas. Sed hoc vel imaginari contra ipsum Sanctum Anselmum procedit. Primò quia in verbis immediatè relatis antecedentem Dei voluntatem efficacem constituit, cum dixit, non posse non esse quod Deus vult esse; vult autem effectum sequi ad nostram voluntatem & illam liberam esse, & sic infallibiliter sequitur effectus, & voluntas nostra libera permanet.

526. Secundò quia in verbis modò in contrarium inductis tantùm dicit, quòd cum voluntas jam vult, habet ex hac libera suppositione duplicem illam necessitatem assignatam; & quod utraque illa fit à libera hominis voluntate, quæ potuit non velle; quod verissimum est: non tamen negat aliam priorem necessitatem ex suppositione divinæ voluntatis provenientem, & causantem sicut primam radicem, & causam quòd voluntas velit, & liberè velit, ut immediatè antea constituerat. Et hoc ipsum magis in sequentibus verbis declaravit, dum statim *in versiculo cognosci potest*, etiam affirmat idem quod priùs, quòd videlicet etiam potest cognosci non omnia, quæ Deus præscit, ex necessitate evenire, per hoc quod Deus omnia quæ scit, aut præscit, ea vult, & facit. Ubi docet quod ideò Deus præscit, quia voluit, & quia ipse facturus est; dicens etiam quòd si ipse liberè vult, quòd illa liberè fiant, absurdum est opinari quod illa omnia ex necessitate eveniant: & loquitur apertissimè respectu nostrarum humanarum operationum. Igitur ex antecedentibus, & subsequentibus fit manifestum, ipsum sensisse quòd dum voluntas vult necesse est ex suppositione ipsam velle; sed ideò voluntatem nostram velle, quia Deus præscivit ipsam sic velle: ideò autem Deum præsciviſſe ipsam sic velle, quia Deus ita voluit ipsam velle, & quia Deus facturus est quòd ipsa velit. Et sic ascendit Sanctus Anselmus ad primam omnium radicem, videlicet ad divinæ voluntatis certum, firmumque propositum, ex quo provenit quòd nos benè velimus, & operemur. Unde in summa Sanctus Anselmus duplicem necessitatem ex suppositione, cum qua optimè cohæret humana libertas, constituit: alteram ortam ex nostra voluntate dum jam volumus, qua necesse est nos velle: alteram verò priorem, & antedentem ex divina voluntate ex qua provenit quòd & infallibiliter velimus, & quod liberè velimus.

527. Hoc ipsum magis declaravit idem Sanctus Doctor *pag. 4. col. 1.* explicans enim illud Rom. 8. *His qui secundum propositum vocati sunt Sancti* apertè illud explicat de Dei divino & firmo proposito, secundum quod dicit fieri & prædestinationem, & Dei vocationem. Quid apertiùs potuit dicere ad damnandam sententiam eorum, qui contendunt prædestinationem fieri secundum præscientiam boni usus, quæ prædestinationi secundum propositum reipsa opponitur, quidquid ab aliquibus solis verbis aliter dicatur: sicut opponitur, præscire Deum quid homo facturus est, illi præscientiæ qua Deus præscit quid Deus facturus est ut faciat homo.

528. Nec aliquem moveat quod ibi subdit Sanctus Anselmus, dixisse videlicet Paulum, quia Deus præscivit Sanctos suos, ideò prædestinasse; quia ibi non loquitur de præscientia aliqua futuri boni usus arbitrij, ita ut sit sensus quod ideò Deus prædesti-

Digitized by Google

navit, quia præscivit homines bene usuros libero arbitrio : nam ipse Doctor Sanctus statim se explicans dicit se loqui de præscientia, qua illos præscivit nascituros antequam fierent ; & intendit Deum priùs præscivisse illos nascituros quàm illos prædestinasse, ut supra satis manifestavimus explicantes, quæ præscientia antecedat prædestinationem.

529. Præterea *in pag. 5. col. 2.* expressiùs se manifestans apertè docet illam præscientiam, de qua toties sermonem fecerat, esse causam, & ex consequenti esse priorem rebus ipsis scitis, non autem sumi à rebus ipsis, nec res esse priores præscientia tali : apertè ergo damnat fundamentalem propositionem istorum Recentiorum, qua dicunt ideò Deum præscivisse futurum, quia futurum erit, & non è converso : de quo nos supra libro 1. part. 2. tract. 5. plura jam diximus. Condemnat etiam manifestè prædestinationem fieri secundum illam priorem præscientiam boni usus ; si enim illa præscientia est causa, & prior ipsis rebus scitis, erit scientia practica, quæ supponit divinæ voluntatis firmum propositum circa tales res in tempore producendas.

530. Quod autem ibi dicit voluntatem humanam se solâ se determinare, non negat quòd priùs determinetur à Deo, quia dictio *solam* à necessariò concomitante, vel à necessariò præsuppositò non excludit. Sed de hoc copiosè lib. 3. agentes de prædeterminatione humanæ voluntatis : unde ad præsens breviter dicitur quòd ideo dicit se solam se determinare voluntatem, quia à nullo alio cogente determinatur.

531. Insuper eodem libro cap. 3. cum dicit prædestinationem necessitatem non inferre libero arbitrio, eodem modo loquitur de prædestinatione, ac de præscientia ; unde sicut præscientia non lædit libertatem secundum ipsum, ita nec prædestinatio. Et in hoc probando totum caput consumit. Unum tamen verbum adhibet, quod est rectè intelligendum : dicit enim quòd prædestinatio libertatem non tollit, quia est necessitas, non quæ præcedit rem & facit, sed quæ rem sequitur. Quibus verbis solùm intendit negare prædestinationem inferre necessitatem antecedentem cogentem liberum arbitrium, & facientem ipsum ex necessitate, & sine libertate operari : Non autem negat necessitatem antecedentem humanam libertatem, ipsam causantem, & facientem liberè operari, ut ex ipso Sancto Anselmo explicavimus. Vnde immediatè subdit. *Non enim ea Deus quamvis prædestinet, facit voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo : quamvis enim sua voluntas utatur potestate, nihil tamen facit, quod Deus non facit in bonis suâ gratiâ.* Quid apertius ad ostendendum, ipsum solùm negare necessitatem antecedentem cogentem, & constituere necessitatem antecedentem facientem voluntatem liberè operari. Quod magis ibi declarans ita dicit. *Nam hoc quoque gratia est, quia datur aliis voluntas, ut illis sua fide subveniant.* Ecce dicit quod datur aliis voluntas, id est actus voluntatis. Et eodem cap. explicans illud. Non volentis, nec currentis, ita dicit. *Non negatur in volente, nec in currente aliquid prodesse liberum arbitrium, sed significatur non esse imputandum libero arbitrio quod vult & quod currit, sed gratiæ.*

532. Sed dices eundem Anselmum sequentibus verbis expressè affirmare, quòd ideò imputatur gratiæ quod liberum arbitrium velit & currat, quia Deus dedit potentiam libero arbitrio ad volendum & currendum ; & quia dat gratiam, qua liberum arbitrium benè utitur ; sicut illi, qui dat vestem, imputatur, quod indutus illam habeat : quo exemplo utitur ibi Anselmus.

533. Sed dicendum exemplum in omnibus non tenere, nec solùm dicere Anselmum ideo imputari gratiæ quòd liberum arbitrium velit & currat, quia dedit potentiam libero arbitrio ad utendum, creando arbitrium. Hoc enim Pelagianum esset, quod longè abest à Sancto Anselmo : sed intendit quòd ipsa gratia dat actualem bonum usum potentiæ, ut ex præcedentibus locis satis ostendimus.

534. Sed est insignis locus Sancti Anselmi omnem tollens dubietatem ex comm. super epist. ad Ephes. cap. 2. explicans illud Apostoli, creati in operibus bonis &c. sic enim dicit. *Facti ergo sumus & creati in operibus bonis, quia restitutione liberi arbitrij data est nobis libertas benè operandi &c.* Et post pauca. *Quæ opera bona Deus prædestinando præparavit præveniens arbitrium nostrum : Omne namque bonum à gratia Dei sumit originem.* Quid clariùs ? à gratia præveniente, præparante, & creante nos in operibus bonis sumit originem omne nostrum bonum. Et super cap. 3. inquit. *Innotescat sapientia principibus, & hoc secundum prædefinitionem seculorum, id est in tantùm innotescat ; in quantum Deus præfinivit, & præordinavit de seculis, id est de hominibus qui versantur in seculis, hoc est de hominibus qui erant futuri à primævo statu Ecclesiæ usque ad consummationem seculi. Quam præfinitionem fecit in Christo Jesu, non in carnalibus observantiis, vel in aliquo merito.* Et iterum ibi. *Secundum præfinitionem seculorum, quia secundum ea quæ præfinivit, id est, præordinavit in seculis fieri, apparet multiformis &c* Et iterum. *Hanc præfinitionem fecit Deus in Christo Jesu Domino nostro, qui ante secula præordinavit Pater in Filio, quod in seculis acturus esset.*

CAPUT XXXVIII.

Quod S. Augustinus nullo modo prædestinationem constituat secundùm præscientiam boni usus.

535. Sole clarius est Sanctum Augustinum prædestinationi secundum præscientiam boni usus nulla ratione favere, cum illam semper contra Pelagianos, & Semipelagianos efficaciter impugnaverit, ut supra manet comprobatum. Nec in re adeo manifesta esset immorandum, nisi Sancti Patris Augustini loca quædam in vera intelligentia oporteret explicare, quæ à quibusdam objiciuntur, ut eum sibi ipsi adversum faciant, & contrarium ; ita ut velint quod aliquando prædestinationem statuat secundum boni usus arbitrij præscientiam ; cum apertissimè eandem sæpissimè secundum firmum Dei propositum constituat.

536. Opponunt enim sic primò. Sanctus Augustinus *lib. de dono perseverantiæ cap. 14.* sic definit prædestinationem. *Hæc prædestinatio Sanctorum nihil aliud est quàm præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Ex quo inferunt Sanctum Augustinum prædestinationem constituere secundum meritorum præscientiam, saltem conditionatam.

537. Ad hoc respondemus hanc intelligentiam, & explicationem verborum Sancti Augustini, ejus definitioni non congruere, sed potiùs manifestè adversari : nec enim per præscientiam, quam in definitione prædestinationis expressit, eam intellexit, quæ præparationem beneficiorum Dei quibus certissimè liberamur, antecedat : neque enim ideo gratiam, vel gloriam alicui præparavit Deus, quia eam illum habiturum esse præscivit ; imo nec eam illi præparavit, quia eam se illi daturum præscivit : sed è contra ideo præscivit, quia absolutè dare decrevit : præscius namque est Deus eorum quæ est ipse facturus, ut Sanctus Augustinus ibi, & alibi sæpius explicavit. Ibi quidem

Digitized by Google

dem clarè ad eadem beneficia Dei retulit præscientiam, & præparationem, ut ostenderet non solùm præscita illa esse, sed verè præparata; imò ideò præscita, quia præparata. Est, inquit, præscientia, & præparatio beneficiorum Dei. Igitur illa præscientia est beneficiorum Dei ab ipso præparatorum; Quomodo enim præsciret beneficia sua, quæ non præpararet? Præterea tota Sancti Doctoris intentio, ipse contextus, imò præcedentia verba hoc manifestè declarant. Præmiserat enim. Præsciviſſe Deum *quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non perderet quemquam.* Similiter immediatè præmiserat. Deum præsciviſſe *sua beneficia, quibus nos liberare dignatur.* Et continuò subjungit. *Hæc prædestinatio Sanctorum nihil est aliud quàm præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Ac si clariùs diceret, est prædestinatio præscientia beneficiorum Dei ab ipso videlicet præparatorum; vel est præscientia sequuta ad præparationem beneficiorum; vel est præparatio beneficiorum Dei cum adjuncta præscientia, qua Deus præscit illis suis beneficiis certissimè homines liberandos: sicut clarè exposuit *lib. de prædest. Sanct. cap.* 10. dicens. *Prædestinatione quippe Deus præscivit quæ fuerat ipse facturus.* Et cap. 17. de dono persev. *Ista igitur dona sua, dona quibuscunque donat Deus, procul dubio donaturum se esse præscivit, & in sua præscientia præparavit.* Ecce præscivit se donaturum dona sua; quare præscivit se donaturum, nisi quia ea dare voluit: quia ergo dare voluit, præscivit se daturum; & quia sic dare voluit, & præscivit se daturum; ideò in sua præscientia præparavit. Et iterum ibi. *Videant nec ad fidem, nec ad perseverantiam impediri exhortationes suas, si & ipsa opera, quod verum est, esse Dei dona, eaque præcognita, id est, ad donandum prædestinata esse dicantur.* Ubi apertissimè dicit idem esse, opera bona esse à Deo præcognita seu præscita, & esse ab ipso ad dandum prædestinata. Qua ratione, non semel omissa præscientia, prædestinationem definit per præparationem gratiæ, & beneficiorum ejus, sic enim habet de prædest. sanct. cap. 10. *Prædestinatio est gratia præparatio, gratia autem est ipsa donatio,* ut videlicet hanc solveret objectionem, & apertè doceret prædestinationem essentialiter in præparatione gratiæ, & beneficiorum ejus consistere, & præscientiam ad illam esse consequutam. Si enim sentiret prædestinationem esse essentialiter præscientiam, nunquam præscientiam à definitione prædestinationis secluderet, ut statim explicabimus. Accedit quod nunquam dixit Sanctus Doctor prædestinationem esse præscientiam meritorum, vel esse ex præviſis meritis, vel esse præscientiam boni usus arbitrij utentis benè ex se ipsa gratia, nihil tale dicit, quod tamen ut videretur favere his Authoribus, & eorum positioni, erat dicendum; sed ait quòd est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus Dei beneficiis certissimè liberamur, & hoc certissimè Deus præcognoscit. Sunt autem innumera alia Sancti Patris testimonia, quibus, ut visum est supra, perpetuò clamat Deum præscire dona sua, & beneficia sua; & quod ipse facturus est, præscire, & similia multa.

538. Secundò Sanctus Augustinus in illo loco (ut ex contextu fit manifestum) loquitur de præscientia absoluta. Quomodo ergo ij Authores inducere illum laborant in hac parte pro præscientia conditionatorum, seu pro media illa scientia, quam nunquam, nisi ut expugnaret, agnovit. Quod ibi de præscientia absoluta loquatur, & contextus, & verba ipsa declarant. Et quod majus est, qui ultimò ex his Authoribus cum quibus agimus, scripsit Leonardus Lessius, id tenet & probat in suo citato libro de gratia efficaci, ita dicens in disputatione de prædestinatione Angelorum, & hominum, explicando Sancti Augustini prædictam definitionem prædestinationis. *Quidam intelligunt hîc præscientiam conditionatam, qua Deus novit quis ordo gratiarum prævenientium cuique sit allaturus salutem, si ei collatus fuerit, quæ supponitur prædestinationi, seu voluntati conferendi: & hæc sane esset aptissima explicatio, si menti divi Augustini congrueret; sed aliud profectò videtur velle divus Augustinus. Ideò enim prædestinationem dicit esse præscientiam, quia inquit, novit Deus opus suum, novit quid ipse facturus sit. Si loqueretur de præscientia conditionali, dicere debuisset, novit Deus quid homo facturus esset, si talem gratiarum seriem haberet. Deinde præscientia conditionalis non vocatur absolutè præscientia, sed cum restrictione, conditionalis, & melius etiam diceretur scientia conditionalium, quàm præscientia conditionata.* Hæc ille. Quibus contra suos tenet, & probat esse contra mentem Augustini illum locum de præscientia conditionali explicare, in quo quidem bene dicit; sed malè in eo quòd dicit Sanctum Augustinum constituere prædestinationem secundum absolutam meritorum præviſionem, ut infra dicemus.

539 Sed inquiunt. Cur ergo præscientiam in definitione prædestinationis posuit Augustinus, si talis præscientia prædestinationem consequitur.

540. Ad hoc respondemus sicut ipse *de prædest. Sanct. cap.* 10. quia videlicet prædestinatio sine præscientia, id est sine certa futuri eventus prænotione esse non potest: semper enim conjungitur cum Dei prædestinatione præscientia: in quo plurimum ab humanis præparationibus divina præparatio, seu prædestinatio distinguitur. Homines enim multa sæpè facere constituunt, quæ incertum habent eventum. Proponit enim homo, & Deus disponit. At verò Deus, quæ prædestinatione præparavit, & quæ præparando dispoſuit, certissimè scit eventura, & certissimè scit se illa daturum; quod & Sanctus Pater Augustinus in prædicta definitione expressit dicens. *Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Unde & *cap.* 15. *de prad. sanct.* ait. *Hæc se Deus esse facturum profectò præscivit. Ipsa est igitur prædestinatio Sanctorum.* Ubi prædestinationem dici esse præscientiam eorum, quæ ipse Deus facturus est, non boni usus arbitrij liberi præviſi, ut malè contra Sancti Augustini apertam sententiam defendit præscientia illa media, sive quocunque nomine ab aliis suis defensoribus vocetur. *Et de dono persever. cap.* 7. Iterum dicit. *Orat.* (scilicet Ecclesia) *ut increduli credant; Deus ergo convertit eos ad fidem: Orat ut credentes perseverent: Deus ergo donat perseverantiam usque in finem: hæc Deus facturum se esse præscivit, ipsa est prædestinatio Sanctorum.* Ubi iterum dicit prædestinationem esse præscientiam eorum, quæ Deus facturus est, non usus arbitrij ex se operantis si in tali rerum ordine collocaretur. Et *cap.* 17. dicit. *Nam, in sua qua falli, mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omninò nihil aliud est quàm prædestinare.* Ubi iterum prædestinationem dicit esse præparationem beneficiorum Dei in certa illa sua præscientia, quæ nec falli, nec mutari potest. Semper ergo definit Sanctus Augustinus prædestinationem per præscientiam; sed per præscientiam, quæ sequatur divinæ voluntatis propoſitum firmum, cujus totum contrarium statuit illa media scientia.

541. Itaque sicut supra agentes de libro vitæ, diximus illum esse certam notitiam prædestinatorum secundum Sanctum Augustinum & Thomam; & ita sequi inseparabiliter ad prædestinationem, atque eum illa conjungi, ut multoties Sanctus Augustinus talem

Digitized by Google

talem librum vitæ vocét prædestinationem ; ita nunc asserimus quod ob hanc rationem, hunc librum vitæ, sive hanc certam prædestinatorum notitiam in ipsa definitione prædestinationis apponit, dicendo prædestinationem esse præscientiam, & præparationem beneficiorum Dei &c.

542. Ut autem manifestaret Sanctus Doctor, quòd talis præscientia consequitur ad prædestinationem ipsam, non autem quod sit essentialiter prædestinatio, id exposuit *lib. 20. de Civit. cap. 15.* dicens. *Non nescit Deus ; & in hoc libro legit ut sciat ; sed potiùs ipsa ejus præscientia de illis*, id est, de prædestinatis, *quæ falli non potest, liber vitæ est.* Ecce hanc certam præscientiam post prædestinationem constituit. Rursus ut idem ostenderet, in aliis plurimis locis prædestinationem definit absque hac præscientia, dicens illam esse præparationem beneficiorum ; quia in hac sola præparatione essentialis ratio prædestinationis consistit, aliàs diminutæ, & mancæ essent definitiones tales. Sic enim ait libro de prædest. sanct. cap. 10. *prædestinatio est gratia præparatio ; gratia verò est ipsa donatio.* Et infra. *Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratia est, ut dixi, præparatio: gratia verò est ipsius prædestinationis effectus.* Et iterum ait. *Quod ait Apostolus, ipsius sumus figmentum creati in Christo Jesu in operibus bonis, gratia est : quod autem sequitur, quæ præparavit Deus, ut in ipsis ambulemus, prædestinatio est, quæ sine præscientia esse non potest.* Ecce sæpe dicit prædestinationem esse præparationem gratiæ. Ultimò tamen ait quod hæc prædestinatio non potest esse sine præscientia certa, quæ ad prædestinationem inseparabiliter consequitur. Manifestum est ergo in Sancto Augustino quod illa præscientia non est essentialiter prædestinatio, sed quod consequitur inseparabiliter ad essentialem prædestinationem.

543. Sed iterum instant. Cur ergo priùs præscientiam posuit, deinde verò præparationem, nisi ut ostenderet illam animi præparationem sequi ad boni usus præscientiam ? Ad quod respondemus, non ideò hoc fuisse à Sancto Augustino factum, quia ipse putaret, quòd præparationem beneficiorum antecedat præscientia eorundem etiam sub conditione scitorum; cum è contrariò ideò præsciat se donaturum quidpiam, ut sæpiùs dicit, quia id sua voluntate, quæ frustrari non potest, donare proposuit : sicut etiam quispiam nostrum non ideò facere vult aliquid, quia illud præscivit : verum ideò præscit se facturum, quia ita facere disposuit. Nec etiam ideò ponitur priùs præscientia quàm prædestinatio, quia sine illa præscientia sub conditione boni usus futuri non posset esse prædestinatio, ut supra satis ostendimus ; sed ideò priùs præscientiam constituit, quàm prædestinationem, quia latiùs patet secundum se præscientia, & ad plura se extendat, quàm præparatio. Quæcunque enim præparat, ea ipsa Deus certò prænoscit, non autem quæcunque præscit, etiam illa præparat, ut de peccatis sit manifestum. *Prædestinatione quippe* (inquit Augustinus de prædest. sanct. cap. 10.) *præscivit ea Deus quæ fuerat ipse facturus..... Præscire autem potens est, quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata.* Cum ergo ad plura se extendat præscientia quàm præparatio, ideò priùs est ante præparationem collocata, ita tamen quòd præscientia jam determinata ad Dei beneficia, ipsam prædestinationem inseparabiliter concomitetur. Secundò respondetur, & meliùs quod licet in situ, & apparentia verborum priùs præscientia ponatur ; re autem, & sensu post præparationem beneficiorum constituitur. Quomodo enim præscire certò Deus potest beneficia, quæ non præsupponuntur ab ipso præparata ? Et tamen S. Augustinus dicit, quod est præscientia beneficiorum Dei. Sicut enim si quis diceret, quas habeo divitias illas mihi labore comparavi ; licet in situ verborum priùs dicatur se habere divitias ; in sensu tamen post laborem se illas habuisse, manifestè ostendit, non ante illum. Ita ergo hac phrasi consueta S. Augustinus loquitur.

544. Est & alia efficax ratio tertia, quare priùs prædestinationem in situ posuerit, ut nempe imitaretur Apostolum, qui dixerat, quos præscivit, & prædestinavit conformes &c. Unde sicut supra vera intelligentia Apostoli tradita est, ita & nunc veram S. Patris Augustini explicamus. Accedit quòd ipse S. Augustinus, qui in illo loco citato priùs præscientiam ante præparationem nominavit, in isto alio modò inducto de prædestinatione Sanctorum, & in plurimis aliis relatis supra, illam præscientiam post prædestinationem constituit, dicens. *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus, & si præscivit, sua dona præscivit, & id quòd facturus est præscivit.* Et *Epist. 107. ad vitalem* inquit. *Propterea Deus, ut omnia futura opera sua in prædestinatione præsciverit, sic illa disposuit.* Iterum præscientiam post prædestinationem constituit, potissimè in assignato superiùs loco de Civitate, in quo apertiùs præscientiam post prædestinationem constituit. Multa similia & ferè innumera docet expressè, itaut mirum sit valde quòd pro prædestinatione secundum mediam scientiam possit induci S. Augustinus, nisi literæ fiat contradictio.

545. Quartò dicendum sicut supra *cap. 28. quòd* præscientia eorum qui prædestinandi *erant, in Deo* prædestinationem præcessit : similiter *scientia* approbationis, qua Deus aliquos dilexit & elegit ; sicut & speculativa præscientia dilectorum, & electorum ; quæ omnes præscientiæ, ut explicatum dedimus in expositione Apostolici testimonij, antecedunt ipsam formalem prædestinationem. Ut ergo omnes illas præscientias includeret *Sanctus Doctor*, quas alibi cum prædestinatione conjunxit, ideò priùs præscientiam ante prædestinationem apposuit, quia dantur revera illæ præscientiæ ante prædestinationem.

546. At dices, aliæ explicationes assignatæ supra cap. 28. Apostolico testimonio, accommodari non possunt huic dicto Sancti Patris Augustini, cum hoc tantùm procedat de præscientia beneficiorum Dei, & ex consequenti procedat de præscientia meritorum, & donorum gratiæ, quæ sunt Dei beneficia. Ad hoc respondetur quod licet principaliter de illis procedat, non omnes alias explicationes excludit. Non illam de dilectione, seu *præscientia approbativa*, quia etiam Deus præscit illud fuisse primum Dei beneficium prædestinatis *concessum*. Non secundam de præscientia speculativa intuente Dei electionem, quia pari ratione ista est magnum Dei beneficium prædestinatis collatum, & ut tale illud Deus præscit. Non etiam illam, qua diximus Deum præscire quos prædestinare volebat, quia etiam illa præscientia est beneficiorum Dei : beneficium enim Dei erat homines præscire ad eos prædestinandum. Quarta autem alia, qua dictum est, illud verbum *præscivit* sequi ad prædestinationem, est quam latè nunc ex mente, & sententia Sancti Patris Augustini statuimus, sicut magis literæ S. Doctoris congruentem.

547. Opponunt secundò quod Sanctus Augustinus *lib. de prædest. Sanct. cap. 10.* dicit quod prædestinatio sine præscientia esse non potest : ex quo deducunt prædestinationem fieri ex Sancto Augustino secundum illam priorem mediam scientiam.

548. Cæterum qui sic opponunt, quomodo non vident verba Sancti Augustini immediatè sequentia, quæ

Digitized by Google

quæ sic habeat *prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ ipse fuerat facturus.* Ac si clarè dicat: Semper cum prædestinatione conjungitur præscientia; sed præscientia quæ in prædestinatione præsciat quid Deus facturus est; non quæ præsciat illud ante prædestinationem, & ante divinæ voluntatis decretum; ut malè scientia illa media imaginatur.

549. Opponunt tertiò quod habetur in libro Hypog. inter opera Sancti Augustini; *prædestinat, quia quale futurum sit, præscit.* Ex quo loco prædestinationem fieri secundum meritorum præscientiam colligunt de mente S. Augustini.

550. Sed ad hoc respondetur, non voluisse S. Augustinum, vel alium (quicunque sit illius libri Author, etenim ille liber Sancti Augustini non est) ulla ratione asserere prædestinationem fieri secundum meritorum præscientiam; quia tantùm intendit literâ illa, ideò Deum prædestinare per actum practicum divini intellectus; quia Deus suâ misericordiâ præscivit quale futurum erat; quod ipse misericordiâ suâ elegerat: ita quòd illa præscientia quæ antecedit prædestinationem, & ponitur quodammodo illius ratio, sit post dilectionem & electionem; & sit sensus quòd Deus post dilectionem, & electionem suam præsciat quale futurum sit, quod sic elegit; & quia sic præscit, ideò id prædestinat. Et quod sit literæ textualis intelligentia, fit manifestum. Nam statim post pauca quasi seipsum declarans subdit. *Quia verò justus, & misericors Deus, præsciusque futurorum ex hac damnabili massa non personarum acceptione, sed judicio æquitatis suæ irreprehensibili, quos præscit misericordia gratuitâ, præparat.* Ecce explicavit quod dixerat, Deum præscire videlicet misericordiâ, & electione sua. Et clariùs adhuc infra iterum ait: *Diximus namque de damnabili humani generis massa Deum præscisse misericordiâ, non meritis quos & electione gratia prædestinavit ad vitam.* Manifestum est ergo ex loco inducto nulla ratione posse statui prædestinationem secundum humani usus præscientiam, sed præscire Deum id, quod suâ misericordiâ est ipse daturus, ut perpetuò docet S. Augustinus.

551. Objiciunt quartò *ex libro 83. quæstionum quæst. 68.* ubi his utitur verbis. *Prorsus cujus vult, miseretur, & quem vult obdurat; sed hæc voluntas Dei injusta esse non potest; venit enim de occultissimis meritis, quia ipsi peccatores cum propter generale peccatum unam massam fecerint, non tamen nulla est inter illos universitas: præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamvis nondum sint justificati, digni efficiantur justificatione: & item præcedit in aliis peccatoribus quod digni sint obtusione.* Hæc Sanctus Doctor. Ad quod dicitur primò cum Sancto Thoma *q. 6. de verit. art. 2. solut. ad 10.* & cum Magistro sent. *in 1. dist. 41.* citato à S. Thoma in prædicto loco, illud esse retractatum à S. Augustino in simili; quia *libro de prædest. Sanct. & 1. retract. cap. 23.* retractat sententiam, qua antea dixerat propter fidem Deum homines ab æterno eligere. Ubi sicut negat fidem ex homine meritum esse electionis suæ, sic omne meritum humanum negat ex hominibus, ut eligantur à Deo.

552. Secundò dicitur, Sanctum Augustinum in objecto loco non de prædestinationis sed de justificationis merito agere, ut ex ipsis verbis colligitur; de merito, inquam, de congruo quo aliquis à Deo primâ misericordis Dei misericordiâ excitatus & motus, dignus de congruo redditur ut ei justificationis gratia impendatur. Unde nec prædestinationem, nec primum donum gratiæ sub merito aliquo constituit, sed primum gratiæ donum supponit misericordiâ datum, propter quod justificatio ipsa donetur. Hæc intelligentia traditur uno verbo à S. Thoma prædicto loco ex quæstionibus disputatis cum ait, Sanctum Augustinum intelligendum esse de prædestinatione quoad effectum, id est quoad effectum justificationis, ut modò est explicatum. Imo interpretatio ista ab ipso Sancto Patre Augustino traditur *lib. 1. retract. cap. 26.* ubi sic ait *De eo quod scriptum, ô homo tu quis es, ut respondeas Deo? Ubi dixi, quia etiam si levioribus quisque peccatis, aut certè quamvis gravioribus & multis, tamen magno gemitu & dolore pœnitendi misericordia Dei dignus fuerit, non ipsius est, qui si relinqueretur interiret, sed miserentis Dei, quia ejus precibus doloribusque subvenit: parum est enim velle nisi Deus misereatur: sed Deus non miseretur qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit ad pacem: hoc dictum est post pœnitentiam: nam est misericordia Dei etiam ipsam præveniens voluntatem, quæ si non esset, non præpararetur voluntas ad Domino.* Ubi explicans seipsum in objecto loco docet apertè quòd homo occultissimis meritis dignus efficiatur justificatione, dictum esse de homine post pœnitentiam, quam ut voluntas hominis habeat, prævenitur à priori Dei misericordia.

553. Opponunt insuper locum alium ex libro ad articulos sibi falsò impositos (sive sit Sancti Augustini, sive Prosperi) ubi in responsione art. 12. inter alia sic dicit. *Hi autem de quibus dicitur ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis; si enim fuissent ex nobis mansissent utique nobiscum; voluntate exierunt; voluntate eciderunt; & quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati; essent autem prædestinati, si essent reversuri, & in sanctitate, ac veritate mansuri.* Ubi tum reprobationem, tum etiam prædestinationem videtur constituere ex meritorum præscientia.

554. Ad hoc respondetur, testimonium hoc S. P. Augustini non esse, sed S. Prosperi, qui idem habet in responsione secunda & tertia ad capita Gallorum, sent. 7. & etiam in responsione 7. 12. ad objectiones Vincentianas; unde sequenti capitulo tractantes de mente S. Prosperi in vera intelligentia explicabitur.

555. Ille autem alius S. Augustini locus ex *quæst. 2. ad Simplic.* (in quo dicit Deum ita vocare, sicut novit congruere, ut vocatus vocantem sequatur: ex quo loco majori cum apparentia potest fundari media illa scientia) jam in vera sua intelligentia manet explicatus lib. 1. part. 2. tract. 5. cum de scientia illa media agebatur, quod videlicet tantùm intendat S. Augustinus per hoc explicare virtutem, energiam, & efficaciam gratiæ, quæ facit ut vocatus vocantem sequatur; quo nihil est homini magis congruum, nec aptum magis.

556. Opponunt ultimò id quod habetur in cap. 7. de cor. & grat. *Illi ergo electi, ut sæpè dictum est, qui secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati, atque præsciti, horum si quispiam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit quia non fallitur Deus.* Ex quo deducunt totam certitudinem prædestinationis ex illa media scientia esse sumendam, non ex parte auxiliorum, quæ à divina voluntate præparantur.

557. Cæterùm hos sic arguentes remittimus ad verba expressa, quæ habentur in illo eodem loco, tam antecedenter, quàm consequenter. Antecedenter quidem quia præmittitur vocatio secundum propositum, & divinæ voluntatis electio, & prædestinatio; unde dicitur non falli Deum in præscientia, quam habet de illa sua firma, stabilique electione, & prædestinatione, ex qua præscientia certitudinem habet. Consequenter autem quia immediatè post verba objecta, sic subjungitur. *Horum si quispiam perit, vitio humano vincitur Deus; sed nullus eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Ubi S. Augustinus primam radicem

Digitized by Google

radicem certitudinis, ex qua præscientia certitudinem habet, dicit esse efficaciam divinæ voluntatis, quæ nulla re vinci potest.

558. Constat ergo apertè, semper S. Augustinum hanc mediam præscientiam impugnasse, semperque damnasse prædestinationem secundam illam præscientiam fieri: in vanum ergo laborant ij authores illam præscientiam S. Augustino adscribere, sicut multi alij antiquitus in hoc ipso frustra laborarunt, ut ex S. Augustino constat *lib. de prædest. Sanct. cap. 9.* Credant ergo authores isti suo Magistro Molinæ, qui veraciter agnovit sententiam esse S. Augustini, prædestinationem non fieri secundum boni usus præscientiam, sed secundum firmum Dei propositum, ut manet supra explicatum.

CAPVT XXXIX.

Quod nec S. Prosper, nec S. Fulgentius, aut D. Hilarius faveant prædestinationi secundùm præscientiam boni usus.

559. Sanctorum Prosperi, Fulgentij, & Hilarij loca congerere in hac parte pro prædestinatione secundum firmum Dei propositum contra eam, quæ secundum boni usus præscientiam diffamatur, nec necessarium putavi: omnia enim eorum opuscula his plena sunt, & integra essent transcribenda, quibus ut veri S. Augustini discipuli, & doctrinæ ejus defensores continuò Semipelagianos de tali prædestinatione secundum præscientiam boni usus expugnarunt, ut patet ex utraque epistola SS. Prosperi & Hilarij ad S. P. Augustinum, ex S. Prospero prosa de ingratis, contra collatorem, utroque libro de vocatione gentium, responsionibus ad capita Gallorum, & ad objectiones Vincentianas. De Fulgentio autem constat ex libro ad Monimum, & libro de Incarnat. & gratia. Sed unum, vel alterum ex ipsis inducamus, quibus aliorum paucorum, quæ ex eis in contrarium opponuntur, vera intelligentia desumatur. Quamvis enim jam supra eadem relata sint, non fastidit tamen ea repetere, quia potiùs mente quàm scriptura ab omnibus Theologis retinenda essent.

560. Notissima est illa S. Prosperi epistola ad S. Augustinum, qua Semipelagianorum detegens sententiam circa prædestinationem, sic ait. *Qui autem crediturí sunt*, (nempe dicunt) *quive in ea fide quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præsciisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit.* Quis hîc non videat expressè relatam Semipelagianorum de prædestinatione secundum præscientiam sententiam, quam S. Prosper semper exhorruit. Notissima sunt & illa alia in eadem epistola, quibus magis Semipelagianorum sententiam exponit, dicens: *Removeri itaque* (supple dicunt) *omnem industriam, tolliquè virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates; & sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quandam induci necessitatem.* Hanc fuisse Semipelagianorum sententiam, quam semper S. Prosper impugnavit, & hoc illos oppositisse contra prædestinationem secundum Dei propositum, quam S. Prosper semper defendit, quis poterit dubitare, nisi qui oculos claudendo, eos ab his penitùs voluerit removeri? Manifesta etiam sunt alia quæ subjungit, magis Semipelagianorum sententiam referendo. *In istam verò talis gratiæ prædicationem, hi quorum contradictione offendimur, cum priùs meliora sentirent, ideò se vel maximè contulerunt; quia si profiterentur ab ea omnia bona merita præveniri, & ab ipsa, ut possint esse, donari; necessitate concederent Deum secundum propositum, & consilium voluntatis suæ occulto judicio, & opere manifesto, aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam.* Quanam sententiâ Sanctus Prosper offendebatur, nisi qua, ab illis quos refert, non ponebatur Deus secundum propositum voluntatis suæ occulto judicio aliud vas facere in honorem prædestinando, & aliud in contumeliam reprobando. Et qua ratione, ipso testante, negabant illi à gratia omnia humana merita præveniri, nisi ut negarent prædestinationem secundum firmum propositum Dei, qua prædestinationis negatione Sanctus ille Doctor offendebatur. Unde in defensionem veræ prædestinationis secundum Dei propositum à Sancto Augustino petit auxilium, cum protinùs addidit. *Tribue nobis in hac causa, Papa Beatissime, Pater optime quantum donante Domino potes, diligentiam pietatis tuæ obsecro, ut quæ in istis quæstionibus obscuriora, & ad percipiendam difficiliora sunt, quàm lucidissimis expositionibus digneris aperire. Ac primum, quia plerique non putant Christianam fidem hac assensione violari, quantum periculi sit in eorum persuasione, patefacias. Deinde quomodo per istam præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium. Tum utrum præscientia Dei ita secundum propositum maneat, ut ea ipsa quæ sunt proposita, sint accipienda præscita; an per genera causarum & species personarum ista varientur: ut quia diversa sunt vocationes, in his qui nihil operaturi salvantur, quasi solum Dei propositum videatur existere; in his autem qui aliquid boni acturi sunt, per præscientiam posse stare propositum: an verò uniformiter, licet dividi præscientia à proposito temporali distinctione non possit, præscientia tamen quodam ordine sit subnixa proposito: & sicut nihil sit quorumcunque negotiorum, quod non scientia divina præveneriti ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non Deo authore defluxerit. Postremo, quemadmodum per hanc prædicationem propositi Dei, quo fideles fiunt, qui prædestinati sunt ad vitam æternam, nemo eorum qui cohortandi sunt impediatur, nec occasionem negligentiæ habeant, si se prædestinatos esse desperent. Illud etiam qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque previderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate & actione, præscierit.* Quis hæc legit & de Sancti Prosperi mente audet dubitare? Nunquid non apertissimè petit, ut S. August. ostendat quanti periculi sit in sententia, quæ negat prædestinationem secundum Dei propositum, & illam statuit secundum præscientiam bonorum operum sub gratia factorum, quia multi non putabant per illam fidem violari? Nunquid non petit ut Augustinus clariùs exponat quomodo per præoperantem & cooperantem gratiam, quæ effectus sunt prædestinationis secundum propositum divinum non lædatur arbitrium? Nunquid non rogat ut diligentiùs Sanctus Augustinus declaret, qualiter per prædestinationem secundum propositum, qua præordinati sunt homines in vitam æternam, ex qua provenit vocatio secundum propositum, qua fideles fiunt, illi sic præordinati in vitam æternam non tollantur exhortationes, nec excusationem habeant, qui se prædestinatos esse desperant? Nunquid tandem non petit instrui, quid respondendum sit ad id, quod Semipelagiani opponebant, quod videlicet pene omnium par inveniebatur & una sententia, qua propositum & prædestinationem secundum bonorum operum factorum sub gratia secundum præscientiam

consti

Digitized by Google

constituebant. Quid ergo clarius, quàm Sanctum Prosperum cum Sancto Patre Augustino (utpote qui post ipsum magnus fuit prædestinationis & gratiæ defensor) inconcussè prædestinationem secundum Dei propositum tenuisse, perpetuòque impugnasse eam, quæ secundum boni usus præscientiam sub gratia ab aliis astruebatur. Procul dubio sicut nihil falsius potest in causa proponi, quàm Sanctum Prosperum contrarium sentire; ita nihil absurdius audiri potest, quàm id Sancto illi Doctori adscribere. In Epistola etiam ad Ruffinum *Ab hac autem confessione gratiæ Dei* (inquit) *ideo quidam resiliunt, ne cum eam talem confessi fuerint, qualis divino eloquio prædicatur, & qualis opere suæ potestatis agnoscitur, etiam hoc necesse habeant confiteri, quod ex omni numero hominum per sæcula cuncta natorum certus apud Deum diffinitusque sit numerus prædestinati in vitam æternam populi, & secundum propositum Dei vocantis electi. Quod quidem tam impium est negare, quam ipsi gratiæ contraire.* Ecce impium dicit, & ipsi gratiæ contrarium, negare certum & definitum apud Deum ex ipsius proposito electorum numerum. Ubi prædestinationem secundum præscientiam boni usus; quæ talem certum & deffinitum numerum electorum ex Dei proposito negat, gravissimè damnat. *Et ad excerpta Genuensium in fine* de S. P. Augustino; quem ab impostoris Pelagianorum defendit, ait: *Pia tamen constantique doctrina abundanter probavit, prædicandam Ecclesiæ prædestinationem, in qua est gratiæ præparatio: & gratiam, in qua est prædestinationis effectus: & præscientiam Dei, quam ante sæcula æterna quibus esset collaturus sua dona, præscivit. Cujus prædestinationis quisquis est impugnator, apertissimus est Pelagianæ elationis adjutor.* Potuitne clariùs præscientiam, quæ ponitur ante prædestinationem, impugnare, quàm illam & re & sensu, & verborum serie post præparationem gratiæ constituendo? Potuitne manifestiùs prædestinationem secundum boni usus præscientiam rejicere, quàm asserendo Deum præscire dona sua, non bonum usum gratiæ quem nos habemus ex nobis? potuitne apertiùs illam refutare; quàm illius assertorem Pelagianæ elationis vocando apertissimum adjutorem?

562. Plura similia ex S. Prospero omittuntur; hæc ista in re patentissima inducerentur, ne rem luce clariorem suadere videremur, nisi aliquorum industria eò processisset, ut etiam pro prædestinatione secundum præscientiam boni usus S. Prosperum citare auderent, occasionem sumentes ex uno illius testimonio non sanè intellecto. Quasi quæ adeò toties in sua doctrina patefecit de prædestinatione secundum Dei propositum (pro qua piè & strenuè pugnavit; & vicit, & inimicos gratiæ potenter expugnavit) in uno testimonio negaverit, & cum illis, in statuenda prædestinatione secundum boni usus præscientiam, sui oblitus consenserit. Testimonium autem quod in oppositum ex ipso objicitur, habetur responsione 12. ad objectiones vincentianas, sic enim ibi habet: *Hi, de quibus dicitur, ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum, voluntate exierunt, voluntate ceciderunt: & quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati; essent autem prædestinati, si essent reversuri, & in sanctitate atque veritate mansuri.* Ecce defensores prædestinationis secundum præscientiam dicunt apertè, S. Prosperum eam statuisse, dum ideo dicit eos non prædestinatos, quia præsciti sunt casuri, & quod si prævideretur bene operaturi usque in finem prædestinati essent. Idem S. Prosper dicit ad capita Gallorum responsione 2. & 3. ac 7. & in sententiis sententia etiam 7. lib. 2. de vocat. gent. cap. 23. 26. 29. 31. & 35.

563. Sed longè valde distat mens & sententia S. Prosperi ab hac prætensione, ut ex relatis liquet; imo ex inducto in oppositum testimonio, si omnia quæ in illa responsione Sanctus affirmat, perpendantur. Quæ ut clariora reddantur, inspicienda objectio est, cui respondebat, quæ & sic opponebat. *Quod Dei prædestinatione efficiantur de Filiis Dei, filij diaboli: & de templo Sancti spiritus, templa dæmonum: & de membris Christi, membra meretricis.* Cui respondet: *Prædestinatio Dei, etsi apud nos dum in præsentis vitæ periculis versamur, incerta est; apud illum tamen qui fecit quæ futura sunt, incommutabilis permanet: nec quæ illuminavit, obcæcat; nec quæ ædificavit, destruit; nec quæ plantavit, evellit.* Quibus verbis duo apertè docet. Primum, certam esse apud Deum & incommutabilem prædestinationem, & hoc non ex præscientia, sed ex proposito divinæ voluntatis, qua Deus fecit, quæ futura sint: non dicit esse certam & incommutabilem apud Deum, qui præscivit quæ futura sunt, sed qui fecit quæ futura sunt. Secundum ex prædestinatione non moveri hominem in malum culpæ; ut objectio opponebat. Et rursus ibi ait: *Nullo igitur modo prædestinatio Dei facit, ut aliqui ex Filiis Dei, sint filij diaboli; aut ex templo Sancti Spiritus, templa sint dæmonum; aut ex membris Christi, fiant membra meretricis: sed potius prædestinatio facit, ut ex filiis diaboli fiant Filij Dei: & ex templo dæmonum, templum sint Spiritus Sancti: & ex membris meretricis, membra sint Christi.* Ubi iterum eadem duo respondet; & prædestinationem non mala culpæ causare, & bona opera in nobis efficere. Non ait, illa bona nostra opera præscire, nam sic mala utique præscit, sed ait; ea in nobis efficere. In quo iterum prædestinationem secundum præscientiam boni usus præsciti, non in nobis à Deo ex prædestinatione effecti, condemnat: & rationem subdit dicens: *Quia ipse alligat fortem, & vasa ejus rapit; eruens ea de potestate tenebrarum & transferens de tentumelia in gloriam.* Ubi energiam verborum considera, alligat, rapit, eruit, transfert, & manifestè deprehendes efficaciam prædestinationis ex firmo Dei proposito, non ex præscientia. Hæc est responsionis solutio, & objectionis responsio. Post quæ verba immediatè subjungit, quæ in contrarium modò sunt adducta, inquiens: *Hi autem quibus dicitur, ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis; si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum; voluntate exierunt, voluntate ceciderunt.* Ubi iterum tertiò duo proponit. Primò, certitudinem & efficaciam divinæ prædestinationis, cum inducit Apostoli testimonium dicentis, qui ex nobis exierunt non erant ex nobis, nempe per prædestinationem divinam; si enim per talem prædestinationem ex nobis essent, permanerent utique nobiscum, quia ista permanentia effectus esset divinæ prædestinationis. Secundò proponit causam primam quare ex nobis exierunt, dicens, quòd voluntate exierunt, & voluntate ceciderunt, & non prædestinatione Dei, ut præmiserat. Quamvis nihil aliud addidisset, semel, iterum, atque tertiò prædestinationem quæ est ex divino proposito firmaret, sicut eam semper asseruit. Sed ecce prætensum offensionis lapidem, & petram scandali, addidit enim; *Et quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati; essent autem prædestinati, si essent reversuri, & in Sanctitate atque veritate mansari.* Quibus duplex causa reddi videtur, & quod præscientia casus in eis fuerit causa non prædestinationis, & quod si esset præscientia perseverantiæ in illis, esset causa quod prædestinarentur. Procul dubio si S. Prosper in omni sua doctrina non esset perpetuus in expugnanda prædestinatione secundum hanc præscientiam, & si verbum *quia* non posset sumi nisi ut dicit causam essendi, argumentum horum

Digitized by Google

vires haberet. At cum S. Prosper totus sit in expugnanda ista præscientia, quæ sit prædestinationis causa, & verbum *quia* passim sumatur ut dicat non causam essendi, sed causam consequentiæ tantùm, quæ scilicet est ab effectu, à signo, & à posteriori, omnem perdit vim horum argumentum. Quis enim sibi persuadeat, cum verbum *quia* soleat dicere causam, non essendi & à priori, sed consequentię & à posteriori, quòd causam dicat essendi, & à priori in illa materia apud Doctorem illum, qui hanc causam millies in tali materia negavit; imo ex professo se validum defensorem opposuit contra illos, qui talem causam in essendo introducere laborabant. Quod si absurdissimum esset hoc vel suspicari, sed necessariò omnes Doctorem illum intelligerent, quòd de causa consequentiæ & à posteriori loqueretur; ita S. Prosperum omnes intelligere debent, quòd per verbum *quia* non causam essendi, quam perpetuò expugnavit; sed causã solius consequentię & à posteriori ibi tradiderit; nec aliud sine magna absurditate suspicari debent. Quamvis enim præscientia meritorum non sit causa prædestinationis in essendo, & à priori secundum S. Prosperum & veritatem; est tamen causa solius consequentiæ seu à posteriori; bene enim sequitur à posteriori, quod ideo non sunt prædestinati, quia prævisi sunt casuri; hæc enim præscientia signum est manifestum à posteriori ostendens quòd non fuerint illi prædestinati; & hoc solum S. Prosper affirmat. Et similiter in bono usque in finem perseverare causa in essendo non est prædestinationis, sed potius effectus illius; est tamen effectus & signum à posteriori convincens illos esse prædestinatos. Sic in physicis, in quibus plures sunt demostrationes quia & ab effectu, rectè quis diceret, ideo hominem esse rationalem, quia cognosciter esse risibilis.

564. Quod autem verbum *quia* sic freqenter sumatur, ut causam dicat non essendi, sed solius consequentiæ. S. Thomas docuit expresse 1. *p. quæst.* 14. *art.* 8. *ad* 1. Vbi docuit in hac eadem materia sic esse explicandos & intelligendos Doctores, de quibus non ita certum est, eos verbum *quia* sumere ut dicat causam essendi. Quid autem diceret de S. Prospero, si id ex illo opponeret?

565. Præterea, quod majus est, Scriptura Sacra sic aliquãdo sumit verbum *quia* cum Christus Dominus dixit, *Pater amat vos, quia vos me amastis*, ubi necessario verbum *quia* dicit signum vel effectum à posteriori ostendentem quòd discipuli à Patre amarentur, ut omnes exponunt, & contrarium intelligere esset Pelagianum. Manifestum est ergo nullam causam, rationem nullam, imo nullam prorsus esse posse suspicionem, ut propter illud testimonium S. Prospero prædestinatio secundum præscientiam tribuatur, cujus fuit perpetuus expugnator.

566. De Sancto Hilario, quia nec in oppositum aliquid opponunt; nec in particulari necesse est quòd aliquid pro prædestinatione secundum Dei propositum afferamus, sed totam illam ejus Epistolam ad Augustinum, in qua sicut S. Prosper illam defendit, & contrariam secundum boni usus præscientiam sicut Semipelagianorum refert & oppugnat, hîc pro transcripta haberi volumus.

567. Ex Sancto Fulgentio libro ad Monimum de duplici prædestinatione opponunt ex cap. 24. ita dicente. *Ostensurus itaque Deus, quid reddendum præsciverit, & quid donandum, prædestinavit illos ad supplicium, quos à se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros; & prædestinavit ad regnum, quos ad se præscivit misericordiæ prævenientis auxilio redituros, & in se misericordiæ subsequentis auxilio esse mansuros.* Hîc inquiunt defensores prædestinationis secundum boni usus præscientiam, præscientia operum ad electionem & reprobationem aperte præsupponitur. Et infrà. Quia *misericors est Dominus & justus, prædestinavit justos ad gloriam, iniquos ad pœnam.*

568. At ad ista facilima solutio est, illaque ex eodem libro ad Monimum manifestè deducta, quod loquatur S. Fulgentius hoc loco de prædestinatione in ratione mercedis & præmij reddendi pro bonis operibus, sive de pœna infligenda pro malis: quod verba ipsa declarant, pœna, supplicium, reddere &c. Qui autem hæc objiciunt, quasi fatentur se sola ista verba in illo libro legisse, non plura alia, quibus sæpè prædestinationem ad gloriam constituit merè gratuitam ante omnem meritorum præscientiam in ratione gratuiti doni & finis prævoliti quoad intentionem; ex qua certè processit vocatio secundum propositum. Vt enim plura omittam verba, hæc quibus *in cap. ultimo lib. de incar. & gra. Jesu Christi* suam concludit doctrinam, tantùm inducam: sic enim habet: *Cujus prædestinationis veritatem, qua nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detractat cordis credulitate recipere, vel oris professione proferre, si ante ultimum diem vitæ præsentis, impietatis suæ contumaciam, qua Deo vivo & vero rebellis obstitit, non abjecerit, manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit & prædestinavit ad regnum.* Quid clarius? Ecce prædestinationem & electionem ad regnum dicit ante mundi constitutionem gratis esse dispositam. *Si gratis*, quomodo ex meritis, vel ex meritorum præviſione? Hìc igitur merita conticescant, hîc oppugnatores hujus gratuitæ electionis & prædestinationis ad regnum taceant, qui unam ex S. Fulgentio desumentes prædestinationem ad regnum in ratione præmij & mercedis, & proinde ex meritorum præviſione propositam; aliam, quam semper in illo libro statuit & quâ totum illum tractatum signavit, quæ est electio & prædestinatio ad regnum gratis, gratis inquam præparatam, non recipiunt; sed adversus illam, quod majus est, singularem illius defensorem & propugnatorem inducunt.

CAPUT XL.

Quòd S. Thomas nunquam docuit prædestinationem fieri secundum illam boni usus præscientiam.

569. QUOD autem majus est, etiam S. Thomæ laborant hanc suam de prædestinatione secundum præscientiam doctrinam adscribere. Primò enim opponunt ex *q. 6. de verit. art. 3.* quod circa prædestinatum tot adminicula præparat Deus, quòd vel non cadat, vel si cadat resurgat. Ex quo colligunt non prædestinare Deum bonum usum arbitrij, sed tantùm scire quòd si per hoc adminiculum non bene operatur, quòd operabitur per aliud. Quod nihil est aliud, quàm præscitum ponere bonum usum arbitrij, non verò prædestinatum, seu efficaci prædestinatione habitum.

570. Sed ad hoc responsum est copiosè supra cap. 11. ubi etiam ex his authoribus, cum quibus agimus, ostensum dedimus totum contrarium literam illius articuli habere, & certissimè constituere bonum usum arbitrij non solùm præscitum, sed verè prædestinatum; & oppositam sententiam ibi gravissimâ censurâ, ut par erat, notasse.

571. Opponunt secundo ex locis generalibus. S. Thomam negasse bonum usum prædestinatum, & solùm illum agnovisse secundum illam præscientiam prævisum, quia ipse docet quòd futura contingentia non sunt certò à Deo cognoscibilia in causis suis; quod

Digitized by Google

quod ex eo deducunt, quia semper S. Thomas docuit ea Deum cognoscere prout sunt in æternitate præsentia. Ex quo inferunt bonum usum liberum & contingentem arbitrij non poni à S. Thoma cognitum à Deo in se ipso prædestinante, seu prædeterminante, sed in coëxistentia æternitatis prænosci, & sic erit ille bonus usus cognitus secundum præscientiam, non prædestinatus: unde prædestinatio erit secundum præscientiam talis boni usus.

572. Ad hoc copiosè satis responsa dedimus primo nostro libro par. 2. tract. 6. ubi ex apertissimis ac multiplicatis S. Thomæ testimoniis palam fecimus, Sanctum Doctorem semper docuisse futura contingentia cognosci à Deo in determinatione divinæ voluntatis, & simul in æternitate ipsa ea intuendo in se ipsis: Nam in sua voluntate determinante illa cognoscit ut in prima causa eorum determinata liberè ad illa: in causis autem indeterminatis, ut ibi explicavimus, docuit sanctus Thomas contingentia certò non cognosci; & hoc solùm S. Thomas asserit, cum negat certam futurorum contingentium cognitionem in causis suis, nempè indeterminatis. Unde hanc generalem doctrinam sinistrè intellectam applicare ad hanc quæstionem, quòd prædestinatio sit secundum præscientiam, ita quod bonus usus arbitrij sit quidem præcognitus, sed non à divina voluntate determinatè volitus, & efficaciter prædestinatus, nihil omnino juvat; quia ex falsissimo procedit principio, de quo satis citato loco actum est.

573. Objiciunt tertiò ex S. Thoma 1. *par. q. 23. art. 7.* Ubi, ut aïunt, docet omnia corruptibilia esse à Deo præscita, non præfinita. Ex quo pariter, ut ipsis videtur, generali veroque apud Sanctum Thomam principio subsumendo deducunt bonum usum arbitrij utpote corruptibilem præscitum esse, non præfinitum, seu prædestinatum, & ita prædestinationem fieri secundum illam boni usus præscientiam. Sed falsum assumunt principium, & falsissimè ex eo bonum usum arbitrij colligunt non prædestinatum seu præfinitum. Etenim S. Thomas in illo art. 7. solùm dicit, corruptibilia non esse ex principali intentione Dei præfinita, non autem quod nullo modo præfinita sint, ut apertè monstravimus nostro 1. lib. part. 2. tract. 3. ex professo expendendo locum illum.

574. Quòd si ex hoc quis inferat, quod saltem bonus usus arbitrij non sit præfinitus & prædestinatus à Deo ex principali intentione, sicut S. Thomas docuit illo art. 7. de aliis omnibus corruptibilibus, id quidem nec est inconveniens concedere, quia licet Deus præfiniat bonum usum arbitrij, illumque prædestinet, non tamen ex principali intentione, sed in ordine ad dandam illi homini perpetuam gratiam, & incorruptibilem gloriæ coronam, quam etiam ordinat in gloriam suam, ut certissimum est.

575. Opponunt quartò ex S. Thoma 3. *par. quæst. 46. art. 1.* dicente, quòd id, quod est necessarium ex aliquo exteriori principio, si sit causa efficiens, vel movens, facit necessitatem coactionis: si ergo Dei prædestinato est causa efficiens & movens ad bonum usum arbitrij erit causa cogens; & ex consequenti tollet libertatem: igitur ne hoc inconveniens sequatur, non debet poni secundum D. Thomam bonus usus arbitrij prædestinatus, & verè effectus à prædestinatione, sed tantum præscitus; unde prædestinatio erit secundum illam præscientiam boni usus. Simile conficiunt argumentum ex 2. physic. lect. 15. ubi docet, quòd necessitas, quæ dependet ex causis prioribus, est necessitas absoluta, quæ cum libertate non stat: ergo si bonus usus arbitrij est verè prædestinatus & effectus ex prædestinatione sicut ex priori causa, necessitas in illo proveniet absoluta, & sic liber non erit: ergo ad hoc inconveniens vitandum, erit solum ille bonus usus arbitrij secundum præ scientiam.

578. Ad primum horum dicendum, S. Thomam in illo art. 1. ex 3. p. q. 46. loqui expressè de causis secundis prioribus extrinsecis, ac vim inferentibus, quas vocat exteriora principia, ex quibus docet oriri necessitatem absolutam & tollentem libertatem. Et patet hoc, quia ponit exemplum in eo, qui per violentiam detinetur ab alio, ne eat quò vult: unde nullo modo loquitur de voluntate divina prædefiniente seu prædestinante bonum usum arbitrij, quæ est prima omnium causa, quæ ex sua efficacia movet & causat substantiam actus, & ejus modum liberum, sicut ipse demonstravit 1. *par. q. 19. art. 8.* ubi hoc argumentum opponit tertio loco, quod id, quod fit ex causis prioribus, est necessarium absolutè. Et respondet, quòd posteriora habent talem necessitatem à prioribus, secundum quod volunt priora; & quia prior Dei voluntas vult liberum arbitrium habere tantùm necessitatem conditionatam, non absolutam; talem necessitatem tantùm conditionatam, & nullo modo absolutam habet liberum arbitrium in bono usu suo. Imo in eodem art. 1. illius quæstionis 46. hoc expressè sanctus Doctor expressit; quia in illo dicit, quod licet Pater æternus priùs prædestinaverit Christum pati, tamen Christus voluntariè & liberè patiebatur. Sic ergo ex priori Dei prædestinatione sicut ex priori causa verè efficitur, quòd homo bene utatur arbitrio, libere tamen & cum omni plena libertate.

579. Ad illum alium locum ex secundo physicorum alibi responsum est, & modò breviter respondemus, nullo modo ad propositum adduci; quia S. Thomas ibi loquitur sicut & Philosophus, quem commentabatur, de causis prioribus naturalibus, ut patet; quia dicit necessarium esse absolutè hominem corrumpi, quia compositus est ex contrariis, sicut ex priori causa naturali materiali: similiter ait, hominem esse rationalem, esse absolutè necessarium ex priori causa formali & naturali: & alterationem noctis & diei esse absolutè necessariam ex priori causa efficiente naturali, nempe ex motu solis. Unde ista inducere, est extra chorum manifestè saltare.

580. Majori autem cum apparentia ultimò inducunt (quod aliquando pro magno opposuerunt) ex sancto Thoma 2. 2. *q. 174. art. 1.* dicente, quod per prophetiam præscientiæ cognoscit Deus ea, quæ à nostro fiunt arbitrio, sive bona sint, sive mala; per prophetiam autem prædestinationis cognoscit ea, quæ à solo Deo fiunt: ex quo quasi triumphantes deducebant, quòd cum bonus usus arbitrij à solo Deo non fiat, sed etiam à nostro arbitrio, talis bonus usus non sit cognitus à Deo per prophetiam prædestinationis, sed tantùm per prophetiam præscientiæ; & ex consequenti quòd prædestinatus non sit, sed tantùm præscitus. Verba sancti Thomæ sunt. *Alio modo præcognoscit Deus aliqua in seipsis, vel ut fienda ab ipso, & horum est prophetia prædestinationis, quia secundum Damascenum Deus prædestinat ea, quæ non sunt in nobis; vel ut fienda per liberum arbitrium hominis, & sic est prophetia præscientiæ, quæ potest esse bonorum & malorum: quod non contingit de prophetia prædestinationis, quæ est bonorum tantum.*

581. Sed respondebatur, & modò respondetur, quòd si idem sanctus Doctor seipsum non explicaret, forsan quis in isto loco posset falli: at cum se manifestè exponat, & quid per ista verba intelligat, apertè declaret, frivolum ex hoc testimonio prætenditur argumentum ad negandum bonum usum arbitrij vere esse à Deo prædestinatum, & constitui à Sanctissimo Præceptore tantùm præscitum. Legant ergo & intelligant, qui ista objiciunt, Sanctum Tho-

Digitized by Google

nam q. 12. *de verit. art.* 10. ubi tractans hanc eandem quæstionem, quam tractaverat 2.2. loco citato. An videlicet prophetia rectè dividatur in prophetiam prædestinationis, præscientiæ, & comminationis; hanc eandem doctrinam, quam tradidit in hoc loco objecto ex 2.2. supponit in solutione ad tertium ita dicens. *Ad tertium dicendum, quod præscientia hìc accipitur* (scilicet in hac præmissa divisione prophetiæ) *contra prædestinationem divisa, quantum ad ea in quibus præscientia prædestinationem excedit, non autem excedit præscientia prædestinationem in malis solum, si prædestinatio strictè accipiatur; sed etiam in omnibus bonis, quæ non fiunt sola virtute divina.* Vbi quod in 2. 2. dixerat, prædestinationem nempe esse eorum, quæ fiunt ab ipso Deo, quia secundum Damascenum prædestinat Deus ea, quæ non sunt in nobis, magis explicans ait, prædestinationem esse eorum, quæ sola fiunt virtute divina; præscientiam autem esse tam bonorum quàm malorum, quę fiunt à nostro libero arbitrio: quibus verbis poterant prędicti authores suum coroborare argumentum.

582. Postquam autem S. Doctor hanc tradidit doctrinam, ex qua concludi videbatur, bonum usum arbitrij (cum in nobis sit, & in nostra potestate ut est apertissimum) nec fieri à solo Deo, aut sola virtute divina (ut etiam fides docet) non esse prædestinatum, sed præscitum tantùm, ut isti authores opponunt, videns Sanctus Thomas hanc objectionem ut illam solueret, ita in quarto argumento contra illam ipse opponit. *Prædestinatio, ut dicit Augustinus, est de bonis salutaribus; sed inter bona salutaria nostra merita computantur, quæ ex libero arbitrio dependent. Ergo Prophetia secundum prædestinationem, nostrum admisc tur arbitrium, & sic Hieronymus malè distinguit.* In quo argumento omnem aperit difficultatem & contra S. Hieronymum in illo articulo allatum, & contra Damascenum citatum 2.2.q. 174.art. 1.imò contra suam doctrinam tùm in 2.2.appositam,tum in art. 10. solut. ad 3. In qua sequutus Hieronymum & Damascenum dixerat prædestinationem non esse eorum, quæ sunt in nobis; sed eorum, quæ fiunt sola virtute divina. Opponit ergo in citato quarto argumento ex S. Augustino quòd etiam Prophetia prædestinationis debeat esse nostrorum meritorum, quæ fiunt à nobis, & ex nostro pendent arbitrio, ut visum est modò: Posita autem hac difficultate, & apparenti oppositione inter Sanctum Hieronymum, Damascenum,& Augustinum, statim omnem aufferens dubitationem & Sanctorum illorum Doctorum contrarietatem, planamque ac constantem doctrinam adhibens, ita ad quartum respondet: *Ad quartum dicendum, quod meritum nostrum, & est ex gratia, & ex libro arbitrio, non autem subjacet prædestinationi nisi secundum quod est ex gratia, quæ à solo Deo est. Vnde id, quod ex nostro arbitrio est, prædestinationi dicitur subesse per accidens.* Quibus verbis sub una brevissima distinctione prædictos Doctores Sanctos mirificè concordat, suam doctrinam declarat, oppositionem, quæ modò fit, quasi prævisam apertissimè solvit, & omnem dubitationem aufert. Distinctio est; Ea quæ primò & per se substant prædestinationi, à solo Deo fiunt, & à sola virtute divina, nec à nostro pendent arbitrio: Ea verò quæ subduntur prædestinationi per aliud vel secundariò, fiunt & pendent à nostro libero arbitrio. Cum ergo S. Thomas 2.2. q. 174. art. 1. ex Damasceno & q. 12. de verit. ex Sancto Hieronymo docet quòd prædestinatio est eorum, quæ à solo Deo fiunt, & non à nostro libero arbitrio, loquitur ipso se apertè explicante de his, quæ primò & per se substant prædestinationi. Cum autem Sanctus Thomas ex D. Augustino docet quòd merita nostra, quæ à nostro fiunt arbitrio, non solùm sunt præscita, sed prædestinata; ita quòd verè ex prædestinatione fiunt, & prædestinationi subduntur, & per prophetiam prædestinationis cognoscuntur, intendit quòd secundariò & per aliud prædestinationi subduntur: quod nunquam Sanctus Hieronymus, aut Damascenus negarunt. Et sic summa concordia & veritas est, quòd & noster bonus usus arbitrij & nostra bona opera, quæ fiunt ab arbitrio nostro, verè sunt prædestinata, & non præscita tantum, ut malè authores eum quibus agimus ex verbis S. Thomæ in superficiè consideratis opponebant; sed sunt verè prædestinata secundariò & per illud aliud quod à sola fit virtute divina & à solo Deo, & non à nostro libero arbitrio.

583. Hoc autem aliud, quod à solo Deo fit, & primò & per se prædestinationi subditur, & per quod noster bonus usus arbitrij secundariò sub prædestinatione cadit, est donum gratiæ prævenientis efficacis à solo Deo, & à sola virtute divina: hæc enim præveniens efficax gratia, sicut primò & per se sub prædestinatione cadit, ita à solo Deo efficaciam habet, illamque nullo modo à nostro accipit arbitrio; sed ejus efficacia ex solo Deo habetur, & per illam noster bonus usus arbitrij, qui verè effectus ejus est, sub prædestinatione cadit. Unde si authores, cum quibus ista tractamus, attendere ad hanc planam S. Thomæ doctrinam voluissent, potius ex ipsa viderent, totum suæ sententiæ fundamentum, quo contendunt prævenientis gratiæ efficaciam à libero nostro *pendere* arbitrio, & non esse à solo Deo, *funditus everti & penitus dissipari.* Cum enim ipsi expresè concedant (quòd negare nullo modo possunt, *cum id* per se sit evidentissimum) quòd si pręveniens gratia ex solo Deo & ex sola virtute divina efficaciam habeat independenter à nostro libero arbitrio, manifestissimum est, quòd bonus usus nostri arbitrij non solùm sit pręscitus, sed verè prędestinatus; & S. Thomas in citata sua doctrina apertissimè *doceat nostrum* bonum usum arbitrij cadere secundariò sub prędestinatione per aliud, quod solùm fiat à Deo, & à sola virtute divina (quod de prevenientis gratię efficacia asserit, ut aliis plurimis suę doctrinę locis aperuit.) manifestè convincitur quod bonus usus arbitrij sit verè prędestinatus per illam videlicet efficaciam gratię cui subditur, & quę à solo *Deo*, & ejus fit virtute divina. Itaque potiùs ex isto loco totum oppositum plenè convincitur illius quod oppositores prętendunt: Debebant enim non ad pauca respicere, sed illum locum ex secunda secundę per illum alium ex quęstione 12. de veritate intelligere & explicare. Et propter hanc eandem rationem, qua ex efficacia prevenientis gratiæ quæ ex solo Deo efficaciam habet, evidenter concluditur, nostrum bonum usum arbitrij non solùm esse præscitum, sed à Deo verè prædestinatum, videns Molina id manifestè convinci, ut bonum usum nostri arbitrij poneret solùm præscitum, & non prædestinatum, efficaciam prævenientis gratiæ negavit ex solo Deo haberi & ex sola virtute divina, ut in tota sua concordia expressit. Per oppositum autem quia gratiæ prævenientis efficacia ex solo Deo est, & ex sola fit virtute divina; & est id, quod hac ratione primò & per se cadit sub prædestinatione, sicut semper Sanctus Thomas docuit cum Sancto Patre Augustino, ideò bonus usus arbitrij nostri non solùm est præscitus, sed per talem efficaciam gratiæ ex solo Deo prævenientem verè est prædestinatus.

Digitized by Google

CAPVT

CAPUT XLI.

Quod Scholaſtici doctores non doceant prædeſtinationem ſecundùm illam boni uſus præſcientiam.

584. PLURES ſolent induci Scholaſtici Doctores pro prædeſtinatione ſecundum hanc mediam præſcientiam, omnes videlicet illi, qui aliquam cauſam, rationem, ſive conditionem prædeſtinationis conſtituunt ex parte prædeſtinati: Citantur autem plures tam ex antiquis, quam ex recentioribus, Sanctus Bonaventura *in* 1. *diſt.* 40. *art.* 2. *q.* 1. Magnus Albertus *in eodem* 1. *diſt.* 41. *art.* 3. Durandus ibi, Alex. Alenſ. 1. *p. q.* 28. *membro* 3. *art.* 1. *ad* 3. Henric. *quodlib.* 14. *q.* 19. & *quodlibet* 8. *q.* 5. Ocham *in* 1. *diſt.* 41. *q.* 1. Gabr. ibi *q.* 1. *art.* 2. & 3. *dub.* 1. Baconi. *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 4. Argentina *in* 1. *diſt.* 41. *art.* 7. Guillermus de Rub. *in* 1. *diſt.* 41. *q.* 1. *art.* 1. & 2. *concluſ.* 3. Joan. Major *in* 1. *diſt.* 40. *q.* 2. Aureol. in impugnatione Lutheranorum *digreſſione* 2. *fol.* 77. & 91. Ambroſ. Catherin. *lib.* 2. *de prædeſtinatione in principio* Franciſcus Horantius *libro* 3. *locorum Catholic. cap.* 3. Joan. Anton. Delph. *lib.* 2. *de prædeſt. pag.* 48. & 54. Albertus Pighius *lib.* 7. *de lib. arb. cap.* 1. & 2. & *lib.* 8. *cap.* 2. Joan. Echius in ſuo Chriſto poſſo *Cent.* 3. Hieronymus Oſorius *lib.* 9. *de juſtificatione* qui dicit eſſe ſententiam omnium ferè Patrum, quòd ex parte prædeſtinati detur cauſa aliqua, vel ratio prædeſtinationis ſuæ. Franc Turrianus *opuſc. de electione*, Joan à Bonon. *lib.* 1. *de prædeſtinatione p.* 224. Franciſcus Carthagena *in ſuis de prædeſtinatione opuſculis* Raphaël Venuſtus *de prædeſt. & lib. arb. contra Lutherum cap.* 2. *fol.* 4. & 30. & 74. & 135. Felicianus Capitolius *lib. de explicatione Catholica par.* 3. *explicat.* 22. Javellus 1. *par. q.* 23. *art.* 1. Camerarius *in Dialogo Catholico cap.* 4. §. 1. Julius Syrenus Primarius Theologiæ in Academia Bononienſi profeſſor *lib.* 1. *de prædeſt. cap.* 21. D. Card. Bellarm. licet neget aliquam cauſam, rationem, vel conditionem prædeſtinationis ex parte prædeſtinati, prædeſtinationem tamen ſecundum præſcientiam illam mediam conſtituit, & efficaciam prædeſtinationis & auxiliorum refert in certitudinem illius præſcientiæ, ut conſtat *ex libro* 2. *de gratia & lib. arb. cap.* 9. §. *itaq.* & *cap.* 15. §. *reſpondeo*, & *lib.* 4. *cap.* 15 §. *ex his modis.* Cardinalis Sadoletus *ſuper cap.* 8. *epiſt. ad Rom.* Card. Contarenus *opuſc. de prædeſt.* Sapleton. *in cap.* 9. *epiſt. ad Rom. verſ.* 20. § *nunc igitur pag.* 668. & § *imo pag.* 670. & *in antidoto pag.* 653. *Supra cap. ad Rom.* 9. & *in cap.* 11. *verſ. ſecundo pag.* 743. & *pag.* 746. defendit prædeſtinationem ſecundum illam mediam præſcientiam, & fruſtra laborat illam Sancto Auguſtino tribuere, vocans contrariam ſententiam Calviniſticam. Citatur etiam Joannes Driedo *libro de concord. fol.* 11. *pag.* 2. qui de Pelagianis ita ſcribit. *Rectè quidem cenſerunt Deum in ſua præſcientia elegiſſe fidem eorum, qui erant crediturí: verùm quod tales ſic eligeret, quatenus illos adhuc incredulos, faceret fideles, intelligere noluerunt.* Et *lib. de capitiv. & redempt. tract.* 4. *cap.* 2. *part.* 8. *memb.* 2. Et *tract.* 5. *cap.* 2. *pag.* 3. *ad finem* 3. *concluſionis* & aliàs ſæpe ait. *Deus vult hos potiùs quam illos præparare, quoniam novit ut credant & obediant.* Citatur & Ruardus Taper. *art.* 7. §. *nec reipſa.* Imò citant ſuos, Molinam, Vaſquez, Suarez &c.

585. Cæterum, antequam veram intelligentiam aperiamus Scholaſticorum, qui in hac parte debent, aut poſſunt admitti, neceſſe erit priùs (ſicut ſupra circa antiquos Doctores fecimus) aliquos ab hoc numero (quorum nulla authoritas eſt) penitus rejicere; abſque delectu enim inducuntur plures, quos in hac parte nec nominare licebat.

586. In primis Ambroſium Catherinum (quem conſtat contra divinam prædeſtinationem loquutum, & ob id ab omnibus univerſaliter fuiſſe ſemper impugnatum) qua ratione pro ſe allegare præſumunt ij authores, cum quibus diſputamus.

587. Minus etiam debuiſſent in ſui citare favorem Hieronymum Oſorium; tum quia illius authoritas nulla eſt; tum præcipuè quia notum eſt illum in aliquibus erraſſe graviter, potiſſime lib. 7. de juſtificatione, ubi dicit non eſſe culpam originalem in parvulis, & irridet Catholicos, qui peccatum originale fatentur. Ab iſto authore quid boni ſperandū eſt in materia de divina prædeſtinatione & gratia, cum peccatum originis neget, ad quod ſicut ad fundamentum gratuitæ prædeſtinationis & juſtæ reprobationis recurrit S. Auguſtinus. Indignus profecto exiſtit Oſorius iſte, ut inter Scholaſticos nominetur, vel ab iis authoribus in ſuum favorem inducatur.

588. Nec etiam pro ſe afferre debuerunt Henricum, cujus in hac cauſa de prædeſtinatione ſententiam, eorum Achilles Molina refutat ſicut parum in fide tutam, & minus ſacris literis conſentaneam, ac quæ præjudicium gratiæ infert: ſic dicit in concordia quæſt. 23. art. 4. & 5. diſput. 1. memb. 4. §. licet ſententia.

589. Similiter nec citari debuerat Joannes Baconus; arbitratur enim & ipſe, quòd ſicut Deus non vult peccata, ſed tantùm illa permittit; ita non vult per ſe poſitive bona opera, ſed ſolùm vult illa permittere. Ex hoc ergo erroneo principio, quid mirum ſi prædeſtinationem neget ſecundum Dei firmum propoſitum, & illam conſtituat ſecundum boni uſus præſcientiam?

590. De Durando verò & Gabriële nec multùm curandum; prior namque Dei concurſum negavit: unde nec mirum quod circa prædeſtinationem minus bene loquutus fuerit. Gabriël autem cum in 4. diſt. 1. quæſt. 1. dicat Deum non verè cauſare, ſed cauſas ſecundas ad ejus præſcientiam, non mirum ſi ſiniſtrè de prædeſtinatione loquatur; quamvis & ipſe aliqua habeat pro Dei prædeſtinatione, divinoque concurſu, ſed nec firmiter aliquid habet.

591. Ocham autem quem pro ſe inducunt, nec nominare debebant, eum enim Joannes 22. errantem in fide in ſuis conſtitutionibus notat & damnat: ſciunt & ipſi oppugnatorem fuiſſe prædictarum Joan. 22. conſtitutionum.

592. Parique ratione nec Henricum de Gandavo ſequi debebant, cum enim ille magna ex parte doctrinam S. Thomæ impugnet, in multis à veritate diſceſſit, & in hac materia in particulari contra S. Anſelmum, expreſsè ab ipſo nominatum, tenet primam voluntatis motionem non eſſe à Deo: quod evidentet eſt falſum, ne quid ampliùs dicam. Habet etiam quòd Deus non facit ex nolentibus volentes, cujus totum contrarium S. Auguſtinus contra Pelagianos paſſim defendit: unde ab homine ſic S. Auguſtinum deſerente, & ad Pelagianos accedente, quid boni de Dei prædeſtinatione expectare debemus? Habet etiam plura alia Gandavus inopinabila: unde non eſt cur in ejus vel citandis, vel explicandis verbis immoremur.

593. Joannes autem Major falsò citatur: tenet enim ille expreſsè in prædicta diſt. 40. quæſt. 2. non dari cauſam prædeſtinationis ex parte prædeſtinati, ſeu ex parte præſcientiæ meritorum ipſius; & illam ex S. P. Auguſtino, imo ex Apoſtolo ſtatuit; licet teneat, ſed minus conſequenter, dari cauſam ex parte actualis

Digitized by Google

actualis peccati prævisi reprobationis: imo convictus postea quodam argumento, tandem in secunda solutione dicit reprobationis causam esse peccatum originale, propter quod justè quos Deus vult reprobat, ex misericordia liberando quorum vult misereri.

594. Cardinalis autem Petri Aureoli illud opusculum de impugnatione Lutheranorum non vidi, imo nec tale opus numeratur inter ejus opera novissimè prælo mandata Romæ anno 1596. nec inter ejus opuscula, quæ in primis operibus habentur. Imo *in* 1. *dist.* 41. *art.* 1. §. *propterea*, illorum refert sententiam, qui posuerunt bonum usum prævisum à Deo esse causam prædestinationis illius, qui bene usurus est gratia & libero arbitrio; & subdit, Sed hic modus dicendi non potest stare. Quod inter alia probat, quia effectus prædestinationis non potest esse causa ipsius; sed bonus usus arbitrij est effectus prædestinationis: ergo non potest esse quantuncunque prævisus bons usus causa prædestinationis. Quibus totam horum Doctorum doctrinam ponentium prædestinationem ex prævisione operum potissimè absoluta, manifestè reprobat. Deinde *in alio* §. *propterea talem oportet assignare causam*, ex Apostolo probat quòd in prædestinatione, salvanda est sola misericordia, & hoc ex inductis Apostoli verbis confirmat: ergo non est statuenda prædestinatio ex prævisione operum; quia jam esset ex justitia. Verum est, quòd etiam ibi sententiam S. Thomæ, & sui Scoti rejicit, & quandam singularem amplectitur de causa non positiva, sed negativa prædestinationis; sta quod qui objiciuntur Dei præscientiæ, non cum dignitate aut dispositione positiva, sed sine indignitate & obice, hos Deus ex gratia prædestinet. Quæ etiam illius sententia falsa est: ex multis, quæ modò omittuntur, sat est dicere, quòd cum omnes objiciantur Deo in massa originalis peccati, omnes objiciuntur Dei præscientiæ cum positiva indignitate & obice gratiæ; unde nullus sine positiva indignitate objicitur Dei præscientiæ, & sic ruit totum illius fundamentum.

595. Chrysostomum etiam Javellum qua ratione pro se inducunt? an nesciunt illud ejus opusculum de prædestinatione super 1. par. quæst. 23. fuisse ante ab inquisitoribus prohibitum, non alia ratione nisi quia malè de divina prædestinatione loquebatur. Non decet certè hos doctores ad suas defendendas sententias patrocinium ex libris prohibitis vendicare.

596. De Delphino autem, Raphaële Venusto, Joanne à Bononia, Julio Sireno, Flaminio, Turriano, Carthagena, Feliciano, Camerario, Rubione, Argentina, & similibus hujus classis authoribus, quid in hac parte dixerint, vel scripserint, nihil omnino curandum, quia nullam omnino habent authoritatem.

597. Dominus autem Cardinalis Bellarminus, similiter & Stapletonius illam mediam scientiam sæpius à nobis impugnatam defendunt, sequentes in hac parte doctrinam societatis; quamvis negent dari causam aliquam, rationem, vel conditionem prædestinationis ex parte prædestinati; quod quomodo cum illa scientia media non cohæreat, jam diximus supra.

598. Joannes autem Driedo prædestinationi secundum præscientiam non favet, ut supra hoc secundo libro manifestavimus. Sed nec in locis qui modò inducuntur, illam mediam scientiam, vel prædestinationem in ipsa fundatam aliqua ratione defendit: nam in primo loco nunc relato contrarium potiùs sine dubitatione confirmat. Dicit enim apertè Pelagianos non errasse in eo, quòd dixerunt Deum in sua præscientia eligisse fidem eorum qui crediturі erant; sed errasse quia negabant Deum incredulos facere fideles, in quo rectissimè dicit Driedo: damnat enim Pelagianos, qui præscientiam constituebant illius fidei, quam Deus hominibus non tribuebat, sed quam ipsi homines ex se habituri erani; quod est damnare fieri prædestinationem secundum præscientiam boni usus. In alio autem secundo loco modò inducto Joannes Driedo nihil aliud intendit, nisi Deum hos potiùs quàm alios voluisse præparare, secundum quod noverat illos præparandos ex efficacis gratiæ suæ dono, ut sequerentur & crederent: unde ex hoc nihil omnino pro prædestinatione secundum humani usus præscientiam potest deduci.

599. Ruardus etiam eis non favet, ejus verba sunt. *Quia non solùm ad gloriam æternam elegit nos Deus, sed ad certum etiam gloriæ gradum, & certam in cœlis mansionem, & ad hunc quasi scopum totam nostram vitam, omniaque opera & merita nostra eâdem suâ gratiâ disponit & gubernat.* Ecce, ex fine videlicet & ad gloriam electione dicit Deum dare omnia nostra bona opera & merita: ergo elegit nos ad gloriam ante operum prævisionem.

600. Venio ergo jam ad Scholasticos antiquos, quorum major authoritas est, qui prædestinationi secundum boni usus præscientiam non patrocinantur. Sanctus enim Bonaventura *in* 1. *dist.* 40. *art.* 1. 2. *parte articuli* dicit Deum prædifiniisse effectus prædestinatorum. Et in processu articuli asserit cum hac divina prædefinitione stare contingentiam & libertatem actus liberi prædifiniti: & in solut: ad 1. docet quòd præscientia futurorum supponit prædifinitionem eorum in Deo; & cum subjungit quòd *quando* alicui debetur locus secundum prædifinitionem æternam, potest quidem cadere & locum perdere, & alius qui non est prædestinatus potest illam acquirere, ita intelligit, quòd potest id evenire simpliciter & absolutè, seu in sensu diviso; quia statim subdit quod id nunquam eveniet. Omnia autem ista Sancti Doctoris dicta manifestè ostendunt ipsum docere prædestinationem secundum firmum Dei propositum, non secundum præscientiam boni usus. In omnibus autem locis ubi conjungit præscientiam cum prædestinatione, præscientiam admittit secundum S. Augustini mentem, quòd videlicet Deus in prædestinatione & electione, sua dona præscivit, & quod ipse facturus erat præscivit; non autem quòd præsciat Deus quid ex se facturus est homo, ut malè illa media scientia constituit. In alio autem loco ex 1. sent. in quo videtur asserere quòd bonus usus arbitrij est causa prædestinationis, loquitur de prædestinatione in executione, & quoad ultimum ejus effectum; & sic intelligi & explicari debet conformiter ad alia plurima ejus asserta, vel intelligit juxta alias tres explicatione statuendas pro vera intelligentia scholasticorum.

601. Albertus verò magnus, Alexander Alensis, & cæteris alij scholastici citati (ut uno verbo dicam ne in citandis ipsorum verbis diutius contingat immorari) ubicunque dicunt prædestinationem fieri ex operum prævisione, seu ex meritorum præscientia, in uno ex triplici sensu procedunt. Vel enim loquuntur de prædestinatione ad gloriam in ratione præmij, vel ultimi effectus prædestinationis; hanc enim prædestinavit Deus dare ex prævisione absoluta operum faciendorum ex efficacia gratiæ. Vel secundò loquuntur de prædestinatione non quatenus primum omnium effectuum includit, sed unum, vel alterum: constat autem unum prædestinationis effectum prædestinari à Deo propter alium, ut apertè docet S. Thomas 1. *p. quæst.* 23. *art.* 5. Vel ultimò intendunt prædestinationem non fieri sine ordine ad operum præscientiam, sed istum ordinem volunt esse prioris ad posterius, seu ad consecutum; ad ipsam enim prædestinationem sequitur in Deo certa

operum

Digitized by Google

operum præparatorum præscientia, quæ semper cum prædestinatione conjungitur, ut ex S. Augustino dictum est supra. Similiter cum dicunt prædestinationem dicere ordinem ad consensum liberi arbitrij, intendunt, dicere ordinem sicut ad effectum, non autem sicut ad id, ex cujus priori præscientia prædestinatio ipsa dependeat.

602. Potest etiam quarta ad hiberi explicatio, quòd videlicet dicant prædestinationem, & omnem electionem ad gloriam fieri quidem ex meritorum prævisione sed faciendorum ex efficaci præveniente Dei gratia; ita quòd ex volitione mediorum, Deus velit gloriam seu finem præparare: sic enim dicentes, errorem vitarent Pelagianorum, quia omnia ex efficacia gratiæ penderent, licet præposterè in Philosophia errarent, constituendo priùs volitionem dandi media, quàm intentionem finis.

603. Unde nullo modo Scholastici Doctores dicunt, aut dicere aliqua ratione possunt, prædestinationem ut comprehendit omnes suos effectus præsertim primum, fieri ex absoluta operum prævisione, quia hoc esset primam gratiam sub merito constituere, quod est apertè Pelagianum: similiter nec dicunt, aut dicere possunt, eandem prædestinationem fieri ex illa priori media scientia, quæ prædestinationi det totam certitudinem; tum quia Scholastici Doctores illam mediam scientiam non noverunt, ut fatetur etiam ipse Molina, ut diximus supra libro hujus operis primo agentes de media scientia; tùm potissimè quia illud Scholasticis tribuere, esset velle illos in Semipelagianorum incidisse damnatam sententiam, ut jam manet declaratum; quod tamen de Scholasticis Doctoribus dici nullo modo potest. Et ista sufficiant pro vera Scholasticorum doctrina & intelligentia, cum S. P. Augustino concludendo per illa verba, quæ ipse adhibet *libro de dono persev. cap.* 19. Ubi postquam similiter explicavit Doctores, qui prædestinationem videbantur statuere secundum boni usus præscientiam, subdit (quæ nos ad præsens etiam applicamus.) *Quid ergo nos prohibet quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere. Magis autem fortasse voluerunt hoc verbo in ea re uti, quod & facilius intelligitur, & non repugnat; imo & congruit veritati, quæ de prædestinatione gratiæ prædicatur. Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas Sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Congruit quidem præscientia veritati prædestinationis secundùm quod ab ipso S. Doctore exposita est, & à nobis ejus in omnibus sequentibus doctrinam, explanata fuit, tum in expositione Apostolici testimonij, *quos præscivit & prædestinavit*; tum in declaratione sententiæ illius S. P. Augustini, *prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum &c.*; tum denique in expositionibus modò adhibitis pro vera intelligentia Scholasticorum. Extra has explicationes præscientiæ, hoc scio, neminem aliter præscientiam boni usus arbitrij intromittere potuisse, nisi errando in materia prædestinationis.

604. In particulari falsò allegatur Alex. Alens. contra prædestinationem secundum Dei propositum, quia 1. *par. quæst.* 26. *memb.* 3. *art.* 3. docet divinam providentiam ita esse causam rerum, ut omnia eveniant, sicut ipsa disposuit ut evenirent: in quo manifestè cum S. Thoma consentit 1. *p. quæst.* 22. apertissimèque Dei providentiam verè res prædestinantem & prædefinientem agnoscit atque constituit; & à fortiori prædestinationem quæ, quoad objecta, pars est providentiæ divinæ: similiter ibi memb. 4. art. 2. pro certo supponit, quòd providere est prædeterminare; & à fortiori prædestinare est secundum firmum propositum prædeterminare, & non præscire quid liberum arbitrium ex se facturum sit.

605. Albertus verò magnus cum efficaciam prævenientis gratiæ, & Dei efficacem motionem defendat (ut in 3. & 4. hujus operis libro dabimus manifestum) & hæc sit effectus veræ prædifinitionis & prædestinationis, non secundum priorem præscientiam boni usus arbitrij, sed secundum firmum & stabile Dei propositum, ut authores cum quibus agimus apertissimè fatentur, manifestè prædestinationem secundum Dei propositum, & non secundum præscientiam boni usus arbitrij semper tenuit & docuit. Loca autem ex ipso Alberto Magno hoc attestantia infra citatis locis commodiùs referentur.

CAPUT XLII.

Rationes proponuntur induci solitæ à defendentibus prædestinationem secundùm illam mediam præscientiam.

606. IN defensionem prædestinationis secundùm illam mediam scientiam arguunt primò ejus defensores. Si prædestinatio constituatur in Deo secundum firmum ejus propositum ante omnem illam mediam præscientiam, plurima sequuntur inconvenientia: ergo prædestinatio non est secundum firmum propositum Dei ante præscientiam illam mediam. Antecedens ita probant. Quæ enim bonitas & clementia Dei, imo quæ æquitas patitur, ut nulla omnino ratione usus liberi arbitrij habita, Deus certos solùm quosdam homines ex æternitate elegerit, & prædestinaverit, reliquos verò reprobaverit. Quæ item æquitas, bonitas, vel clementia postulat, ut pro sua tantùm libertate absque ulla consideratione usus liberi arbitrij decreverit, ut ij in particulari essent prædestinati, illi reprobi. Certè id potius duri, feri, & crudelis, quàm clementissimi Principis, authorisque totius consolationis, bonitatis, ac pietatis esse videtur: eaque ratione potiùs obscuraretur divina justitia, quàm commendabilis redderetur

607. Secundò ita opponunt. Est præterea eadem sententia parum consentanea Scripturis Sacris. Etenim si Deus ex æternitate pro sua tantùm voluntate, ut haberet in quibus suam misericordiam & justitiam vindicativam manifestaret, nulla habita ratione usus liberi arbitrij hominum & Angelorum, decrevit ut ij soli consequerentur beatitudinem & prædestinarentur, alij verò ab ea omnino excluderentur, & reprobati persisterent, ad eumque finem voluit homines & Angelos, totumque hoc universum creare; Qua quæso ratione verum est, Deum velle omnes homines salvos fieri, in sempiternamque fœlicitatem omnes condidisse? Qua etiam ratione vere sub jure-jurando apud Ezech. cap. 18. affirmat se nolle mortem impij, sed magis ut convertatur & vivat? Qua item ratione in scripturis omnes in universum homines absque ulla exceptione ad pœnitentiam & vitam æternam invitat? Aut quo jure de non prædestinatis conqueritur quòd non ut oportet vivant, suamque salutem negligant? Profectò si quod impugnamus verum est, fictiones potius & irrisiones comparatione eorum qui vitam æternam non consequuntur, videntur istæ invitationes, atque objurgationes, quæ ex persona Dei factæ in scripturis continentur, quàm veri animi significationes.

608. Denique præterquam quod hæc sententia occasionem præbet hominibus despondendi animo, ne dicam desperandi, segniùs operandi, atque sentiendi de Deo non ut oportet in bonitate; atque ea de causa, minus hominum animos erga creatorem

Digitized by Google

diligendum ac colendum excitare videatur : Certè non video quanam ratione patentissima libertas arbitrij nostri, quam experimur, quæque tam apertè in scripturis Sanctis traditur, cum divina prædestinatione ita explicata cohærere valeat. Ita Molina in concord. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. formalibus verbis habet. Ex quibus constat totam vim rationum ejus ad ista capita reduci. Primum est, quòd non est æquitas, ut Deus ante habitam rationem boni vel mali usus arbitrij per illam mediam scientiam, ex sola sua voluntate hos prædestinet, & illos reprobet. Secundum caput est, repugnare sacris literis, in quibus habetur quod Deus vult omnes homines salvos fieri, & quod nullum vult perire. Tertium caput est, non posse Deum jure de non prædestinatis conqueri, quòd non rectè operentur, cum ipsi prædestinati non sint. Quartum caput est, quòd si prædestinatio est secundum propositum Dei ante præscientiam illam, fictiones & irrisiones sunt invitationes & exhortationes, quæ in scripturis inveniuntur, & non veri animi significationes respectu eorum qui prædestinati non sunt. Quintum caput est, dari hominibus occasionem despondendi animo, segniùs operandi, imò desperandi. Sextum & ultimum caput est, talem prædestinationem & reprobationem secundum propositum Dei, & non secundum præscientiam, ab hominibus tollere libertatem, quia illâ semel sic statutâ, non est liberum hominibus aliter operari, quàm prædestinatum est ab æterno.

609. Hoc ultimum fundamentale & capitale argumentum magis confirmat magisque ampliat Franc. Suarez, sic enim dicit. Illa prædestinatio non est in hominis potestate, ut est manifestum ; nec enim potest facere homo, quòd à Deo sic prædestinetur ; sed illa prædestinatione posita non potest homo non operari quod sic prædestinatum est : ergo absque libertate operatur homo opera sic prædestinata.

610. Quòd si dicatur, quòd quamvis Dei prædestinatio in potestate hominis non sit, actus tamen qui prædestinatur, in potestate libera hominis est, ut supra diximus agentes de divinis prædestinationibus. Contra hoc iterum instant. Non est in hominis potestate velle nisi id, quod est à Deo prædestinatum : ergo omittendo, non liberè, sed ex necessitate omittit, si id non est à Deo prædestinatum ut fiat : ergo quod sic omittitur, non imputatur homini ad culpam. Hæc ultima consequentia certissima est, quia in necessariis nec meremur, nec demeremur. Secunda verò etiam est certa, quia quod non est in nostra potestate ex necessitate omittitur.

611 Quod si rursus dicatur, quòd quamuis non stet de facto hominem aliud operari, quàm sit prædestinatum aut permissum, potest tamen aliud operari ; quia prædestinatio & permissio nihil subtrahit de potentia prædestinati, seu reprobi. Contra hoc iterũ insistunt. Respectu eorũ quæ non sunt à Deo prædefinita & prædestinata solùm habet homo potentiam radicalem & remotam, non autem habet potentiam liberam expeditam & proximam : ergo quòd non faciat homo opera illa, quæ prædestinata non sunt, homini ad culpam non imputatur, nec comperatione illorum liber censendus est. Antecedens patet, quia de ratione potentiæ proximæ est, quòd habeat omnia requisita ad operandum ; sed non habet homo in sua potestate divinam prædestinationem, quæ est unum de requisitis ut homo operetur : ergo respectu eorum, quæ non sunt prædestinata, non est in homine potentia proxima ad operandum illa. Prima consequentia probatur, quia ad usum & omissionem liberam culpabilem non sufficit, quòd velle sit in nostra potestate remota tantùm & radicali, ut patet ; quia hac ratione quæ omittimus ex ignorantia invincibili, vel ex naturali & inculpabili inconsideratione non imputantur nobis ad culpam. Et ratio est, quia licet illa consideratio remotè & radicaliter sit in nostra potestate ; tamen quia proximè nec habemus, nec habere possumus omnia necessaria, ut illa potestas remota reducatur in actum, ideo nec simpliciter, nec moraliter velle illud est in nostra potestate, nec non velle nobis imputatur ut liberum, sed excusatur ut necessarium. Alia argumenta cumulare non oportet, quia omnia ad ista reducuntur.

CAPUT XLIII.

Prædicta rationes militantes pro prædestinatione secundùm præscientiam boni usus, in suos authores retorquentur.

612. Ista autem cum nobis objiciuntur, nec nos à confitenda Dei gratia, & prædestinatione secundum propositum deterrere debent, sicut nec qui ista proponunt deterrentur à confitenda prædestinatione secundum præscientiam humanorum meritorum. Etenim omnia allata inconvenientia possunt contra prædestinationem secundum illam præscientiam procedere, & illa authores ij in sua sententia solvere tenentur. Quod sic aperitur. Si enim pro magno opponunt non esse dignum divina bonitate & clementia, nec æquitatem habere, quòd *absque consideratione liberi arbitrij* Deus quosdam *prædestinet*, & alios reprobet ; nec hoc esse *clementissimi Principis*, sed potius feri, crudelis, & duri. *Quomodo non* vident id æqualiter contra ipsos *procedere?* Si enim Deus præsciens per illam mediam scientiam istos homines bene usuros suo arbitrio, si in hoc rerum ordine constituerentur & malè usuros arbitrio, si in alio ponerentur, & tamen Deus pro sua libertate illos constituere voluit in ordine *illo*, *in quo* præsciebantur perituri ; relicto ordine alio in quo prævidebantur salvandi, ut planè ij authores affirmant : videant ipsi quomodo aliquid indignum in divina misericordia constituant ? Quæ enim bonitas vel clementia patitur (si hoc argumentum illorum vim aliquam habet) ut Deus pro sua voluntate velit constituere homines in illo rerum ordine in quo prævidentur perituri, relicto alio in quo prævidebantur salvandi: quasi de industria illos velit perire? Certè si est indignum divina bonitate & clementia, quod Deus homines prædestinet & reprobet absque consideratione usus prævisi, æquè, imo magis videtur *indignum* divina clementia, ut Deus homines salvandos præsciens, si in tali rerum ordine constituantur, *illos ex* proposito velit constituere in alio rerum *ordine*, in quo prævidentur perituri. Dicant enim hi authores, quare divina bonitas, divinaque clementia noluit constituere homines in illo rerum ordine, in quo præsciebantur bene operaturi ? & quare hoc prætermisso ordine illos constituit in alio in quo præsciti erant miserabiliter casuri ? Quomodo non vident authores isti majori cum apparentia posse illos homines de Deo conqueri, dicendo, vidisti nos bene operaturos, si in tali rerum ordine collocares, & tamen nos in illo collocare noluisti, sed in alio constituisti, in quo nos vidisti perituros, quasi de nostra perditione congaudens. Parique ratione, si istis authoribus apparet crudelitas quòd Deus homines aliquos absque consideratione usus liberi arbitrij reprobet. Quare non eis apparet saltem æqualis crudelitas, quòd Deus præsciens de hominibus & bonum & malum usum, si in diverso rerum ordine collocarentur, relicto bono usu, qui magis poterat inclinare divinam clementiam, & divinam bonitatem, ex sola sua voluntate eligat Deus statum alium, in quo misere prævidentur perituri.

Digitized by Google

turi. In reprobatione enim absque omni præscientia boni vel mali usus, non prævidetur aliquid boni, quod divinam invitet clementiam ad non reprobandum: at vero in reprobatione secundum præscientiam mali usus, præsupponitur aliquis bonus usus prævisus si in alio rerum ordine collocaretur homo; qui usus deberet divinam clementiam & pietatem magis inclinare ad hominem illum non reprobandum. Cum ergo isti authores in hac prædestinatione & reprobatione secundum præscientiam usus arbitrij, nihil indignum divina providentia & bonitate cognoscant, nec Deum crudelem, sed clementissimum Principem constituant: necesse est fateantur, nihil etiam indignũ divina bonitate & clementia inveniri in prædestinatione & reprobatione quæ fit secundum absolutum Dei propositum, nec per illam constitui Deum crudelem, sed clementissimum Principem totius pietatis.

613. Illud etiam aliud secundum inconveniens in sententia eorum pariter currit. Respondeant enim & ipsi; cur Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, & qui omnes sine exceptione ad pœnitentiam vocat, cum præviderit reprobos, si in alio rerum ordine collocarentur, bene operaturos & salvandos: cur illos, inquam, noluit in illo reum ordine constituere, noluitque salvari? Quid hîc respondere poterunt, quod multò melius non possit responderi à defendentibus prædestinationem & reprobationem secundum absolutum Dei propositum absque omni præscientia usus arbitrij.

614. Similiter tertium suum inconveniens solvant, & dicant; cur Deus de illis hominibus conqueratur, quod non benè operentur, postquam illos voluit constituere in tali rerum ordine in quo certò sciebat illos nec bene operaturos, nec salutem consecuturos? Respondeant, inquam, cur Deus de istis jure & meritò conqueratur, & non de aliis, quos secundum absolutum propositum non prædestinavit? Majori cum apparentia poterant homines illi respondere: quid de nobis conqueritur Deus, supposito quod nos constituit in tali statu, in quo scivit nos perituros, prætermisso statu alio prævisо, in quo si nos constitueret, bene operaremtur?

615. Item ad aliud quartum respondeant; quomodo non sunt irrisiones & fictiones, & non veri animi significationes, exhortari homines ad id, quod Deus scit illos non facturos, ex eo quod ab ipso Deo constituti sunt in tali rerum ordine, in quo præsciuntur non bene operaturi.

616. Et ratione eâdem, si sententia quæ constituit prædestinationem secundum Dei propositum præbet occasionem hominibus desponendi animo, aut desperandi, segnius operandi, atque sentiendi de Deo non ut oportet in bonitate; etiam sententia quæ constituit prædestinationem & reprobationem secundum illam præscientiam, eandem occasionem præbebit hominibus. Cum enim illi certò sciant se constituendos, vel in tali rerum ordine, in quo infallibiliter salvabuntur, vel in alio, in quo eadem certitudine damnabuntur: hæc certa præscientia sicut & certum propositum occasionem eis præbebit desponendi animo, segniùs operandi, cum certò sciant quod quidquid faciant, aut facere conentur, tandem illud omnino eveniet, quod præscitum est per illam mediam scientiam evenire.

617. Ultimò, si libertas hominum destruitur per prædestinationem secundum Dei propositum, ex eo quod illa posita non stat hominem aliter operari; etiam nec libertas arbitrij erit, posita prædestinatione secundum illam præscientiam, quia etiam illa constituta certa, ut constituitur, non stat hominem aliter operari?

618. Nec infringitur vis rationis hujus, cum respondetur, illam præscientiam supponere quod homo ita pro sua libertate operaturus sit, unde cum supponat libertatem non illam impedit; impeditur tamen per prædestinationem secundum propositum, quia antecedit hominis libertatem. Non inquam infringitur vis rationis factæ; tum quia ut probatum manet lib. 1. tract. de scientia media, per illam mediam scientiam non videt Deus sine sua motione hominem operaturum: unde potius illa media scientia impedit actualem hominis libertatem, eam vero prædestinatio secundum propositum causando perficit; tum etiam quia gratis admisso quòd illa præscientia supponat hominis libertatem, adhuc sequitur, quòd si semel præscivit Deus ex æternitate sua illum hominem malè operaturum, nec jam ille homo in tempore poterit excitari ut libere bonum operetur, quia infactibile est illum bene operari, illa præscientia præsuppositа. Unde videns S. Augustinus *lib. de dono persev. cap.* 15. eadem omnino inconvenientia, quæ opponebantur contra prædestinationem secundum propositum, sequi ex prædestinatione secundum præscientiam, sic dicit. *Ista cum dicuntur, ita nos à confitenda Dei vera gratia, id est, quæ non secundum merita nostra datur, & à confitenda secundum eam prædestinatione Sanctorum deterrere non debent; sicut non deterremur à confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, ut dicat: sive nunc rectè vivatis, sive non rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præscivit, vel boni si bonos, vel mali si malos. Nunquid enim, si hoc audito, non nulli in torporem segnitiemque vertantur, & à labore proclives ad libidinem post concupiscentias suas eant, propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse, quod dictum est? Nonne si Deus illos bonos futuros esse præscivit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur? Si autem malos, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur? Fuit quidam in nostro Monasterio, qui corripientibus fratribus cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret, respondebat: qualiscunque nunc sim, talis ero, qualem me Deus futurum esse præscivit. Qui profectò & verum dicebat, & hoc vero non proficiebat in bonum; sed usque adeo profecit in malum, ut deserta Monasterij societate fieret canis reversus ad suum vomitum, & tamen adhuc qualis sit futurus incertum est.* Hæc Sanctus Augustinus: ubi apertè hæc eadem argumenta, quæ antiquitùs contra prædestinationem secundum propositum opponebantur, contra eosdem retorquens convincit, eadem inconvenientia contra præscientiam æqualiter militare.

619. Imò quod majus est, videns Leonardus Lessius hæc eadem, quæ objiciunt inconvenientia, pariter contra suorum sententiam militare, qua prædestinationem secundum illam mediam scientiam constituunt, novissimè in suo libro de efficaci gratia prælo mandato 1610. Antuerpiæ in prologo ad tractatum de prædestinatione pag. 242. postquam prædestinationem secundum Dei propositum rejecit, etiam illam, quam primitùs mordicùs sui defenderant secundum conditionatam præscientiam, pariter reprobat, hæc verba expresè proponendo. *Alij confugiunt ad præsidium præscientiæ conditionatæ, sed etiam ex hac parum vel nihil solatij: hæc enim ad nihil aliud servit, quàm ut Deus summa facilitate sua decreta possit exequi illæsa intrinseca dispositione liberi arbitrij, non ut nos debeamus esse solliciti, aut possimus excidere ab eo quod ille nobis decrevit; aut consequi quod ipse nobis decernere noluit. Hæc igitur & similia remedia cum non sufficiant, ea ratio prædestinationis statuenda est, quæ solidum menti solatium adferat, quæ studium bonorum operum, sæculi contemptum, & Christiana perfectionis amorem excitet.*

Digitized by Google

620. Ecce jam expresse publicant prædestinationem secundum mediam scientiam parùm aut nihil solatij hominibus præstare, nec homines constituere sollicitos de sua salute, nec posse aliud efficere, quàm per illam ordinatum sit: unde reddere homines in segnitiem & torporem, ac desperationem affirmat, qua ratione illam rejicit, quam tamdiu defenderant.

621. Et rursus author idem *sect. 5. num. 26. §. ad confirmationem* & sequentibus inter alia inconvenientia duriorem dicit prædestinationem secundum scientiam mediam, quàm secundum propositum, illius enim verba sunt. [Ad confirmationem non nego, quin spectata Dei cognitione, & supremi dominij jure potuerit sic statui; sed dico id non congruere ejus bonitati & affectui, quę ex se habet erga creaturas; nec justitiæ, qua vindicat peccata; nec possibilitati salutis reproborũ; nec libertati; nec mutabilitati humanæ; nec multis sentẽtiis scripturarũ, ut supra ostensum est.] Et rursus [breviter sic declaro: præscientia enim cõditionata, qua isti authores omnia confici volunt, ad hoc quidem juvat, ut Deus facilius quæ vult, possit executioni mandare, illæsa intrinseca liberij arbitrij dispositione, non tamen facit ut decreta ipsius sint mitiora, aut ut ea, quæ sic decreta sunt, possint absolutè à nobis impediri, & quæ non decreta, possint re ipsa fieri. Non esse idcirco mitiora illa decreta, quibus secretio electorum & non electorum facta est, patet primò; ideò enim censentur dura, quia hoc ipso, quo quis est non sic electus, censetur excluſus, & ad providentiam Dei pertinet curare, ne numerum illorum intret; at hoc non tollitur per præscientiam conditionatam, sed potiùs augetur, quia subministrat modum occultè exequendi, & impediendi, ne quis non electus in numerum salvatorum intret. Nec refert, quòd Deus præsciebat illum excludendum, si hoc modo providentiæ uteretur, quia hunc providentiæ modum præscientia conditionata ei ostendit, & ipse eum ad hoc eligit, ut omnia sic evenirent, sicut ipse primò statuerat: Si ob aliam causam illum elegisset, v.g. quia maximè erat consentaneum naturis rerum, secus esset, nec ita ex intentione Dei viderentur excluſi: sed tunc iste modus non esset electus ut medium ad executionem illius determinatæ & primævæ intentionis: quod est evertere illam intentionem, vel efficere ut ejus executio sit incerta. Secundò quia supposita illa præscientia conditionata circa hunc ordinem rerum, Deus eadem facilitate, qua dicitur elegisse numerum salvandorum, & gradus gloriæ singulorum, poterat statuere positivè de numero damnandorum & de gradibus pœnarum cujuscunque; & totum illud exequi mediantibus variis decretis & permissionibus, sicut modò re ipsa contingit fieri; non tamen idcircò minus dura illa reprobatio. Addo illam præscientiam non minus odiosam reddere & duram negativam reprobationem, quàm sit positiva, sublata vel semota tali præscientia; quia utroque modo infallibiliter sequitur damnato: quivis mallet voluntatem suam prædeterminari, & necessariò impelli ad opus malum, quàm occultis modis ita gubernari, ut liberè faciat; quia illo modo plus haberet excusationis. Quod verò præscientia illa non efficiat, ut effectus prædefinitus possit absolutè à nobis impediri, supra num. 17. & sequentibus ostensum est. Etsi enim prædefinitio non mutet modum intrinsecum operandi voluntatis, tamen ita illi assistit, & illam gubernat, ut impossibile sit re ipsa opus non fieri: cum enim sit absoluta & efficax, atque adeo omnipotens, necesse est omnino ut res præfinita sit, nec ulla creatura id impedire potest, quamvis liberè, hoc est, absque intrinseca prædeterminatione voluntatis facienda sit.

622. Nec obstat, quod Deus antea præsciebat me tali momento liberè facturum, ita ut possem absolutè non facere, si me sic excitaret; quia superveniente absoluta præfinitione, objectum quodammodo immutatur & accipit quandam objectivam necessitatem, qua fit ut absolutè impediri nequeat. Ad providentiam enim Dei pertinet curare ut illud omnino fiat, quod absolutè decretum est à Deo, ut si ex tali motione prævia non sequeretur, deberet alia atque alia adhiberi, vel ipsum opus immediatè in voluntate poni. Prædiffinitio enim operis prior est ratione, quàm electio medij, quo Deus illud procurat fieri, ut ipsi docent, ac proinde non pendet ab hujus vel illius medij efficacia. Idem dicendum de omnibus aliis à Deo absolutè ante omnem prævisionem decretis, & hoc est unum ex maximis hujus sententiæ incommodis. Ante enim hujusmodi decreta res secundum se planè liberè fiunt, & facilè possunt à libero arbitrio impediri, quia nec in voluntate humana, nec extra illam habent aliquam causam determinatam & efficacem; & Deus illis non ita invigilat, ut omnino fiant: hinc absolutè possumus omittere bona opera, quæ facimus, & facere alia & excidere à gratia, & à salute æterna. At decretum superveniens illorum naturali conditioni, est causa ad illa determinata & efficax, & quandam objectivam necessitatem illis imprimit, ratione cujus non ampliùs possunt omitti: estque hæc necessitas antecedens, quia est causa operis, & supervenit ipsi naturali conditioni rei; secus est de præscientia, quæ sequitur eventum *rerum, ita* ut prius ratione res sit futura absolutè, *quam præscita.*

623. Dicent, illæ prædefinitiones *supponunt* illas res omnino liberè futuras ex hypothesi, ita ut facilè possint non fieri: ergo nullam adferunt necessitatem. Respondeo, id supponere, si res omnino sibi relinquãtur, & hypothesis simpliciter ponatur; non autem superveniente prædefinitione in illorum sententia. Etenim si secundum illos prædiffinitio divina necessitatem inducit tollentem libertatem; hæc ab ipsis admissa superveniens prædiffinitio res prævisas futuras ex illa hypothesi immutaret, ut quæ secundum se omnino potuissent impediri, jam non possint. Itaque perspicuum est, hanc suppositionem non efficere, quin prædefinitio absoluta aliquam necessitatem adferat, hominémque securum reddat, ita ut non possit de contrario eventu metuere: & sic tolleretur omne studium, profectus, & omnis solicitudo bonorum operum. Cur enim sit solicitus, si omnia jam ante sunt præfinita & taxata, & Deo incumbit curare, ut ipsius decreta impleantur? Rursus cur sit *solicitus*, cum certum sit omnem conatum solùm habiturum effectum respectu eorum, quæ sunt prædefinita; circa cætera omnino omnia fore irritum, ut semper opponunt contra veras prædefinitiones, cum retorqueatur adversus illas suas prædefinitiones post illam illorum præscientiam argumentum idem. Nec refert, quod dicatur posse, cum hoc totum posse nihil boni efficiat, nisi quod est præfinitum.] Hæc Leonardus Lessius. Manifestum est ergo verum esse quod dicimus, eadem quæ ab ipsis opponuntur inconvenientia contra prædestinationem secundum Dei propositum, æqualiter militare contra prædestinationem constitutam per illam mediam scientiam, ut etiam ipsi authores, cum quibus agimus, affirmant.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XLIV.

Quod argumenta prædicta pro ſtabilienda prædeſtinatione ſecundùm illam boni uſus præſcientiam, fuerint priùs à Pelagianis & Semipelagianis conſtructa.

624. OSTENDENDUM eſt jam, prædicta inconvenientia contra prædeſtinationem ſecundum propoſitum Dei objecta ex Pelagianorum ſchola deſcendere; ad quod ſi iſti authores attenderent, non tantùm illa magnificarent. Primum enim argumentum (quo ſtatuunt non eſſe dignum Dei bonitate & clementia, nec ejus æquitate, ut ita homines ſecundum ſuum propoſitum prædeſtinet, aut reprobet ante omnem illam præſcientiam) fuit unum ex Pelagianorum fundamentis ad idem oppoſitum, quo publicabant Deum acceptatorem eſſe perſonarum, & ex conſequenti minus æquum & juſtum, ſi abſque meritorum præſcientia alios pro ſua voluntate prædeſtinaret, & reprobaret alios, ut apertè tum alibi, tum Epiſtola 105 ad Sixtum ſub his verbis refert S. P. Auguſtinus: *Quod autem perſonarum acceptatorem Deum ſe credere exiſtimant, ſi credant quod ſine ullis præcedentibus meritis, cujus vult miſeretur, & quos dignatur vocat, & quem vult religioſum facit, parum attendunt.* Et poſt pauca: *Sed injuſtum eſt (inquiunt) in una eademque mala cauſa, hunc liberari, illum puniri.* Quibus verbis manifeſtè dicit Pelagianos contendiſſe Deum acceptatorem perſonarum, & minus æquum & juſtum conſtitui à prædicatoribus prædeſtinationis merè gratuitæ ſecundum Dei propoſitum ante meritorum præſcientiam quamlibet. Igitur hoc primum inconveniens Pelagianorum fuit argumentum.

625. Secundum verò inconveniens, (quo ſuadent prædeſtinationem ſecundum Dei propoſitum, & ante præſcientiam eſſe contra illud *qui vult omnes homines ſalvos fieri*; & contra alia Scripturæ teſtimonia, quæ omnes in univerſum ad pœnitentiam vocant) etiam potiſſimum fuit Pelagianorum fundamentum ad idem ſuadendum, ut ex multis S. Auguſtini, Proſperij, Hilarij, atque Fulgentij conſtat teſtimoniis, quæ, quia nota ſunt, omittuntur. Videatur præcipuè S. Auguſtinus. *Epiſtola* 107. *ad vitalem, & libro* 4. *contra Julianum cap.* 8. *de prad. ſanct. cap. etiam* 8. ubi refert Pelagianos ex iſto teſtimonio Apoſtoli, *Qui vult omnes homines ſalvos fieri*, contendiſſe impugnare prædeſtinationem ſecundum divinæ voluntatis propoſitum & gratiam, illam conſtituendo ſecundum meritorum præſcientiam.

626. Similiter illud tertium inconveniens ſupra relatum, quo objiciunt Deum juſtè non conqueri de non prædeſtinatis, quod non vivant ut oportet, & quod ſuam ſalutem negligant, ſuppoſito quod ab ipſo prædeſtinati non ſunt. Illud, inquam, ex Pelagianis refert S. Auguſtinus *libro de corr. & gratia cap.* 2. 3. & 4. Et potiſſimè *Epiſtola* 105. *citata.* In hoc enim ultimo loco ſic ait. *Poſtremo quonam ſe iſti excuſabunt modo? Nempe illo, quem breviter tanquam ex eorum voce ſibi objicit Apoſtolus, ut dicant: Quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejus quis reſiſtit?* Quod eſt clarè dicere, quo jure Deus de nobis conqueritur, quod non rectè vivamus, cum illius voluntati, ex qua ſola ſine noſtri uſus præſcientia non ſumus prædeſtinati, reſiſtere non valeamus. Quod argumentum in terminis proponitur modò.

627. Illud autem quartum inconveniens, quo opponunt irriſiones eſſe & fictiones, exhortationes quæ in ſcripturis inveniuntur, ſi prædeſtinatio conſtituitur ſecundum propoſitum Dei, & ante præſcientiam uſus arbitrij, oppoſitum fuit etiam à Pelagianis referente S. Hilario Epiſt. ad S. Auguſtinum ſub iſtis verbis: *Nam ſi ſic præ eſtinati ſunt, inquiunt, ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus poſſit accedere, quo pertinet tanta extrinſecus correptionis inſtantia?* Et paulò ante de eiſdem ita retulerat. *Aſſerunt inutilem exhortandi conſuetudinem, ſi nihil in homine remanſiſſe dicatur, quod correctio valeat excitare.* Et ipſe S. Auguſtinus *libro de corr. & gratia cap.* 2. 3 & 4. dicit, clamaſſe Pelagianos ſe corripiendos non eſſe, nec ad bonum exhortandos, ſuppoſito, quod bene operari non ſit eis per prædeſtinationem datum. Sic enim de illis refert in cap. 2. *Ut quid nobis prædicatur atque præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, ſi hoc nos non agimus, ſed id velle & operari Deus operatur in nobis.* Et in cap. 3. *Ergo, inquiunt, præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus, qui nobis præſunt; & ut faciamus, orent pro nobis; non autem nos corripiant & arguant, ſi non fecerimus.* Et in cap. 4. iterum de illis refert. *Præcipe mihi quid faciam, & ſi fecero, age pro me gratias Deo, qui mihi ut facerem dedit: ſi autem non fecero, non ego corripiendus ſum, ſed ille orandus eſt ut det quod non dedit..... Rectè autem corriperer, ſi eam meæ culpæ non haberem: hoc eſt, ſi eam poſſem mihi dare vel ſumere ipſe, nec facerem; vel ſi dante illo accipere noluiſſem.* Idem refert S. Proſper Epiſt. ad S. Auguſtinum. Ubi apertè tam ex S. Patre Auguſtino, quàm ex S. Hilario conſtat, Pelagianos affirmaſſe correctiones, invitationes, & exhortationes inutiles eſſe, & ad nihilum valere penitus, ſi prædeſtinatio ſecundum firmum Dei propoſitum poneretur.

628. Non minus autem invenitur à Pelagianis objectum, illud inconveniens quintum modò ex recentioribus relatum. Quod prædeſtinatio non ſecundum præſcientiam, ſed ſecundum firmum Dei propoſitum præbebat hominibus occaſionem deſpondendi animo, ſegniùs operandi, imò deſperandi. Sic enim de poſterioribus illis Pelagianis Maſſilienſibus refert S. Hilarius in Epiſt. ad S. Auguſtinum. *His verbis ſanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant, quandam deſperationem hominibus exhiberi.* Et Sanctus Proſper Epiſtola etiam ad eundem Sanctum Patrem Auguſtinum affirmat ſic dicere Pelagianos illos. *Ideoque omnem hominem ad credendum & ad operandum divinis inſtitutionibus admoneri, ut de apprehendenda vita æterna nemo deſperet, cum voluntariæ devotioni remuneratio ſit parata.* Ubi apertè refert, Pelagianos ſentire, deſperationem hominibus exhiberi, ſi prædeſtinatio ex abſoluta Dei dependeat voluntate, & non ex libera hominis poteſtate. Imò ipſe S. Auguſtinus *cap.* 17. *de dono perſeverantiæ* ita de illis etiam refert. *Hæc dicentes, nolunt hominibus prædicari dona Dei eſſe, ut veniatur ad fidem, & permaneatur in fide; ne plus exhortatio quàm deſperatio videatur afferre, dum cogitant qui audiunt, incertum eſſe humanæ ignorantiæ cui largiatur Deus, cui non largiatur hæc dona.*

629. Poſtremò illud ultimum. Quod videlicet per prædeſtinationem ſecundum Dei propoſitum, hominum impediatur libertas (quod modò objectum cognoſcimus) unicum fuiſſe ad talem prædeſtinationem negandam Pelagianorum argumentum, teſtantur innumera fere S. Patris Auguſtini teſtimonia: quæ, quia notiſſima omnibus ſunt, ad præſens omittuntur, alibi commodiùs recenſenda. Pro omnibus autem ſufficiat illud celebre ex Sancto Proſpero *Epiſtola ad Sanctum Patrem Auguſtinum*, quo affirmat inter alia, hanc eſſe Pelagianorum profeſſionem & definitionem, *Removeri* videlicet *omnem induſtriam, tolliquæ virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat*

Digitized by Google

voluntates; & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem. Manifestum est ergo, hæc omnia argumenta, quæ modò contra prædestinationem secundum Dei propositum inspiciuntur objecta, eadem in terminis antea in hac eadem causa, & ad eundem finem à Pelagianis fuisse proposita. Quod si authores adverterent, credimus quòd illis minimè uterentur. Quamvis autem contra hanc recentiorum sententiam aliud non obstaret; ex hoc solùm convincitur cum sententia Pelagianorum convenire, quòd illorum in omnibus utitur argumentis, & fundamentis.

630. Tandem videatur Sanctus Prosper in responsione ad cap. Gallorum, in sententiis, & in responsionibus aliis ad objectiones Vincentianas: & constabit apertè, omnes istas objectiones, quæ modo opponuntur, easdem esse cum illis, quibus S. Prosper respondet: à quibus in particulari recensendis modò abstinemus, quia in alio loco referentur.

CAPVT XLV.

Prædicta rationes refelluntur.

631. SUPEREST modò prædictis respondere. Prima ratio illud objiciebat, prædestinationem secundum Dei propositum, & non secundum præscientiam illam mediam, indignam esse Dei bonitate & clementia, imo ejus summa æquitate, per illamque Deum ferocem ac crudelem constitui. Quod est clarè dicere, Deum esse personarum acceptatorem: hæc enim omnia, quæ tam extensè, tot verbis exaggerantur, unico verbo *acceptionis personarum* (quod vitium contra æquitatem & justitiam militat) breviter comprehenduntur. Unde his, qui talia proponunt, fugientes verbum *acceptionis personarum* aliis idem omnino re ipsa dicentibus ac magis significantibus, adhibitis.

632. Respondetur primò, quod Sanctus Pater Augustinus simili argumento respondet, tum alibi sæpe, tum expresè *Epistola* 105. *ad Sixtum* sub his verbis: *Verùm isti, qui personarum acceptatorem fieri existimant Deum, si in una eademque causa super alios veniat misericordia ejus, super alios verò maneat ira ejus, nempè totas vires argumentationis humanæ in parvulis perdunt.* Quod & ibi efficaciter probat, unde post pauca dicit. *Quam quæso allaturi sunt causam, quod alius sic gubernetur, ut baptizatus hinc exeat, alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium priusquam ab eis baptizandus offeratur, expiret?* Et iterum prosequitur. *Quid hîc dicturi sunt, qui ut gratia dari possit, nonnulla præcedere merita humana contendunt, ne sit personarum acceptor Deus?* Et rursus post pauca sic concludit. *Ista cogitent, ista considerent, hîc audeant dicere Deum vel acceptatorem in sua gratia personarum, vel remuneratorem præcedentium meritorum..... Nimia vanitatis & cæcitatis sunt,* ait, *si etiam his consideratis, nondum dignantur exclamare nobiscum; ô altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus..... Qui enim sunt isti, qui respondeant Deo?* Et lib. 2. ad Bonifa. cap. 7. ita dicit. *Si autem quippiam duos habeat debitores, & alteri vellet dimittere debitum, alterum exigere; cui vult donat, sed neminem fraudat: nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est. Alioquin eis, qui parum intelligunt, potest acceptio personarum videri, ubi vineæ dominus operariis, qui una hora illic opus fecerunt tantum dedit, quantum illis qui pertulerunt pondus diei & æstus: æquales faciens in mercede, quorum tam magna distantia fuerat in labore. Sed quid respondit de hac velut acceptione personarum adversus Patrem familias murmurantibus? Amice, inquit, non facio tibi injuriam. Nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic novissimo dare sicut & tibi. An non licet mihi quod volo, facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? nempe hîc tota Justitia est: Hoc volo: tibi, inquit, reddidi, huic donavi: nec ut huic donarem, tibi aliquid abstuli; aut quod debebam vel minui vel negavi. An non licet mihi facere, quod volo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sicut ergo hîc nulla est acceptatio personarum, quia sic alius gratis honoratur, ut alius debito non fraudetur: sic etiam cum secundum propositum Dei vocatur alius, alius non vocatur: vocato datur gratuitũ bonum, cujus boni est vocatio ipsa principium: non vocato redditur malum, quia omnes rei sunt, ex eo, quod per unum hominem peccatum intravit in mundum.* Hæc & alia multa similia dicit Sanctus Pater Aug. prædictâ Epistola: in qua sicut & in omnibus aliis libris, & scriptis adversus Pelagianos, hoc triumphali de parvulis utitur argumento. Unde cum S. Augustino concludamus, hoc primum argumentum recentiorum, omnes vires argumentationis humanæ in parvulis totaliter perdere: & hæc sit prima solutio.

633. Libet autem pro humilianda hominum superbia, verba quædam adhibere, quæ S. Chrysostomus habet, lib. 1. de provident. *Sin vero is, qui tantorum arcanorum effectus particeps, ad tertium cœlum raptus fuerat, ad hanc tamen abyssum hærens, substitit, inspicienſque profundum divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, obstupuit solùm, atque inde resiliit: quid nos ipsos frustra concidimus, perscrutantes inscrutabilia, atque investigabilia curiosè inquirentes? Certe cum medicus contraria his, quæ nobis salubria videntur, præcipit, sive algens membrum profluo fonti subjicere jubeat, sive alia hujusmodi efficere, nonnunquam reluctamur: sed cum nobis antea persuaserimus, artis illius ratione cuncta facere, promptè ac libenter cedimus, idque cum ille sapius fallatur. Deum verò cujus viæ in omnibus incredibiliter à nobis distant, qui est ipsa sapientia, qui nunquam falli potest, punienda curiositate perscrutabimur? cumque illi simpliciter credamus, à quo facti rationem exigere, jure nostro possemus: ab illo, cujus solum credendum est nutui, eorum quæ gesserit causas ac rationes requiremus, atque hujusmodi indignè ignorantiam feremus? Haccine sunt religiosæ mentis ac piæ? Ne quæso ac supplico, ne ad tantam vesaniam progrediamur, sed in omnibus, in quibus ambigimus, illud potius nobiscum pia cogitatione volvamus: judicia tua, abyssus multa..... Plurima nos facimus, quæ cum liberis nostris noxia esse videantur, utilia sunt tamen: quorum neque illi causas quærunt addiscere, neque nos illis antea persuadere studemus, id expedire quod facimus: sed hoc solum illos admonemus, ut in omnibus cedant, quæcunque præceperint Patres, nihilque ulterius inquirant. Quod si parentibus nostris, & iis qui nobiscum eiusdem naturæ sunt, ita promptè, ita liberè obtemperamus, neque ulla ratione indignamur: Deo indignabimur, aut graviter feremus, quod non illius omnia nobis explorata sint, qui tanta excellentia hominibus præcellit, quantum inter Deum & homines discrimen intercedit? Et quid hac impietate gravius ac durius excogitari possit? Adversus hujusmodi sanè beatus Paulus indignans dicebat: alioquin ô homo tu qui es, qui respondeas Deo? Nunquid dicet figmentum factori suo, cur me ita fecisti?* Plurima talia habet Chrysostomus, quibus humanam retundit superbiam. Et ista sit secunda argumenti solutio.

634. Respondeo tertiò: quæ inclementia, vel quæ inæqualitas, aut quæ personarum acceptio erit, si Deus ex hominibus æqualiter peccato originali astrictis,

Digitized by Google

astrictis, hos miserando prædestinet, illos in suo debito per reprobationem relinquat pro solo suo beneplacito, qui quorum vult, misereturr, & quos vult obdurat. Nunquid si neminem inde liberaret, reputaretur iniquus; absit! imo exigeret quod sibi debetur: cum ergo pro sola misericordia sua aliquos liberet, ex sola sua voluntate illos prædestinando: alios autem reprobet, nulla invenitur injustitia: sed in aliis resplendet ejus misericordia, in aliis verò justitia ejus: in neutris verò invenitur injustitia. Et ratio convincens est; quia personarum acceptio in his solum, quæ de justitia debentur, locum habet, non in merè gratuitis, ut semper S. P. Augustinus & S. Thomas docuerunt. Propter quam etiam rationem, etiamsi nullum præcedat peccatum, sicut in Angelis non præcessit; eo solo, quòd gratia nulli est debita, nulla injustitia, acceptio personarum nulla, nulla crudelitas, nullave inclementia invenitur, cum Deus quosdam Angelos prædestinat ex solo beneplacito voluntatis suæ, alios reprobat, nolendo dare suum regnum & gloriam, quibus debita non erat. In hac ergo causa, quid suspicatur humana miseria, vel quid contra Deum murmurat humana fragilitas, si Deus aliquos, quos vult, prædestinat, alios pro eadem sua libertate justè reprobat. Rectè quidem forsitan possent de Deo conqueri, si prædestinatio, regnum, & gloria hominibus deberentur: Rectè forsitan possent adversus Deum murmurare, si ex reprobatione homines in malum, aut in peccatum ire cogerentur. Cum autem etiam reprobatione horum inparticulari & non aliorum posita, ex solo beneplacito divinæ voluntatis homines liberè ex sua propria malitia peccent, & damnentur; nulla inclementia est in Deo, si homines reprobet, nolens eis dare illam suam gratiam, quam nec eis dare tenetur.

635. Rationes autem, quare non solùm non est injustum, aut crudele, sed ad divinam bonitatem pertinet maximè quod ejus misericordia in aliquibus resplendeat ipsos prædestinando, & in aliis resplendeat divina justitia ipsos reprobando, expressè deducuntur ex Apostolo à S. Thoma 1. p. quæst. 23. art. 5. ad 3. contra cujus doctrinam expressè procedit hoc primum argumentum recentiorum, cum ibi illud S. Thomas in terminis solvat, ut modò diximus. Unde mirum est, quòd contra tam apertam doctrinam S. Augustini & S. Thomæ temporibus istis ita vociferent, imò contra Apostoli manifestam doctrinam, ut Sanctus Augustinus in epist. 105. & ubique alibi demonstrat. Cessent ergo istæ querimoniæ, cesset humana superbia, cessent istæ acclamationes vulgares indignæ profecto Theologo viro; quia ista omnia argumenta fracta sunt & comminuta in eorum primis inventoribus. Comminuta sunt per S. Thomam, per S. Augustinum, per Sanctos Patres, imò per Apostolum ipsum, cum dicit: *Igitur non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei.* Comminuta sunt clariùs, cum utrumque simul concludens, & de prædestinatione & de reprobatione dixit: *Ergo cujus vult, miseretur, & quem vult indurat.* Cujus vult (inquam) pro sola sua voluntate misereturr, quem vult, indurat. Ubi hîc merita? ubi boni usus præscientia? ubi scientia illa media, quæ aliquale meritum ad gratiam constituit? Nonne apertam protulit Apostolus de veræ gratiæ commendatione sententiam? Quod si jam, qui suam volunt constituere justitiam, non tam S. Augustino, vel D. Thomæ opponunt, sed Apostolo ipsi, indignum esse divina bonitate & clementia, indignum divina æquitate, si gratuitò omnino suâ gratiâ prædestinet ante omnis boni usus præscientiam; & si similiter alios reprobet; audiant & ipsi Apostolum dicentem: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa* (: utique merito, rectèque damnata:) *facere aliud quidem vas in honorem* indebitum, quia ex misericordia gratuita, *aliud in contumeliam* debitam propter iræ justitiam. Quis autem non videat argumentũ oppositum ibi invenire injustitiam, inclementiam, & crudelitatem; ubi prædestinatio & gratia merè gratis datur ante boni usus præscientiam; & ibi inveniri clementiam & pietatem, ubi merita per illam mediam scientiam aliqua ratione prævisa gratiam antecedunt? Qui autem plura in confutationem hujus argumenti videre desiderat, legat S. P. Augustinum prædicta epistola 105. 106. & 107. *quæst. 2. ad Simpl. & per totum fere de prædest. Sanct. & de dono persev. & lib. 4. contra Julianum cap. 8.* S. Thoma 1. p. *loco citato & quæst. 6. de verit. art. 2. & 3.*

636. Ad secundam rationem. Quod prædestinatio secundum Dei propositum opponitur illi Apostoli testimonio, *qui vult omnes homines salvos fieri,* & aliis, quæ omnes in universum homines vocant ad pœnitentiam. Respondetur ex S. P. August. *lib. 4. contra Julianum cap. 8. & epist. 107. ad vitalem, & de prædest. Sanct. cap. 8.* illos ex mala intelligentia illius testimonij id deducere. Quia videlicet putabant, Deum sic velle omnes homines salvos fieri, ut videlicet qui vellent, ideo salvarentur; & qui nollent, ideò non salvarentur: cum tamen ista intelligentia Pelagianorum sit, longè ab Apostoli mente diversa. De cujus intelligentia, plurima à nobis dicta manent supra hoc secundo libro, quando ex professo de vera intelligentia hujus testimonij tractavimus. Nunc breviter dicimus, quòd sicut Scriptura Sacra in illis citatis verbis docet, Deum voluntate antecedente & inefficaci omnes velle salvos fieri, & omnes velle ad pœnitentiam venire; ita eadem Scriptura Sancta in innumeris aliis locis palam affirmat, neminem venire ad fidem, & ad Christum, & ad salutem nisi ei datum fuerit à Deo per suam efficacissimam voluntatem, quæ omnia opera nostra bona prævenit; quæ est voluntas prædestinationis secundum firmum Dei propositum: per quod omnino excluditur illa prædestinatio secundum boni usus præscientiam.

CAPUT XLVI.

Alia recentiorum objectiones contra prædestinationem ex firmo Dei proposito dessolvuntur, præsertim illa quæ procedit ex injusta Dei querela.

637. TERTIA opposita ratio erat. Quòd si prædestinatio & reprobatio fit secundum Dei propositum, non conqueritur Deus jure de non prædestinatis, nec illi rectè corripi possunt, quod non rectè vivant, & quod salutem non quærant: si quidem reprobi non acceperunt, ut rectè viverent. Cui respondetur, justissimè Deum de non prædestinatis, seu reprobatis ante omnem usus liberi præscientiam conqueri, quòd non bene operentur; quia prædestinatio, seu reprobatio secundum divinum propositum illos ad peccatum non cogit, non movet, non applicat, nec illorum peccatum ex tali divina reprobatione procedit, sed ex propria malitia voluntatis descendit: unde justissimè de illis Deus conqueritur, justissimèque corripiuntur. Solutio est S. P. Augustini *libro de corr. & gratia cap. 2.* ubi postquam hoc illorum argumentum sub his verbis opposuit: *Ut quid nobis prædicatur atque præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle & operari Deus operatur in nobis.* Respondet. *Sed potius intelligant, si Filij Dei sunt, Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est, agant; & cum egerint, illi, à quo aguntur*

Digitized by Google

aguntur gratias agant : aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant. Et cap. 3. in fine ait : *Præcipit, nempe Apostolus, ut habeatur charitas ; corripit, quia non habetur charitas ; orat, ut abundet charitas. O homo in præceptione cognosce, quid debeas habere ; in correptione cognosce, tuo te vitio non habere ; in oratione cognosce, unde accipias quod vis habere.* Et postea in cap 4. proponit hoc eorum argumentum, qui dicunt se corripi non posse, quia non acceperunt : & illis respondens & istis, ait cap. 5. *Quicunque Dei præcepta jam tibi nota non facis, & corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tibi tua vitia demonstrari ?* Et post pauca : *Tuum quippe vitium est, quod malus es, & majus vitium corripi nolle, quia malus es.*

638. Sed contra instant. Reprobatus ante sui mali usus præscientiam non potest salutem obtinere : ergo non potest Deus de illo jure conqueri, quod illam non obtineat, nec sibi justè imputatur, quòd pereat.

639. Ad hoc respondetur ex sancto Thoma 1. p. q. 23. art. 3. ad 3. Vbi in terminis hoc solvit argumentum, dicendo, quòd quia reprobatio Dei non subtrahit aliquid de potentia reprobati, inde est quòd reprobatus potest absolutè & simpliciter salutem obtinere, licet compositè ista duo non stent simul, nec possibilia sint, quòd videlicet & ille sit reprobatus, & salutem obtineat. Vnde non conqueritur Deus de illo, quia non conjungat ista duo simul, videlicet assecutionem salutis, & reprobationem ; quia ut dixi, impossibile est illa duo à reprobato conjungi, nec liberam potentiam habet ad illa duo simul conjungenda ; sed de hoc Deus conqueritur, quòd cum potentiam liberam habeat ad non peccandum, nec ex reprobatione ad id moveatur, liberè peccare vult, & liberè salutem omittit.

640. Quomodo autem reprobatus absque auxilio gratiæ liber maneat ad peccandum, nec sit determinatus ad malum, ut ij recentiores sine causa opponunt, dicendum erit lib. 3. & 4 ex professo.

641. Argumentum quartum illud opponebat, ex prædestinatione secundum propositum sequi, fictiones esse & irrisiones, & non veri animi significationes respectu reproborum exhortationes, & incitationes, quibus passim Deus omnes in universum homines sine exceptione ad pœnitentiam & salutem vocat. Ad quod respondetur ; quod licet Deus respectu reproborum non habeat absolutam, & efficacem voluntatem quod convertantur & salventur, quæ dici solet voluntas consequens ; habet tamen voluntatem antecedentem qua vult omnes illos salvare, & ad pœnitentiam venire. Hanc autem voluntatem antecedentem & exhortationes, quæ in virtute illius dantur, vocare irrisiones & fictiones, est velle Sanctorum doctrinam irridere, & doctrinam istam non penetrare.

642. Præterea auxilia generalia ad salutem, quæ quando conferuntur, ex vi illius voluntatis antecedentis hominibus conferuntur, non ex vi voluntatis efficacis, quis unquam dixit esse irrisiones, aut fictiones ? Et tamen quia Deus scit, illis, in omni sententiâ etiam istorum authorum, non fore convertendos reprobos, necesse erit, quòd eadem omnino ratione, etiam irrisiones & fictiones ab his authoribus appellentur. Ideo autem & voluntas Dei talis antecedens, & auxilia generalia, quæ (quando conferuntur) ex virtute illius conferuntur, verè sunt animi significationes, & exhortationes veræ ; quia quantum est ex vi illorum auxiliorum, potest homo converti : & per talia generalia auxilia in ordine gratiæ potentiam habet sufficientem ad se convertendum : quod si non convertitur, ex defectu pravæ voluntatis est, ut lib. 4. copiosiùs ex professo comprobabimus, multa circa hoc aperiendo & declarando, ut animus quiescat sufficienter.

643. Sed nunc dicimus quòd miratur S. P. August. *lib. de don. persev. cap.* 17. quòd dicerent Semipelagiani prædestinationis definitionem utilitati prædicationis adversari ; quibus inter multa respondet : *Ego autem nolo exaggerare meis verbis, sed illis cogitandum potius relinquo, ut videant quale sit, quod sibi persuaserunt, prædicatione prædestinationis audientibus plus desperationis, quàm exhortationis offerri. Hoc enim est dicere, tunc de sua salute hominem desperare, quando spem suam non in se ipso, sed in Deo didicerit ponere ; cum Propheta clamet : Maledictus homo, qui spem habet in homine.* Et S. Prosper *lib. 2. de vocat. gent. cap.* 34. dicit : *Contra hanc invictæ veritatis splendidissimam lucem solent quidam non sobriè dicere, superfluo ad acquirenda bonorum operum merita laborari, frustrà etiam orationibus quibus Deus exorandus speratur, insisti, si ex incommutabili proposito ejus, Christiana gratia subsistit electio, nec aliter quidquam procedere potest, quàm omnipotentis voluntati dispositum est.* Ecce argumentum quod pro magno opponitur modò, frustra labores, frustra exhortationes, frustra orationes esse, imò omnia ista esse fictiones. Quibus tamen ille respondit in cap. 36. *Quamvis ergo quod statuit Deus, nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum, liberi arbitrij devotio relaxatur ; cum implenda voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum ; & qui bona gesserint, non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur : ob hoc enim in remotissimo ab humana cognitione secreto, præfinitio hujus electionis abscondita est.*

644. Ex quibus hoc in summa collige, quo argumentum adversariorum penitus destruitur, ideò præfinitionem electionis absconditam esse, ut scient homo pia opera, exhortationes, correctiones, & orationes effectus esse illius divinæ prædestinationis, quibus debet ipsa impleri, nullo modo dicat illa vel superflua, vel irrisoria. Eandem doctrinam, & solutionem tradit sæpè Sanctus Augustinus lib. de prædest. Sanct. ubi supra, & de corr. & gratia ferè per totum. Vnde Sanctus Thomas 3. *contra gent. cap.* 95. & 96. omnia cõprehendens ostendit, quòd immutabilitas divinæ providentiæ utilitatem orationis non excludit, quia orationes sunt effectus ipsius divinæ providentiæ, seu prædestinationis, quibus immutabilitas providentiæ, seu prædestinationis impletur, ipsius enim verba sunt. *Ostensum est supra, quòd divina providentia causas alias non excludit, quin potius ordinat eas ad hoc, quod ordo quem apud se statuit rebus imponatur ; & sic causæ secundæ providentiæ non repugnant, sed magis providentiæ exequuntur effectum. Sic ergo orationes apud Deum efficaces sunt, non tamen ordinem immutabilem divinæ providentiæ solvunt, quia & hoc ipsum quod tali petenti hoc concedatur, sub ordine divinæ providentiæ cadit. Simile est ergo dicere, non esse orandum, ut aliquid consequamur à Deo (quia ordo suæ providentiæ est immutabilis,) ac si diceretur, quod non esset ambulandum, ut perveniamus ad locum, nec comedendum ut nutriamur, quæ omnia patent esse absurda.* Constat autem eandem prorsus rationem esse de oratione, & de correptione, exhortatione & prædicatione : sunt enim effectus divinæ prædestinationis immutabilis ex Dei proposito, per quos ipsa impletur, & executioni mandatur. Unde contendere ista esse frustra, vel irrisoria (ut modò audimus) ex eo quòd Dei prædestinatio firma sit secundum Dei propositum ; nihil est aliud quàm dicere non esse ambulandum

Digitized by Google

bulandum ut perveniamus ad locum; imò nihil est aliud quàm ipsam prædestinationem non intelligere, quæ ita firmiter disposuit ut nonnisi per tales effectus homo suam salutem consequatur. Legat sapiens Lector utrumque citatum caput ex tertio contra gent. & multa ibi inveniet, quibus periculosum hoc argumentum, quo quidam convincuntur, manifestè diluit. Fateor quòd si prædestinatio occulta non esset, sed unicuique evidenter cognita, similiter & reprobatio, fortè argumentum aliquam apparentiam haberet, quòd tali evidenter cognita reprobatione, non essent utiles forsitan prædicationes, exhortationes, seu orationes, sicut ex supradicto S. Prosperi testimonio non obscurè deducitur.

645. Illud autem addendum, potiùs argumentum planè convincere contra oppositam sententiam de prædestinatione secundum boni usus præscientiam: ex illa enim semper Sanctus Pater Augustinus intulit contra illos, qui eam primitùs intromiserunt, tolli orationis necessitatem: de quo copiosè & efficaciter in 4. libro agemus, & convincens esse hoc argumentum aperiemus; Quia cum illa prædestinatio ponat in manu arbitrij nostri nostram salutem, & irrisoriè quis ab alio petat, quod in sua habet potestate, non esse pro nostra salute orandum, ex illa sententia concluditur.

646. Quinta ratio objiciebat, prædestinationem secundum Dei propositum, & ante mediam præscientiam præbere hominibus occasionem desponendi animo, segniùs operandi, imò desperandi. Ad quod respondetur illam occasionem non ex divina prædestinatione præberi, sed ex magna hominum malitia sumi; erit enim occasio accepta non data. Forsitan si Deus revelasset omnibus, istos esse prædestinatos, istos verò præscitos, posset argumentum aliquid apparentiæ habere, ut docet S. Thomas 1. p. q. 23. art. 1. ad 4. cum verò homines hoc non sciant; unde eis datur occasio desponendi animo, segniùs operandi, & desperandi? Imò è contra occasio præbetur, ut humilientur homines sub potenti manu Dei, ut cum tremore, & timore suam operentur salutem, ut Apostolus docuit. Hæc enim illatio ab Apostolo facta est; *Ideò cum tremore, & timore vestram operamini salutem, quia Deus est qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Huic illationi adhærendum est; hæc illatio ab omnibus est non speculativè solum, sed practicè inferenda. Deus pro bona sua voluntate prædestinavit opera bona quæ facit in nobis: ergo cum tremore, & timore nostram debemus operari salutem. Ecce Apostolus ipse ex prædestinatione secundum divinæ voluntatis propositum, quo Deus pro sua bona voluntate operatur in nobis & velle; infert ut cum timore, & tremore, & cum humilitate nostram operemur salutem. Molina autem ex eodem principio infert nos segniùs operari, imò desperare.

647. Procedamus ulteriùs, & videamus unde oritur ista occasio desperandi. Ex eo, si attendimus, illam deducit Molina, quia prædestinatio fit ex divina voluntate, non autem pendet ex nostra: igitur quia initium salutis ex Deo, ut dicunt Concilia, non ex præscientia provenit boni usus arbitrij, datur hominibus occasio desperandi. Hoc certè intendunt isti Authores, hoc dicunt. Contra quos in primis dicit Sanctus Augustinus lib. de prædest. Sanct. cap. 11. *Miror homines infirmitati suæ se malle committere, quam firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi* (dicunt ij Authores, sicut aliquando argumentando expresè dixerunt) *de meipso voluntas Dei. Quid ergo? Tua ne tibi voluntas de teipso certa est, nec times?* Et libro de dono perseverantiæ *cap.* 17. modò relato, inquit (cujus iterum non gravabor verba repetere, ut magis commendentur). *Ego autem nolo exaggerare meis verbis, sed illis cogitandum potiùs relinquo, ut videant quale sit, quod sibi persuaserunt, prædicatione prædestinationis audientibus plus desperationis quàm exhortationis offerri. Hoc enim est dicere tunc de sua salute hominem desperare, quando spem suam non in seipso, sed in Deo audierit ponere; cum Propheta clamet: maledictus omnis qui spem habet in homine.* Dicant ulteriùs, unde, vel quare ex prædestinatione secundum Dei firmum propositum datur occasio desponendi animo, segniùs operandi, ne dicant desperandi? Ex eo illam deducunt, quia quilibet (ut aiunt) poterat dicere, sine præscientia illius quod ego acturus eram, sum prædestinatus, vel reprobatus; unde quidquid faciam, sicut prædestinatum est, ita eveniet. Quid ergo oportet vel laborare, vel de salute esse sollicitum; si sum reprobatus, inquit homo insensatus, jam de mea salute despero: & quia an sim prædestinatus, vel reprobus ignoro; segniùs operor, animo desponeo, nolo corripi, vel argui si non fecero, quod faciendum est, quia nec id est mihi per divinam prædestinationem datum. Quando hæc audimus, non possumus non cum S. P. Augustino dicere libro de correp. & gratia cap. 4. *Patimini me paululum fratres mei, non adversus vos, quorum rectum est cor cum Deo, sed adversus eos qui terrena sapiunt, vel adversus ipsas humanas cogitationes pro cœlestis & divinæ gratiæ Charitate certare. Hoc enim dicunt, qui in suis malignis operibus ab hujus gratiæ prædicatoribus corripi nolunt.* Hæc Sanctus Augustinus. O argumentum vulgare, & horrendum inventum ad quærendas excusationes in peccatis.. Ad quod proinde respondetur cum eodem S. P. Augustino cap. 5. *Quicunque Dei præcepta jam tibi nota non facis & corripi non vis, etiam corripiendus es quia corripi non vis.... Tuum quippe vitium est, quod malus es, & majus vitium corripi nolle, quia malus es.* Non id provenit ex prædestinatione, aut reprobatione divina, sed ex tua propria malitia, *perditio enim tua ex te*, clamat scriptura: ex hac verò malitia provenit similis desperatio, similis animi dejectio, sicut & similis argumentatio.

648. Quod si perseverent in cogitationibus suis, & dicant, quid facimus, qui non accepimus ex divina prædestinatione, ut benè operemur, nec illud nobis possumus dare? Respondeant qui sunt isti, qui sic loquuntur, aut enim sunt infideles, aut fideles in gratia, aut fideles in peccato mortali existentes; nec enim potest medium aliud inveniri. Si fideles sunt in gratia cõstituti, certum erit illos sic non argumentari; quia & gratiã habent, & ipsa Dei gratia illorũ mentes illuminat, ne illa noxia proponant, nisi hac sua argumentatione cõclusi statim à gratia decidãt, & argumento suo ab se gratiam repellant, & in peccatum incidant. Cum enim gratiam habeant, nec dicere possunt non accepimus; utique qui gratiam justificantem acceperunt, à qua sua malitia, & hac prava argumentatione recedunt, ut copiosè in quarto libro hujus dicturi sumus. Si fideles sunt existentes in peccato, non possunt dicere non accepimus; acceperunt enim fidem & gratiam, & de bona in malam voluntatem suâ nequitiâ prolapsi sunt: deseruerunt enim Deum & derelicti sunt. Si autem sunt infideles, si non acceperunt, notum sit illis, quòd propter peccatum saltem originale non acceperunt, unde semper perditio ex ipsis provenit. Quæ doctrina copiosius multò erit à nobis infra lib. 4. aperienda, & manifestanda. Interim ad prædestinationem, & reprobationem revertamur; & cum de illa conquerentes, iterum murmurant dicentes, Quid nos facimus, qui malè vivimus, supposito quòd prædestinati non sumus, ut bene vivamus? Respondemus eis, non posse illos veraciter dicere se

Digitized by Google

nihil mali facere, qui malè vivunt. Si enim nihil mali faciunt, bene vivunt; si autem malè vivunt, de suo malè vivunt, quod vel originaliter contraxerunt, vel quod insuper addiderunt, ut semper docet Sanctus Pater Augustinus.

649. Quod si iterum mussitent, dicentes non oportet curare de nostra salute, & operibus bonis; si enim ista prædestinata sunt fient; si autem prædestinata non sunt, non fient, propter immutabilem prædestinationis ordinem. Quod modò recentiores proponunt, dicendo dari ex prædestinatione secundum propositum occasionem hominibus despondendi animo, & segniùs operandi, imò desperandi, nec curandi de salute. Si, inquam, hoc argumento in torporem, segnitiémque inducuntur; dicant simili omnino ratione si placet Omnia sunt à divina providentia ita incommutabiliter præparata, ut certissimè, & non aliter eveniant: igitur non oportet studere ut docti efficiamur; non oportet ambulare ut ad locum perveniamus; non oportet arare ut fructus percipiantur; nec pugnare ut victoria reportetur; nec denique oportet manducare ut nutriamur, & sustentemur. Dicant, si placet, ex certa, & immutabili providentia respectu omnium istorum operum dari eis occasionem despondendi animo, segniùs operandi, imò desperandi? hæc enim dicere vel imaginari absurdissimum est. Si ergo nullus est ita stultus, ut hæc sibi audeat proponere, cur quæso respectu operum ad salutem pertinentium istis damnabilibus imaginationibus, & argumentationibus ducuntur? Certè divina providentia, aut divina prædestinatio causas alias secundas non excludit; quin potiùs eas suaviter ordinat ad hoc quòd ordo, quem apud se statuit, per ipsas causas secundas impleatur, ut ex Sanctis Patribus explicatum est supra. Quod & Sanctus Thomas clariùs exponit *3. cont. gent. cap. 96.* dicens *Ostensum est supra, quod divina providentia causas alias non excludit, quin potiùs ordinat eas ad hoc quod ordo quem apud se statuit rebus imponatur, & sic causa secunda providentiæ non repugnant, sed magis providentiæ sequuntur effectum. Sic ergo orationes apud Deum efficaces sunt, non tamen ordinem immutabilem divinæ providentiæ solvunt, quia hoc ipsum quod tali petenti hoc concedatur, sub ordine divinæ providentiæ cadit.* Et post pauca. *Excluditur ergo ex præmissis duplex error circa orationem. Quidam enim dixerunt nullum esse orationis fructum, quod quidem dicebant tam illi, qui negabant divinam providentiam omninò, sicut Epicurei, quàm illi qui res humanas divinæ providentiæ subtrahebunt, sicut aliqui Peripateticorum, necnon & illi qui omnia, quæ providentiæ subsunt, ex necessitate contingere arbitrabantur, sicut Stoici.* Et iterum post pauca. *Quidam verò è contrario divinam dispositionem vertibilem orationibus esse dicebant, sicut Ægyptij.* Hi authores autem cum quibus agimus, ex eo quod certæ divinæ prædestinationi (quæ pars est providentiæ) humanas operationes subditas esse dicimus, inanem esse hominis conatum, industriam, & orationem contendunt; ac per hoc in illatione cum Stoicis conveniunt: in sententia autem assertiva, cum illis qui operationes humanas à divina providentia subtrahebant; nisi enim subtrahantur à divina providentia, & prædestinatione, inanes esse arbitrantur: cum potiùs si ab illa subtraherentur, nullæ omninò essent: nihil enim est quod ab illa subtrahi possit: imò in particulari, in eorum sententia frustraneæ essent orationes, si à Deo peterent, quod homines in sua haberent potestate, ut sæpissimè Sanctus Doctor Augustinus contra Pelagianos convincit.

CAPUT XLVII.

Argumentum illud tritissimum de ablatione libertatis ex positione firmæ prædestinationis secundum Dei propositum, ex doctrina Patrum dissolvitur.

650. ULTIMUM argumentum fundamentale (quod & in hac parte reputatur Achillis) illud tritissimum est, quod in hac materia ad quodlibet introducitur. Quod videlicet libertas patentissima arbitrij nostri auferatur, si divina prædestinatio firma secundum Dei propositum teneatur. Quod quomodo unicum fuerit Pelagianorum fundamentum ad negandam prædestinationem, & gratiam, dictum est supra. Quomodo etiam idem contra prædestinationem secundum præscientiam illam potiùs procedat, declaravimus supra. Quid insuper tale argumentum opponentibus sæpe respondeat Augustinus, ostendimus alibi. Sed quia hi authores cum quibus disputamus, illud non dubitant toties in hac materia opponere, quare nec dubitamus nos, idem semper verbis Sancti Hieronymi, Sancti Augustini, & Prosperi refellere. Sanctus Hieronymus *epist. ad Ctesiphontem sic* dicit. *Quod autem sursum deorsum jactitant, liberum arbitrium à nobis destrui: audiant è contrario eos arbitrij destruere libertatem, qui malè eo abutuntur adversus beneficium largitoris. Quis destruit arbitrium? ille qui semper Deo agit gratias, & quodcunque in suo vitio sunt, ad fontem refert? an qui dicit, recede à me, quia mundus sum, non habeo te necessarium? dedisti enim mihi semel arbitrij libertatem, ut faciam quod velucro: quid rursum te ingeris, ut nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleveris? si audulenter pretendis, ut Dei gratiam ad conditionem hominis referas, & non in singulis operibus auxilium Dei requiras, ne scilicet liberum arbitrium videaris amittere: & cum Dei contemnas adminiculum, hominum quæras auxilium. Audite quæso, audite sacrilegum &c.* Et iterum. *Injurium tibi fieri putas, & destrui arbitrij libertatem, si ad Deum semper recurras auctorem, si ex illius pendeas voluntate.* Et rursum ait. *Frustra blasphemas, & ignorantiam auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. Damnatur ille qui damnat. Cæterum nos ex eo differimus à brutis animalibus, quod liberi arbitrij conditi sumus, sed ipsum liberum, ut diximus, arbitrium Dei nititur auxilio, illiusque per singula ope indiget: quod vos non vultis, sed id vultis, ut qui semel habet liberum arbitrium, Deo adjutore non egeat. Liberum arbitrium dat liberam facultatem, & non statim ex libero arbitrio homo facit, sed Domini auxilio, qui nullius ope indiget.* Et iterum in proœmio ad libros contra Pelagianos. *Breviter calumniatoribus respondemus, qui sua in nos maledicta conferunt, Manichæorum esse, hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium, & adjutorium Dei tollere. Rursumque apertissima insania, hoc hominem dicere, quod Deus est. Et sic ingrediendum via Regia, ut nec ad sinistrum, nec ad dexterum declinemus, appetitumque propriæ voluntatis, Dei semper credamus auxilio gubernari.* Et iterum *libro 1. contra Pelagianos* ait. *Fruere liberi arbitrij potestate, ut contra Deum omnes linguam vanam, & in eum liberum probes, si tibi licuerit blasphemare.* Iterumque in secundo libro. *Quis magis supplantat populum Dei, qui liberi arbitrij potestate subtracto Dei tollit auxilium conditoris, & in sua voluntate securus est; an qui ad singulas sententias Præceptorum Domini judicium pertimescit?* Et tandem libro tertio Pelagium introducit dicentem. *Hoc doceat cur viri Ecclesiastici, & qui Magistrorum sibi usurpant vocabulum, tollant liberum arbitrium, quo sublato, Manichæorum secta construitur.* Cui

respondet

Digitized by Google

respondet Hieronymus, & nos his qui similia nobis objiciunt. *Egone liberum tollo arbitrium, qui in tota disputatione mea nihil aliud egi, nisi ut omnipotentiam Dei cum libero arbitrio conservarem.*

651. Sanctus etiam Augustinus *libro de gratia, & lib. arb. cap.* 20. ita dicit. *Satis me disputasse arbitror adversus eos, qui gratiam Dei vehementer oppugnant, qua voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam.* Et libro de bono viduitatis cap. 17. *Proinde arbitrium voluntatis humanæ nequaquam destruimus, quando Dei gratiam, qua ipsum adjuvatur arbitrium, non superbiâ negamus ingratâ, sed grata potiùs pietate prædicamus.* Et libro 1. ad Bonifacium cap. 20. inquit, *Nunquid homines Dei qui hæc scripserunt, imò ipse Spiritus Dei, quo authore per eos ista conscripta sunt, oppugnavit liberum hominis arbitrium? Absit; sed omnipotentis in omnibus & judicium justissimum, & auxilium Dei misericordiosissimum commendavit.* Et epistola 105. ait. *Quod enim putant auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem sine adjutorio Dei hominem habere consenserint, non intelligunt non se firmare liberum arbitrium, sed impellere, ut per inania feratur, non in Domino sicut in petra stabili collocetur.* Non intelligunt (inquit) Sanctus Augustinus, qui tale opponunt, se non firmare liberum arbitrium. Quia ut S. Prosper ait contra collatorem cap. 38. *Opitulationes divinæ gratiæ stabilimenta sunt voluntatis humanæ.* Et immediatè antea præmiserat. *Nunc conturbat nos superbientium inepta querimonia, quia liberum arbitrium causantur auferri, si & principia, & profectus, & perseverantia in bonis usque in finem, Dei dona esse dicantur, quoniam opitulationes divinæ gratiæ, &c.* Et prosa contra ingratos de opponentibus hoc argumentum ita dicit cap. 26.

Hîc vanam insano profertis corde querelam,
Omne opus arbitrij sublatum vociferantes,
Currere currentum, si non & velle volemum est:
Nec vitiis pœnam deberi, aut præmia laudi,
Si vel naturam obstrictam mala velle necesse est,
Vel nostro adscribi nequeunt bene gesta labori.
Nunquid non eadem sapiunt, eademque perorant
Vestri illi quorum ructatis verba Magistri?
Et post pauca.
Hoc itaque arbitrium cum sanat gratia, tolli
Dicitis, & perimi vita aspirante putatis.

652. Innumera sunt alia Sanctorum Patrum testimonia, quibus redarguunt opponentes ex prædestinatione, ex gratia, ex Dei motione liberum hominis auferri arbitrium, quæ longum esset recensere.

653. Illud ultimò dicimus, quòd asserere (ut recentiores prætendunt) quòd per prædestinationem secundùm quod explicatur à S. Augustino, & Sancto Thoma, & communi Scholasticorum sententia, tollitur libertas arbitrij, error Lutheranus est: Lutherus enim judicavit bonam esse consequentiam, quòd ex prædestinatione secundum Dei propositum absolutum aufertur libertas, quam consequentiam isti approbant. In antecedenti enim Lutherus non erravit, imò nec ausus fuit de illo dubitare, quia videbat ab omnibus Doctoribus affirmari. Isti autem authores ut respondeant Lutheranis, potiùs favent illis, aprobando illorum consequentiam, & affirmando optimè sequi ex prædestinatione secundum propositum Dei, tolli libertatem: qua ratione & consequentiâ Lutheranorum convicti, atque concluſi, compulsi sunt negare antecedens, videlicet prædestinationem esse secundum firmum Dei propositum; negando antiquorum Patrum doctrinam traditam contra Pelagianos, & introducendo solo nomine prædestinationem. Itaque (ut uno verbo concludam) ad sententiam Palagianorum proximè accedunt, & Lutheranorum approbant consequentiam.

654. Imò cum fatum nobis adscribant, ex eo quòd secundum Dei firmum propositum prædestinationem defendimus, de eis dicit S. Chrysostomus oratione 2. de providentia & fato. *Qui sunt autem qui Deo maledicunt? Qui ex sapientia providentia, ejus fati confusionem, & necessitatem rerum extruunt.* Certè nos ex Dei prædestinatione, quæ secundum Apostolum non est nisi secundum Dei propositum, custodiri, firmari, & perfici hominis libertatem, sine fatali necessitate semper defendimus cum Sanctis Patribus relatis. Qui ergo arbitrantur sequi infallibiliter fatum ex tali prædestinatione, sicut recentiores contendunt, hi sunt qui fatalem iterum introducunt necessitatem. Quia ex principio quod verissimum esse, satis, ut credimus, manet comprobatum, hanc illationem fatalem ipsi deducunt; illud, quod grave inconveniens est, Sanctis Patribus qui Pelagianos devicerunt, opponentes, quòd fatum astruerent: quo nihil absurdiùs potest confingi.

CAPUT XLVIII.

Scholasticè prædictum argumentum de ablatione libertatis dissolvitur.

655. Non solùm ex dictis solutum, sed comminutum manet argumentum. Sed quia omnibus debitores sumus, ut omnes capiant, Scholastico more illi respondeamus. Igitur respondemus, quòd si ipsi non vident quomodo patentissima libertas arbitrij cohæreat cum prædestinatione secundum propositum, non propterea id negandum est, quod non vident. *Nunquid enim* (dicit Sanctus Augustinus lib. de dono persever. cap. 14.) *ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est? Nunquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse; quoniam cur ita sit, non possumus invenire.* Sciunt & vident Patres, homines liberum arbitrium habere: quamvis ergo nesciant quomodo stet cum divina prædestinatione & gratia, non ideo negare debent, quod apertum est; quia comprehendi non potest modus qui occultus est. Itaque cum audimus eos dicere se hoc non videre. Oramus Dominum, ut illorum oculos aperire dignetur, ut videant, & fateantur, & certissimæ veritati non contradicant.

656. Sed dicunt, se ideò non videre; quia stare non potest libertas cum prædestinatione illa. Ad quod respondetur. Imò stare non potest libertas sine essentiali subordinatione ad priorem divinam voluntatem; nec aliquando libertatem in actu bono exercebit arbitrium absque illa divina prædestinatione, quæ secundum firmum Dei propositum movet, & firmat arbitrium bonum, ut supra abundè declaravimus. Et ad primam probationem; quòd supposita illa prædestinatione arbitrium non potest alia operari. Distinguitur cum S. Thoma *1. p. quæst. 23. art. 6. ad 2.* & cum communi Theologorum Schola. Quod in sensu composito non potest prædestinatus aliter operari, quàm prædestinatum est; id est, impossibile est ista duo simul componi, atque conjungi, quòd prædestinatus sit, & aliter operetur quam prædestinatum est; esset enim potentia ad simul contraria, vel contradictoria. Cæterum absolutè & simpliciter, sive divisè potentiam liberam habet, etiam supposita prædestinatione, ad aliter operandum; quia Dei prædestinatio potentiam liberam non immutat; &

Digitized by Google

ex consequenti libertas cum prædestinatione optimè cohæret.

657. Ad secundam confirmationem quæ desumitur ex Francisco Suarez. Respondetur, quòd licet non sit in hominis potestate divina prædestinatio; & licet prædestinatione posita non possit homo in sensu composito abundè satis explicato, aliter operari, id est fit incompossibile hominem aliter operari, quàm prædestinatum est; optimè tamen habet libertatem, quia libertas in hoc consistit, quod etiam posita prædestinatione potentia libera maneat in homine ad aliter operandum, licet non stet aliter operari; quia gratia facit quòd illud velit liberè semper amplecti, quod prædestinatum est. Inferre autem, ex hoc quòd homo non habet in sua potestate divinam prædestinationem, & quod illa posita non possit in sensu conjuncto sive composito aliter operari, quòd homo libertatem non habeat; Quis non videt esse argumentum in terminis factum à Pelagianis, & solutum à S. Augustino, hoc referente ipso Sancto Doctore lib. de corr. & gratia cap. 4. *Rectè autem corriperer, si eam mea culpa non haberem; hoc est, si eam possem mihi dare, vel sumere ipse, nec facerem: vel si dante illo accipere noluissem.* Hæc dicebat Pelagianus, negans se corripi debere propterea quia libertatem non habebat. Ex duobus autem probabat, se libertatem non habere correctione dignam. Primò, quia non poterat sibi dare ipsam gratiam. Secundò quia dante Deo gratiam, ipse non poterat non accipere; propterea inferebat se nec liberum manere, nec corripi debere: fatebatur tamen se liberum esse, & corripi posse, si posset sibi dare gratiam & non daret; vel si Deo dante gratiam, ipse recipere noluisset. Igitur manifestum est hoc argumentum, quod hodie ab aliquibus tantùm celebratur, in terminis fuisse Pelagianorum fundamentum. Sic enim modò dicitur. Non est in potestate mea illa prædestinatio & gratia, & illa posita non possum non recipere: ergo liber non sum. Rectè autem mea servaretur libertas, si vel prædestinatio esset in mea potestate, vel illa posita aliter possem operari.

658. Ad hoc igitur argumentum respondetur, non esse de ratione creatæ libertatis quòd possit sibi dare motionem primæ causæ; vel ejus prædestinationem, aut gratiæ auxilium mereri, aut acquirere; nec in hoc ejus consistit libertas: imò contra rationem propriam secundæ causæ liberæ est habere in sua potestate primam motionem causæ primæ, & illam vel mereri, vel acquirere. Quod nunc supponimus, commodiùs comprobandum infra tertio hujus operis libro.

659. Similiter secundò, non est de ratione causæ liberæ ut posita Dei prædestinatione simul stet illam aliud operari, quàm prædestinatum est; quia nulla potentia in homine est ad duo contradictoria simul conjungenda: contradictio autem esset, aliquid esse prædestinatum faciendum per hominem; & quòd per hominem non fieret: contradictoriè enim ista, saltem mediatè & virtualiter opponuntur, ut alibi declaratum fuit. Igitur de ratione creatæ libertatis est, & in hoc consistit creata libertas, quòd prædestinatione posita liberam potentiam habeat ad aliter operandum, & liberè mota à divina prædestinatione, bene liberè operetur. Quia ut dictum est, divina prædestinatio utrumque prædestinat, & operationem fieri ab homine, & liberè fieri, ut sæpe dictum est; & per hoc patet ad aliam confirmationem ibi positam. Quomodo autem Deus efficaciter & liberè moveat, explicatum dedimus supra tract. 1. cap. 8. & sequentibus.

660. Similiter in primo libro par. 2. tractatu 3. de divinis prædestinationibus ostendimus, nulla alia efficaciori viâ posse tolli aut impediri actualem humanam libertatem, quàm negando divinæ voluntatis efficacem prædefinitionem & prædestinationem circa humanas operationes; quia cum illa auferatur, tollitur prima magistralis rota, à qua omnes aliæ nostræ voluntatis in suo motu dependent: unde cessante illa priori, necesse est quod omnes aliæ à suo motu quiescant: non minus quàm cessante in horologio prima ac suprema rota, cessant & reliquæ inferiores omnes. Quod totum manifestat illud Aristotelis commune principium, secunda causa mota movet, ac per hoc non mota à prima, non movet. Sic ergo liberum hominis arbitrium cum essentialiter secunda causa sit, si à prima ponatur non moveri, nec poni potest quòd se moveat: unde hac via impeditur totaliter omnis ejus actualis libertas, vel ponitur primum esse suæ actionis principium: quod aliquando hi authores confessi sunt; si autem creatum arbitrium suæ actionis est primum principium, duo sine dubio constituuntur prima principia, quod S. Thomas ostendit *in 2. dist. 37. art. 2.* qui ibi videndus est interim, dum hæc ex professo transferimus demonstranda in tertio hujus operis libro. Quis autem non videat, cum arbitrium nostrum ab eis ponitur primum nostræ operationis principium, nostram omnino libertatem impediri; cum talis ei libertas tribuitur, quæ ejus essentiæ & definitioni repugnat. Illius enim essentia est, quòd sit secundum liberum; & ejus ratio, quòd non se primò, sed secundariò & dependenter à primo libero se moveat: cum ergo hoc ab illo auferatur, procul dubio ejus propria essentia & ratio *negatur.* Quod sic ampliùs ostendi potest. *Manifestum est* enim, quòd datur primum liberum: *manifestum est* etiam, quod datur secundum liberum: *manifestum* est denique quòd per rationem *abstrahitur* liberum ut sic à primo & secundo libero, & quod analogicè de utroque dicitur: sicut etiam datur ens ut sic à primo & secundo ente abstractum. Rursus manifestum est, quod quodlibet liberum ex *illis* tribus suam propriam habet definitionem: *definitio liberi* ut sic in sua abstractione est, quòd possit hoc, vel illud velle, (non curando modò, an hæc sit inter alias accommodatior liberi definitio, nam de hoc accuratiùs in tertio libro agendum est) hæc enim traditur ab authoribus cum quibus agimus, & illam, ut ratio convincat, admittimus. Igitur secundum illos, liberum ut sic est quod potest velle & non velle, velle hoc vel illud: definitio autem primi liberi erit, quòd primò possit hoc vel illud velle: unde pari ratione definitio secundi liberi esse debet, quòd secundò possit hoc vel illud velle: igitur cum creatum arbitrium sit essentialiter secundum liberum, ejus definitio erit, *quòd* secundò possit hoc vel illud velle: cum ergo hoc ei denegatur, constituendo, illud non secundariò, sed primò se movere ad volendum, constat quòd illius definitio negatur, & essentia destruitur. Cum ergo nos defendimus, quòd creatum arbitrium non primò, sed secundò, & dependenter à primo se movet, nostram libertatem defendimus, & propriam ejus definitionem: cum autem per oppositum isti authores negent ipsum secundariò & dependenter à primo se movere, contendentes quòd primò se movet; constat quod illius negent propriam definitionem, ac propriam libertatem. Unde cum objiciunt, quòd ex efficaci Dei prædestinatione seu prædefinitione læditur nostra libertas, quod semper in ore habent, nihil aliud opponunt (si attendere volunt) quàm quòd negatur creata libertas, ex eo quod illius propria definitio defenditur: quo nihil potest opponi impossibilius, nihil absurdius.

661. Ad aliam confirmationem, qua dicitur respectu eorum, quæ non sunt prædestinata, tantùm habere hominem potentiam radicalem sive remotam,

non

Digitized by Google

non proximam & sufficientem, in quo multùm instant ij authores. Respondetur falsum esse id omnino; imo habet homo respectu omissionis, de qua procedit argumentum, liberam, proximam & sufficientem potentiam, qua liberè omittit, & ideo omissio illi imputatur. Et ratio hujus est, quia divina motio efficaciter movens potentiam ad actum, vel divina voluntas sic volens efficaciter movere non constituit causam sufficientem & proximam; imò supponit causam jam constitutam in ratione causæ proximæ & sufficientis: in ordine ad naturalia proportionata, per formam proportionatam: & in ordine ad supernaturalia per habitus supernaturales, vel auxilium sufficiens, quo reddatur potens operari. Itaque divina motio efficax non requiritur ad causam sufficientem & proximam, nec est de ratione illius, sed causam sufficientem & proximam supponit: est autem illa divina motio efficax de ratione causæ actualiter operantis. Error autem contingit in hac parte non distinguendo de requisitis ad causam proximam sufficientem, & de requisitis ad causam actualiter operantem. Certum est enim posse esse causam proximam & sufficientem, licet impediatur ne producat effectum, & licet non applicetur efficaciter ad operandum. Voluntas enim per habitum charitatis est causa proxima & sufficiens ad opera charitatis, licet illi deficiat actualis divina motio & applicatio, hæc enim est de ratione causæ actualiter operantis, ut dixi. Similiter potentia libera, ad omittendum est causa proxima & sufficiens, quia habet in se omnia sufficientia ad omittendum: & quando per divinam prædestinationem impeditur ab omissione, manet causa proxima & sufficiens ad omittendum; non tamen omnia requisita habet ut de facto omittat: quando autem permittitur omittere, jam quæ erat causa proxima & sufficientissima ad omittendum, ex sua prava voluntate fit actualiter omittens. Doctrina ista copiosiùs explicabitur & comprobabitur infrà hoc secundo libro, ibi enim illam remittimus efficaciùs aperiendam.

662. Ad exemplum de ignorantia invincibili, vel de inconsideratione inculpabili. Respondetur non adduci ad propositum. Propterea enim illud, quod per ignorantiam invincibilem habetur (& proportionaliter idem dicitur de inconsideratione inculpabili) non imputatur, quia deficit ibi prima radix libertatis, imò prima radix voluntarij, quæ cognitio est: unde cognitione invincibiliter de medio sublata, non manet potentia libera, imò ut dixi, nec aliquo modo voluntaria ad illum actum; quia prima radix intrinseca homini, à qua pendet libertas, aufertur. Hæc ergo est differentia inter divinam motionem ex una parte, & cognitionem seu rationem ex alia, quòd deficiente divina motione quæ applicat potentiam ad actum, ipsa voluntas per rationem quæ est libertatis radix, & per suam formam in actu primo proportionatam actui secundo, verè est potentia proxima & sufficiens respectu actus secundi. Cæterum etiamsi ponatur divina motio applicans & movens ad actum, si tamen voluntas ratione vel cognitione caret invincibiliter, caret intrinseca suæ libertatis radice, & sic libera ad illum non manet, nec illi imputari potest.

663. Concludamus ergò jam, plurimas assertiones Recentiorum relatas lib. 1. part. 1. tract. 6. (quas de prædestinatione secundum scientiam illam mediam seu conditionalem constituunt) falsam contra Dei æternam prædestinationem continere doctrinam, & omninò esse à Theologo rejiciendas. Quia verò assertio alia eodem loco relata est particularis aliquibus ex eadem societate, qui dicunt aliquos fuisse prædestinatos, ut salutem consequerentur sine libertate sua, oportet & eam examinare, & examinando confutare.

CAPVT XLIX.

Quòd ex adultis purè viatoribus nullus sine sua libertate salutem fuerit consecutus.

664. ILLA trigesima secunda assertio supra lib. 1. part. 1. tract. 6. cap. 22. ita habet (placet enim hîc iterum eam repetere.) *Atque hinc præterea intelligi potest, quæstionem hanc non nisi de his prædestinatis moveri, qui communi & ordinario modo prædestinantur; ita scilicet, ut mortaliter etiam peccare possint, ac proinde liberè, non modo libertate contradictionis quoad exercitium bonorum actuum (qua nullus prædestinatus caret, sicut nec merito vita æterna:) sed etiam libertate contrarietatis, qua possunt peccando mortaliter damnari, salutem suam consequantur. De his enim duntaxat explicare oportet quomodo in illorum potestate libera sit cum Dei auxilio salutem consequi, quamvis eam consequi nequeant, nisi prædestinati sint: Nam alij, qui singulari quadam & excellenti ratione prædestinati sunt, ut fuit imprimis beata Virgo & Apostoli: & si qui alij ita sint confirmati, ut peccare mortaliter non possent; cum in ea gratia, in qua confirmati sunt, necessariò perseverent; ac eatenus non liberè libertate contrarietatis, sed necessariò salventur; non opus est quærere, utrum propter aliquod ipsorum meritum liberum prædestinentur. Quamque ex eo solùm quòd Deus vult ipsos necessariò fieri salvos, minimè sanè liquet eos ita singulariter prædestinari sine ullo suo merito. Queri enim nihilominus posset, an id ipsum illi aliquando liberè promereantur; ut scilicet, beneficio singularis ejusmodi prædestinationis necesse sit ipsos salvari, nec id pendeat ex ipsorum libertate. Verum de ijs prædestinatis, ut dixi, non solet moveri quæstio hæc de causa meritoria prædestinationis. Nam cum non oporteat defendere ab hujusmodi prædestinatis obtineri salutem liberè libertate contrarietatis, nemo magnopere repugnabit, quominus asseratur eos divina prædestinatione sic à Deo præveniri, ut sine ullo ipsorum merito (quod sit quidem meritum omnium effectuum prædestinationis) prædestinentur.* Ita habet Gregorius de Valentia 1. p. quæst. 23. disp. 1. punc. 4. §. 2. & in puncto 6. ejusdem quæstionis §. denique, sic dicit. *Quod autem nulli omninò ex illo primo ordine liberè salventur, non opinor dixisset Catharinus: siquidem constat secundum legem ordinariam omnes liberè salvari, qui salvantur; & non nisi de quibusdam paucissimis concedere Theologos, quòd singulari gratia, & quasi ex privilegio ita divinitus inciantur ad bonum, & in bono conservantur, ut sponte quidem, sed necessariò salvi fiant, qui nimirum confirmantur in gratia.* Hæc illius authoris verba sunt in secunda impressione contenta: nam ut in 1. lib. citato loco præmisimus, in editione prima, non omnia ista verba habentur, sed alia, quæ prædicto libro primo relata sunt, absque ultima illa intermedia additione de libertate quoad exercitium & quoad specificationem: nam in prima editione omnis libertas negabatur absolutè, nulla præmissa distinctione de libertate exercitij, seu specificationis: & sic apparet authorem primitùs cum Catharino, imo cum illis à quibus Catharinus illam sumpsit sententiam, qui & relati sunt supra, omnino consensisse, sed postea in secunda impressione paululum sententiam fuisse moderatum, videns illam suam primam sententiam & Catharini esse, & illorum Pelagianorum, quos Catharinus sequitur, qui referuntur 6. *libro Hypognost.* ut supra ostensum est: Sed nec per additum moderamen,

Digitized by Google

illum errorem evitat, cum ab eis libertatem & meritum auferat, ut statim aperiemus. Cum autem viderent illam sententiam plane esse damnandam doctrinam, in aliis posterioribus impressionibus illa verba addita sunt & intromissa de negatione libertatis quoad contrarietatem, & de positione ejusdem quoad exercitium: nam antea plane omnem negabat iste author ut diximus. Unde etiam modò constat incongruè fuisse introducta ad frangendam invidiam, nec contextui cohærere, ut postea denudabimus.

664. Hujus igitur authoris sententia, tria in summa continet. Primò enim in confirmatis in gratia libertatem contrarietatis, sive quoad specificationem negat, negans in eis potentiam liberam ad peccandum post confirmationem talem. Et hinc infert secundò, quòd confirmati in gratia necessariò, & sine libertate suam æternam salutem consequuntur. Tertiò & ultimò insinuare videtur posse aliquem ante confirmationem in gratia mereri ut in gratia confirmetur, cum ait, quæri enim nihilominus posset, an idipsum illi liberè promereantur &c.

665. In hac sua doctrina prædictus author nedum à Theologis alijs, verùm etiam à cæteris suis consortibus planè dissentit: dicunt namque & ipsi Beatissimam Virginem, & omnes in gratia confirmatos libertatem plenam habuisse & quoad exercitium, & quoad specificationem, potentiámque liberam ad peccandum habuisse respectu omnium operum, quæ exercuerunt; quibus proinde plenè, liberè & meritoriè suam salutem consequuti sunt. Quam libertatem confirmatorum in gratia per illam suam mediam scientiam supra à nobis impugnatam salvare contendunt, dicentes in hoc sitam esse confirmatorum in gratia firmitatem, quòd statuerit Deus talem gratiam & talia auxilia in toto vitæ discursu illis conferre, quibus, si darentur, prævidebat illos pro sua innata libertate ita semper bene usuros, ut nunquam in lethalem culpam laberentur, cum tamen nihil omnino impediente ea gratia & auxiliis illis, labi atque peccare possent. Similiter Beatissimam Virginem ita in gratia confirmatam, ut nec venialiter peccaret, dicunt nihil aliud fuisse, quàm Deum statuisse illi gratiam conferre, taliaque auxiliorum dona, quibus prævidebat illam nec in culpam venialem pro sua libertate esse lapsuram, cum tamen eisdem auxiliis & donis nihil impedientibus labi pro eadem libertate posset; ita Molina *in concord. quæst. 14. art. 13. disp. 33. membr. 4. §. hoc argumentum.* Cujus & verba modò relata sunt, quem & communiter, & consequenter loquendo sequuntur alij ejus doctrinæ defensores. Sic ergo his contrariis telis inter se & Valentia & Molina pugnant, dum alter & libertatem in confirmatis in gratia etiam quoad contrarietatem defendit per illam mediam scientiam, & efficaciam gratiæ in confirmatis inficiatur: alter verò ita efficacem in illis constituit, ut libertatem contrarietatis & potentiam ad peccandum ab eis auferat: cum tamen vera doctrina inter utrumque istud extremum secura via incedat, ut breviter modò ex S. Thoma probaturi sumus: unde succinctè illa illius authoris dicta expendamus.

666. Et quidem circa illud primum, quo asserit confirmatos in gratia nec libertrtem, nec meritum habere contrarietatis, nec potentiam liberam ad peccandum, si de primo omnium prædestinatorum Christo supremoque inter omnes in gratia confirmato sermonem ordinasset, verum sine dubio protulisset: sicut enim ipse animæ gloriam nec libertate nec merito obtinuit, ut S. Thomas ostendit *3. par. quæst. 19. art. 3.* ita nec libertatem aut potentiam liberam habuit ad peccandum, quia ita fuit determinatus ad bonum quoad specificationem, quòd peccare nullo modo potuit, ut S. Thomas eadem *3. par. docet quæst. 18. art. 4. ad 3.* potentia enim ad peccandum nec de essentia libertatis est; quod modò ut certissimum supponimus, & infrà agentes de merito Christi explicandum erit abundantius: nec ad meritum facit, quamvis libertatis sit signum, ut S. Thom. exponit *quæst. 24. de verit. art. 9. ad 5.* sed potius talis potentia ad peccandum defectus in libero arbitrio est, quem propterea gratia patriæ à beatis excludit: in quibus potentia ad peccandum non manet, quia perfectè fini conjunguntur ut S. Thom. ubique tradit *1. par. quæst. 62. art. 8. 1. 2. q. 106. art. 2. ad 2. In 2. dist. 4. art. 3. ad 5. dist. 20. quæst. 2. art. 3. ad 5. 3. contra gent. cap. 155. & 162. & lib. 4. cap. 69. ac. quæst. 24. de verit. art. 9.* Ubi ex professo probat quod cum Christus Dominus comprehensor esset, atque beatus, potentiam peccandi non habuit, quia excellentiùs præ omnibus aliis majorem animæ gloriam obtinebat. Sed & alia excellentiori & singularissima ratione, tali defectu & potentia ad peccandum caruit, quia ejus anima unita erat hypostaticè Verbo, principio omnino indefectibili, quodita ejus animam superimplevit, ut nulla potentia ad peccandum, nullus talis defectus in ipsa remanserit: quod infrà tractaturi de Christi Domini merito difusiùs expendemus.

667. Quia tamen prædictus author de Christo Domino saltem expresè non loquitur, sed de Beata Virgine, & aliis confirmatis in gratia: quid *in hac* parte tenendum sit, sub brevitate dicamus. *Et primò* de Beata Virgine, deinde de aliis.

668. Circa confirmationem in gratia *Beatissimæ* Virginis fuit aliquando S. Thomæ *sententia in 3. dist. 3. quæst. 1. art. 2. quæst. 3. in corp.* & 2. ad quod post verbi Incarnationem non habuit defectum illum, qui est potentia ad peccandum. Sic enim in corpore illius articuli ait. *In secunda verò sanctificatione gratia superaddita fuit, quæ ita potentiam liberi arbitrij implevit, ut in contrarium flecti non posset; non quidem tollendo naturam libero arbitrio, sed defectum: sicut materia cœli ex eo quòd subsistit forma, quæ omnem privationem ab ea excludit, non est in potentia ad corruptionem.* In solutione vero ad 2. ita dicit. *Ad secundum dicendum, quòd potentia peccandi auferur dupliciter, vel per hoc quòd liberum arbitrium ultimo fini conjungitur, qui ipsum superimplet, ut nullus defectus in eo remaneat; & hoc fit per gloriam. Alio modo aufertur, per hoc quòd gratia tanta infunditur, quæ omnem defectum tollat: & sic in Beata Virgine quando concepit Dei Filium, ablata est peccandi potentia, quamvis in statu viæ ipsa Virgo remaneret.* Hæc S. Thomas. Unde si iste author hoc solùm de Beatissima Virgine asserit ob singularissimum privilegium sibi factum post Verbi Incarnationem, nec reprehendendus videtur. Cæterum quia hoc etiam extendit ad omnes alios confirmatos in gratia, quos dicit non habuisse post confirmationem potentiam ad peccandum; quod nec S. Thomas unquam dixit, nec Doctores illi, quos iste author pro se inducit, ideò ab omnibus rejicienda ejus sententia est.

669. Imò idem S. Thomas re postea oculatiùs inspecta, generaliter de omni dono confirmationis sanctis in statu viæ concesso, etiam de illo quod Beatissimæ Virgini datum fuit, docet quod habitualis gratia eis collata ab ipsis non aufert potentiam ad peccandum; quia hoc dicit esse proprium gratiæ Beatorum. Ita habet *1. par. quæst. 62. art. 8. & 1. 2. quæst. 106. art. 2.* In 2. dist. 4. *art. 3.* ad 5. & dist. 20. quæst. 3. ad 5. *3. contra gent. cap. 155. & 162. & de verit. quæst. 24. art. 9.* quæ sunt loca superius inducta. Unde pro confirmatis in gratia in statu viæ præter habitualem gratiam, quæ secundum ipsum

non

Digitized by Google

non aufert potentiam ad peccandum, & præter modum quemdam illius, constituit in illis custodiam divinæ providentiæ, quæ vel quandocumque occasio peccandi se ingerit, eorum mentes divinitus excitet & moveat efficaciter ad resistendum, vel omnem occasionem peccandi auferat, ne videlicet tali confirmato occurrat. Ita explicat 3, Doctor quæst. 24. de verit. citata art. 9. ubi efficaci ratione id probat: hæc tamen quæstio commodiùs in 4. hujus operis libro ubi propriam sedem habet inducenda erit. De Beatissima Virgine hoc videtur asserendum, quòd ejus confirmatio in gratia in hoc sita fuit, quòd tantam gratiam habitualem, taliaque habitualia dona habuit, talemque modum habebat gratia illa, ut per ea ita impediretur peccandi potentia, ut difficillime peccare posset: ac rursus talis continua fuit semper cum illa, custodia divinæ providentiæ, ut nunquam se illi occasio peccandi offerret, nec unquam venialiter peccaret. In aliis autem talis illorum confirmatio fuit, quòd per habitualem gratiam, ita illorum voluntas in Deum fortiter inclinabatur, ut difficilè peccare mortaliter possent; ac quia ita à divina providentia custodiebantur, ut quando peccandi mortaliter occasio se offerebat, eorum mens à Deo efficaciter ad resistendum movebatur. Ex quo fit, quòd sicut fieri non potest, ut quis firmitatem in gratia habeat, & simul mortaliter peccet, dicendum quod nec Beatissima Virgo & alij in gratia confirmati in sensu composito peccare poterant, id est, incompossibile erat, & quòd talem in gratia confirmationem haberent, & quòd simul peccarent. Et in hoc sensu intelligendi sunt Doctores, qui dicunt eos immobiles esse in bono, vel impeccabiles, vel peccare non posse: hoc enim composite intelligunt, in sensu modo explicato: nam absolutè & in sensu diviso peccare poterant, & liberam potentiam ad peccandum habebant, undè & liberè ac meritoriè à peccato cessabant: & sic falsa est illius Authoris sententia, quòd necessario & sine libertate contrarietatis salutem sunt consecuti; quia libertatem contrarietatis habebant, qua peccare poterant, licet non starent simul illorum confirmatio, atque peccatum: de quo copiosiùs infra lib. 4.

670. Ex dictis constat, quid de illo primo hujus Authoris dicto sentiendum sit. Dicendum est enim quòd licet aliquam probabilitatem habere posset, loquendo de confirmatione Beatissimæ Virginis, ob singularissimum ipsius privilegium; de cæteris tamen confirmatis in gratia asserere, quòd potentiam liberam ad peccandum non habuerunt, falsum est omninò.

671. Gravius autem est illud, quod secundò infert, videlicet tales in gratia confirmatos, ex eo quòd peccare non poterant, nec potentiam liberam ad peccandum habebant, non fuisse consequutos liberè suam salutem, nec meritis illam obtinuisse, nec propterea quærendum de illis esse, an ex merito aliquo prædestinati sint. Quæ assertio, præterquam quod contradictoria implicat, sustineri nulla ratione potest. Contradictionem quidem involvit, quia cum ipse fateatur tales confirmatos habere libertatem quoad exercitium, & ex consequenti merito in hac libertate quoad exercitium fundato salutem fuisse consequutos: quomodo asserit eos non fuisse consequutos salutem liberè & meritoriè, ex eo solùm quòd libertatem contrarietatis non habebant? An non sufficit libertas quoad exercitium ad meritum, ita ut ob illam simpliciter quis & liber dicatur, & perfectè mereatur? Cum ergo confirmati in gratia ponantur propter libertatem quoad exercitium & liberè & meritoriè salutem consequi, nequit cum hoc stare, quòd necessariò & sine libertate salutem consequantur, ex eo quòd libertatem contrarietatis non habeant. Quòd si quis ipsum ab hac contradictione studeat liberare dicendo, ipsum non dicere confirmatos non consequi liberè & meritoriè salutem, sed tantùm non consequi salutem liberè, libertate videlicet contrarietatis, aut merito in ea fundato.

672. Hanc contrarietatem primò aufert prima impressio, quæ penitus omne meritum auferebat à confirmatis in gratia: nam secunda verba postea interposita quibus temperari videtur propositio, contexui non concordant, aut concordare possunt. Obstat enim primò finis, quem ille potissimè prætendebat; nam propter istam non libertatem, sed necessitatem contrarietatis, quam in confirmatis malè constituit, infert, non esse opus quærere, utrum propter aliquod ipsorum meritum liberi in prædestinentur, cum tamen hoc de aliis quæri possit. Per quæ verba sentit illam non libertatem, sed necessitatem contrarietatis sufficientem esse ad ita tollendum ab eis meritum, ut non sit opus hoc in quæstionem vertere, an propter meritum prædestinentur. Et si quis iterum dicat, adhuc in istis verbis solùm asserere, non esse opus quærere an propter aliquod ipsorum meritum fundatum in libertate contrarietatis prædestinentur, restat ut fateatur, ipsum nihil penitus concludisse; cum opus esset quærere an propter meritum fundatum in libertate quoad exercitium, quod re vera habent confirmati in gratia, prædestinati & ipsi sint. Unde certè & hoc convincitur, vel contraria dicere, vel nihil penitus in potissimo fine quem intendit concludere. Dicat enim, an libertas quoad exercitium sufficiens libertas sit, verumque sit meritum, quod in illa fundatur: quod quia negare non potest, dicat secundò, si potest in quæstionem verti, an propter illud homines prædestinentur: quod quia inficiari nequit, cum ex priori sequatur, vel ipse videat, quomodo hæc duo in ejus dicto simul cohærent: confirmati in gratia libertatem quoad exercitium habent, verumque meritum in illa fundatum, quo consequuntur vitam æternam; & tamen non opus est quærere, an propter aliquod suum meritum consequuti fuerint salutem, cum tamen de aliis non confirmatis id quæri possit.

673. Fortè vel intelligit iste Author, quòd æterna salus duplici titulo confirmatis debeatur, & ex necessitate ac sine libertate, quia nec peccare poterant, aut eam non obtinere; & etiam ex merito propter libertatem quoad exercitium: vel intelligit quòd vitam æternam confirmati in gratia sine libertate & meritò obtinuerunt quoad substantiam illius, cum ab illa per peccatum & libertatem contrarietatis recedere non poterant; quoad verò talem gradum, liberè ac meritoriè, propter libertatem in exercitio, qua meritorium opus in tali vel tali gradu & intensione faciebant: quæ esset alia nova doctrina acri impugnatione digna. Nam juxtà primum dicendi modum, id, quod sicut proprium Christo tribuitur, quòd gloriam coporis sibi debitam, etiam ex merito obtinuerit, sine fundamento etiam confirmatis in gratia novo dicendi modo tribueretur; & sine aliqua sua libertate, frustra libertas & meritum poneretur. Juxtà secundum autem modum, in uno & eodem objecto poneretur quod substantia illius necessariò & sine libertate haberetur; & tamen gradus sive intensio illius haberetur meritoriè & liberè: & ita dicendum esset cum proprietate, quòd confirmati in gratia non meruerunt gloriam aut æternam vitam, sed tantùm modum illius, videlicet gradum & intensionem; quod minus Catholicè diceretur, cum certum sit, confirmatos in gratia ipsam substantiam æternæ vitæ meruisse.

674. Verùm quidquid sit de hac ejus minùs constante doctrina (nec enim opus est quærere quid per illam intelligat, an sibi ipse constet, vel non) ad

Digitized by Google

tem venio, atque oſtendo, nullo modo dici, aut defendi poſſe, confirmatos in gratia, licet admittatur non habuiſſe libertatem contrarietatis ad peccandum, non fuiſſe liberè & meritoriè ſuam ſalutem conſequutos. Primò quia ſecundum catholicam veritatem illi liberi ſunt quoad exercitium, & meritum verum habent quo ſuam obtinent ſalutem: ergo dato, libertatem non haberent contrarietatis, ſimpliciter & abſolutè dicendum eſt, quòd liberè & meritorie ſalvati fuere.

675. Præterea in Chriſto Domino fuit perfectiſſimum meritum reſpectu eorum ad quæ illud ordinavit, ex hoc ſolo capite quòd libertatem quoad exercitium habebat, in qua illius excellentiſſimum meritum fundabatur: nam libertatem contrarietatis nullam habuit, quia nulla ratione peccare poterat, aut liberam ad peccandum potentiam habebat: ergo dato quòd hac etiam potentiâ ad peccandum carerent confirmati in gratia, ex ſola libertate quoad exercitium, & merito in illa fundato, dicendum eſt, abſolutè ac ſimpliciter illos ſuam ſalutem liberè & meritoriè conſecutos fuiſſe: parique ratione ſicut in his quæ Chriſtus Dominus meruit, nullus huc uſque diſtinxit, quòd illa obtinuerit meritoriè & liberè quoad exercitium, & ſine libertate & neceſſitate illa conſequutus ſit, ſed ſimpliciter & abſolutè ſine diſtinctione conceditur, quod illa omnia non neceſſariò & ſine libertate, ſed liberè & meritoriè conſequutus fuerit; ita proportionaliter, dato & non conceſſo, quòd in gratia confirmati ſolum habeant libertatem contradictionis, ſive quoad exercitium, non eſt dicendum quòd neceſſariò, & ſine libertate ſalutem mereantur; ſed ſolùm dicendum eſt & docendum, quòd meritoriè & liberè ſuam ſalutem conſecuti ſunt.

676. Tandem, ſi iſte author, vel aliquis ejus doctrinam ſequutus, contendat, quòd qui non habent libertatē contrarietatis ad peccandum, per hoc carent aliquo, quod faciat ad meritum, vel ad meriti perfectionem (quod & ſic ſuadere poſſunt: poſſe peccare ad meritum proficit, vel ipſum auget, quia in laude viri juſti dicitur Eccl. 31. *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit*: ergo qui peccare non poſſunt, carent aliquo juvante vel augente meritum.) Nec hoc Theologus admittere debet, aut poteſt; quia aliàs Chriſto Domino aliquid defuiſſet, quod ad meritum, vel meriti perfectionem eſſet requiſitum. Et ratio eſt, quia libertas contrarietatis, qua aliquis poteſt peccare, defectus eſt in libero arbitrio, ut dictum eſt ſupra; defectus autem talis neceſſarius non eſt ad meritum, vel ad illius perfectionem. Unde S. Thomas ad oppoſitum modò argumentum, quod ipſe facit quæſt. 24. de verit. art. 9. in quinto loco, ita reſpondet *Ad quantum dicendum, quòd poſſe peccare non facit ad meritum, ſed ad meriti manifeſtationem, in quantum oſtendit opus bonum eſſe voluntarium; & ideo inter laudes viri juſti ponitur, quia laus eſt virtutis manifeſtatio.*

677. Ab illo autem tertio & ultimo quod inſinuat, videlicet poſſe donum confirmationis in gratia ſub priori merito cadere, ita quòd mereatur quis, ut ſingulari dono confirmationis ditetur, facilè nos expediemus, tum quia id ipſe aſſertivè non tenet, ſed quaſi ſub dubio relinquit: tum quia confirmatio in gratia & donum perſeverantiæ includit, & aliquid eximium ſuperaddit, ut eſt apertiſſimum; ſed donum perſeverantiæ homo mereri non poteſt ſecundum ordinarias leges merendi, ut S. Thomas probat 1. 2. *quæſt.* 114. *art.* 9. ergo nec confirmationem in gratia mereri quis poteſt; potiſſimè quia ratio, ob quam donum perſeverantiæ ſub merito non cadit, *eſt*, quia non tenet ſe ex parte termini, ſed ex parte *principij*: id autem quod homo meretur, comparatur ad liberum arbitrium motum à Deo velut terminus, non autem ut principium; ſed multò magis confirmatio in gratia ſe tenet ex parte principij, non termini, ut eſt manifeſtum: ergo nec cadere ſub merito poteſt. Quomodo autem perſeverantiæ donum ſe teneat ex parte principij, & motionis divinæ moventis hominem ad bonum, oſtendit S. Thomas citato nunc loco ex 1. 2. & nos infra quarto libro aperiemus.

Digitized by Google

TRACTATVS QVARTVS, DE REPROBATIONE.

CAPVT I.

Refertur prima ſententia circa materiam reprobationis.

1. EGIMUS ſatis de bonorum prædeſtinatione ſecundum firmum Dei propoſitum, nulla priori præſuppoſita præſcientia boni uſus, etiam ſub conditione futuri. Unde jam nunc de reprobatione, & ejus cauſa juxta recentiorum aſſertiones ſupra relatas *lib. 1. par. 1. tract. 6. cap. 12.* dicamus oportet, occaſione illius 33. aſſertionis ipſorum, qua dicunt ſplendorem divinæ juſtitiæ non fuiſſe ſufficientem reprobationis cauſam ante peccati actualis præviſionem.

2. Materia hæc de malorum reprobatione, & de modo quo circa illos reprobandos ſe habuerit divina voluntas; an videlicet illos reprobaverit propter aliquam demeritoriam cauſam ex parte ipſorum præviſam; an ex ſola ſua voluntate, nulla præſuppoſita demeritoria cauſa ex parte reprobandorum, ſatis difficilis & obſcura eſt; de qua proinde multæ recitantur ſententiæ. Ante omnia tamen, ut titulus quæſtionis innoteſcat, certum omnibus debet eſſe, non quæri in hac difficili quæſtione, an detur aliqua cauſa, vel ratio illius actus, qui dicitur reprobatio: indubitatum eſt enim, quòd actus ille nullam poteſt habere cauſam, ſicut & de actu, qui prædeſtinatio eſt, docuit S. Thomas *1. p. quæſt. 23. art. 5.* Sed quod in dubium vertitur, eſt; an ex parte reproborum fuerit aliquod peccatum præviſum propter quod voluerit Deus ordinare totum effectum reprobationis ſupra hominem, qui reprobatur; ita quod detur cauſa illius actus ſecundum quod terminatur ad tale obiectum.

3. Omnium primo, antequam Catholicorum ſententias referamus, damnanda eſt Calviniſtarum ſententia, qui homines antè præviſionem omnis peccati etiam originalis, ad peccatum, & ad mortem æternam ſola Dei voluntate prædeſtinatos eſſe, contendunt. In quo non ſolum dicunt ante præviſionem peccati originalis reprobaſſe Deum homines quoad primum effectum illius (hoc enim aliqui Catholici poſuerunt) ſed contendunt ſecundò, Deum prædeſtinare ad peccatum, quæ eſt hæreſis manifeſta impiè, ac blaſphemè omnia hominum ſcelera in Deum authorem refundens. Aſſerunt etiam tertiò, ante omnem peccati ſive originalis, ſive actualis præviſionem, prædeſtinare Deum ad æternam mortem, & æternum mortis ſupplicium, ſive quoad ultimum reprobationis effectum: quæ ſententia hæretica eſt, & injuſtitiam Deo aſcribit. Parique ratione damnanda eſt oppoſita Pelagianorum & Semipelagianorum ſententia, contendentium Deum nullo modo, etiam poſt originale peccatum præviſum (quod illi negabant, ut primo libro dictum eſt ſatis) aliquos reprobaſſe, etiam quoad primum effectum reprobationis ante præviſionem actualium ipſorum peccatorum, & finalis impœnitentiæ: aſſerentium etiam oppoſitam eſſe hæreticam ſententiam, & libertatis deſtructivam, ac injuſtitiam Deo tribuere: de qua infra copioſè: quibus rejectis.

4. Tres celebres inter Catholicos de reprobatione circunferuntur ſententiæ. Prima dicit tam hominum, quàm Angelorum reprobationem non ex ſimplici Dei voluntate manaſſe, ſed propter peccatum aliquod præviſum fuiſſe. Ita Scotus *in 1. diſt. 41. quæſt. unica, & in 3. diſt. 19. quæſt. unica §. quantum ad primum.* In tertio enim quinque inſtantia rationis in Dei præviſione conſtituit, ſic dicens: *In primo enim Deus intellexit ſe ſub ratione ſummi boni. In ſecundo ſigno intellexit omnes alias creaturas. In tertio prædeſtinavit hos ad gloriam, & gratiam: & circa alios habuit actum negativum non prædeſtinando. In quarto prævidit illos caſuros in Adam. In quinto præordinavit, ſive providit de remedio, quomodo redimerentur per paſſionem Filij; ita quòd Chriſtus in carne, ſicut & omnes electi prius prævidebantur, & prædeſtinabantur ad gratiam, & gloriam quàm prævideretur paſſio Chriſti ut medium contra lapſum.* In primo autem ſententiarum citato loco, in quo ex profeſſo de reprobatione tractabat, duo ultima hæc inſtantia, quæ ut patet, hanc materiam non tangunt, omiſit. Imò illud primum rationis ſignum, quo Deus ſe primò intellexit, non expreſſit, ſed illud præſupponens, illa duo inſtantia expoſuit, alia ſuperaddens, quibus totum negotium reprobationis & quoad actum negativum, & quoad poſitivum clarè tradidit.

5. Itaque primum inſtans, quod in 1. ſent. aſſignavit, illud eſt, in quo omnes creaturas intellexit Deus, & inter eas, omnes rationales omninò inter ſe æquales. Secundũ eſt, in quo aliquos prædeſtinavit ad gloriam, & gratiam, habendo ſe negativè circa alios.

Digitized by Google

Tertium est, in quo prævidit omnes casuros in Adam Quartum est, in quo prævidit illos, circa quos habuit actum negativum, ex vi talis negationis in peccatis usque ad finem vitæ permansuros. Quintum est, in quo positivè voluit eos ob talia peccata damnare, seu positivè reprobare infligendo eis æternam pœnam. Nam hæc sunt illius verba in §. dici potest. In isto primo instanti (scilicet nunc explicato) nihil voluit Judæ, sed tantùm est ibi negatio volitionis gloriæ; & similiter in secundo instanti naturæ quando vult Petro gloriam, adhuc nullus actus positivus voluntatis divinæ est circa Judam, sed tantum negativus. In tertio instanti, quando vult permittere Petrum esse de massa perditionis, sive dignum perditione, & hoc sive propter peccatum originale, sive actuale, tunc vult permittere Judam simili modo esse filium perditionis. Et hic est primus actus positivus uniformis quidem circa Petrum, & Judam: sed ex isto actu est illud verum, quòd Judas erit finaliter peccator positis illis negationibus, scilicet quòd non velit illi dari gratiam, nec gloriam. In quarto instanti offertur Judas ut peccator finaliter voluntati divinæ; & tunc ipse vult justè punire, & reprobare Judam. In his enim quatuor signis rationis continentur illa quinque, quæ ex ejus mente à nobis signata sunt, ut est apertissimum.

6. Hæc est circa reprobationem Scoti sententia, in quam magis inclinat, quàm in alias duas à se priùs relatas, quamvis nec ita suæ adhæreat, ut aliis penitùs contradicat, ut patet *ex §. De istis opinionibus omnibus*. In quo asserit, quòd ex illis eligatur, quæ magis placet, dum tamen salvetur libertas divina sine aliqua injustitia, & alia quæ servanda sunt circa Deum, ut liberaliter eligat.

7. Ne autem circa hanc Scoti sententiam iterum necesse sit aliquid dicere, duo circa ipsam consideranda videntur. Alterum quod secundum ipsum reprobatio positiva idem est quod voluntas puniendi, & infligendi æternam damnationem, ut patet ex ultimo ejus dicto. Et quidem si hoc ita esset, quòd positiva reprobatio seu reprobatio absolutè sumpta, & includens positivum actum (quod idem est) esset voluntas puniendi, atque damnandi, ab omnibus esset dicendum, non posse positivam reprobationem fieri sine prævisione culpæ; cum nulla ratione Deus velit infligere æternam pœnam nisi ob culpam prævisam. At inferiùs ostendendum erit, reprobationem quoad actū positivum non esse solùm voluntatem damnandi, seu puniendi pœnâ æternâ: dixi solùm, quia etiam hanc voluntatem damnandi includit, sicut volentem infligere ultimum reprobationis effectum, qui est æterna damnatio.

8. Alterum est, minùs stare posse, quod dicit de reprobatione negativa. Quia talem negationem gloriæ, & gratiæ etiam circa Angelos, vel homines possibiles habuit Deus, etenim circa eos negativè se habuit, nec tamen dicendi sunt reprobati. Præterea, quia eo ipso quòd Deus elegit prædestinatos, alios positivè reipsa reprobavit, electio enim est acceptio unius præ alio: ergo eo ipso, quod Deus hos positivè elegit ad regnum, alios positivè à regno rejicit, vel excludit, saltem actu virtuali. Insuper quia ut dicemus, reprobatio est pars divinæ providentiæ, providentia autem divina essentialiter includit actum positivum. Tandem per illam, quam vocat negativam reprobationem, non minùs efficaciter excluſi manent à gloria homines, & Angeli, quàm per actum positivum, quo Deus eos à gloria sua vellet excludere: ergo qua ratione ante prævisa demerita illa negativa reprobatio constituitur, constitui potest positiva reprobatio ante demerita prævisa. Consequentia tenet, & antecedens probatur ex Scoti verbis dicentis quòd æqualis actus positivus in Petro, & Juda, quo Deus vult permittere eos peccare, in Juda propter illam negativam reprobationem infert infallibiliter quòd in peccato moriatur, & damnetur. Tum quia ita revera est, quòd sic non electus nunquam in regnum cœlorum magis intrabit, ac si per positivum actum fuisset exclusus: cum ergo eandem vim excludendi à regno habeat illa negativa reprobatio, ac positiva, & ex alia parte cum quis actu positivo eligitur, alius cui præfertur, eodem actu rejiciatur, negganda omninò est talis negativa reprobatio. Possunt autem tam Scotus, quàm alij Doctores, qui reprobationem negativam admittunt, explicari, ut negativam eam esse dicant, non quoad actum reprobantis, quasi Deus merè negativè se habeat circa illos, quos reprobat in illo priori; hoc enim asserere non possunt, ut dictum est, sed negativam esse quoad objectum: quia videlicet actus reprobantis talis est, ut eos velit non eligere ad gloriam, vel eis velit non dare gloriam suam.

9. Magister Soto etiam *super Epist. ad Rom. cap. 9.* licet cum Sancto Thoma admittat, reprobationem non tantùm esse voluntatem damnandi, & puniendi, adhuc sentit, illam ex prævisione fieri peccatorum tam in hominibus, quàm in Angelis. Imò putat esse sententiam S. Thomæ eodem loco super Epist. ad Rom. ex eo quod ibi Sanctus Thomas dicat in fine lectionis secundæ, quòd præscientia meritorum non potest esse aliqua ratio prædestinationis, sed præscientia peccatorum potest esse aliqua causa reprobationis. Propter aliud etiam Sancti Thomæ testimonium *ex tertio contra gent. cap. 159.* quo dicit, *quòd non* immeritò reputatur ad culpam, qui *impedimentum* gratiæ ponit, inferebat alius ejus discipulus quondam primarius Professor Salmanticæ Frater Petrus de Soto, quòd non solum propter peccatum originale, sed etiam propter peccatum actuale homines reprobantur. Cæterum hi Authores (quod est advertendum) nec contrariam sententiam damnant, *nec impiam* vocant, nec ex illa tolli hominis *libertatem* affirmant. Imò, ut dicunt, Magister Soto illam sententiam postea in melius mutavit.

10. Unde primus qui post priores Pelagianos contrariam sententiam hæreticam pronunciavit, fuit Faustus Reghiensis Episcopus, qui in utroque libro de gratia, & humanæ mentis arbitrio acriter in contrariam sententiam invehitur, illam hæreticam appellano. Et post ipsum id similiter fecerunt Massilienses Semipelagiani. Deinde post multa tempora surrexit Ambrosius Catharinus, qui in opusculo de prædest. ad Conc. Trid. & lib. 2. de prædestinatione *Dei nimis* etiam exarsit in contrariam sententiam, vocans illam durissimam, & impiam, & iniquum dogma universæ Sacræ Scripturæ repugnans, *sequutus in* hoc Massilienses illos eisdem suffultus *fundamentis*.

11. Ultimò Authores ij, cum quibus disputamus, hanc etiam sententiam mordicùs defendunt, contrariam apellando duram, crudelem, impiam, & erroneam. Ideò autem sic contrariam damnant sententiam ut fecerunt Faustus, & Catharinus; quia eorum utuntur *fundamentis*, de ablatione libertatis videlicet, & aliis similibus, à quibus tamen longè distant Scotus, Soto, & alij priùs citati, ut prænotavimus modò.

12. Unde illorum est assertio 53. supra relata libro 1. part. 1. tract. 6. cap. 12. in qua ut ibi videre licet, manifestè dicunt, *splendarem divinæ justitiæ non esse vel totalem finem, vel præcipuum, vel sufficientem ad reprobandum, seclusa prævisione peccati*. Quia aliàs ut prætendunt, Deus crudelis, & ferox constituitur, & libertas perit humana, nec peccatum justè homini imputatur. Hæc & quædam similia inferunt, propter quæ sententiam oppositam errorem in fide appellant. Hæc omnia ipsorum argumenta relata, & soluta sunt supra.

13. Et

Digitized by Google

13. Et nunc præter illa, aliud ipsorum argumentum, quod virtute in aliis clauditur, expressè proponitur. Si reprobatio non fiat ex operum prævisione; sequitur Deum non omnibus dare auxilia sufficientia ad salutem; quod contra scripturam esse affirmant. Probant; nam cum voluntate absoluta reprobandi hominem ante omne demeritum prævisum, non stat voluntas dandi illi auxilium sufficiens ad salutem. Quod sic ostendunt. Constituamus namque reprobum circa finem vitæ existentem in mortali peccato; tunc vel Deus est paratus illi dare auxilium sufficiens ad conversionem, vel non. Si est paratus: ergo non habet voluntatem absolutam excludendi illum à regno, antequam videat hominem illum malè uti suo arbitrio: si autem non est paratus: ergo non dat ei auxilium sufficiens ad salutem. Unde nec ille peccator poterit converti; & sic peccatum illud illi non imputabitur.

14. Confirmatur, & explicatur magis. Supponamus enim quod iste reprobus circa finem vitæ suæ sit in gratia, & quòd sit damnandus pro peccato committendo in ipso fine vitæ: tunc Deus non vult illum excludere à gratia, & gloria ante prævisionem mali usus arbitrij: ergo nec reprobavit illum ante prævisionem talem. Consequentia patet; quia sic Deus in tempore illum excludit à gratia, & gloria, sicut ab æterno per reprobationem ordinaverat. Antecedens patet; quia aliàs prius Deus deserit hominem, quàm deseratur ab eo: quod est expressè contra Sanctum Augustinum *libro de corr. & grat. cap.* 11. & *sermone* 88. *de tempore*. Imò contra Concil. Trid. *sess.* 6. *cap.* 11. & 13.

CAPUT II.

Secunda de reprobatione sententia recensetur.

15. ALIA secunda est de reprobatione sententia, dicens nullam prorsus fuisse ex parte reprobati demeritoriam causam, nullumque fuisse peccatum sive originale, sive actuale prævisum propter quod reprobaverit Deus eos, qui de facto, sive ex hominibus, sive ex Angelis reprobati manserunt; sed solum fuisse causam divinam voluntatem ita volentem. Sententia ista satis est communis, quàm viri doctissimi tuentur Magister sentent. Ægid. Durand. Gregori. Arimi. Marsil. & multi Scholastici in 1. *dist.* 41. Capreol. ibi, Ferrar. 3. *contra gent. cap.* 161. Caïet. 1. *p. quæst.* 23. *art.* 5. & Magister Bannes ibi Magister Zumel, & alij doctissimi Sancti Thomæ discipuli. Dried. de concord. prædest. & lib. arb. Quæ sententia videtur etiam Sancti Thomæ. Quod sic ostendere procurant. Primò quia Sanctus Thomas 1. *p. quæst.* 23. *art.* 3. *in corpore* inquit, *quod sicut prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam; ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.* Et idem dicit in solutione ad secundū: ergo secundū Sanctū Thomā permissio primi peccati, propter quod reprobus damnatur, est effectus reprobationis: sed illius permissionis nulla datur causa ex parte reprobi, cum illa sit permissio in primum peccatum, ante quod non datur aliud: ergo secundum Sanctum Thomam non datur ex parte reprobi aliqua causa totius effectus reprobationis, & ex consequenti nec ipsius reprobationis.

16. Præterea in *eodem art.* 3. *ad primum* inquit quòd in quantum Deus quibusdam non vult hoc bonum, quod est vita æterna, dicitur eos odio habere, vel reprobare; sed ex simplici voluntate Dei procedit, quòd non velit aliquibus hoc bonum vitæ æternæ: nam in gratuitis potest aliquis pro libito suo absque alia causa dare huic aliquid, & alteri non dare, ut dicit S. Thomas *art.* 5. *ad* 3. *Et quæst.* 6. *de verit. art.* 2. *ad* 8.

17. Amplius *in art.* 5. *solut. ad* 3. inquirens causam prædestinationis, & reprobationis, nullam aliam assignat præter divinam voluntatem; quod etiam exemplis explicat. Nec satis est respondere, quòd Sanctus Thomas loquatur comparativè de reprobatione aliorum præ aliis: etenim eodem modo loquitur quantùm ad causam de reprobatione & prædestinatione; sed prædestinationis nulla datur causa juxta mentem Sancti Thomæ quoad integrum effectum illius, non solum comparativè, sed nec etiam absolutè: ergo nec reprobationis. Accedit, quod cum Sanctus Doctor *quæst.* 6. *de verit. art.* 2. *ad* 9. assignasset duplicem causam reprobationis in hominibus; alteram secundum Augustinum, scilicet peccatum originale: alteram divinam voluntatem, quæ rationabiliter potest negare alicui, quod sibi non debetur; tamen 1. *par. in* 5. *art. citato solutione ad* 3. ubi ex professo agit de eadem quæstione, primam causam subticuit, & secundam assignavit: sentit ergo peccatum originale non fuisse causam reprobationis quantùm ad integrum illius effectum. Propter hæc testimonia dicunt Sanctum Thomam resolutivè negasse peccatum originale, aut aliquid aliud esse causam reprobationis in his qui reprobati sunt.

18. Multa, & illa quidem satis efficacia pro ista sententia inducuntur; ut est videre apud discipulos Sancti Thomæ citatis locis, ex quibus efficaciora proponam.

19. Primum fundamentale argumentum hujus sententiæ desumitur ex Apostolo ad Rom. 9. ubi eodem modo loquitur de reprobatione, & de electione seu prædestinatione dicens. *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni vel mali egissent; non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Jacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Et iterum. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Quibus verbis, sicut prædestinationem reducit in solam divinam voluntatem, sicut in solam & adæquatam causam; ita etiam reprobationem reducit in eandem divinam voluntatem, sicut in solam, & adæquatam causam: sicut ergo nulla alia causa datur prædestinationis præter divinam voluntatem; ita nulla etiam reprobationis est causa præter eandem voluntatem divinam. Fit autem hoc ipsum magis certum, si intentionem Apostoli attendamus: intendit enim ibi Deum liberare à nota crudelitatis, & injustitiæ, in eo quod aliquos reprobaverit: si autem putaret Apostolus, neminem reprobari nisi propter prævisa peccata, atque demerita, non oporteret tantùm laborare; quia facillimum esset dicere, illos propter sua prævisa peccata reprobari; in quo nulla injustitiæ esset apparentia: sentit ergo Apostolus, reprobationem non fieri propter prævisa demerita.

20. Secundò finis reprobationis est manifestatio justitiæ Dei, & omnipotentiæ ejus in punitione malorum; hoc enim expressè dicitur ab Apostolo in eodem cap. ad Rom. 9. *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Sed iste finis fuit efficaciter volitus ante prævisionem peccati: ergo & reprobatio fuit ex isto fine, & non propter peccatum. Minor probatur. Quia non minùs pertinet ad gloriam Dei, manifestare suam potentiam, & justitiam vindicativam, quàm manifestare suam misericordiam: ergo sicut ante omnem operum prævisionem voluit manifestare suam misericordiam in electorum prædestinatione, ita etiam ante demeritum voluit manifestare suam justitiam vindica

Digitized by Google

vindicativam in malorum reprobatione. Nec enim tantum bonum, qualis est ostensio divinæ justitiæ, & manifestatio divinæ omnipotentiæ, debuit primò, & originaliter ex libero hominis arbitrio prævisо malè operaturo pendere, sed primò, & originaliter ex divina voluntate ita ordinante procedere debuit.

21. Tertiò non datur causa demeritoria ex parte reprobi omnium effectum reprobationis, includendo etiam effectum primum: ergo non datur causa reprobationis demeritoria ex parte reprobi. Consequentia est manifesta, quia quidquid non est causa omnium effectuum reprobationis, non est causa ipsius reprobationis; & quidquid est causa omnium effectuum ejus, etiam reprobationis est causa: in hoc enim omnes sine contradictione conveniunt. Antecedens autem patet, quia primus effectus reprobationis est permissio in peccatum: constat autem, quòd ante primam permissionem, nullum potest prævideri peccatum, propter quod Deus permittat hominem in primum peccatum cadere.

22. Quòd autem prima permissio in peccatum primum fuerit primus effectus reprobationis, probant, quia illa prærequiritur ut ultimus effectus reprobationis inferatur in eo, qui propter originale peccatum damnatur; & ex alia parte illa permissio non est culpa: at quidquid non est culpa, & prærequisitum ut ultimus effectus reprobationis inferatur, est effectus reprobationis: ergo illa permissio est primus reprobationis effectus.

23. Quartò & ultimò, Angeli sunt reprobati ex sola Dei voluntate, & non propter aliquod peccatum prævisum: ergo reprobatio ex sola Dei voluntate fuit, & non propter peccatum prævisum: ergo etiam homines potuerunt justissimè reprobari ex sola Dei voluntate, & ante omne peccatum prævisum. Consequentia utraque satis clara est; & antecedens probatur; quia permissio ut Angeli peccarent fuit primus reprobationis effectus; sed permissionis hujus nullum peccatum Angelorum fuit causa, quia ante illam permissionem nullum peccatum illorum potuit prævideri, & multò minùs potuit prævideri, quòd illius permissionis esset demeritoria causa: ergo primus effectus reprobationis ex sola divina voluntate fuit, & non propter peccatum: ergo reprobatio ipsa Angelorum fuit ex sola divina voluntate, & non propter aliquod peccatum prævisum. Hæc sunt efficaciora argumenta pro hac sententia, omissis aliis, quæ multiplicantur, & quæ in locis citatis apud S. Thomæ Discipulos possunt ad longum videri.

24. Tertia sententia est S.P. Augustini, in omnibus suis libris contra Pelagianos & Semipelagianos, præcipuè. *Epistola 105. 106. & 107. Lib. 1. ad Simplician, quæst. 2. In Enchirid. à cap. 94. usque ad 100. Et lib. 2. ad Bonif. cap. 7. & lib. 4. cap. 6. & 8. Et lib. de prædest. Sanct. cap. 8. Et libro de dono persev. cap. 8.* In quibus, & in multis aliis suæ doctrinæ locis perpetuò docet, quòd in hominibus datur causa reprobationis ex parte reprobati, videlicet ipsum originale peccatum, ita quòd Deus ab æterno prævidit totam massam humani generis originali peccato infectam ex primi parentis peccato, ex qua massa, statuit Deus misericorditer quosdam liberare per gratuitam, & indebitam prædestinationem; alios verò statuit justè propter peccatum reprobare: & loquitur de peccato originali, propter quod omnes reprobi reprobantur, ut facilè constat ex prædictis testmoniis; potissimè quia ponit exemplum in Esau, qui procul dubio cum esset filius Isaac viri fidelis & justi infallibiliter creditur circumcisus octavo die, sicut & Jacob; ac per consequens ei fuerat remissum originale peccatum; quo non obstante, de illo tamen dicit, quòd propter originale peccatum fuit reprobatus; & præcipuè constat ex Epistola 105. citata. Deinde in omnibus prædictis locis negat semper reprobationem aliquorum factam fuisse propter ipsorum actuale aliquod peccatum prævisum, sed solùm propter originale.

25. Itaque in sententia S. Augustini tria sunt satis manifesta. Primum est, prædestinationem esse opus solius misericordiæ, ex nullis prævisis humanis meritis pendens: reprobationem autem esse opus justitiæ, propter peccatum originale. Secundum quòd omnes quotquot reprobati sunt, propter peccatum originale sunt reprobati. Tertium, quòd nullus propter actuale peccatum reprobatus fuit. Hæc sententia Sancti Patris Augustini propter difficilia argumenta, quæ contra ipsam stare videntur, à multis rejicitur; quæ tamen argumenta infra commodiùs expendentur.

CAPUT III.

Propria reprobationis ratio explicatur.

26. NON solùm difficultatem facit in hac parte materia ex seipsa difficilis, & obscura, sed varia reprobationis acceptio varietatem aliquam inter ipsos Doctores causavit. Quia enim non conveniunt omnes in quod quid est *reprobationis*, facilè inter se dividuntur. Ut ergo sine æquivocatione procedatur, propria reprobationis ratio cum omnibus effectibus suis erit clarè prænotanda, & quædam fundamenta præsupponenda.

27. Primum fundamentum est, reprobationem actum esse cujusdam specialis divinæ providentiæ: cum enim per divinam specialem providentiam homines in vitam æternam ordinentur, ad eandem etiam divinam providentiam spectat, ut permittat aliquos ab isto fine deficere: quod dicitur reprobare, sententia est expressa Sancti Thomæ 1. p. quæst. 23. art. 3.

28. Hinc secundum sequitur, reprobationem non voluntatis actum esse (essentialiter, & formaliter de ipsa loquendo) sed esse actum divini intellectus practici, sicut de providentia, & prædestinatione diximus supra hoc secundo libro, supponere tamen divinæ voluntatis actum efficacem, quo Deus vult aliquos à suo regno excludere: sicut providentia, cum sit actus intellectus præsupponit finis prævolitionem: & sicut prædestinatio supponit *divinæ* voluntatis dilectionem, & electionem, qua aliquos ad regnum admittit, & ad ipsam formalem prædestinationem acceptatio quædam consequitur, quæ actus voluntatis est, volens dare gratiam & gloriam per formalem actum prædestinationis præparatam.

29. Similiter actus formalis reprobationis præsupponit actum divinæ voluntatis volentis aliquos à regno excludere, & ad ipsam formalem reprobationem actus voluntatis consequitur, quo Deus vult permittere quòd deficiant. Itaque formalis actus reprobationis, quasi inter duos voluntatis actus medius existit, inter voluntatem videlicet efficacem excludendi aliquos à regno, quam reprobatio præsupponit, & inter voluntatem efficacem permittendi ut aliquis in peccatum cadat, & inferendi pœnas propter illud, qui actus ad ipsam formalem reprobationem cõsequitur. Sicut ergo prædestinatio præsupponit dilectionem, & electionem ad regnum, quæ actus voluntatis sunt circa finem ratione distincti; ita reprobatio cum sit formaliter, & essentialiter intellectus actus præsupponit odium dilectioni oppositum, & exclusionem à regno oppositam electioni ad gloriam, quæ etiam

sunt

Digitized by Google

sunt actus voluntatis circa finem ratione distincti. Unde cum Scriptura Sacra dicit de Esau, quòd fuit ante opera ejus, vel sine ejus operibus odio habitus (propter tantùm originale peccatum, ut infra dicemus) reprobationem illius explicavit per primum actum voluntatis, qui formalem & essentialem reprobationem antecedit. Doctrina est Sancti Thomæ 1.p.q.23.art.3. cum enim ibi expressè doceat, reprobationem ad divinam providentiam pertinere, & providentia essentialiter præsupponat voluntatem finis, ut præmiserat eadem 1.p.q. 22. ibi docet, reprobationem præsupponere voluntatem finis, à quo Deus aliquos excludere vult: similiter eodem art. 3. docet expressè Sanctus Thomas, quòd reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa. Quod sic est intelligendum, ut reprobatio hanc voluntatem includat consequenter, quia voluntas ipsa in ratione formali, & essentiali reprobationis (quæ actus intellectus practici est) non clauditur: sicut etiam voluntas dandi gratiam & gloriam (quo exemplo utitur in litera illius articuli S. Thomas) in ratione formali, & essentiali prædestinationis non clauditur, sed ad illam consequitur. Unde non apparet, qua ratione dicatur ab aliquibus discipulis Sancti Thomæ 1. par. q.23. art. 3. & 5. quòd reprobatio præsupponat voluntatem permittendi peccata, cum potiùs hæc voluntas ad reprobationem formalem sequatur. Itaque quantùm attinet ad negotium reprobationis, omnium primò est in Deo voluntas circa finem, qua reprobandos odio habet, & eos vult à regno suo excludere, qui actus ratione distincti opponuntur dilectioni, & electioni prædestinandorum. Secundò est actus formalis & essentialis reprobationis, quo divinus intellectus practicus ordinat media, quibus excluſi à fine, ab ipso infallibiliter deficiunt; & ista media à divino intellectu præparata sunt permissio cadendi in peccatum, derelictio in ipso, & inflictio pœnæ pro illo: ista sunt media, quibus divinus intellectus ordinat, & præparat ipsam formalem reprobationem quoad omnem processum & ordinem summ, à primo effectu illius usque ad ultimum. Tertiò est actus divinæ voluntatis, quo Deus acceptat talem reprobationis ordinem, & vult eum executioni mandare, volendo permittere peccatum, & in ipso hominem derelinquere, ac propter illud eum punire: & istam voluntatem permittendi peccatum, & puniendi, includit reprobatio concomitanter, ut dixi. Unde cum communiter dicitur, quòd permissio in peccatum est primus effectus reprobationis, intelligitur, quòd permissio in peccatum præparata per divinum intellectum est primus effectus reprobationis, quod sine dubio verissimum est: vel intelligitur, quòd permissio in peccatum volita, & causata à divina voluntate est primus effectus reprobationis, ad hunc sensum, quòd in executione est primus effectus illius; quod etiam verum est. Sicut enim permissio peccati ut præparata à divino intellectu est primus effectus clausus in ipsa formali reprobatione, ita voluntas permittendi tale peccatum est causans in executione ipsa talem primum effectum reprobationis.

30. Hinc etiam aliud infertur præsupponendum, quòd videlicet reprobatio non dicit tantùm præscientiam, sed supra ipsam addit causalitatis ordinem; sicut & providentia ipsa tantùm præscientiam non nominat: quam causalitatem, & ordinem non solùm dicit reprobatio ratione antecedentis, & subsequentis actus voluntatis modò explicati, sed in sua formali, & essentiali ratione, in quantùm videlicet est actus practici intellectus ordinantis quòd aliquis deficiat à fine per illa relata media.

31. Ex hoc & illud quartum manifestè deducitur, reprobationem non meram negationem dicere, sed actum positivum divini intellectus ordinantis per certa quædam media aliquos à regno deficere, & præsupponentis positivum voluntatis actum volentis à regno aliquos excludere, & inferentis alium positivum actum voluntatis divinæ, volentis & culpam permittere, & propter illam damnationis pœnam inferre, ut ex dictis sit manifestum, & multis rationibus contra Scotum Discipuli Sancti Thomæ demonstrant 1. p. loco citato.

32. Advertendum quintò, quatuor tantùm posse, & debere nos circa reprobatum considerare quantùm ad ipsam executionem reprobationis, quæ hoc ordine adinvicem sese consequuntur. Primum est permissio ut homo in peccatum cadat. Secundum est peccatum ipsum ex sola propria malitia voluntatis humanæ commissum. Tertium est derelictio, qua derelinquitur, & deseritur homo in peccato ipso usque ad mortem inclusive. Quartũ & ultimum est æterna damnatio propter peccatum, vel peccata ipsa. Ex quibus omnibus, illa, uno excepto peccato, effectus sunt reprobationis, & ex divina reprobatione causantur: nam peccatum ipsum nullo modo reprobationis est effectus, sed est id, quod ex parte reprobati se habet ab ejus mala voluntate causatum. Ita communiter Doctores, & Theologi fatentur. Et quantùm ad peccatum, quòd non sit reprobationis effectus, ab omni Catholico affirmandum est contra Calvinum, & hæreticos alios, qui impiè in divinam bonitatem blasphemantes, ipsum peccatum verè reprobationis effectum, & ab ipsa reprobatione divina causatum esse, contendunt. Sunt igitur tres reprobationis effectus, videlicet permissio in peccatum, derelictio in ipso usque ad mortem, & æterna punitio propter peccatum ipsum: ista autem æterna punitio dicitur communiter à Sanctis à Deo prædestinata, ut Sanctus Augustinus, & Sanctus Thomas sæpè docent, & potissimè S. Fulgentius in libro de prædestinatione ad Monimum ferè per totum multoties confirmat, dicens Deum non prædestinare ad culpam, sed prædestinare ad pœnam propter culpam: Et loquuntur de prædestinatione ultimi effectus reprobationis, qui verè à Deo prædestinatus est.

33. Cum autem diximus, ista tria esse reprobationis effectus, non intendimus voluntatem permittendi peccatum, deserendi, puniendi esse effectum reprobationis, ut notum est; sed dicimus permissionem, derelictionem & punitionem quæ in tempore in homine sunt, effectus esse reprobationis, id est illius divini intellectus practici sic ordinantis: sicut enim ad talem formalem actum reprobationis consequitur, ut dictum est, voluntas permittendi, deserendi, & puniendi: ita hujus divinæ voluntatis, & illius prioris reprobationis effectus sunt actualis punitio, derelictio, & permissio secundum quod in homine in tempore executioni mandantur.

34. Quòd si opponas, Quod S. Thomas 1.p.q. 23. art. 3. solùm duos effectus reprobationis videtur constituere, videlicet permissionem peccati, & propter ipsum æternam damnationem: dicit enim quòd in reprobatione includitur voluntas permittendi culpam, & inferendi damnationis pœnam propter ipsam; ex quo manifestè convincitur, quòd in executione solùm permissio in culpam, & æterna damnatio sunt duo effectus reprobationis secundum S. Thomam.

35. Ad hoc respondetur inclusisse S. Doctorem manifestè sub nomine permissionis culpæ omne id, quod ex parte Dei causatur usque ad mortem reprobi, & ex consequenti ipsam derelictionem in peccato usque ad mortem, ut patet clarè ex exemplo quod adducit de prædestinatione, in qua etiam duos effectus constituit, videlicet gratiam, & gloriam; ubi nomine

Digitized by Google

gratiæ notum est, ipsum comprehendere omnem gratiam à prima usque ad donum perseverantiæ : & totum hoc vocavit effectum unum prædestinationis, & alium secundum nominavit collationem gloriæ. Ita eadem ratione, nomine permissionis intelligit etiam ipsam derelictionem usque ad mortem, & istam unum effectum reprobationis nominavit; & alium secundum dixit esse æternam damnationem. Et rectè quidem nomine permissionis culpæ intellexit etiam derelictionem in ipsa, sicut nomine gratiæ comprehenditur perseverantia in ipsa.

36. Cæterum S. Thomæ Discipuli claritatis gratia, sicut in prædestinatione distingunt triplicem effectum, videlicet gratiæ collationem, perseverantiam in ipsa usque ad terminum vitæ, & collationem gloriæ; ita eadem claritatis causa, triplicem effectum reprobationis distingunt, videlicet permissionem culpæ, derelictionem in ipsa usque ad mortem, & æternam damnationem pro culpa commissa. Diximus istos tres esse reprobationis effectus in adultis, nam in parvulis, qui in uteris maternis, vel sine Sacramento moriuntur, solum duo effectus reprobationis sunt, nempe derelictio in peccato originali, & punitio per pœnam damni, non sensus, ut infra dicetur. Quod enim permissio originalis peccati nec in ipsis, nec in aliis sit reprobationis effectus, infra commodiùs ex præcipua intentione ostendemus.

37. Ex his ergo facile erit, reprobationem formaliter sumptam definire, dicendo. Reprobatio est ratio ordinis aliquorum in mente divina præexistens, ut à fine vitæ æternæ secludantur. Aut si placet sic dicatur. Est ratio practica, qua divinus intellectus ordinat aliquos à fine vitæ æternæ deficere. Quæ definitio opposita videtur definitioni prædestinationis: unde reprobatio est ratio ordinis, hujus videlicet permissionis, derelictionis, & punitionis in mente divina existens, per quæ media ordinat divinus intellectus aliquos à fine vitæ æternæ excludere.

38. Advertendum præterea, quòd primò, & per se punitio non est ultimus effectus reprobationis, sed ex consequenti illi conjuncta; quia salvaretur optimè reprobatio, si Deus conderet hominem in naturalibus puris, & illum excluderet à regno absque peccato aliquo illius; tunc enim iste esset reprobatus, & à regno exclusus, & permitteretur à regno deficere, & tamen non puniretur. Cæterum quia de facto nullus excluditur à regno per reprobationem, nisi in peccato moriatur vel actuali, vel saltem originali, ideo communiter & verè dicitur, quòd punitio sive per pœnam damni, sive etiam per pœnam sensus, sit ultimus effectus reprobationis.

39. Cum ergo ista tria in reprobationis ordine comprehendantur sicut media, vel sicut effectus, quibus de facto obtinebitur reprobationis finis (nam punitio ipsa præcipuus finis reprobationis non est, ut infra dicemus, sed ut finis minùs principalis, seu ut medium respectu principalioris, & ulterioris finis consideratur: quod modo suppono) cum inquam ista tria in ordine reprobationis comprehendantur, jam hîc incipit apparere difficultas, quando quæritur; an reprobationis detur demeritoria causa ex parte reprobi. Est enim quærere, an omnium istorum trium effectuũ collectivè, videlicet permissionis in peccatũ, derelictionis, & punitionis detur prior aliqua prævisa demeritoria causa ex parte reprobandorum, ob quam divinus intellectus ordinaverit aliquos permittere labi in culpam, eos in ea deserere, & propter illam punire; & ob quam divina voluntas voluerit permittere, aliquos in peccatum cadere, eos in illo relinquere, & punire. Vnde quæstio non est de secundo, & tertio effectu reprobationis, videlicet de derelictione in culpa, & punitione; an videlicet horum duorum effectuum detur demeritoria causa ex parte reprobi. Constat enim apertè, quod utriusque hujus effectus datur ex parte reproborum causa demeritoria. Cum enim derelictio in culpa essentialiter culpam præsupponat, certum est illam priorem culpam causam meritoriam esse illius derelictionis: similiter cum divina punitio essentialiter culpam supponat, indubitatum est, illius causam esse ipsam hominis priorem culpam.

40. Tota ergo hujus quæstionis controversia, si attendatur, ad permissionem peccati reducitur, quæ primus reprobationis effectus solet nuncupari; an videlicet hujus permissionis & hujus primi reprobationis effectus aliqua causa ex parte hominis præsupponatur: si enim hujus permissionis, quæ primus effectus est reprobationis, non detur aliqua causa ex parte hominis, manifestè concluditur, non dari causam omnium effectuum reprobationis; manifestè etiam concluditur, quòd si omnium effectuum reprobationis causa ex parte hominis non datur, quòd nulla causa est ex parte hominis ipsius reprobationis. Si autem illius primi reprobationis effectus causa aliqua ex parte hominis extitit, convincitur dari causam ex parte hominis omnium effectuum reprobationis, & per consequens dari causam ex parte hominis ipsius reprobationis.

41. Quia ergo tota quæstio ad primum effectum reprobationis, qui permissio est, devoluitur, attentis circa hanc permissionem oportet considerare, & quasi distinguendo præsupponere, multipliciter *posse distingui* hanc permissionem peccati. *Alia enim fuit* omnium prima permissio peccati, qua videlicet Angeli aliqui permissi sunt cadere: alia fuit permissio prima respectu omnium hominum, qua videlicet permisit Deus primum parentem cadere, & in illo omne humanum genus, quæ fuit permissio peccati originalis: aliæ sunt particulares peccatorum permissiones, quibus permittuntur homines in particularia actualia peccata labi. Et de omnibus istis potest dubitari; an omnes fuerint effectus reprobationis, an non; an verò detur aliqua ex istis permissionibus, quæ effectus reprobationis non sit.

42. Advertendum secundò circa has omnes peccatorum permissiones, quòd omnis in universum permissio prior est, & antecedit ipsum peccatum, quod committitur, licet illius peccati nullo modo nec per se, nec per aliud, talis permissio causa sit. Hoc secundum quòd permissio nullo modo peccati causa sit, indubitata sententia apud omnes Catholicos debet esse; quod modo præsuppono ex his quæ communiter in hac materia à Doctoribus dicuntur. Illud autem primum, quòd permissio antecedat peccatum quod committitur, una quæque videlicet respectu illius peccati quod cõmittitur, certissima est, quidquid Magister Soto super cap. 9. epist. ad Rom. in contrarium videatur affirmare: quod etiam sicut apud omnes indubitatum præsuppono, nec probandum puto; quia in hoc facilè omnes convenient.

CAPUT IV.

Quòd permissio in originale peccatum non sit effectus reprobationis.

43. OSTENDENDUM est primò, permissionem in originale peccatum effectum reprobationis non fuisse, etiam respectu parvulorum, qui in originali tantùm moriuntur; & deinde quid sit dicendum de permissione in actuale peccatum, propter quod quis damnatur, manifestabimus.

44. Permissionem in originale peccatum non fuisse

Digitized by Google

fuisse reprobationis effectum in sententia S. P. Augustini constituentis peccatum originale esse in hominibus reprobationis causam (quod & infra copiosè tractabimus) est satis manifestum ; hoc enim Sanctus Doctor pro comperto supposuit. Quomodo enim permissio in originale potest esse effectus reprobationis , cum sit prior quàm ipsum peccatum originale , quod est causa reprobationis ? ut sic enim effectus reprobationis prior esset ipsâ causâ reprobationis , quod tamen implicat. In sententia autem aliorum , qui judicant peccatum originale non esse causam reprobationis, dicendum est, ut consequenter dicunt, illam permissionem fuisse primum effectum reprobationis in his qui propter peccatum originale damnantur. Quamvis autem in hoc consequenter loquantur ; asserere tamen permissionem in peccatum originale esse primum reprobationis effectum , consequenter ad alia ipsorum principia non ponitur : unde nec consequenter ad illa , negatur peccatum originale causam esse reprobationis. Quod sic aperitur. Nam talis permissio in peccatum originale fuit prævisa ante Christi Domini prædestinationem , saltem in genere causæ materialis , ut aperta sententia est S. Thomæ *3. par. quæst. 1. art. 3.* Cum enim ibi dicat expresè , peccatum ipsum originale fuisse prævisum ante Christi prædestinationem ut id , in cujus remedium Christus Dominus prædestinabatur, manifestè docet , permissionem illius peccati prævisam fuisse ante Christi prædestinationem, ut medium ordinatum ad prædestinationem ipsius ; quia priùs fuit à Deo prævisa permissio in peccatum tale, nostro intelligendi modo , quàm peccatum ipsum. Igitur jam ex mente S. Thomæ , & ex ejus apertâ sententiâ priùs ratione fuit permissio peccati , quàm Christi Domini prædestinatio , & priùs prævisa fuit permissio talis quàm prædestinatio Christi in aliquo genere causæ : ergo illa permissio non fuit , imò non potuit esse effectus reprobationis. Patet consequentia , quia ante Christi Domini prædestinationem , non potest intelligi aliquorum reprobatio : ergo nec potest intelligi ordo ipsius reprobationis : ergo nec potest intelligi aliquis reprobationis effectus. Consequentiæ notæ sunt , & antecedens patet. Prior est omnibus modis Christi Domini prædestinatio quàm nostra , cum nostra prædestinatio sit effectus prædestinationis Christi ; nec in aliquo rationis signo prædestinatio nostra antecedit Christi prædestinationem , etiam in genere causæ materialis.

45. Rursus nostra prædestinatio , etiam in omni genere , prior est quàm malorum reprobatio : ergo reprobatio hominum omnibus modis , & in omni genere causæ posterior est Christi Domini prædestinatione : ergo in nullo rationis signo potest intelligi ante ipsam : ergo permissio in originale peccatum, quæ priùs intelligitur in genere causæ materialis quàm Christi prædestinatio , non potest esse reprobationis effectus. Unde omnes Discipuli S. Thomæ communiter dicunt, peccatum originale secundum quod fuit prævisum ante Christi Domini prædestinationem , solùm fuisse prævisum ut id, in cujus remedium Christus prædestinabatur, non autem fuisse prævisum , ut causam reprobationis ; quod à fortiori de permissione in ipsum tenentur fateri , illam videlicet solum fuisse à Deo ordinatam, & ut sic prævisam , ut medium ad Christi Domini prædestinationem : ergo & consequenter loquendo fateri debent , quòd in illo priori non fuit prævisa ut effectus reprobationis , nec ut dicens ordinem aliquem pro tunc ad reprobationem , sed solùm ad prædestinationem Christi. Quomodo enim permissio in originale potest poni effectus reprobationis à S. Thomæ discipulis ? Qui pro indubitato habent, nullum ordinem importare in illo priori signo rationis ad reprobationem hominum , sed tantùm ad Christi Domini prædestinationem , ut medium videlicet præconceptum in genere causæ materialis ad Christi prædestinationem. Itaque prædestinatio nostra , cum sit effectus prædestinationis Christi , in nullo genere causæ potest intelligi ante Christi prædestinationem : Similiter reprobatio hominum in nullo genere causæ est prior quàm prædestinatio bonorum : ergo in nullo genere causæ permissio hæc potest esse effectus reprobationis ; quia jam reprobatio in aliquo genere causæ esset prior quàm prædestinatio bonorum ; imò esset prior quàm Christi Domini prædestinatio in aliquo genere causæ: quod tamen dici non potest. Aliud enim est valde diversum , quòd permissio in peccatum sit in genere causæ materialis ante prædestinanem Christi, & non prædestinatio; quia talis permissio non est effectus prædestinationis Christi ab ipsa proveniens sicut à vera causa efficiente : at hominum prædestinatio , quæ prior est omnibus modis quàm malorum reprobatio, effectus est proveniens à Christi Domini prædestinatione , non solum sicut à causa finali, sed etiam sicut à vera causa efficiente , & meritoria : qua ratione in nullo genere causæ potest intelligi ante Christi prædestinationem.

46. Confirmatur , & explicatur. Nam si prædicti authores ideò negant originale esse causam reprobationis , quia quando Deus de reprobatione tractabat, non prævidebat peccatum originale ut ordinem habens cum hominum reprobatione , sed tantùm cum prædestinatione Christi , ut videlicet occasio illius: à fortiori non potest permissio in peccatum poni effectus reprobationis pro illo primo signo rationis, quo nondum intelligimus Deum de reprobatione hominum tractare ; sed tantùm debet dici , fuisse tunc medium prævisum ad prædestinationem Christi, cum qua solùm ordinem habebat.

47. Potest hoc confirmari. Quia si illa permissio in originale peccatum esset effectus reprobationis , & ut talis esset à Deo prævisa , cum prævideatur antecedere Christi Domini prædestinationem , difficile posset intelligi , quòd Adam non esset reprobatus : nam permissio in peccatum , quæ est effectus reprobationis , hunc effectum constituit in ipsa persona , quæ peccare permittitur, ut hoc in omni permissione peccati , de qua certò constat quòd est effectus reprobationis , etiam certissimè comprobatur : quomodo ergo intelligi potest , illam permissionem , qua Adam permissus fuit cadere , & in illo omne genus humanum , esse reprobationis effectum secundum quod antecedit Christi prædestinationem , & tamen quòd ipse Adam non fuerit reprobatus, & omne genus humanum in illo ? Explicatur : si enim Deus ante Christi prædestinationem permisit Adam peccare , & in illo omnes homines , ita quòd illa permissio fuit reprobationis effectus ; cum ipsa reprobatio , & effectus illis certus sit , jam certò manerent Adam , & omnes in illo reprobati : igitur nisi mutaretur tale certum reprobationis decretum per Christi Domini prædestinationem posteriùs prævisam , non poterant Adam , & cæteri homines prædestinari. Nullo ergo modo videtur dicendum , illam peccati originalis permissionem effectum fuisse reprobationis, sed tantum fuisse per divinam providentiam ordinatam, & prævisam ut medium ad Christi Domini prædestinationem. Nec sufficit respondere , illam permissionem in originale peccatum fuisse effectum reprobationis in his tantum, qui reprobati manserunt , non verò in Adam & aliis , qui prædestinati sunt. Quia, ut jam supra dictum est, jam Deus tractaret in particulari de prædestinatione & reprobatione aliquorum ante Christi Domini prædestinationem : & sic prædestinatio

Digitized by Google

destinatio aliquorum hominum, & reprobatio aliorum in aliquo genere causæ præcederet Christi prædestinationem: quod tamen fieri non potuit, cum Christi prædestinatio non solùm causa finalis fuerit nostræ prædestinationis, sed etiam causa materialis, & verè efficiens illius; effectus autem causæ verè efficientis, in nullo genere causæ antecedere potest suam veram efficientem causam, ut notum est.

48. Unde ita concludendum est. Hominum prædestinatio in nullo genere causæ est ante prædestinationem Christi; sed reprobatio aliorum hominum in nullo etiam genere causæ est ante hominum prædestinationem: ergo reprobatio hominum, nec aliquis effectus illius est in aliquo genere causæ ante Christi prædestinationem.

49. Confirmatur. Nam in S. Thomæ sententia gratia Adæ collata effectus prædestinationis ejus non fuit, sed ex divina generali providentia supernaturali processit: ergo nec permissio cadendi ab illa gratia, fuit reprobationis effectus, sed particularis illius providentiæ, qua Christus ex illa prædestinabatur sicut ex medio prædestinationis ejus. Antecedens sicut magis commune, & certum in S. Thomæ doctrina modò supponimus. Consequentia autem probatur, quia ideò illa gratia Adæ collata non fuit effectus prædestinationis ejus, quia antecedebat prædestinationem Christi, à qua sicut effectus Adæ prædestinatio pendebat; sed illa etiam permissio cadendi in originale antecedebat Christi prædestinationem: ergo antecedebat à fortiori reprobationem hominum, quæ reprobatio est post Christi prædestinationem: ergo nec talis permissio potuit esse effectus reprobationis. Imo certius est permissionem illam non fuisse effectum reprobationis quàm gratiam Adæ collatam non fuisse effectum prædestinationis Christi; quia gratia illa saltem ut reviviscens per Christum effectus fuit prædestinationis Christi: unde poterat gratia illa dicere aliquem ordinem ad prædestinationem Christi sicut effectus illius sub ratione aliqua, nempe ut vivificanda, seu ut reviviscenda: at verò permissio in tale peccatum, ut factæ rationes probant, non potest dicere ordinem aliquem ad reprobationem, ut dictum est.

50. Nec sufficit respondere, quòd cum illa permissio in originale, tantùm in genere causæ materialis antecedat Christi prædestinationem, in genere autem causæ finalis illam sequatur, poterit secundum hanc posteriorem considerationem esse, vel considerari ut reprobationis effectus. Non inquam hoc sufficit, quia etiam in hac secunda consideratione, permissio in originale solùm attendebatur ut medium prædestinationis Christi: ergo etiam sub illa consideratione non erat effectus reprobationis aliquorum; cum potissimè tunc adhuc de reprobatione non ageretur: non enim in aliquo genere causæ priùs tractabatur de reprobatione, quàm de prædestinatione Christi Domini.

51. Sed respondent aliqui ex S. Thomæ discipulis, quòd licet permissio in peccatum originale non fuerit effectus reprobationis alicujus secundum quod peccatum permisit ut oppositum statui innocentiæ, & justitiæ originali, seu secundum quod antecedebat in illo priori Christi Domini prædestinationem, quia ut sic considerabatur ut medium prædestinationis Christi, non ut effectus reprobationis: at si consideretur ipsa permissio secundum quod permittit peccatum ut oppositum gratiæ redemptoris, ut sic intelligitur posterior reprobatione eorum qui propter illud peccatum damnantur, & sub hac consideratione permissio illius est primus effectus reprobationis.

52. Quod sic explicant: dicunt enim quòd omnium primo permissio peccati originalis fuit à Deo ordinata ut medium ad prædestinandum Christum, & peccatum ipsum fuit tunc prævisum solùm ut occasio prædestinandi ipsum, seu ut delendum per Christum. Deinde in alio secundo rationis signo, eadem permissio peccati originalis considerabatur post Christi prædestinationem ut medium ad ostendendam misericordiam in his, quos Deus per Christum prædestinavit, eos à peccato liberando, in quod permissi fuerunt cadere: in alijs autem considerabatur talis permissio ut medium, seu ut primus effectus reprobationis in his, qui propter peccatum originale damnati sunt.

53. Hanc autem distinctionem duplicis permissionis peccati originalis ideo invenerunt ut peccatum originale negent esse causam reprobationis. Manifestum est enim quòd si permissio peccati originalis secundum illam rationem est effectus primus reprobationis, quòd peccatum ipsum originale ad illam sequutum non poterit esse causa illius prioris effectus reprobationis, cum omnium effectuum ejus causa non sit. Alia etiam ratione seu titulo sic distinguunt de duplici permissione peccati originalis: quia certissimum reputant (ita quod negari non possit) permissionem illius peccati, propter quod quis damnatur, esse effectum reprobationis ipsius: cum autem sit manifestum, aliquos, scilicet parvulos, qui sine baptismo decedunt, damnari pœna damni propter solum originale peccatum, concludunt permissionem illud fuisse in illis effectum reprobationis. Quod argumentum adeò efficax reputant, ut existiment evidenter ostendere, quòd permissio in peccatum originale in his, qui propter illud damnantur, sit reprobationis effectus; & ex consequenti quòd originale peccatum non sit causa reprobationis. Majorem suadent, nam illud, quod prærequiritur ut sequatur ultimus effectus reprobationis, si non habeat rationem culpæ, est effectus ipsius reprobationis; sed permissio peccati originalis in his, qui ob solum originale peccatum damnantur, est prærequisita ut sequatur ultimus effectus reprobationis, nec habet rationem culpæ, cum bona sit, & in bonum finem ordinata, ut est apertissimum: ergo est effectus reprobationis; non alius à primo: ergo est primus effectus reprobationis talis.

54. Cæterum ista distinctio duplicis permissionis peccati originalis relata si penetretur, nec virtute subsistit, aut subsistere potest in se ipsa: fundamentum verò ob quod præmittitur, ut videlicet peccatum originale non sit causa reprobationis, contra S. Augustinum, imo contra Sanctum Thomam esse, infra erit comprobandum. Quod autem ratio ultimo loco inducta universaliter vera non sit, ostendemus. Et quia ex professo copiosè infra probabimus, peccatum originale esse reprobationis causam in hominibus, qui reprobati manserunt, ideo nunc de illa distinctione duplicis permissionis tractamus, & de ratione ob quam intromittitur.

55. Primò duplicem constituere permissionem peccati originalis, vel eandem cum duplici consideratione, altera antecedente prædestinationem Christi, altera ipsam subsequente, minus intelligi potest. Quamvis enim peccatum originale (quia in natura corrupta prævidetur) & ante Christi prædestinationem ut occasio prædestinationis ejus, & post prædestinationem ipsam, imo & nunc prævideatur in his, qui infideles sunt; tamen quòd permissio in illud peccatum sic possit dupliciter considerari, & ante ipsum peccatum, & ante Christi prædestinationem, & etiam post ipsum peccatum prævisum, & post prædestinationem Christi, non rectè percipitur. Et ratio est, quia originale peccatum, ut dictum est, permanet semper in natura corrupta; undè quomodocumque sive post, sive ante Christi prædestinationem prævideatur natura corrupta, potest optimè prævideri

Digitized by Google

deri & considerari peccatum originale. At actualis permissio cadendi in peccatum illud totaliter completa fuit in illomet instanti, quo à principio factum est peccatum originale: & cum Deus prævidit peccatum illud ut jam factum, prævidit præcessisse, imò ut ità dicam, finivisse totam permissionem illius. Igitur in illo primo instanti, quo Deus antè Christi prædestinationem permisit peccatum originale ut medium prædestinationis Christi, & prævidit peccatum ipsum jam factum antè Christi prædestinationem ut id, in cujus remedium Christus prædestinabatur, prævidit esse completam totam permissionem illius: ergo post Christi Domini prædestinationem, in alio posteriori signo rationis quamvis peccatum manens in natura prævideat, permissionem tamen ejus tunc in se non prævidit; sed prævidit antecessisse peccatum illud, non ad illud sequi, nec ad Christi prædestinationem, quæ illud peccatum supponit. Potest aliquale exemplum esse in actionibus instantaneis, quæ, ut actiones sunt, solùm considerantur ut in fieri: unde post terminum illarum, jam nequimus eas considerare ut existentes, sed ut præcedentes: sic ergo actualem permissionem cadendi in peccatum, ante peccatum rectè consideramus; at post peccatum *ipsum*, in quo quasi terminatur, non intelligimus durare, vel tunc esse permissionem, *sed præcessisse*. Ego planè intelligere non valeo, quomodo *post factum*, & prævisum originale peccatum, *& post* Christi Domini prædestinationem, quæ ipsum præsupponit, iterum permissionem peccati ibi existere, seu ibi durare intelligere possimus, ut aliquid tali permissioni tunc attribuatur, quod ei minus convenit, ut intelligitur ante peccatum ipsum, & antè Christi prædestinationem: sed omnem permissionem peccati originalis, quoad omnem rationem permissionis talis, intelligo, antecessisse peccatum illud in quod tendit, vel quod permittit; quia prior est omnibus modis permissio, quàm peccatum ipsum permissum.

56. Addiderim quòd nihil habet, vel habuit, vel habebit peccatum ipsum originale, quod à Deo in illa prima, imò sola permissione qua fuit permissum antè Christi prædestinationem, cognitum à Deo non fuerit; cum enim Deus ante Christi prædestinationem in illo priori genere causæ quasi materialis, voluit peccatum originale permittere, ut medium prædestinationis Christi; tunc in tali permissione, & in peccato ipso prævisо vidit quidquid in peccato originali fuit, & omnem effectuum illius tunc prævidit; nec post prædestinationem Christi aliquid vidit in peccato originali, quod antea cum illud permisit antè Christi prædestinationem, non prævidisset. Non potest ergo dici, quòd duplex sit permissio peccati originalis; altera antè peccatum ipsum, & Christi prædestinationem; altera post ipsum, & prædestinationem Christi; ita quòd illi sub hac duplici ratione diversa attribuamus. Similiter nec rectè dicitur, quòd peccatum originale fuerit à Deo dupliciter permissum; uno modo ante Christi prædestinationem, ut medium illius; alio modo, quòd postquam est factum & sic prævisum ante prædestinationem Christi, sit posteà alia ratione permissum, postquam videlicet est factum & postquam Christi prædestinatio prævisa est: sed sicut peccatum originale unicum origine est, ità unica permissione permissum fuit; & hoc antè Domini prædestinationem, ut occasio illius.

57. Præterea in illo primo signo rationis, quo Deus voluit originale peccatum permittere, ut medium prædestinationis Christi, & aliqua ratione ante ipsam, ut dictum est, in illo scilicet genere causæ quasi materialis, illud voluit permittere ut magnum malum totam naturam humanam inficiens, illamque demeritoriè à regno cœlorum excludens, quantum erat ex parte ipsius peccati: At hoc magnum malum non permitteret, nisi in remedium illi vellet dare multò majus bonum, quod est Christus: Igitur in illo primo signo totum hoc permissio includebat. Volo permittere originale peccatum, ut inficiens totam humanam naturam illamque demeritoriè excludens à regno, ut prædestinem Christum; & in ipso, & per ipsum, quos voluero, ab illa perditionis massa liberem: hoc planè totum illa permissio re ipsa continebat. Undè jam in illa permissione prævidebatur illud originale peccatum sufficiens causa demeritoria, ut omnes illi excluderentur à regno, nisi Christi gratia subveniret. Deo ergo tunc Deus prævidit, & peccatum, quantùm est in se demeritoriè omnes excludens à regno, secundum quod Paulus clamat. ad Rom. 5. *Ex uno in condemnationem*: & Christum Dominum, ut remedium illius sufficiens quoad omnes, & efficax in illis, quibus Deus illius prædestinationem efficaciter applicare voluerit. Cum igitur in secundo instanti post Christi Domini prædestinationem ordinatam in remedium illius peccati, Deus in particulari de prædestinatione & reprobatione tractabat, eo ipso quòd in Christo, & per Christum hos prædestinavit ad gloriam, eos liberans magnâ suâ misericordiâ ab illa perditionis, & damnationis massâ, ut planè docuit S. Thomas 1. *p. q. 23. art.* 1. docens prædestinationem nostram esse sicut à termino à quo à statu miseriæ; eo, inquam, ipso, alios reprobavit, volens illos relinquere, seu dimittere in illa massa perditionis, propter demeritum quod habebant. Unde sicut à principio peccatum originale de se sufficiens causa erat excludens omnes à regno, quibus misericordia prædestinantis non subveniret; ita eos intuens Deus cum demerito tali, eo ipso quòd eis illud non remisit, eos propter illud excludere à regno voluit; quod est reprobare.

58. Undè ad illud argumentum. Quòd peccatum originale ante Christi prædestinationem prævidebatur ut delendum, non ut puniendum, undè propter illud non reprobavit Deus. Dicendum est, quòd in illo signo prævidebatur illud peccatum de se excludens à regno ut delendum per Christum in illis, à quibus Deus per Christum illud auferre vellet prædestinando: in aliis autem, à quibus Deus per Christum id posteà nollet auferre, non prævidebatur ut delendum, sed ut demeritoria causa, ob quam justo judicio Deus illos reprobaret, à regno efficaciter, & cum effectu excludendo. Itaque, sicut illud peccatum in illo priori erat occasio (& ut sic prævidebatur) ut Christus prædestinaretur; ità totaliter à prædestinatione Christi pendebat sicut à remedio efficaci, quòd Deus per Christum id præberet, vel in totum & quoad omnes, vel quoad aliquos tantum, sicut sibi placeret, & sicut videret ad suam gloriam expedire.

59. Ad rationem autem fundamentalem dicendum, minus illam convincere, si universaliter intelligatur, sicut prætenditur: quamvis enim permissio in peccatum actuale, propter quod quis damnatur, semper sit primus reprobationis effectus, ut sequenti capite ostendemus; permissio tamen in originale, propter quod parvulus sine baptismo decedens condemnatur pœna damni, ut dictum est, non est, nec potest esse primus effectus reprobationis.

60. Primò, quia cum S. P. Augustinus (cujus, ut infra dicetur, irrefragibilis authoritas est in hac materia de prædestinatione & reprobatione) apertè doceat peccatum originale esse causam reprobationis in his, qui reprobati manserunt, cum ipso ex consequenti est dicendum, permissionem in originale peccatum non esse, nec esse posse primum effectum reprobationis.

Digitized by Google

probationis. Cui si addideris hanc sententiam S. P. Augustini S. Thomam defendere (quod ex professo infra monstrabimus) erit dicendum permissionem in originale non posse esse effectum reprobationis. Quæ ratio non currit de permissione in actuale, cum actuale peccatum prævisum non sit causa reprobationis, ut inferiùs aperietur.

61. Secundò, quia permissio in peccatum, quæ est primus reprobationis effectus, præsupponit voluntatem efficacem excludendi à regno; hæc enim voluntas est volitio finis, quæ proinde præsupponitur ad processum reprobationis, quæ est circa media, cujus primus effectus est permissio cadendi in peccatum. At permissio in originale non supponit efficacem voluntatem excludendi à regno primum hominem, & illos qui in illo cadere permissi sunt, ut est manifestum: non enim ex hac finis volitione procedebat, sed ex illa, qua Christum ut finem prædestinatorum intendebat; unde non potest esse illa permissio reprobationis effectus. Cæterum permissio cadendi in peccatum propter quod quis damnatur, supponit voluntatem efficacem excludendi illum à regno, & in virtute hujus ordinem certum habet cum aliis effectibus reprobationis usque ad ultimum: unde rectè debet poni primus effectus reprobationis.

62. Tertiò, quia quando Deus permittebat primum hominem, & in illo genus humanum in peccatum originis cadere, nullo modo de reprobatione pro tunc tractabat; quia hæc permissio fuit aliqua ratione prior prædestinatione Christi ut medium illius, sicut dictum est; prædestinatio verò, & reprobatio hominum fuit facta omnibus modis post Christi Domini prædestinationem: at permissio in actuale propter quod quis damnatur, fit postquam Deus de reprobatione illius tractavit, ut manet explicatum: undè est effectus reprobationis ejus.

63. Ad probationem autem dicendum, non esse universaliter verum, quòd illud, quod prærequiritur ut infallibiliter ultimus effectus reprobationis inferatur, si non sit culpa, debeat esse reprobationis effectus; sat est si fuerit id, ad quod infallibiliter sequuta fuit causa, ob quam talis fuit reprobatus: & talis fuit permissio in originale; ad ipsam enim sequutum fuit infallibiliter peccatum originis, ob quod Deus aliquem damnavit ultimo reprobationis effectu. Itaque illud, quod prærequiritur, ut inferatur ultimus effectus reprobationis, etiam si culpa non sit, non requiritur, nisi ut dicat inseparabilem ordinem cum ultimo effectu reprobationis, sive illum ordinem dicat ut primum effectum reprobationis, sive ut id, ad quod sequuta fuit causa reprobationis, dummodo id prærequiratur, ut ultimus effectus reprobationis inferatur. Si enim non præcessisset permissio in originale, non haberet parvulus originale peccatum; quod si non haberet, nec ob illud Deus illi inferret ultimum reprobationis effectum. Undè cum hoc argumentum nullam planè efficaciam habeat, sed tam manifestè solvatur; nulli debuit vel potuit videri, convincere quòd permissio in peccatum originale sit primus reprobationis effectus; & ex consequenti quòd ipsum peccatum originale non sit causa reprobationis: imo ut modò dicebamus, voluntas circa finem, nempè voluntas excludendi aliquem à regno, prærequiritur ut omnium prima, ut inferatur ultimus reprobationis effectus: nec tamen aliquis potest dicere, illam esse primum effectum reprobationis.

64. Quòd si quis opponat, quòd S. Thomas 1. *par. quæst. 23. art. 3.* docet, quòd permittere aliquos ab ultimo fine deficere, dicitur reprobare, addens quòd reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpâ: ergo secundum S. Thomam permissio cadendi in culpam est reprobationis effectus; ergo in parvulis, qui damnantur ex solo originali, permissio cadendi in illud fuit in eis effectus reprobationis.

65. Ad hoc respondetur, quòd priora nunc opposita verba nihil prorsus obstant iis, quæ definita à nobis sunt; quia cum omni proprietate salvatur, & quòd permissio in originale peccatum non sit effectus reprobationis, & quòd reprobare sit, vel dicatur permittere aliquos à fine deficere: nam permittendo Deus quòd in peccato originali relinquantur, permittit quòd à fine deficiant, ut apertum est; & sic dicitur eos reprobare. At verba secundò objecta majorem faciunt difficultatem, sed superabilem satis: cum enim S. Thomas ait, quòd reprobatio includit voluntatem permittendi quòd cadat in culpam, per illa verba intelligit permissionem quòd cadat in culpam, vel permissionem quòd in contracta culpa permaneat, vel utrumque simul. Quia in infidelibus adultis, qui pereunt, primus illorum reprobationis effectus fuit permittere quòd in culpa originali permaneant; & quod in alia actualia peccata cadant. In adultis autem fidelibus reprobis, primus reprobationis illorum effectus fuit, permittere quòd in actualia peccata labantur: at in pueris, qui cum solo originali pereunt, primus illorum reprobationis effectus fuit, quòd in peccato originali contracto relinquantur, & hanc in peccato derelictionem comprehendit S. Thomas nomine permissionis cadendi in culpam. Quod ex eo patet, quia ut ostensuri sumus infra, ipse S. Doctor cum S. Augustino sustinet peccatum originale causam esse reprobationis: undè secundum illius sententiam dici non potest, quòd permissio cadendi in originale sit primus effectus reprobationis. Secundò quia in citandis ex ipso testimoniis constabit, eum dicere, reprobare esse derelinquere homines in miseria originalis peccati. Non dixit, reprobare esse permittere quòd in peccatum originale cadant, sed in illo derelinqui, ut agentes de mente S. Thomæ circa hanc materiam infra erit manifestandum.

66. Explicatur, nam ex vi horum verborum *permissio cadendi in culpam* non convincitur solùm quòd primò quis in illam cadat, sed etiam quòd in ea, in quam primò cecidit, relinquatur. Ecclesia enim pro defunctis in Purgatorio existentibus ne cadant in obscura orat, per quæ verba necessè est intelligamus Ecclesiam orare ne detineantur in obscuris, in quæ jam ceciderant; quod & sequentia verba ostendunt: sed & S. Michaël representat eas, &c. pari ergo ratione, S. Thomas per illa vebra *permissio cadendi in peccatum* optimè intelligere potuit, non solùm cadere de novo in culpam, sed in illâ jam contractâ derelinqui; sicut & aliis locis explicavit, quæ inducenda erunt inferius.

67. Quòd si dicas: voluntas derelinquendi in culpa non est permissio, sed voluntas absolutè puniendi; atqui S. Thomas dicit permissionem in culpam esse effectum reprobationis: ergo per talem permissionem non potest intelligi voluntas puniendi pro culpa, quæ voluntas permissio non est. Respondetur, quòd relinqui in culpa, quoad hoc quod est aliquem obdurari in illa, & in illa permanere, est divina permissio: obdurari enim in culpâ, & in ipsa permanere, peccatum est, quod à Deo causatum nequit esse, sed permissum, ut dicetur. Undè permittere derelictionem in culpâ, seu in illâ obdurationem, est permissio puniens; sic enim permittendo quòd quis induretur, eum propter tale commissum peccatum punit.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT V.

Quòd permissio passiva actualis peccati, propter quod quis damnatur, sit effectus reprobationis.

68. DE permissione tamen in actuale peccatum, propter quod homo, vel Angelus damnatur, eadem ratio non est: imo dicendum est, illam esse primum reprobationis effectum. Probatur, nam ut communiter Theologi cum S. Thoma affirmant, & nos supra diximus, triplex est reprobationis effectus, videlicet permissio cadendi in culpam, derelictio in ipsâ, & propter eam æterna punitio: jam ergo secundum omnium sententiam, permissio cadendi in culpam est reprobationis effectus: imò primus effectus reprobationis est; sed hoc non potest verificari de permissione in peccatum originale, ut dictum est præcedenti capite: ergò necesse est, quòd intelligatur de permissione in actuale peccatum, propter quod quis damnatur: ergo permissio talis est revera reprobationis effectus.

69. Notandum tamen, quòd, ut supra jam dictum est, cum dicimus permissionem actualis peccati, propter quod quis damnatur, esse reprobationis effectum, loquimur de permissione passivâ, seu de permissione *in exercitio* positâ; hæc enim est effectus reprobationis: nam actus practicus divini intellectus ordinantis ut per talia media impleatur reprobatio, non potest esse effectus reprobationis, imò est ipsa formalis & essentialis reprobatio. Quando ergo Deus de facto & in exercitio permittit cadere illum hominem in peccatum; illud esse permissum, quòd homo sic cadat, est effectus reprobationis, clausus in illa formali & essentiali reprobatione explicatâ.

70. Advertendum tandem, doctores, cum dicunt triplicem esse reprobationis effectum modò explicatum, non sentire, quòd in qualibet reprobatione illi tres effectus reperiantur; quia in reprobatione parvuli morientis in peccato originali, isti tres effectus non inveniuntur, sed duo tantum, videlicet derelictio, & punitio, non pœna sensus, sed pœna damni; nam permissio, qua tam ipse, quàm omnes alij in primo parente permissi sunt cadere, effectus reprobationis non fuit, ut diximus supra. Intelligunt ergo Doctores, non posse esse plures effectus reprobationis, quàm illos tres signatos: quod est verissimum. Intelligunt secundò in aliqua reprobatione debere omnes inveniri, aliàs non dicerentur illi tres reprobationis effectus: non tamen intelligunt, omnes tres esse in qualibet reprobatione: unde hac videtur utendum regula. In omni adultorum reprobatione omnes illi tres reprobationis effectus certissimè inveniuntur; in reprobatione autem parvulorum cum solo originali pereuntium, tantum duo possunt numerari. Et ratio est, quia in omni reprobatione adultorum, qui damnantur propter peccatum actuale, potest optimè permissio in peccatum actuale considerari ut effectus primus reprobationis, imò ita debet considerari. At verò in parvulorum reprobatione, qui in solo originali moriuntur, non potest accipi permissio in ipsum, ut effectus reprobationis, ut ex dictis relinquitur manifestum: ergo in omni adultorum reprobatione permissio in peccatum actuale est verè reprobationis effectus.

71. Præterea illa permissio in actuale peccatum non potest dici effectus communis providentiæ tantum: ergo debet accipi, ut effectus reprobationis. Consequentia est nota, quia talis permissio, vel debet esse effectus reprobationis, vel communis cujusdam providentiæ; quia permissio peccati actualis non est effectus prædestinationis Christi: ergo vel debet esse effectus communis providentiæ, vel reprobationis: patet consequentia, quia solum ad ista tria potest pertinere hominum reprobatio. Quod autem illa non sit effectus prædestinationis Christi, constat, quia prædestinatio Christi redemptoris per se non ordinatur ad reprobandum. Antecedens probatur, quia effectus tantùm communis providentiæ non habet essentialem ordinem cum ultimo reprobationis effectu, ut est notissimum; sed permissio in actuale peccatum, propter quod quis damnatur, dicit infallibilem ordinem cum ultimo effectu reprobationis: ergo talis permissio non est effectus solius providentiæ communis. Major videtur satis clara, & minor probatur, quia illa permissio ordinatur ad derelictionem, sicut derelictio ad punitionem; quæ tria inter se concatenata & ordinata inveniuntur circa tale peccatum, propter quod quis damnatur: igitur permissio in talo peccatum non potest esse effectus tantùm communis providentiæ, sed effectus est reprobationis.

72. Confirmatur, quia ponere permissionem in peccatum, propter quod quis damnatur, esse solùm effectum communis providentiæ, est re ipsa dicere, Deum nihil particulare statuisse circa reprobos antè permissionem peccatorum actualium ipsorum: hoc autem dici non posse ostendemus infra, declarantes actuale peccatum non esse causam demeritoriam reprobationis ipsorum, nec illius prævisionem antecedere ad decretum primum, quod Deus habuit circa reprobos: non ergo permissio in peccatum actuale est tantùm effectus communis cujusdam providentiæ.

73. Præterea permissio in actuale peccatum, propter quod quis damnatur, ordinatur à Deo circa reprobum post Christi Domini, & aliorum electorum prædestinationem, cum jam de reprobatione tractatur: ergo ordinatur ut primus effectus reprobationis illius. Consequentia patet; ideo enim supra diximus, permissionem in originale peccatum non esse reprobationis effectum, quia consideratur ante Christi & aliorum prædestinationem, & reprobationem, ita quòd si talis permissio considerari posset post Christi & aliorum prædestinationem, posset optimè, imò deberet computari inter reprobationis effectus in illis qui reprobantur propter originale peccatum: ergo cum permissio in actuale peccatum, propter quod quis damnatur, ordinetur circa reprobum post Christi, & aliorum prædestinationem, re vera ordinatur ut primus effectus reprobationis: hîc enim ad communem tantum providentiam non licet confugere.

74. Ex quo sequitur, quòd etiam omnes aliæ permissiones in peccata actualia (quibus reprobus permittitur cadere, & à quibus resurgit) etiam numerandæ sunt inter reprobationis effectus, sed illa potissime quæ est in peccatum, propter quod quis damnatur, ut diximus. Probatur quia omnes illæ ordinatæ sunt à Deo reprobante, ut constat: ergo cum illæ in processu reprobationis claudantur, veri effectus reprobationis illius sunt: sicut in prædestinatis omnis gratia data, etiam à quâ per peccatum homo cadit, inter effectus prædestinationis debet computari.

75. Quòd si objicias: istæ permissiones non dicunt inter se nec cum effectu reprobationis infallibilem ordinem; imo quòd magis est, permissio illa in actuale peccatum, propter quod quis damnatur, infallibilem ordinem non dicit cum derelictione in peccato, & cum æterna damnatione: ergo nulla talis permissio est reprobationis effectus. Patet consequentia; quia effectus reprobationis per se ordinati sũt, & certissimum ordinem dicunt cum ultimo reprobationis effectu. Antecedens probatur; quia ille infallibilis ordo horum effectuum attenditur in ratione causæ

Digitized by Google

secundum quod primus effectus est causa sequentis; sed permissio non est causa derelictionis; imò verò ipsum peccatum est causa derelictionis: similiter derelictio non est causa punitionis æternæ; quia ipsa derelictio prout est à Deo, & dicit negationem, seu privationem auxilij divinæ misericordiæ, non est causa demeritoria propter quam Deus puniat, sed tantum est justa pœna præcedentis peccati: ergo isti effectus inter se ordinem causalitatis non dicunt.

76. Ad hoc respondetur; quòd licet Deus non puniat propter derelictionem, nec derelinquat propter permissionem, sed propter peccatum, ut argumentum probat; tamen æterna punitio est finis derelictionis, & derelictio finis quodammodo permissionis, & ipsa permissio in genere causæ materialis præsupponitur & ordinatur ad derelictionem, sicut ipsa derelictio etiam in ratione causæ quasi materialis præsupponitur ad punitionem. Itaque æterna punitio fit propter peccatum, non quomodocumque, sed propter peccatum, in quod Deus permittit hominem cadere, & in quo justè illum derelinquit: Undè quamvis peccatum sit verè causa propter quam Deus derelinquat, & puniat; permissio tamen & derelictio ad punitionem ordinantur, modo dicto; & hoc sufficit ut illi effectus habeant inter se aliquem causalitatis ordinem.

CAPUT VI.

Quòd actuale peccatum prævisum non sit reprobationis causa.

77. MALORVM reprobationem ex prævisione peccati actualis ipsorum non fuisse; nec propter peccatum aliquod actuale prævisum ordinasse Deum omnes reprobationis effectus, constat apertè, tum ex sententia S. Augustini, tum ex sententia S. Thomæ, atque ratione ipsâ. Imò veritas ista ab Apostolo non obscurè traditur ad Rom. 9. cum ait. *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni, vel mali egissent; non ex operibus, sed ex vocante dictum est &c. Jacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Quibus verbis apertè docet Apostolus, nec prædestinationem, nec reprobationem fuisse ex actualium operum bonorum, vel malorum prævisione, ut litera ipsa satis ostendit, & S. P. Augustinus perpetuò explicavit, præcipuè Epist. 106. ad Bonif. ubi ad excludendum Pelagianorum errorem, dicentium prædestinationem & reprobationem fieri ex bonis, vel malis operibus, inquit. *Quid Apostolo respondituri sunt; qui cum & hos geminos ad documentum gratuitæ gratiæ commemorandos videret. Nondum enim natis, inquit, nec aliquid agentibus boni, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est; Quia major serviet minori. Deinde adjungens testimonium Prophetæ longè post quidem ista dicentis, sed tamen de hac re antiquum Dei consilium declarantis, sicut scriptum est, inquit. Jacob dilexi, Esaü autem odio habui. Nempè Doctor gentium in fide & veritate, istos geminos nondum natos, nihil boni aut mali egisse, testatur, ut gratia commendetur.* Et paucis interpositis, quibus magis prædictam Apostoli mentem exposuit, subjungit. *Ut quid ergo præclarissimo gratiæ commendatori, de Infantum libero arbitrio, & nondum natorum actibus, tam impudenter resistitur?* & rursus. *Sed quomodo, inquiunt, non est iniquitas apud Deum, si diligendo discernit, quos merita operum nulla discernunt? Ita nobis hoc dicitur, tanquam id Apostolus ipse non viderit, non proposuerit, non responderit. Vidit utique, quid iis auditis humana possit infirmitas, vel ignorantia cogitare; & eandem quæstionem sibi ipsi proponens. Quid ergo dicemus, inquit, Nunquid iniquitas apud Deum? continuò respondit; Absit. Rationemque reddens, cur absit, ideſt, cur non sit iniquitas apud Deum, non ait; merita enim, vel opera judicat etiam parvulorum, etiam si adhuc sint in materno utero constituti. Quomodo enim hoc diceret, qui jam dixerat de nondum natis, & de iis qui nihil adhuc egerant boni vel mali; Quod non ex operibus, sed ex vocante dictum sit. Major serviet minori? Sed cum vellet ostendere cur in iis non sit iniquitas apud Deum, ait. Moysi enim inquit, miserebor cui misertus ero; & misericordiam præstabo cui misericors fuero.* Et postèà. *Quomodo, inquiunt, Esaü non damnatur indignus, si non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Quia major serviet minori? sicut enim illius nulla præcesserant opera bona, ut ad gratiam pertineret; sic nec hujus mala, ut ad pœnam pertinere deberet: nulla planè in utroque opera vel bona, vel mala sed propria: uterque autem illi uni obnoxius erat, in quo omnes peccaverunt, ut omnes in illo morerentur.* Quibus apertè docet, reprobationem ex malis operibus actualibus & propriis non fieri, ut litera clamat.

78. Et in Epistola 105. cum induxisset supradictum Apostoli testimonium de Jacob & Esaü, quorum alter absque operibus electus, alter absque operibus odio fuit habitus, ait. *Quid enim diligebat in Jacob, antequam natus fecisset aliquid boni nisi gratuitum misericordiæ suæ donum: & quid oderat in Esaü, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret justitiam, quam nullam ille fecerat; neque in isto odisset naturam, quam bonam ipse perfecerat.* Quibus apertè docet, reprobationem non fieri ex actualibus operibus malis ipsius reprobi, sed ex peccato originali; Quod ultimum infra commodiùs explicaturi sumus: Nunc quod reprobatio ex actualibus operibus malis non fiat, efficaciùs aperiamus. Prosequitur S. Doctor, & sententiam Pelagianorum proponit, dicens. *Ideò, inquiunt, nondum natorum alium oderat, alium diligebat: quia eorum futura opera prævidebat. Quis istum acutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? hoc quippe ille non vidit, quando sibi velut adversantis objecta quæstione, non id potius, tam breve, tam apertum, tam (sicut isti putant) verum, absolutumque respondit. Cum enim rem stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni, aut mali rectè dici potuerit, quòd unum Deus dilexerit, alium odio habuerit? ipse sibi objecta quæstione, motum exprimens auditoris. Quid ergo dicemus? inquit. Nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Hìc ergo erat locus ut diceret quod isti sentiunt: futura enim Deus opera prævidebat, quando minori majorem serviturum esse dicebat. Non autem hoc Apostolus dicit; sed potius, ne quisquam de suorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gratiam & gloriam commendandam voluit valere quod dixit. Cum enim dixisset. Absit ut sit iniquitas apud Deum, tanquam ei diceremus. Unde hoc ostendis, cum asseras non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Major serviet minori? Moyses enim dicit, inquit, miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero. Igitur non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei. Ubi nunc merita. Ubi opera, vel præterita, vel futura tanquam liberi arbitrij viribus adimpleta, vel adimplenda? Nonne apertam protulit Apostolus de gratuita gratia, hoc est, veræ gratiæ commendatione sententiam? Nonne stultam fecit Deus Hæreticorum sapientiam? Quid autem agebatur, ut Apostolus diceret, ut eorum geminorum commemoraret exemplum? Quid persuadere moliebatur? Quid inculcare cupiebat? nempè hoc quod ipsorum oppugnet amentia, quod superbiâ non capiunt, quod*

Digitized by Google

quod ſapere noluit. Et poſt pauca. *Intentio igitur intuendâ eſt Apoſtoli, quomodo propter gratiam commendandam, nolit eum, de quo dictum eſt, Iacob dilexi, miſi in Domino gloriari: ut cum ex eodem Patre, eadem Matre, imo concubitu, antequam aliquid egiſſent boni, aut mali, alterum Deus diligit, odit alterum: intelligat Iacob ex illa maſſa originalis iniquitatis, ubi fratrem ſuum, cum quo habuit communem cauſam, videt per juſtitiam meruiſſe damnari, non niſi per gratiam ſe potuiſſe diſcerni.* Ubi duo apertè S. Auguſtinus tradit; alterum ob peccatum originale Eſau reprobatum; alterum non ex actuali aliquo delicto fuiſſe rejectum: ſicut fratrem ejus Jacob abſque aliquo bono opere, ex ſola Dei miſericordia ab illa perditionis maſſa fuiſſe libertatum.

79. Præterea lib 2. cap. 7. ad Bonif. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, ut convinceret nec electorum prædeſtinationem ex bonis fieri operibus, nec miſerorum reprobationem ex malis, inducit idem Apoſtoli teſtimonium de duobus illis geminis, de quibus protulit; *quod cum nondum nati eſſent, aut aliquid egiſſent boni aut mali; non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: quia major ſerviet minori, & Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui:* Et poſt illius explicationem, qua dicit Eſaü ex ſolo originali peccato, non actuali aliquo præviſo, fuiſſe reprobatum, ita concludit *Propter quod profectò deſipitis, qui, dicente veritate, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, vos dicitis ex futuris operibus, qua Deus illum facturum eſſe præſciebat, Iacob fuiſſe dilectum; atque ita contradicitis Apoſtolo dicenti. Non ex operibus: quaſi non poſſet dicere, non ex præſentibus, ſed ex futuris operibus: ſed ait, non ex operibus ut gratiam commendaret.* Et ſtatim. *Sed ut vobis auferretur omnis veſtra caliginis latebra, propterea geminos tales propoſui, qui neque parentum meritis juvarentur, & ambo infantiæ primordio, unus baptizatus, alter ſine baptiſmo moreretur; ne diceretis, Deum, ſicut de Iacob & Eſaü contra Apoſtolum dicitis, opera eorum futura præſciſſe.* Igitur ſententia Pelagianorum eſt contra Apoſtolum militans, non ſolùm Jacob prædeſtinatum fuiſſe ex futuris bonis operibus, ſed Eſaü ex futuris præviſis malis fuiſſe reprobatum. Quare non video, quomodo ſi ad iſta verba & doctrinam S. P. Auguſtini attenderent ſcholaſtici aliqui ſupra relati, dicerent reprobationem factam propter actualia peccata præviſa; cum potiſſimè S. P. & Doctoris Auguſtini doctrina in iſtâ materia de prædeſtinatione & gratiâ, ac reprobatione ipſa ſit Eccleſiæ doctrina, non ſemel ab ipsâ approbata: quod etiam Card. Belarmin. in ſuis operibus agens de prædeſtinatione affirmat. Unde ſi ad hoc minus ſcholaſtici attenderunt; qui eorum ſequuntur doctrinam, non illam defendere, ſed vel piè explicare, aut excuſare deberent.

80. Falſas autem hujus loci interpretationes, contendentes Apoſtolum non loqui de electorum prædeſtinatione, & malorum reprobatione, rejecimus ſupra cum de electione & de prædeſtinatione: unde nunc aliorum exortam interpretationem admittentium ibi fieri ſermonem de bonorum electione, & reprobatione malorum, ſecludere oportet. Dicunt enim quidam, Apoſtolum primis illis verbis. *Cum nondum nati fuiſſent,* ſolùm voluiſſe indicare electionem fieri ab æterno, priuſquam in tempore ſint aut naſcantur prædeſtinati, aut aliquid boni vel mali agant: non autem intendiſſe negare, futura opera ab æterno præviſa eſſe prædeſtinationis cauſam. Quam explicationem in S. Chryſoſtomo fundant, & duabus rationibus probant. Primò, quia ſi prædeſtinatio, & à fortiori reprobatio, ex mente Apoſtoli fit ſine præſcientia cooperationis humanæ; ſequitur homines ex ſententia Apoſtoli prius à Deo prædeſtinari, quàm ab eo cognoſcantur ſecundum ſuum eſſe naturale. Secundò, quia ſequeretur prædeſtinari homines ante præſcientiam mali; quod contra Apoſtolum procedit, qui ſupponit peccatum, & miſeriam in hominibus, quos Deus per miſericordiam prædeſtinando liberat, ut ſemper exponit S. P. Auguſtinus.

81. Cæterum hæc ſententia nec nova eſt, nec noviter impugnanda; fuit enim in terminis à Sancto Auguſtino impugnata in illis prioribus, qui illam tradiderunt, ut apertè conſtat ex modò relatis, & ex toto contextu utriuſque citatæ Epiſtolæ; ubi ex ipſo contextu Apoſtoli probat, illam contra mentem ejus procedere, ſic dicens, ut allata verba repetamus. *Ideò, inquiunt, nondum natorum alium oderat, alium diligebat; quia eorum futura opera prævidebat. Quis iſtum acutiſſimum ſenſum defuiſſe Apoſtolo non miretur? Hoc quippè illud non videt, quando ſibi velut adverſantis obiecta quæſtione, non id potius tam brevè, tam apertum, tam (ſicut iſti putant) verum, abſolutumque reſpondit. Cum enim rem ſtupendam propoſuiſſet; quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni aut mali rectè dici potuerit, quòd unum Deus dilexerit, alium odio habuerit? Ipſe ſibi obiecta quæſtione, motum exprimens auditoris, quid ergo dicemus? Inquit. Nunquid iniquitas apud Deum? abſit. Hic ergo erat locus, ut diceret quod iſti ſentiunt; futura enim Deus opera prævidebat, quando majorem minori ſerviturum eſſe dicebat: non autem hoc Apoſtolus dicit,* &c. Quod ibi latè probat: unde poſt pauca concludit. *Vbi nunc merita. Vbi opera vel præterita, vel futura tanquam liberi arbitrij viribus adimpleta vel adimplenda.* Manifeſtum eſt ergo negare Apoſtolum & futura opera bona, propter quæ quis prædeſtinetur, & futura opera actualia mala, propter quæ quis reprobetur. Manifeſtum eſt etiam, hanc explicationem antiquam eſſe, ſed per S. P. Auguſtinum, ex mente & contextu Apoſtoli reprobatam. Quod autem S. Chryſoſtomus illi explicationi non faveat, ſupra agentes in particulari de S. Chryſoſtomi mente, late probavimus.

82. Ad primam autem rationem illius reſpondetur, antè prædeſtinationem quidem præcedere in Deo præſcientiam eorum quos prædeſtinare vult, ut docet S. Thomas ſuper illud Pauli. *Quos præſcivit & prædeſtinavit,* & nos ſupra diximus abundè hoc ſecundo libro: at verò non præcedit antè prædeſtinationem præſcientia boni uſus, aut bonæ cooperationis arbitrij; cum iſta ſit prædeſtinationis effectus, ut ſæpè dictum manet. Inferre autem ex illa priori præſcientia antecedente prædeſtinationem, hanc aliam ſecundam, eſt in æquivoco laborare, & omnia velle confundere, & reprobatam olim à S. P. Auguſtino ſententiam, iterum introducendo, defendere.

83. Ad ſecundam rationem reſpondetur, S. Auguſtinum de præſcientiâ originalis peccati, non actualis intellexiſſe loquutum fuiſſe Apoſtolum, cum docet Deum miſereri, & hominem à ſtatu miſeriæ liberare. Ex hoc autem inferre Apoſtolum, vel S. Auguſtinum loqui de miſeria actualis peccati præviſi antè reprobationem, & contra Apoſtolum & contra S. Auguſtinum militat, ut modò probatum eſt. Igitur iis non obſtantibus rationibus, concludendum eſt, Apoſtolum (ut litera ſonat & S. Auguſtinus exponit) negare reprobationem fieri ex præviſione actualis peccati, ut noſtra tenet concluſio.

84. De Sancto autem Proſpero, ac Fulgentio plura poteramus ad idem inducere teſtimonia, quibus non propter actuale, ſed propter originale peccatum docent, fuiſſe homines reprobatos, ſed in illis videantur: in Proſpero quidem contra collatorem, prosâ de ingratis, ac aliis locis: in Fulgenntio lib. de prædeſtinatione ad Monimum.

Digitized by Google

85. Præterea id etiam manifestè probatur ex S. Thomæ apertâ sententiâ non solùm 1. p. q. 23. art. 5. ad 3. sed in terminis, & expressè q. 6. de verit. art. 2. solut. ad 11. ubi ita habet. *Ad 11. dicendum; quòd præscientia abusus gratia non fuit causa reprobationis in Iuda nisi fortè ex parte effectus.* Ex parte, inquit, effectus est præscientia abusus gratiæ causa reprobationis; quia peccatum actuale prævisum causa est damnationis, quæ est ultimus reprobationis effectus; & propter illud prævisum præordinat Deus dare effectum illum ultimum damnationis. Igitur solum actuale peccatum prævisum causa est ultimi effectus reprobationis, non autem ipsius reprobationis, vel adæquati effectus illius secundum expressam S. Thomæ sententiam.

86. Præterea super Epist. ad Rom. cap. 9. in explicatione illius. *Cum nondum nati essent, vel aliquid boni egissent, aut mali.* lectione 2. & lect. 4. in principio, pro manifesto supponit ex Apostoli mente; quòd quamvis hujus quod est Deum aliquos prædestinare, & aliquos reprobare, possit esse aliqua ratio, videlicet manifestatio misericordiæ, & ostensio justitiæ; tamen hujus quod est, hos in particulari prædestinare, & illos in particulari reprobare, nulla dari potest ratio, nisi solum simplex Dei voluntas. Si autem reprobatio fieret propter actualia peccata, manifesta causa redderetur, quare hos, & non illos reprobet; quia videlicet præscit actualia peccata in istis, non in illis: ergo manifestè docet, quòd non fit reprobatio propter præscientiam actualium peccatorum. Idem omnino docet. 1. par. q. 23. art. 5. ad 3. Unde perpetua ejus sententia est, reprobationem non fieri propter actualia peccata prævisa.

87. Quòd si quis opponat, quòd super Paulum ad Rom. cap. 9. in fine lectionis 2. ita habet. *Et ideò præscientia meritorum non potest esse aliqua ratio prædestinationis; quia merita præscita cadunt sub prædestinatione: sed præscientia peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte pœnæ, quæ præparatur reprobatis; in quantum scilicet Deus proponit se puniturum malos propter peccata, quæ à se ipsis habent, non à Deo: Iustos autem proponit se præmiaturum propter merita, quæ à se ipsis non habent. Osea 13. Perditio tua ex te Israel, tantùm in me auxilium tuum.* Hæc S. Thomas. Quibus docet, aliquam præscientiam peccatorum esse rationem reprobationis; non autem præscientiam meritorum prædestinationis. Propter hoc testimonium, ut relatum est supra, Magister Soto sentit secundum S. Thomam peccata actualia esse causam reprobationis.

88. Si autem dicatur, ipsum Doctorem Sanctum solùm dixisse, præscientiam peccatorum esse aliquam rationem reprobationis ex parte videlicet ultimi effectus, qui est æterna damnatio, ut sequentia verba ostendunt; tunc ex alia parte consurgit dubitatio, quia etiam hoc modo datur aliqua ratio prædestinationis, ex parte videlicet ultimi effectus illius, qui est collatio gloriæ; vult enim Deus de facto ultimum effectum prædestinationis nempe gloriam conferre propter prævisa merita ex gratia facta: & tamen ipse S. Thomas negat rationem prædestinationis esse prævisa merita. Imò collationem faciendo inter prædestinationem & reprobationem, hujus constituit præscientiam peccatorum aliquam rationem, illius autem negat præscientiã meritorum esse rationem aliquam.

89. Ad hoc dicendum, sine dubio S. Thomam loqui comparatione ultimi effectus reprobationis, qui est æterna damnatio, cum ait, præscientiam peccatorum, illius esse aliquam rationem. Quod apertis verbis exposuit, cum illam restrictionem adhibuit, dicens, *Potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte pœnæ*, quæ est ultimus reprobationis effectus. Et clarius in illis aliis. *In quantum, scilicet Deus proponit se puniturum malos propter peccata, quæ à se ipsis habent.* Ac si clariùs diceret, proponit Deus inferre ultimum reprobationis effectum, videlicet æternam punitionem propter peccata, nempè prævisa: unde hac firmata de mente S. Thomæ sententia. Ad argumentum factum dicendum est, nec etiam negare in citatis verbis cum ad invicem comparat prædestinationem & reprobationem, quòd prædestinationis quoad effectum illius ultimum, scilicet collationem gloriæ, sit ratio præscientia meritorum, quæ ex gratiâ processerunt; imo hoc relatis verbis affirmat; sed tantùm in hoc differentiam assignare inter prædestinationem & reprobationem; quòd reprobationis quoad ultimum effectum ex parte solius hominis detur ratio, scilicet peccata prævisa, quæ à solo homine fiunt, ut manifestè in litera expressit: at prædestinationis, quoad ultimum effectum ejus non datur ratio ex solo homine; imo nec ratio datur, quæ principaliter ab homine sit; quia merita ob quæ Deus proponit dare hominibus ultimum prædestinationis effectum, nec ex solo homine, nec principaliter ab homine fiunt; sed principaliter ex gratia, quæ est prædestinationis effectus: undè licet ipsa merita causa sint ultimi effectus prædestinationis; non tamen ita ex parte hominis datur ratio hujus, sicut ex parte illius datur ratio ultimi effectus reprobationis. Similiter cum ait, quòd proponit Deus se præmiaturum justos propter merita, quæ à se ipsis non habent; sensus est, quòd à se ipsis nec solùm habent, nec principaliter habent; sicut à se ipsis solùm peccata habent. Et ista est manifesta S. Thomæ sententia in illo loco: ex qua nihil colligi potest ad suadendum S. Thomam asserere, quòd reprobationis adequatè sumpta, includendo videlicet etiam primum effectum illius, sit ratio aliqua præscientia actualium peccatorum.

90. Sed & verba S. Thomæ 1. p. q. 23. art. 5. ad 3. licet longiora recensenda tamen sunt. Cum enim opposuisset in 3. loco illud antiquum Pelagianorum argumentum jam supra à S. P. Augustino relatum, videlicet injustum videri, quòd existentibus hominibus æqualibus & in natura, & in peccato originali, sine aliqua prævisione operum ipsorum, perquæ ab invicem distinguantur, Deus aliquos prædestinet & aliquos reprobet. Ad hoc antiquum argumentum ita respondit. *Ad tertium dicendum, quod ex ipsa bonitate divina ratio sumi potest prædestinationis aliquorum, & reprobationis aliorum. Sic enim Deus dicitur omnia propter suam bonitatem fecisse, ut in rebus divina bonitas repræsentetur. Necesse est autem quòd divina bonitas (quæ in se est una & simplex) multiformiter repræsentetur in rebus, propter hoc, quòd res creata ad simplicitatem divinam pertingere non possunt: & inde est, quòd ad completionem universi requiruntur diversi gradus rerum, quarum quædam altum, & quædam infimum locum teneant in universo: & ut multiformitas graduum conservetur in rebus, Deus permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediantur, ut supra dictum est: sic igitur consideremus totum genus humanum, sicut totam rerum universitatem. Voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos prædestinat, suam repræsentare bonitatem per modum misericordiæ parcendo: & quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum justitiæ puniendo. Et hæc est ratio; qua Deus quosdam eligit, & quosdam reprobat: & hanc causam assignat Apostolus ad Rom. 9. dicens. Volens Deus ostendere iram, id est vindictam justitiæ, & notam facere potentiam suam, sustinuit, id est permisit in multâ patientiâ vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Et 2. ad Timoth. 2. dicit: In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea,*

Digitized by Google

argentea, sed etiam lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam vero in contumeliã. Sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem, nisi divinam voluntatem. Unde Augustinus dicit super Joann. quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare. Sicut etiam in rebus naturalibus potest assignari ratio (cum prima materia tota sit in se uniformis) quare una pars ejus est sub forma ignis, & alia sub forma terræ à Deo in principio condita; ut sic sit diversitas specierum in rebus naturalibus. Sed quare hæc pars materiæ est sub ista forma, & illa sub alia, dependet ex simplici divina voluntate: sicut ex simplici voluntate artificis dependet, quòd ille lapis est in ista parte parietis, & ille in alia; quamvis ratio artis habeat, quòd aliqui sint in hac, & aliqui sint in illa. Neque tamen propter hoc, est iniquitas apud Deum, si inæqualia, non inæqualibus præparat; hoc enim esset contra justitia rationem, si prædestinationis effectus ex debito redderetur, & non daretur ex gratia; in his enim, quæ ex gratia dantur, potest aliquis pro libito suo dare cui vult, plus, vel minus (dummodo nulli subtrahat debitum) absque præjudicio justitiæ. Et hoc est quod dicit Pater familias Matth. 20. cap. Tolle quod tuum est, & vade, an non licet mihi quod volo, facere.

91. Notanda sunt omnia S. Doctoris verba, & liquidò constabit, qualiter hujus, quod est aliquos in genere esse prædestinatos, & aliquos reprobatos, assignat causam ex parte divinæ voluntatis, quæ debet resplendere, in his nempe quos prædestinat, per modum misericordiæ parcendo, & in alijs, quos reprobat, per modum justitiæ puniendo. Quibus verbis reprobationem dicit esse actum justitiæ; idque ex Apostolo probat; quia nimirum propter originale peccatum odio habentur, & reprobantur: qua ratione in argumento, cui respondebat, mentionem de peccato originali expresse fecit: de quo nos infra copiosè. Et hoc est primum, quod docet in prima parte hujus solutionis. Secundò docet, quòd hujus quod est, istos in particulari esse prædestinatos per modum misericordiæ parcendo eis, videlicet ipsos eligendo à massa perditionis, & peccati originalis; & istos reprobatos per modum justitiæ puniendo in eis originale peccatum, ob quod justè reprobantur, nulla datur causa nisi sola Dei voluntas, qua poterat, si voluisset, sicut Petrum prædestinavit, & Judam propter peccatum originale reprobavit, è contra Judam prædestinare & Petrum reprobare. Quod & exemplis innaturalibus, & artificialibus probat, & potissimè ex sententia S. P. Augustini, sed principaliter ex allato scripturæ testimonio. Quod & confirmari potest ex illo dicto Christi Domini Matth. 11. *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ; quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis? ita Pater quoniam sic placitum fuit ante te.* Cujus negotij simpliciter ad salutem pertinentis nullam aliam rationem assignat, nisi solum divinæ voluntatis beneplacitum.

92. Præterea, id unica fundamentali ratione probatur. Permissio in peccatum actuale est primus reprobationis effectus; sed illius permissionis non est causa ipsum actuale peccatum: ergo primi effectus reprobationis peccatum actuale non est causa: ergo nec peccatum actuale est causa ipsius reprobationis; quia quidquid primi effectus reprobationis non est causa, nec causa est ipsius reprobationis. Major sufficienter probata relinquitur ex capite præcedenti: & minor constat; quia ut ibi diximus, permissio in actuale peccatum, omnibus modis est prior peccato ipso præviso: ergo impossibile est, quòd prævisio illius peccati sit reprobationis causa.

CAPUT VII.

Quòd peccatum actuale prævisum non sit reprobationis causa, amplius ostenditur, præsertim ratione desumpta ex S. P. Augustino.

93. INSUPER hoc ipsum probatur ratione alia facta à S. Augustino quæst. 2. ad Simplicianum sub his verbis, *Si enim, quia præsciebat Deus futura ejus opera mala* (scilicet Esaü) *propterea eum prædestinavit, ut serviret minori; propterea prædestinavit & Jacob, ut ei major serviret, quia futura ejus bona opera præsciebat, & falsum est jam, quod ait, non ex operibus.* Et iterum *quod si concedimus* (videlicet reprobatum Esaü ex futuris operibus malis) *incipit & Iacob justitiæ merito diligi.* Rursus *si præscientiâ Dei futuræ malæ voluntatis ejus, cur non & Jacob præscientiâ Dei approbatus est futuræ bonæ voluntatis ejus? Quod si semel concesseris, potuisse quempiã, vel approbari, vel improbari, ex eo quod nondum in illo erat; sed quia Deus futurum esse præsciebat; conficitur eum potuisse etiam ex operibus approbari, quæ in illo Deus futura esse præsciebat; quamvis nondum esset aliquid operans.* Quibus verbis hanc consequentiam facit S. Augustinus. Reprobatio fit ex præscientia mali usus arbitrij: ergo prædestinatio potest fieri ex præviso bono usu arbitrij. Verumtamen ista consequentia ab aliquibus ex S. Thomæ discipulis non admittitur. Dicunt enim, facile posse hujusmodi consequentiam negari à tenentibus reprobationem fieri ex prævisione actualis peccati, dicendo, quòd peccatum non est reprobationis effectus, undè potest ipsius reprobationis causa existere: at verò quicumque bonus usus arbitrij est effectus prædestinationis; undè non potest illius esse causa: & ex consequenti licet peccatum actuale præviſum sit causa reprobationis; non tamen bonum præviſum erit prædestinationis causa

94. Hoc argumentum hac intentione constituimus, ut sententiam S. Augustini, & consequentiam seu illationem illius defendamus, quæ absque dubio optima est, nec ita facilè rejici debet. Primò, quia in Apostolo magnum habet fundamentum, cum pari ratione & de prædestinatione, & reprobatione sermonem faciens, ait; quòd non ex operibus, sed ex vocante dictum est: quia major serviet minori: & quod sicut Jacob dilexit, non ex operibus, etiam Esaü odio habuit, non ex operibus. Igitur idem inconveniens Apostolus videtur significare in hoc, quòd Deus reprobet ex operibus, sicut quòd ex operibus prædestinet. Explicatur ergo S. P. Augustini illatio & sequela: si enim Deus expectat prævidere peccata hominis actualia ad reprobandum; statuitur (ut ait S. Augustinus) quòd etiam expectet bona hominis opera ad prædestinandum. Probatur: Deus expectavit videre mala opera Judæ v. g. ad eum reprobandum: ergo hac intentione expectavit videre illius mala opera, ut si non videret illa, eum non reprobaret: ergo si non videret illa, eum non reprobaret: ergo si non videret illa mala opera, illum prædestinaret: ergo illius prædestinatio ex prævisione bonorum operum, vel saltem non malorum pendebat. Prima consequentia videtur certa; quâ enim aliâ intentione antè reprobationem Judæ expectaret Deus, illius videre mala opera, nisi hac, ut si illa non videret, ipsum minimè reprobaret. Et secunda etiam constat; quia si illum non reprobaret non visis malis operibus ejus: ergo prædestinaret; nec enim inter utrumque potest medium assignari. Et ultima consequentia tenet; quia jam prædestinatio Judæ fieret ex prævisione boni operis, vel saltem ex prævisione non mali operis

prævisi.

Digitized by Google

prævisi. Igitur quâ ratione ponitur reprobatio ex prævisione malorum operum; statuitur, ut S. Augustinus intulit, quòd etiam prædestinatio ponatur ex prævisione bonorum operum, vel saltem non malorum: undè jam ex parte hominis esset causa, quòd prædestinaretur; nam ipse homo non malè operans esset causa, ut Deus illum prædestinaret.

95. Confirmatur, & explicatur. Nam qui dicunt Deum ante operum prævisionem non reprobare quempiam, ideò hoc dicunt; quia constituunt Deum quasi indeterminatum ad prædestinandum, vel reprobandum ante operum prævisionem, ita videlicet ut sicut si mala providendo reprobaret, ita bona videndo prædestinaret. Imo (si consequenter loquantur) ita dicere debent, nisi in plura impossibilia incidere velint. Quia si Deus antè omnem prævisionem actualium operum, sive bonorum, sive malorum prædestinavit electos, ut veritas habet, & ex Apostolo relinquimus comprobatum; jam prædefinitus est illorũ numerus in illo signo rationis, quo illos eligit: ergo si tunc ante operum prævisionem non reprobasset alios, illi pro illo rationis signo non manerent efficaciter à gloria excluſi, sed quasi in suspenso; & si postea previderentur malè operaturi, reprobarentur; si autem non, prædestinarentur: & sic non esset præfinitus prædestinatorum numerus per illam priorem electionem illorum. Undè in ista sententia videtur, quòd in illo priori instanti rationis quo Deus prædestinatos eligit, sit eorum numerus præfinitus, & non præfinitus à Deo; præfinitus quidem, quia illa est efficax electio horum, & non aliorum: non præfinitus, quia expectantur alij ut si prævideantur sine peacato, pariter prædestinentur. Ergo unum è duobus sequitur, vel esse possibile augeri prædestinatorum numerum, vel esse possibile non prædestinatum salvari; quorum quodlibet ex suppositione est impossibile: consequentia certa videtur; nam in illo rationis signo, quo alij præ aliis efficaciter ad gloriam eliguntur ante omnem operum prævisionem; illi alij nec prædestinati, nec reprobati efficaciter intelliguntur, sed in suspenso, ut postea ex operibus approbentur, vel reprobentur.

96. Nec sufficit dicere illos relictos, sine dubio malè operaturos, & reprobandos, quia eo ipso quòd alij pro eo signo rationis sunt efficaciter ad gloriam electi, alij relicti malè sunt operaturi, & reprobandi. Non inquam hoc sufficit dicere; quia qui ita dicunt, reipsa fatentur, ipsos vel formaliter, vel virtualiter mansisse efficaciter à regno excluſos in illo priori signo rationis quo alij eligebantur ante operum prævisionem; quod nos intendimus. Nam undè sequitur illos certò malè operaturos, nisi quia electis aliis ad regnum, illi relicti efficaciter ab illo manserunt excluſi? ergo illa excluſio à regno fuit quædam illorum reprobatio antè omnia prævisa demerita. Imo ipsa demerita certò futura prævidentur, quia positâ efficaci eorum excluſione à regno, infallibile erit ipsos ex sua prava voluntate malè operaturos.

97. Quare quod aliqui viri docti affirmant, non esse eandem rationem quantùm ad hoc in reprobatione, & prædestinatione, quia posset responderi, quemcumque bonum arbitrij usum esse effectum prædestinationis, & sic prædestinationis non posse esse causam; malum autem usum arbitrij non esse effectum reprobationis, unde illius causam esse posse; non videtur posse stare, quià rationes factæ hoc convincunt, quòd in illo casu bonus usus arbitrij non ponatur effectus prædestinationis, ut revera à consequenter loquentibus non ponitur, sed causa, ratio, vel conditio ipsius prædestinationis: in illo, inquam, casu, quo quis reprobaretur ex prævisis operibus, ut rationes factæ probant, etiam prædestinaretur ex bonis prævisis operibus: unde sicut illa mala opera prævisa non ponerentur effectus reprobationis, sed illius causa; etiam bona opera præscita non ponerentur effectus prædestinationis, sed causa ejus, ut S. P. Augustinus citatis locis expressit. Vel secundò dicatur, quòd licet peccatum actuale non sit effectus reprobationis, permissio tamen cadendi effectus est reprobationis: unde sicut bonus usus arbitrij, quia effectus est prædestinationis, non potest prædestinationis esse causa: ita peccatum actuale propter antecedentem permissionem in illud, quæ effectus primus est reprobationis, etiam reprobationis non potest esse causa. Nec enim magis repugnat, quòd effectus prædestinationis sit prædestinationis causa, quàm quòd peccatum actuale præsupponens effectum reprobationis (videlicet permissionem) sit causa reprobationis: quod quia S. P. Augustinus consideravit, ideo nullum inconvens vidit involui in ponentibus prædestinationem fieri ex bonis operibus prævisis, quod non sequeretur in illis, qui admittebant reprobationem fieri ex malorum operum prævisione.

98. Nec licet inferre contra S. Augustinum, ut aliqui arbitrantur, idem argumentum posse fieri de permissione in peccatum originale, quòd videlicet peccatum originale non sit causa reprobationis, quia non potest esse causa permissionis in ipsum.

99. Respondetur, enim quòd S. Augustinus negaret consequentiam, sicut revera neganda est, ut ex dictis in præcedentibus capitulis sit manifestum. Permissio enim in originale nequit esse reprobationis effectus, at vero permissio in actuale necesse est, quòd reprobationis effectus sit. Unde peccatum originale potest esse reprobationis causa; non autem peccatum actuale, ut S. P. Augustinus semper docuit.

CAPUT VIII.

Solvuntur argumenta contraria superiùs inducta ad probandum peccatum actuale prævisum esse reprobationis causam.

100. AD argumenta, quæ supra præmissa sunt ad probandum reprobationem fieri ex prævisione peccati, sive originalis in parvulis, qui cum ipso moriuntur, sive actualis in adultis, pro illa parte, qua dicunt peccatum actuale esse causam reprobationis, respondendum est modò: nam quid sentiendum sit de peccati originalis prævisione, dicetur inferius. Argumentum primum ex trium doctorum authorirate procedebat, ex Scoto videlicet, Magistro Soto & alio Magistro Petro de Soto, qui omnes sentiunt reprobationem adultorum fieri ex prævisione actualis peccati, in quo moriuntur.

101. Ad Scotum respondetur primò, ipsum in illa dist. 41. ex primo sent. fuisse loquutum de voluntate puniendi æterna damnatione, quam ibi vocavit reprobationem; hæc autem voluntas infligendi penam in omnium opinione, culpæ prævisionem præsupponit, ut omnes concedunt. Quòd autem Scotus illam voluntatem puniendi præcisè vocaverit reprobationem, aliud negotium est, de quo modò non agimus, quia illud supponimus ex relatis ex Scoto supra cap. 1. Ex illis enim instantibus, quæ ipse assignavit & citato loco sunt inducta, id satis liquet. Vnde ad præsens hoc unum dicimus, quòd supposito quòd Scotus non assignaverit alium ordinem in reprobatione, nisi solam voluntatem puniendi æternâ pœnâ, tenebatur asserere, quod asseruit, reprobationem videlicet fieri ex peccati actualis, sub quo homo moritur, prævisione. Vnde Scotus in hoc nobis contrarius

Digitized by Google

contrarius non est, sed in eo quod supponit, videlicet reprobationem esse voluntatem puniendi; quod nos cum S. Thoma omnino negamus

102. Ad Magistrum Soto dicendum, ipsum sententiam quam tenuit super Paulum (quòd videlicet reprobatio adultorum ex prævisione sit peccati actualis) mutasse in fine quarti libri sententiarum, potissimè propter argumentum de reprobatione Angelorum, quæ ex nullo peccato prævisо facta fuit.

103. Ad testimonium S. Thomæ, inquo se fundaverat Magister Soto, quia videlicet S. Thomas dixerat super Paulum, quòd licet præscientia meritorum non possit esse aliqua prædestinationis causa; præscientia tamen peccatorum possit esse aliqua causa reprobationis. Dicendum, S. Thomam, nec à longe insinuasse præscientiam peccatorum esse causam omnium effectuum reprobationis, à prima videlicet peccati permissione usque ad æternam punitionem. Quia ipse S. Thomas satis ibi declarat, se loqui per respectum ad ultimum reprobationis effectum, qui est æterna damnatio; respectu cujus dicit ibi, dari ex parte hominis causam, videlicet peccatum ipsum, quod solùm ex homine & nullo modo ex Deo procedit: quod tamen in prædestinatione respectu ultimi effectus, qui est gloriæ collatio, non fit; quia nulla causa nullumque bonum ex solo homine habetur, propter quod gloria detur, & quòd principaliter ex Deo non sit. Et hanc tantùm differentiam intendebat Sanctus Thomas in illo loco constituere inter reprobationem quoad suum ultimum effectum, & prædestinationem quantùm ad effectum etiam suum ultimum, ut jam supra explicatum fuit.

104. Ad aliud tertium de Magistro Petro de Soto in quantùm dixit cum S. Augistino reprobationem hominum ex culpa originale fuisse, verè procedit, ut infra explicabimus: inquantum verò ex hoc infert multòmagis actuale peccatum esse reprobationis causam. Respondetur, id nulla ratione sequi, vel in sententia S. Augustini, qui totum contrarium docuit, vel in veritate ipsâ; nam peccatum actuale esse causam reprobationis, & contra S. Augustinum & expressè contra S. Thomam procedit. Imò minus conforme est Apostolo ut diximus supra. At verò quòd peccatum originale sit reprobationis causa, satis in Apostolo fundatur, & in S. Thomæ sententia: præterquam quod expressa est S. Augustini sententia, quam & infra nos, ipsum sequentes explicabimus; & argumenta, quæ contra ipsam militant, solvemus; nec enim ob difficultatem unius, vel alterius argumenti rejicienda veritas est.

105. Quòd si aliquis opponat, S. Prosperum in responsione secunda & tertia ad capita Gallorum dicêtem, *quòd quia Dei præscientiam nec latuit nec fefellit, sine dubio talem numquam elegit.* Et loquitur expressè de præscientia peccatorum actualium. Et in responsione tertia clariùs ita habet. *Non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt; sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt.* Igitur secundum S. Prosperum peccatum actuale prævisum fuit causa reprobationis.

106. Ad hoc dicendum, S. Prosperum in prædictis verbis non intendere, significare causam consequentis, sed consequentiæ tantum, ad hunc videlicet sensum, quòd bona est consequentia: præsciti sunt peccaturi: ergo non sunt prædestinati, sed reprobati: non autem quòd talis præscientia sit causa reprobationis, ut jam supra clarè explicavimus. Quòd autem in secundo loco dicit, quòd necessitatem non habuerunt pereundi homines, ex eo quod prædestinati non sunt, verum est; quia reprobatio non coegit, nec impulit ad peccatum, nec aliquomodo causa fuit peccati propter quod homines pereunt.

CAPUT IX.

Quòd splendor divinæ justitiæ sufficiens causa fuerit reprobationis malorum.

107. IN hac reprobationis materia, ut in isto tractatu. cap. 1. & in 1. lib par. 1. tract. 6. cap. 12. retulimus, recentiores post Faustum Reghiensem Episcopum, & post Catharinum, apertè contendunt, splendorem justitiæ divinæ non esse sufficientem reprobationis causam ante meritorum prævisionem; & contrarium asserentes, Deum constituere crudelem, & minus pium, vociferantur. Hæc enim fuit recentiorum trigesima tertia assertio relalata ubi supra libro 1.

108. Contra quorum sententiam, hæc nostra constituitur. Splendor justitiæ ita sufficit ad reprobandum, ut quamvis nulla in Deo præcederet prævisio culpæ originalis ex parte reprobandorum, splendor & ostensio justitiæ divinæ sufficeret ad homines justissimè reprobandos. Et asserere Deum ex hoc vel minus justum vel crudelem, & non pium constitui, temerariæ & damnandæ, atque damnatæ voces fuere olim Pelagianorum, & illorum, qui ipsorum sequuntur doctrinam. Itaque licet splendor divinæ justitiæ non sit reprobationis totalis finis per exclusionem aliorum; sufficiens tamen, imo præcipuus finis est ad reprobandum.

109. Antequam veritas manifestetur, opportet præsupponere, alios etiam fines potuisse intendere voluntatem divinam in malorum reprobatione, etiam si nullum esset illorum prævisum peccatum originale, videlicet finem generalem providentiæ, ad quam pertinet permittere causas ex se defectibiles deficere; quem finem S. Thomas assignat *1. par. q. 23. art. 3.* Deinde ut occasione peccatorũ sequerentur alia majora bona, ut Incarnatio Verbi, & corona Martyrum quæ nec essent futura, nisi Deus primi hominis peccatum, & Tyrannorum crudelitatem permitteret. Item ut servaretur ordo, & pulchritudo universi, inquo alia insuperiori loco, alia in inferiori continentur. Quem finem insinuat Apostolus, cum ait secundæ ad Timoth. 2. *In magna autem domo non solùm sunt vasa aurea & argentea; sed & lignea & fictilia; & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Sed præcipuus finis illeque (etiamsi alij deessent) per se sufficiens ad reprobandum, est divinæ justitiæ splendor in reprobis, ut concluso manifestat. Hoc apertè docuit S. Thomas 1. p. q. 23. art. 5. ad 3. ubi ait, Quòd hæc est ratio, quare quosdam elegit, & quosdam reprobavit; ut videlicet representaretur bonitas Dei in electis, per modum misericordiæ parcendo: & in reprobis per modum justitiæ puniendo. Et intendit ibi S. Thomas, præcipuam causam reprobationis assignare, quæ sufficeret, etiam si alia non esset, ut patet ex argumento cui respondebat; quod & ibi bene notat Cajetanus: imo hanc causam Apostolus assignavit illis verbis. *Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit vasa iræ apta in interium, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

110. Supponendum secundò, ex tali splendore justitiæ divinæ erga reprobos inseparabiliter resultare majorem ostensionem divinæ misericordiæ in prædestinatis, ut S. P. Augustinus docet *Epistola* 105. & alibi sæpe & S. Thomas *ad cap. 9. Epist. ad Rom. lect. 4. in fine*, ita dicens. *Signanter autem dicit* (supple Apostolus) *ut ostenderet divitias gloriæ*

Digitized by Google

ſuæ, quia ipſa condemnatio, & reprobatio malorum, quæ eſt ſecundum Dei juſtitiam, manifeſtat, & commendat ſanctorum gloriam, qui ab ipſa tali miſeria liberantur. Quibus verbis, non ſolùm S. Thomas, ſed Apoſtolus, quod dicimus, apertis verbis docent ac prædicant.

111. Supponendum præterea, æternam punitionem, finem primò & per ſe intentum à divina voluntate non eſſe. Nec enim primò & per ſe eſt appetibile punire propter punire; ſed talis æterna punitio eſt ſecundariò per ſe volita, ad ſplendorem divinæ juſtitiæ manifeſtandum. Vnde S. Thomas. 1.2. *q.* 87. *art.* 3. ſic dicit. *Ad tertium dicendum, quòd Deus non delectatur in pœnis propter ſeipſas; ſed delectatur in ordine ſuæ juſtitiæ, quæ hæc requirit.* Itaque Deus non permittit peccatum, ut puniat illud, ſed illud permittit, & punit, ut ſplendeat divina juſtitia: ſicut enim amara potio non eſt finis, nec per ſe appetibilis, ſed ſolum propter conſequendam ſanitatem; ſic nec punitio propter ſe, ſed propter divinam juſtitiam manifeſtandam, eſt volita.

112. Supponendum præterea, ut ſupra diximus, reprobationem non ſumi in præſenti quæſtione pro ultimo reprobationis effectu, id eſt pro æternâ damnatione: certiſſimum enim eſt, talem reprobationis effectum ſine præviſione peccati & demeriti non eſſe à Deo aut volitum, aut præparatum; ſed ſumi reprobationem pro excluſione à regno & pro primo effectu reprobationis: Et tunc eſt ſenſus, an ante omnem peccati præviſionem, quæ cauſa eſt demeritoria, juſtè Deus aliquos excludat à Regno, illoſque in peccatum labi permittat ex hac præciſe ratione, ut ſplendorem ſuæ juſtitiæ manifeſtet.

113. His ergo præhabitis. Propoſita veritas probatur, & manifeſtatur: & primò ex Apoſtolo ad Rom. 9. poſtquam enim dixit. *Igitur cujus vult miſeretur, & quem vult indurat* Et *Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: quid me feciſti ſic?* Et iterum. *An non habet poteſtatem figulus ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Continuò hujus nobis rationem, & finem ſubjungit. *Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multâ patientiâ vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Quibus verbis oſtendit reprobationis rationem finalem ex parte divinæ voluntatis fuiſſe ſuæ juſtitiæ ſplendorem in reprobis, & majorem gratiæ commendationem in prædeſtinatis: ergo finis iſte ſufficientiſſimus fuit ad reprobandum. Patet conſequentia; quia dici non poteſt, Apoſtolum inſufficientem tradidiſſe rationem.

114. Quòd ſi dicas, Apoſtolum in illo loco præſupponere, Deum voluiſſe oſtendere ſplendorem juſtitiæ vindicativæ, præſuppoſita tamen peccati præviſione, ſicut demeritoriâ cauſâ; quâ ſuppoſitâ, ſufficiens eſt ille finis ad divinam voluntatem movendam ad reprobandum; non autem omni peccatorum præviſione ſeclusâ.

115. Ad hoc dicendum, certum eſſe, Apoſtolum non præſupponere in Deo peccatorum actualium præviſionem ad reprobandum; quod ex illo ſatis conſtare videtur, *Antequam quid quam boni vel mali egiſſent: Iacob dilexi, Eſaü autem odio habui*, ut ſupra abunde monſtravimus. An verò præſupponat peccati originalis præviſionem, dicemus inferiùs. Ad præſens reſpondetur; quòd licet Apoſtolus loquatur de facto de reprobatione, præſuppoſitâ maſsâ infectâ originali peccato (quod multò verius crediderim cum Sancto Auguſtino eſſe dicendum, ut infra probabimus) tamen quòd dicimus, eſt, quòd licet talis præviſio peccati non eſſet, divina voluntas juſtiſſimè reprobaret, ut ſplendorem juſtitiæ ſuæ oſtenderet in reprobis, & majorem gratiæ commendationem in prædeſtinatis: nam ſplendor divinæ juſtitiæ tam magnum bonum eſt, ut etiam ſi peccatum nullum præcederet, illum deberet divina voluntas manifeſtare.

116. Explicatur & confirmatur. Deus omnia facit propter bonitatem ſuam, ut videlicet in omnibus divina bonitas repreſentetur: ergo permiſſionem peccati, ut eſt primus effectus reprobationis, vellet Deus propter bonitatem ſuam repreſentandam per modum juſtitiæ: ergo etiamſi nullum eſſet peccatum etiam originale præviſum, reprobaret Deus aliquos propter manifeſtandam bonitatem ſuam per modum juſtitiæ. Patet conſequentia, quia quidquid eſt ſufficiens cauſa primi effectus reprobationis, eſt ſufficiens cauſa reprobationis.

117. Præterea hoc magis declaratur & confirmatur; quia ſi homo in puris naturalibus conderetur, ex eo ſolo titulo, quòd gratia & gloria nulli eſt debita, juſtiſſimè poſſet Deus aliquos à regno excludere, & reprobare, nolendo dare ſuam gloriam & gratiam: ergo ſufficientiſſimus finis reprobationis eſſet tunc, abſque omni peccato & demerito præviſo, ſplendor divinæ juſtitiæ. Conſequentia nota eſt; & antecedens patet; quia in his, quæ debita non ſunt, ſed ex ſola pendent liberalitate donantis, rationabiliter & juſtè poteſt illa quis denegare.

118. Præterea idipſum ampliùs comprobatur. Nam Angelorum reprobatio facta fuit abſque peccati hujus præviſione, propter ſplendorem divinæ juſtitiæ manifeſtandum: ergo ſplendor divinæ juſtitiæ ſufficiens cauſa eſt, ad reprobandum ante omnem peccati præviſionem. Conſequentia manifeſta eſt: & antecedens patet ex dictis capite præcedenti, in quo oſtendimus, peccatū actuale non poſſe eſſe reprobationis cauſam, ſive in Angelis, ſive in hominibus.

119. Ad argumentum autem recentiorum publicantium ex reprobatione factâ ante peccati præviſionem, Deum injuſtum, & crudelem conſtitui, diximus ſupra agentes de prædeſtinatione, fuiſſe Palagianorum querelas, quibus & his ſimilibus os obſtruit Paulus cum ait. *Nunquid eſt iniquitas apud Deum? Abſit?* Et iterum. *O homo tu quis es &c.* Certè hæc reſpondet Apoſtolus jis, qui ex reprobatione factâ propter divinæ juſtitiæ ſplendorem, antequam quidquam boni, vel mali egiſſent homines, audebant; inferre Deum minùs pium & juſtum, & perſonarum acceptorem. Taceant ergo iſta argumenta rationis humanæ, quæ procedunt contra documenta divina. Rectè enim Scotus *in* 1. *diſt.* 41. referens reprobationem fieri ex præviſione peccati, vel ſine illa, dicit. *De iſtis opinionibus eligatur, quæ magis placet, vel reprobationem fieri ex præviſione peccati vel ſine illâ; dum tamen ſalvetur libertas divina ſine aliqua injuſtitia, & alia quæ ſervanda ſunt circa Deum.* Non ergo præcipitent ſententiam ij authores in ſimilia verba prorumpendo; ſed conſiderent, à quibus dicta fuerint priùs & objecta, & illa non repetant.

120. Sed contendunt, talem permiſſionem peccati, hoc fine, ut ſplendeat divina juſtitia, minùs piam eſſe in Deo: ſicut non eſſet pius Rex ille, qui cum poſſet impedire peccata omnia, vellet tamen aliqua permittere, hac ſolâ, vel præcipuâ ratione, ut ſuam juſtitiam oſtenderet.

121. Ad hoc dicendum primò, Principem illum eſſe Gubernatorem particularem ſuæ Reipublicæ: ad gubernatorem autem particularem pertinet, quantùm poteſt, peccata Reipublicæ impedire. Deus autem eſt univerſalis omnium Gubernator; unde ad illius pertinet providentiam, quædam mala particularia permittere, ut ex illis educat majora bona, quo-

Digitized by Google

tum

rum potiſſimum eſt ſplendor divinæ juſtitiæ, & major miſericordia in prædeſtinatis. Secundò poteſt dici, rationem eſſe diverſam de Principe temporali, & Deo: etenim reſpublica non ordinatur per ſe ad Principem, ſicut ad finem; ſed è converſo Princeps ordinatur ad bonum Reipublicæ: creaturæ autem per ſe ordinantur tanquam ad ultimum finem, ad Deum & ipſius gloriam manifeſtandam: unde rectè Deus illarum peccata permittit, ut talis ejus gloria in illis manifeſtetur, & magna miſericordia in prædeſtinatis.

122. Sed iterum opponunt. Si Deus permittit hominum peccata, ut in ipſis oſtendat juſtitiam ſuam: ergo creavit Deus reprobos, ut eos in æternùm damnaret: ergo non illos Deus creavit, vel ordinavit in vitam æternam.

123. Ad hoc dicendum, Deum non creaſſe reprobos eo fine, ut eos damnaret; quia, ut dictum eſt, talis damnatio non eſt finis per ſe appetibilis; ſed creavit reprobos, illos ſufficienter ordinando in vitam æternam, per illam videlicet antecedentem voluntatem, quâ vult omnes homines ſalvos fieri: permittit tamen eorum peccata, & propter ipſa illos damnat, ut in illis oſtendatur divina juſtitia, & potentia, & major miſericordia in prædeſtinatis; qui eſt finis à Deo intentus: nec Deus ad hujus conſecutionem finis procurat quòd peccata fiant. Abſit, ſed ſolùm illa permittit.

124. Tandem opponunt aliqui cum Aureolo, ſplendorem divinæ juſtitiæ ſufficientiſſimè manifeſtari in punitione Angelorum: ergo ad hoc non fuit neceſſe, homines reprobare, & permittere eorum peccata, ut in punitione eorum divina juſtitia reſplenderet.

125. Ad hoc dicendum, etiam in hominibus neceſſe fuiſſe divinam juſtitiam, & miſericordiam manifeſtari, ſicut in Angelorum prædeſtinatione, & reprobatione manifeſtata eſt. Sicut enim multi ex Angelis permiſſi ſunt cadere in peccatum, ut eos puniendo divina juſtitia reluceret cum majori miſericordiâ erga eos qui remanſerunt: ita in hominibus eadem ratio & finis, idem poſtulabat. Si enim in nobiliori natura peccatum permittitur, ut ex punitione ipſius ſplendeat divina juſtitia; in natura ignobiliori, & fragiliori etiam peccata permitti debebant, ut ex ipſorum punitione & juſtitia in ipſis, & major ſplenderet miſericordia in prædeſtinatis.

126. Ad illud aliud argumentum, quòd ex reprobatione facta ſecundum præciſam Dei voluntatem, ante omnem peccati, & demeriti prævisionem, ſequatur, negare Deum reprobis auxilia ſufficientia ad ſalutem: dicendum non ſequi, Deum negare omnibus reprobis auxilium ſufficiens, bene tamen auxilium efficax ad perſeverandum; quod donum Dei eſt, & quibus datur, miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex juſto judicio non datur, propter peccatum ſaltem originale, ut Sanctus Thomas, & Sanctus Auguſtinus perpetuò docuerunt.

127. Ad confirmationem dicendum, Deum non priùs deſerere reprobum in gratia exiſtentem, quàm deſeratur ab illo, ut Concilium Tridentinum docuit: imò priùs ipſe homo ſuâ malâ voluntate deſerit Deum, & ſic deſeritur ab illo: cum enim gratiam habeat, & auxilium ſufficiens ad perſeverandum; ſi ipſe ex pravâ voluntate nollet peccare, & Deum deſerere, profectò nec deſereretur ab illo: ſed deſerit, & deſeritur, ut de primo parente Deum deſerente ſemper docuit Sanctus Auguſtinus. An verò illud perſeverantiæ auxilium efficax, quod Deus offert omnibus in gratia exiſtentibus, negetur ex ſolâ Dei voluntate, vel quia homo ex ſolâ ſua voluntate vult peccare, & virtualiter ſaltem oblatum auxilium non vult accipere, gravior eſt difficultas, infra libro quarto accuratiùs, & profundiùs examinanda.

CAPVT X.

Quòd Deus æternam filiorum damnationem non permittit propter peccata parentum.

128. VT ſemel concludamus, nullius peccati actualis prævisionem cauſam extitiſſe demeritoriam, ob quam Deus homines reprobaverit, conſequenter examinanda venit illa 34. Recentiorum aſſertio, ſupra libro 1. par. 1. tract. 6. c. 13. relata, qua dicunt, *quòd ſolet Deus peccata filiorum, & illorum æternam damnationem permittere, ut puniat delicta parentum.* Circa quam aſſertionem, illud in primis dicimus, mirari nos valdè, authores, cum quibus diſputamus, ſententiam illam errorem in fide appellare, quòd permittat Deus peccata ad oſtendendam ſuæ omnipotentiæ juſtitiam; & quòd concedant permittere Deum peccata filiorum, imò illorum æternam damnationem, ut puniat delicta parentum. Si enim crudele illis videtur, quòd Deus ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, permittat hominem peccare; quomodo non crudele magis apparet, quòd propter alterius peccatum, in quo filius nullo modo cum Patre communicat, ipſe filius permittatur peccare, & æternam incurrere damnationem, ut puniat delicta parentum? Cum quanta enim majori ratione, in hoc ſecundo caſu, magis quàm in primo poſſet damnatus ille conqueri, dicendo; quid ego peccavi in patre meo, cujus peccato nulla ratione commnicavi, ut propter ejus peccatum, omnibus modis à me alienum, permittat me cadere, & in æternum damnari? Quomodo authores iſti, qui ſub pietatis prætextu auſi ſunt damnare ſententiam, quæ dicit iuſtè Deum ad oſtenſionem ſuæ juſtitiæ, quoſdam permittere cadere, & damnari, hujus pietatis obliti, modò concedunt propter alterius omninò alienum peccatum permittere Deum alterius culpam, & illius æternam damnationem? Certè quæ approbanda ſunt, damnant; & quæ damnanda ſunt, approbant: & dum ſtudent pietatis prætextu, doctrinam Sanctorum verè piam rejicere, in crudelitatem non mediocrem incidunt, aliquid minùs pium Deo tribuendo, contra id quod ipſe Deus teſtatur, & docet, ut ſtatim probandum erit. Dicent fortè in primo caſu de oſtenſione juſtitiæ nullum præſupponi peccatum; at verò in hoc ſecundo eventu peccatum præſupponi, quod punitur; unde rationem eſſe diverſam. Sed quid juvat, cum peccatum omninò alienum à perſonâ quæ punitur, ſupponatur, ut juſtè puniatur.

129. Sic ergo fit argumentum. Si crudele eſt, ut dicunt, quòd Deus permittat peccatum, & æternam damnationem, ut oſtendat ſuam juſtitiam: ergo magis crudele eſt, quòd propter peccatum omninò alienum à perſonâ quæ punitur, permittat Deus peccata, & illam propter tale peccatum æternaliter damnet. Cum ergo hoc ſecundum non admittant; nec illud primum debent, aut poſſunt opponere. Imo illud primum juſtiſſimum eſt: hoc autem ſecundum Sancti Doctores citandi, dicunt minus pium, & à ſumma Dei pietate alienum. Libet in hac parte dicere cum Sancto Auguſtino lib. 1. ad Adimantum cap. 7. quòd quidam admittunt Deum punire inimicos; cum vero veniunt ad capitula veteris & novi teſtamenti, ut decipiant imperitos, & ea ſibi adverſa eſſe criminentur, fingunt ſe nimis bonos, aſſerentes punitionem, quæ eſt in ſcripturis, Dei pietati repugnare. Sic authores iſti prolibito, & contra Sanctorum doctrinam dicunt, Deum permittere peccata filiorum, & eorum æternam damnationem, ut puniat delicta parentum; quod eſt à divinâ bonitate alienum: & quando ad prædeſtinationem, & reprobationem ſecundum firmum

Digitized by Google

mum Dei propositum accedunt, ut imperitos decipiant, fingunt se nimis pios, & publicant se à Deo auferre crudelitatem, quam ei adscribunt, qui prædestinationem & reprobationem secundum ejus firmum propositum tuentur.

130. Sed quidquid sit de hoc, absolutè respondetur, affirmari nullo modo posse, quòd Deus solcat permittere peccata filiorum, & illorum æternam damnationem, ut puniat delicta parentum. Veritas ista ex multis scripturæ testimoniis potest ad literam convinci. Primò ex illo Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem filij: justitia justi super eum erit, & impietas impij erit super eum.* Et præmiserat. Quòd si filius videns iniquitatem Patris timuerit, nec peccatis ejus adhæserit, *hic non morietur iniquitate Patris sui, sed vita vivet.* Vbi expresse de vitâ, vel morte æternâ fit sermo in toto illo cap. & manifestè dicitur, quòd filius propter iniquitatem patris, in qua ipse non communicavit, nullo modo morietur: ergo dici non potest, quòd Deus propter peccata parentum permittat peccata filiorum & eorum æternam damnationem. Patet consequentia, quia jam filius portaret sine dubio iniquitatem Patris, si propter Patris peccatum, illa gravissima pœna puniretur. Idem patet ex illo ad Galat. 6. *unusquisque onus suum portabit.* Quod testimonium ad literam de onere, sive per præmium æternum, sive per pœnam æternam procedit, ut ibi S. Thomas & omnes exponunt.

131. Nec valet respondere, quòd tunc filius æternâ morte punietur propter peccatum quod fecit: quod peccatum inferens æternam mortem permittit Deus, ut puniat delicta parentum. Certè hoc non sufficit ad salvandum prædictum testimonium; quia hanc ipsam responsionem, & non aliud intendit excludere Propheta; Non enim intendit excludere, quòd filius absque suo peccato aliquo, æterna morte puniatur propter solum alienum peccatum Patris: hoc enim nullus potuit imaginari, nec de hoc dubitare; sed in illo capite intendebat damnare quoddam proverbium, quo homines illi dicebant id ipsum, quod modò dicitur, videlicet propter parentum peccata permittere Deum peccata filiorum, & æternam damnationem: & contra hoc dicit Scriptura, Deum propter parentum peccata (hoc videlicet fine ut illa puniat) non permittere peccata filiorum, & illorum æternam damnationem. Item quia ratio à Domino inducta in illo capite hoc satis manifestat, cum ait. *Filius non portabit iniquitatem Patris: anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Si autem hoc fine, ut peccata Patris puniret, permitteret Deus peccata filiorum, & æternam damnationem; Quomodo filius non portaret iniquitatem Patris? si quidem propter illam puniendam sicut propter finem, iste in æternum perire permitteretur.

132. Confirmatur; quia illa permissio in tale peccatum sine dubio esset magnum nocumentum spirituale; sed nemo punitur in spiritualibus, nec in futuro seculo, sed nec in isto, propter alterius peccatum, ut dictum est: ergo nec propter peccatum Patris permitteretur quis cadere in illud peccatum propter quod esset damnandus. Vnde S. Thomas etiam ad hanc exasionem excludendam dicit 2. 2. q. 108. art. 4. *Quòd non punitur quis in spiritualibus sine propria culpa, nec in præsenti, nec in futuro.* Notanda sunt illa verba *nec in præsenti.* Per quæ excluditur, quòd nec in præsenti quis permittatur cadere in culpam, propter alterius peccatum sine culpâ suâ.

133. Præterea S. Thomas 1. 2. q. 87. art. 8. ex isto testimonio, per bonam consequentiam infert; quòd in bonis spiritualibus nullus punitur pro peccato alterius, sine culpa propria. Videnda est illius articuli litera, in quâ S. Thomas ex Scripturâ colligit eorum doctrinam contrariam huic sententiæ, quam impugnamus. Idem Sanctissimus præceptor docet. 2. 2. q. 108. art. 4. dicens in fine corporis. *Non autem punitur aliquis in spiritualibus bonis sine propria culpa, neque in præsenti, neque in futuro.*

134. Præterea constat ex illo Hierem. 31. *In diebus illis non dicent ultra. Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt; sed unusquisque in iniquitate sua morietur.* Ubi per uvam acerbam proprietate maxima peccata intelliguntur, propter quæ parentum peccata dicit Dominus se filios æternâ morte non puniturum. Unde S. Hieronymus supra illud Hierem. 31. & præcipuè super Ezech. 18. jam citato planè docet, peccata parentum filiis non imputari, nec propter illa filios spiritualiter puniri. S. Gregorius lib. 15. Moral. capite 31. idem omnino docet, & S. P. Augustinus lib. contra Adimantum. Manichæi discipulum, ex professo de hoc tractans, ita ait cap. 7. *Nunc non pertinere Patris peccata ad filium juste viventem, Propheta Ezechiel apertissimè ostendit.* Et Epistola 75. ad Auxilium Episcopum latè probat, neminem posse justè pœnâ spirituali filios damnare propter peccata parentum, in quibus ipsi non communicarunt, quod ex illo Ezech. 18. ibi probat; licet fateatur aliquando Deum pœna temporali filios propter peccata parentum puniviſſe. Idem docet S. Anselmus lib. de concept. virg. & pec. orig. cap. 24. & 25. In 24. enim ita dicit in principio. *Si autem peccata parentum aliquando nocent animabus filiorum; hoc modo fieri potius existimo; non quod Deus ea illis imputet, aut quod eos in aliqua delicta propter parentes inducat.* Ubi apertissimè negat permittere Deum peccata filiorum, ut puniat delicta parentum: quod iterum in fine illius capitis concludit, & in cap. 25. sequenti. Alios autem Sanctos Doctores in hac re clara inducere non oportet. Facit ad præsens textus 24. q. 3. cap. *si habes.* Vbi ex sententia S. Augustini lib. 50. homiliarum homil. ultimâ, prohibetur ne filius pro peccatis parentis, quibus non communicavit, excommunicetur, & ratio redditur, quia est pœna spiritualis.

135. Ratio autem Theologica idem confirmat, quæ ex Sancti Patribus citatis, potissime ex Sancto Augustino & S. Thoma habetur, quamque ipsi S. Doctores ex illo Ezechielis 18. *Omnes animæ, meæ sunt*, manifestè deducunt: & est talis, quamvis filij naturam humanam accipiant à patre (quâ ratione peccatum originale contrahunt à primo parente, in quantùm in ipso omnis natura humana cum infectione traducitur in posteros) tamen filij non sunt aliquid Patris secundum animam & spiritum: ergo non puniuntur in animâ & spiritu propter peccata parentum, in quibus ipsi nullo modo communicarunt. Et hoc Dominus insinuat Ezech. 18. cum quasi reddens rationem, quare filius non punitur spirituali morte propter peccata parentum, ait, *Omnes animæ, meæ sunt*, ac si clarius dicat. Ego solus creavi animas, unde illas puniri non permittam propter peccata aliena parentum, quia parentes in animabus partem non habent, nec animæ sunt aliquid patrum. Hæc est ratio à S. Thoma tradita 1. 2. citato loco, & 2. 2. *quæst.* 108. art. 4. *ad primum* ubi ait. *Ad primum ergo dicendum, quod unus homo pœnâ spirituali nunquam punitur pro peccato alterius, quia pœna spiritualis pertinet ad animam, secundum quam quilibet est liber sui.*

136. Dicimus, Deum non permittere peccata filiorum propter aliena omninò parentum peccata, quibus ipsi non communicarunt, ut excludatur primò pœna spiritualis justè parvulis decedentibus sine baptismo, propter originale peccatum in filia;

Digitized by Google

da; quia illud non fuit totaliter alienum, sed cuique proprium & omnibus commune, ut in materia de peccato originali secundum fidem Catholici Doctores affirmant. Quod & nos diximus supra, & inferiùs magis explicabimus. Similiter ut excludantur peccata alia parentum, quibus filij, illos imitantes communicarunt: tunc enim propter propria peccata, quibus filij parentes imitantur, justissimè puniuntur. Et iste est legitimus sensus illius, quod habetur Exod. 20. *Ego sum Deus Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Est enim sensus, quòd Deus punit peccata parentum in filios, pœnâ spirituali, propter imitationem culpæ parentum. Ita explicat Sanctus Hyeronimus ubi supra, Sanctus Augustinus loco citato, & Sanctus Anselmus, Sanctus etiam Thomas 1. 2. quæst. 87. art. 8. ad 1. quam explicationem satis Scriptura Sacra manifestat subjunctis verbis, cum addit, *iis qui oderunt me*, ac si expressius diceret, tam parentibus, quàm filiis qui oderunt me.

137. Potest secundò intelligi prædictus locus de pœnis temporalibus; his enim aliquando punitur filius propter peccata parentum, ut S. Thomas, & S. P. Augustinus affirmant locis citatis, unius enim sceleris temporalem pœnam, ad alios sine culpa quandoque transferri, constat ex eo quod habetur 3. Reg. 21. Unum enim scelus & Acab, & Jesabel commiserunt; sed tamen converso Acab, pœna transfertur in posteros, ut habetur *de pœnitentia dist. 3. cap. Acab.* Ex Sancto Hieronymo *epist. ad rusticum* Habetur etiam *dist. 45. cap. sed illud* Et 23. *quæst. 4. cap. si ea*, inquit Augustinus. *Nonne Achor filius Sare prævaricatus est mandatum Domini; & super omnem populum Israël ira ejus incubuit? Et ille erat unus homo; atque utinam solus periisset in scelere suo.* Ambrosius etiam super Marcum, & refertur 24. q. 1. cap. non turbatur. *Qui suis meritis firmus est, turbaturalienis*: Imo etiam corporaliter filius pro patre punitur, ut deducitur ex verbis Evangelij, quando Apostoli de cæco nato Dominum interrogaverunt, *Rabbi quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Præsuponebant in hac interrogatione, quòd propter peccatum parentum, ille poterat cæcitate puniri.

139. Quòd autem unus puniatur pœnâ temporali pro peccato alterius, multipliciter potest evenire, ut S. Thomas exponit 2. 2. quæst. 108. art. 4. ad 1. *Primo quidem, quia unus homo temporaliter est res alterius, & ita in pœnam ejus etiam ipse punitur; sicut filij secundum corpus sunt quædam res patris, & servi sunt quædam res Dominorum. Aliomodo, in quantum peccatum unius derivatur in alterum, vel per imitationem, sicut filij imitantur peccata parentũ, & servi dominorũ. Vel per modũ meriti, sicut peccata subditorum merentur peccatorem prælatum: secundũ illud Iob. 34. qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi: unde & pro peccato David populum numerantis, populus Israël punitus est 2. Reg. ultimo. Sive etiam per aliqualem consensum, seu dissimulationem: sicut etiam interdum boni simul puniuntur temporaliter cum malis; quia eorum peccata non redarguerunt, ut S. P. Augustinus dicit in 1. de civitate cap. 9. Tertio ad commendandum unitatem humanæ societatis, ex qua unus debet pro alio sollicitus esse ne peccet. Et ad detestationem peccati dum pœna unius redundat in omnes, quasi omnes essent unum corpus, ut Aug. dicit de peccato Acham.* Unde quandoque aliqui temporaliter puniuntur sine culpa, non tamen sine causa, ut S. Thomas docet 2. 2. quæst. modo citata: ex quo tota ista doctrina desumpta est: ubi etiam docet, quòd illud quod dicit Dominus. *Visitans peccata parentum in filios in tertiam & quartam generationem, magis videtur ad misericordiam pertinere; quàm ad severitatem*; dum non statim vindictam adhibet, sed expectat imposterum, ut vel saltem posteri corrigantur; sed crescente malitia posterorum, quasi necesse est ultionem inferri.

139. Dicendum videtur præterea, quòd sæpe Deus permittit filios peccare, propter alios suæ providentiæ fines; cæterum ex consequenti, per talia peccata à filiis commissa punit peccata parentum, vel dolore, vel infamia, vel aliquo simili. Et sic est intelligendum illud 2. Reg. 12. cum dicitur à Nathan Propheta punitus David propter peccata sua, per peccata Absalonis filij sui, qui persecutus est patrem, & publicè cum uxoribus illius dormivit. Nam, testante Propheta, per illud peccatum punitum fuit peccatum David tollentis uxorem Uriæ Hæthæi. Itaque Deus decrevit reprobare Absalon propter peccatum originale, ut dicemus, & permisit illum hujusce modi peccata facere, & in illis mori: cæterum ex consequenti voluit illius peccatis punire etiam David patrem suum, propter alia ejus peccata: unde ex isto loco malè Molina infert, permissionem peccatorum Absalon, & æternam ejus damnationem fuisse ad puniendum Patris peccatum, & in istum finem primò ordinatam, ut ipse Molina planè sentit. Potest secundò dici, quòd voluntate Absalon determinatâ jam ex se ad malum, permisit Deus, quòd illud peccatum publicæ infamiæ contra Patrem, potius quàm aliud committeret; ordinando illam permissionem talis peccati ad puniendum Patrem.

140. Adverte tamen, quòd nullo modo debet concedi, ut supra dictum est, permissionem alicujus peccati, quatenus effectus reprobationis est dicens ordinem ad alios usque ad æternam damnationem, esse ad punienda peccata parentum; hoc enim præcipuè contra istum authorem affirmamus.

CAPUT XI.

Quòd peccatum originale fuerit ex parte reproborum, reprobationis causa demeritoria, ex S. P. Augustino probatur.

141. ILLA tam difficilis quæstio venit diligentiùs examinanda, an videlicet peccatum originale fuerit ex parte malorum reprobationis causa: & sermo procedit de causa demeritoria; nam causa efficiens reprobationis divina voluntas est, sicut causa finalis est splendor divinæ justitiæ, ut modò manet explicatum. Itaque dubium inquirit, an in hominum reprobatione causa efficiens & finalis fuerit solùm ex parte divinæ bonitatis, & voluntatis; sicut fuit in Angelis; an etiam ex parte hominum peccatum originale prævisum fuerit causa demeritoria, ob quam divina voluntas de facto illos voluerit reprobare, & suam justitiam ostendere. In qua materia illud primum ut certum supponendum est, justissimè Deum potuisse homines reprobare, eo solo titulo, quòd eis gratia non est debita, sicut in Angelorum reprobatione factum est. Unde quærimus, an præter hunc titulum indebitæ gratiæ, ex alio etiam Deus homines de facto reprobaverit, propter videlicet peccatum originale in eis prævisum; ita quòd uterque simul titulus de facto ad hominum reprobationem concurrerit.

142. Notoria est in hac parte S. P. Augustini sententia, quæ in tribus adæquatè consistit. Primum est, dari ex parte hominum meritoriam reprobationis causam, videlicet peccatum originale. Secundum, nullam dari ex parte ipsorum meritoriam aut dispositivam causam, & rationem, sive conditionem præ-

 desti-

Digitized by Google

destinationis. Tertium nullam posse assignari rationem ex parte hominum, ob quam isti in particulari sint prædestinati, & illi reprobati; cum omnes æqualiter peccato originali adstricti teneantur, sed solam divinam voluntatem, quæ in illis voluit ostendere misericordiam indebitam, prædestinando; in istis verò justitiam debitam, puniendo: ex parte hominum dixi, nam ex parte Dei cum ejus voluntas rationabilis sit, & secundum rationem procedat, non est dubium, quin ex ratione prorsus nobis incognita Deus hos, & non illos prædestinaverit; quam rationem nos noscituros in patria S. August. fatetur in Enchirid. cap. 95. dicens. *Tunc non latebit, quod nunc latet, cum de duobus parvulis, unus esset assumendus per Dei misericordiam, alius per judicium relinquendus; in quo is, qui assumeretur, agnosceret quid sibi per judicium deberetur, nisi misericordia subveniret: cur ille potiùs, quàm iste fuerit assumptus; cum causa una esset amborum: cur apud quosdam non facta sunt virtutes, quæ si factæ fuissent, egissent illi homines pœnitentiam; & facta apud eos, qui non fuerant credituri.* Quibus duo apertè docet; Alterum nullam esse causam, vel rationem ex parte prædestinati, & reprobi, ut iste sit prædestinatus, ille reprobus, cum una communis sit causa utriusque: Alterum, habuisse Deum rationem quare potiùs hunc, quàm illum elegerit, nobis nunc penitùs incognitam, sed clariùs in patria cognoscendam.

143. Itaque hujus comparativæ collationis: quare isti sint prædestinati, & alij, omnino in natura corrupta æquales, reprobati, nulla potest ex parte ipsorum assignari ratio nisi sola divina voluntas. In his duobus ultimis facilè omnes conveniunt, ut convenire debent; sed in illo primo, quòd reprobatio absoluta eorum hominum, qui reprobati manserunt fuerit propter demeritum peccati originalis, non omnes conveniunt; sed viri multi docti contrarium tenent, propter argumenta aliqua difficilia, quæ contra illam S. Augustini sententiam pugnare videntur; quæ infra opponenda sunt.

144. Plurima sunt Sancti Augustini testimonia, quibus hoc frequenter affirmat. *Epistola* 105. 106. & 107. *Lib.* 1. *ad Simplic. quæst.* 2. *In Enchirid. cap.* 94. 98. & 99. Et *ad Bonif. lib.* 2. *cap.* 7. Et *lib.* 4. *cap.* 6. *Et de prad. Sanct. cap.* 8. ita habet. *Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes esse in condemnationem, sine dubitatione justissimam; itaut nulla Dei esset justa reprehensio, etiam si inde nullus liberaretur.* Et *cap.* 8. *de dono perseverantiæ* idipsum confirmat dicens. *Non itaque simus ingrati, quòd secundum placitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, ut si inde neminem liberaret, non esset injustus. Ex uno quippe omnes in condemnationem non injustam judicati sunt filij iræ, sed justam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoscat. Si in remittendo debito bonitas, in exigendo æquitas intelligitur, nunquam esse apud Deum iniquitas invenitur.* Clariùs eodem libro de dono perseverantiæ cap. 14. id expressit in ipsa definitione prædestinationis dicens. *Hæc prædestinatio Sanctorum nihil aliud est, quàm præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Unde liberantur nisi à communi peccato & damnatione? In quo manifestè de tota & adæquata prædestinatione, & omni ejus effectu agit; cum prædestinationem ipsam definiat; & expressè doceat prædestinationem esse liberari à peccato, scilicet tanquam à termino à quo, ut S. Thomas exposuit infra citandus. Similiter (quod est attentiùs considerandum) in prælegato loco, post illa relata verba, quibus adæquatam prædestinationem definivit, subjungit alij, quibus oppositam reprobationem expressit dicens. *Cæteri autem ubi, nisi in massâ perditionis justo divino judicio relinquuntur?* Quibus liquet, reprobari apud Augustinum esse relinqui justo judicio in massâ perditionis: nec potest intelligi id esse dictum de secundo vel ultimo reprobationis effectu; quia manifestè loquitur de primo, à quo incipit reprobatio: sicut in oppositâ propositione loquitur de effectu illius, à quo incipit prædestinatio: sicut enim prædestinationem ipsam, non secundum, vel ultimum effectum ipsius definit, (quod nullus negare potest) ita reprobationem oppositam, non secundum, vel ultimum effectum, describit. Nec aliter potest litera intelligi, nisi ei manifesta vis fiat. Et *lib.* 4. *ad Bonif. cap.* 6. explicans illud Apostoli, *sustinuit in multa patientia vasa iræ*, ait. *Ira quippe non redditur, nisi debita, ne sit iniquitas apud Deum.* Ubi manifestè intelligit, Apostolum loqui de irâ, id est de justitiâ vindicativâ præsupponente originalem culpam.

145. Quamvis autem minùs necessarium sit suadere, hanc apertam esse S. P. Augustini sententiam, cum id ferè universi fine contradictione fateantur, placet tamen ex plurimis, aliqua alia ex ipso inducere testimonia, quæ soliditatem illius doctrinæ ostendunt. In Epist. 105. citata sic habet. *Quòd autem perfectum acceptorem Deum se credere existimant; sic audant, quod sine ullis præcedentibus meritis, cujus vult miseretur, & quos dignatur, vocat, & quem vult, religiosum facit; parum attendunt, quòd debita redditur pœna damnato, indebita gratia liberato; ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur, atque ibi potius acceptionem nullam fieri personarum, ubi una eademque massa damnationis, & offensionis involvit, ut liberatus de non liberato discat, quòd etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia subveniret.* Quod ibi ex subjuncto Apostoli testimonio fundat, & probat illis verbis, *volens Deus ostendere iram &c.* Et rursus ibi. *Meritò namque,* inquit, *peccati universa massa damnata est, nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur: at potiùs ut non impartiatur, hoc digni sunt, hoc merentur.* Et iterum. *Sed si vasa sunt iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem, quæ illis debita redditur, sibi hoc imputent; quia ex eâ massâ facta sunt, quam propter unius peccatum, in quo omnes peccaverunt, meritò Deus justèque damnavit. Si autem vasa sunt misericordiæ, quibus ex eâdem massâ factis supplicium debitum reddere noluit, non se inflent.* Et tandem agens de Jacob, & Esau subdit. *In quam sententiam beatus Apostolus etiam testimonium Prophetæ longè posterioris assumpsit; Jacob dilexi Esau autem odio habui; ut intelligeretur hoc apertum postea per Prophetam, quod antequam illi nascerentur, erat in Dei prædestinatione per gratiam. Quid enim diligebat in Jacob antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum: & quid oderat in Esau antequam fecisset aliquid mali nisi originale peccatum? Namque neque in illo diligeret justitiam, quam nullam ille fecerat: neque in isto odisset naturam, quam bonam ipse perfecerat.* Et Epist. 106. *Cum verò per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem universa defluxerit, procul dubio quòd ex eâ fiunt vasa in honorem, non ipsius justitiæ, quæ gratiam nulla præcessit, sed Dei misericordiæ: quòd verò in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ, absit, ut sit apud Deum, sed judicio deputandum est. Hoc quisquis cum Ecclesiâ sapit, non contra gratiam pro meritis disputat, sed misericordiam, & judicium Domino cantat, ut nec misericordiam recuset ingratus, nec judicium accusat invitus.* Gravissima illa verba sunt, atque notanda. *Hoc quisquis cum Ecclesia*

Digitized by Google

Ecclesia sapit. Et paucis interjectis. *Ista verò vel conspersio, vel sicut in plerisque codicibus legitur, massa, quoniam tota mortis est ; cum per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors ; & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt, misericordiâ ex illa fit aliud vas in honorem, judicio autem in contumeliam.* Et postea *Piè namque & veraciter creditur Deus nocentes atque impios justificando, à pœnis debitis liberare ; quemquam verò immeritum, & nulli obnoxium peccato, si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur. Ubi ergo liberatur indignus, tanto debetur major actio gratiarum, quanto pœna justior debebatur. Ubi autem damnatur dignus, nec misericordia, nec veritas damnatur. Quomodo, inquiunt, Esaü non damnatur indignus, si non ex operibus, sed ex vocante dictum est ; quia major serviet minori ? sicut enim illius nulla præcesserant opera bona, ut ad gratiam pertineret ; sic nec hujus mala, ut ad pœnam pertinere deberet. Nulla planè in utroque opera, vel bona, vel mala, sed propria ; uterque autem illi uni obnoxius erat, in quo omnes peccaverunt, ut omnes in illo morerentur.*

146. Hoc ipsum *libro 2. ad Bonif. cap. 7.* latè prosequitur, ubi explicans illud Apostoli, *quis enim te discernit*, inquit. *Ille discernit, qui cum tenebræ essent super abyssum, dixit, fiat lux, & facta est lux, & divisit, hoc est discrevit inter lucem & tenebras. Non enim cum sola essent tenebræ, quid discerneret invenit ; sed lucem faciendo discrevit, ut justificatis impijs dicatur : fuistis enim aliquando tenebræ ; nunc autem lux in Domino.* Et in Enchir. cap. 94. *remanentibus*, inquit, *Angelis, & hominibus reprobis in æterna pœna, tunc sancti scient plenius quid boni eis contulerit gratia : tunc rebus ipsis evidentibus apparebit quod in Psalmo scriptum est ; misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine. Quia nisi per indebitam misericordiam nemo liberatur, & nisi per debitum judicium, nemo damnatur.* Quibus ultimis verbis contra misericordiam liberantem per electionem, & prædestinationem opponit reprobationem, illam nominando justum damnationis judicium ; quia sic homines reprobati sunt, & à regno excluſi per justum judicium, quo ob originale peccatum damnantur. Idem habet cap. 96. & cap. 98. in illud Apostoli, *antequam quidquam boni vel mali egissent : Jacob dilexi, Esaü autem odio habui.* In quo loco Apostolus manifestè de prima dilectione & electione, ac prædestinatione tractat ; & de oppositâ reprobatione exponit, quòd reprobatio fuerit, odio habere reprobos ob originale peccatum. Et cap. 99. concludit : *sola enim gratia redemptos discernit à perditis, quos in unam perditionis concreverat massam ab origine ducta causa communis.* Certum est autem quòd gratia, quæ alios ab aliis discernit, est illa prima dilectio & electio, ad quam sequitur prædestinatio ; quod omnes S. Thomæ discipuli pro comperto habent ; nam post electionem illam, cætera, quæ sequuntur, non discernunt nisi quoad executionem ; nam quoad intentionem, per priorem illam electionem discreti sunt alij ab aliis ; & ista gratuita prima electio discernens, ait expressè Sanctus Augustinus, quòd à communi massâ perditionis discrevit alios præ aliis derelictis in illa massa perditionis : ergo prima reprobatio, opposita illi electioni fuit dimittere in massa perditionis per ipsum originale peccatum. Hæc & alia similia plurima S. P. Augustinus ubique ex professo contra Pelagianos disputans habet, quibus tria semper asseruit. Primum, nullam dari ex parte hominis causam, vel rationem, seu conditionem prædestinationis. Secundum, dari ex parte ipsius justam reprobationis causam videlicet originale peccatum. Tertium, quòd iste præ alio ex illa communi damnationis massâ eligatur, & ille alius damnetur, cum & in natura & in originali peccato conveniant, nullam assignari posse rationem ; sed illius causam solam divinam voluntatem esse, quæ cujus vult misereturr, & quem vult indurat.

147. Hæc Sancti P. Augustini doctrina, quæ reprobationem in hominibus constituit ex originali peccato, ita à Sancto Doctore non traditur, ut intendat negare, quòd etiamsi originale peccatum non fuisset, non potuisset justissimè Deus reprobare quos vellet, ex illo alio titulo indebitæ gratiæ, sicut in Angelis factum est ; sed utramque rationem, & indebitæ gratiæ, & debitæ justitiæ in hominum reprobatione præfuisse declarat : unde cum in ultimo loco ex citatis ex epistola 106. ait. *Quod non creditur Deus alienus ab iniquitate, si creditur damnare eum, qui nulli obnoxius peccato existit*, loquitur vel de ultimo damnationis effectu, vel de exclusione primâ à regno, in ratione privationis ; quâ subjectum aptum natum esset ut privaretur ; quæ aptitudo non est, nisi per peccatum : & hoc dicit S. Augustinus, quòd si tunc sic privaretur sine peccato, nec justus Deus crederetur.

148. Parique ratione, cum epistolâ eâdem ait. *Hæc massa, si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam.* Cum, inquâ, hoc dicit, loquitur vel de ultima damnatione, qua ultimate fiunt vasa in contumeliam, vel ut diximus, de primâ exclusione à regno in ratione privationis debitæ : sic enim non excluderetur, si media esset, ut Sanctus Pater affirmat. Et sic videtur necessariò in utroque loco intelligendus, & explicandus ; quia si sermo esset de primo effectu reprobationis, absque ulla iniquitate posset Deus reprobare, permittendo peccatum, hac solâ justissimâ ratione, quia gratia debita non est, sicut & in Angelorum reprobatione jam diximus.

149. Cui, & illud addendum, multò magis Dei bonitatem, & misericordiam resplendere in hominum prædestinatione, multòque efficaciùs Pelagianorum dogma convelli, & apertiùs omnia eorum argumenta dissolvi, si dicamus, reprobationem hominum factam, & ratione indebitæ gratiæ, & ratione præsuppositæ originalis culpæ : ob quam rationem Sanctus Augustinus, ut efficaciùs Pelagianos expugnaret, reprobationem ex merito originalis peccati astruxit ; & prædestinationem, ex dono gratiæ liberantis ab illâ debitâ pœnâ, constituit.

150. Ultimò & illud notandum, ad veram S. P. Augustini intelligentiam ; quòd cum asserit peccatum originale causam fuisse reprobationis, non loquitur de causâ proximâ totius processus reprobationis, & omnium effectuum illius, omnes includendo à primo usque ad ultimum : hoc enim nullo modo dici potest, nec Augustino adscribi debet, ut ex dicendis erit manifestum : nec enim loquendo de omnibus reprobatis, ut sermo procedit, id aliquando S. P. Augustinus intendit, aut intendere potuit, ut copiosè explicaturi sumus, quòd videlicet in omnibus sit originale peccatum proxima, & immediata causa reprobationis, & omnis effectus illius.

151. Non desunt autem aliqui ex recentioribus Sancti Thomæ discipulis, qui sibi, & aliis persuadeant, non esse S. P. Augustini sententiam, quòd de facto peccatum originale sit reprobationis causa in his, qui reprobati manserunt, explicantes supradicta testimonia, & alia quæ sine dubio in ipso sunt frequentissima, interpretatione duplici.

152. Prima est, omnia Sancti Patris testimonia in hac parte posse explicari quoad sufficientiam, ita quòd sentiat originale peccatum prævisum ante prædestinationem, & reprobationem hominum causam fuisse sufficientem, ob quam Deus si voluisset, potuisset,

Digitized by Google

tuisset absque alicujus injuria omnes homines reprobare, de facto tamen non fuisse prævisum ante reprobationem sicut causam illius, sed solùm ut objectum, seu morbum naturæ in cujus remedium Christus venit; ita quòd in hoc differat reprobatio à prædestinatione, quòd respectu prædestinationis nulla datur causa ex parte nostra etiam sufficiens propter quam Deus potuerit prædestinare, bene autem respectu reprobationis datur sufficiens ex parte nostra, ipsum scilicet originale peccatum, licet de facto propter illud Deus non reprobaverit.

152. Secunda explicatio, quòd intelligatur S. Augustinus de reprobatione quoad effectum intermedium, qui est obduratio in peccato; illius enim causa est præcedens peccatum saltem originale: at in prædestinatione merita gratiæ non possunt esse causa propter quam Deus causet donum perseverantiæ, quia ut docet S. Thomas 1. 2. *quæst.* 114. *art.* 9. perseverantia non cadit sub merito: & hanc fuisse mentem S. Augustini, ex eo constat, ut aiunt, quia in locis pro contraria sententia supra inductis, & ubicunque de hac materia loquitur, nunquam dixit, quòd detur causa reprobationis, sed tantùm ait, quòd ex parte nostra datur causa obdurationis, seu derelictionis in peccato, cujus quidem obdurationis causa meritoria est ipsum peccatum originale secundum S. Augustinum.

154. Si autem fiat argumentum, inquiunt, quòd eadem ratione posset concedi, quòd peccatum actuale sit causa reprobationis, sicut originale, quod pugnat cum doctrina S. Augustini; nam etiam peccatum actuale est causa obdurationis, seu de relictionis in peccato, & similiter est causa ultimi effectus reprobationis & est in nobis ex nobis. Respondetur, aiunt, quòd peccatum originale est secundum se causa reprobationis sufficiens respectu omnium hominum, quia est commune peccatum totius naturæ, peccatum autem actuale non reperitur in omnibus, & ita non potuit esse causa reprobationis quantùm ad sufficientiam respectu omnium hominum: Sanctus autem Augustinus loquebatur de causa communi reprobationis.

155. Cæterum utraque ista interpretatio contra S. P. Augustini sententiam procedit, quod velim adverterent prædicti authores. Primò, quia communis est omnium antiquorum discipulorum S. Thomæ sententia, imo omnium Scholasticorum, quòd S. P. Augustinus teneat peccatum originale, reprobationis causam extitisse, ut plane tota ejus doctrina contra Pelagianos manifestat: undè noviter velle modò contrarium suadere, quis poterit capere? Secundò, & hoc irrefragabile testimonium est, cui non video, quomodo isti Sancti Thomæ discipuli poterunt respondere, ipse S. Thomas manifestè docet *quæst. 6. de verit. art. 2. ad 9.* quòd S. Augustinus posuit peccatum originale fuisse causam reprobationis: ergo contra expressam S. Thomæ sententiam affirmant non posuisse S. Augustinum peccatum originale fuisse causam reprobationis: cum ergo ipsimet authores in eadem disputatione fateantur S. Thomam asserere secundum Sanctum Augustinum peccatum originale esse causam reprobationis; quomodo in disputatione eadem, nisi S. Thomæ velint apertè contradicere, dicere potuerunt non esse peccatum originale secundum S. Augustinum causam reprobationis? An dicent asserere S. Thomam secundum S. Augustinum peccatum originale esse reprobationis causam sufficientem, ex qua Deus posset homines si vellet reprobare, non autem de facto sic propter illud secundùm Augustinum esse reprobatos? Vel dicent S. Thomam ibi tantùm docere S. Augustinum posuisse originale causam, non reprobationis, sed intermedij effectus illius? Planè neutrum possunt asserere. Etenim ipsimet authores in eadem disputatione inducentes S. Thomam in illa quæst. 6. de verit. (in qua asserit secundum Augustinum peccatum originale fuisse reprobationis causam) expressè fatetur sentire S. Thomam, posuisse S. Augustinum peccatum originale esse causam de facto reprobationis, quantum ad reprobationem ipsam: nam dicunt S. Thomam causam reprobationis ex peccato originali, quam cum S. Augustino priùs posuerat, prætermisisse 1. *p. quæst.* 23. Si autem S. Thomas sentiret secundum Augustinum, esse peccatum sufficientem tantum causam, seu quoad intermedium effectum, planè nec prætermittere poterat causam hanc, quia semper illa uera esset. Cum ergo asserant illam doctrinam S. Augustini prætermisisse S. Thomam (per quod volunt ipsum mutasse sententiam, quod & satis manifestant, cum dicunt S. Thomam resolutoriè negasse 1. p. peccatum originale esse causam reprobationis) manifestè agnoscunt id, quod est apertissimum, S. Thomam docere quòd S. Augustinus posuerit originale peccatum causam esse de facto ob quam Deus reprobavit. Omitto, quòd id S. Thomas expressis verbis in illa quæst. 6. de verit. affirmat; tractans enim quæstionem de causa prædestinationis & reprobationis, quantùm ad prædestinationem & reprobationem ipsam, & non quoad effectum intermedium, ut patet ex toto illius articuli contextu, asserit prædestinationis, (secundum videlicet omnem effectum ejus) non dari causam; at reprobationis quoad effectum omnem, *illius secundum S. Augustinum peccatum originale esse causam*: nec potuit S. Thomas clarius *id asserere* quam exprimendo, quòd secundum S. Augustinum peccatum originale est causa reprobationis; ubi manifestus sermo fit de reprobatione ipsa essentiali, non de uno intermedio effectu illius.

156. Tertiò, quòd non loquatur S. P. Augustinus de causa sufficienti reprobationis; sed quòd loquatur de causa ob quam de facto reprobatio hominum facta fuit, ex eo convincitur, quòd in omnibus inductis testimoniis, & in omni sua doctrina, cum loquitur de causa, ob quam Deus de facto huic voluit dare gratiam suam, & non alteri; & ob quam de facto hunc voluit eligere, & non alterum, semper docet, quòd cum omnes æquales sint in peccato originali; ex indebita misericordia hunc voluit per prædestinationem liberare; & alium ex justo judicio rejicere ob peccatum originale. Perpetuus ergo est Augustinus in assignanda causa ob quam de facto Deus reprobavit: imo hoc isti authores exponunt in secunda explicatione, quæ manifestè primam expugnat, hoc modo constituendo argumentum. Ubicunque S. P. Augustinus loquitur de causa reprobationis, perpetuò docet, quòd peccatum originale est causa obdurationis, ut ipsi dicunt, quidquid intelligat per obdurationem; sed peccatum originale est de facto causa ob quam Deus obdurat, quod nec ipsi negabunt: ergo semper loquitur S. Augustinus de peccato originali, quòd sit de facto causa obdurationis, quidquid intelligat per obdurationem: si ergo ostensum fuerit per obdurationem intelligere Sanctũ Augustinum primum effectum reprobationis, erit ostensum, posuisse originale peccatũ causam de facto primi effectus reprobationis, & ex consequenti ipsius reprobationis.

157. Hoc autem sic ostenditur, & sit quarta ratio. S. P. Augustinus loquens de reprobatione docet, ideo peccatum originale esse causam obdurationis, quia tenet obdurationem seu derelictionem in illo esse primum effectum reprobationis (unde vel ex hoc magis confirmatur, quòd posuerit originale peccatum causam ipsius reprobationis.) Probatur, quia ipse cum Apostolo & ex Apostolo tractans illud altum, & inscrutabile

Digitized by Google

ſcrutabile prædeſtinationis & reprobationis myſterium, ſemper repetit illud, *Igitur cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*, non eſt autem inſcrutabile myſterium, quòd peccatum ſit cauſa alicujus intermedij effectus reprobationis, ut eſt patentiſſimum: ſed illud eſt prædeſtinationis & reprobationis inſcrutabile Sacramentum, quòd ex duobus æqualibus in natura & in peccato originali, alterius Deus miſereatur, ipſum prædeſtinando; & alterum in eodem peccato originali obduret, illum reprobando. Igitur illa obduratio in peccato originali eſt primus effectus reprobationis, quem Apoſtolus expoſuit; ſicut miſereri eripiendo à tali peccato, eſt primus effectus prædeſtinationis: ſicut ergo Apoſtolus tractans altum, & inſcrutabile myſterium prædeſtinationis & reprobationis, quantùm videlicet ad integrum effectum illius (nam de intermediis ſatis bene cognoſcitur, quòd unus effectus ſit alterius cauſa) prædeſtinationem, & reprobationem inſcrutabilem expreſſit per illa verba. *Igitur cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*; per quæ, primum, quod eſt in prædeſtinatione, expoſuit; & primum, quod eſt in reprobatione, indurationem vocavit: ita S. Auguſtinus ipſum Apoſtolum ſequens, agens de reprobatione, primum, quod in ipſa invenit, obdurationem dixit, & hujus primi reprobationis peccatum originale dixit eſſe cauſam; ſicut etiam (ut infra dicemus) S. Thomas, derelictionem in peccato originali, dixit, eſſe reprobare. Igitur tantum abeſt quòd per hoc, quòd S. P. Auguſtinus ſemper doceat peccatum originale eſſe cauſam obdurationis, ſequatur, quòd loquatur de effectu intermedio reprobationis; quin potiùs convincitur ipſum meritò per obdurationem (quod verbum ab Apoſtolo ſumpſerat) intelligere; & ſemper explicare primum effectum reprobationis, cujus cauſam dicit eſſe peccatum originale: nihil ergo in ſententia S. P. Auguſtini manifeſtius, quàm poſuiſſe peccatum originale cauſam de facto reprobationis, & non intermedij effectus; tum quia ſic omnes in univerſum illum perpetuò intellexerunt; tum potiſſimè quia id expreſsè S. Thomas affirmat; tum quia rationes modò factæ id ipſum oſtendunt; tum quia verbum obduratio, in quo fit inſtantia, id clarè proponit. Omitto quòd, ut infra commodiùs explicabimus, aſſerere peccatum originale eſſe ſufficientem cauſam reprobationis, non tamen de facto Deum propter illud reprobaſſe, conſequenter non dicitur.

158. In hac ergo difficultate à ſententia S. Auguſtini diſcedendum non putamus; unde ejus veſtigiis inhærendo, dicimus duplici titulo reprobaſſe Deum homines, qui reprobati manſerunt; & quia gratia, & gloria eis non debebatur; & quia inſuper filij iræ propter originale peccatum inſpiciebantur, ita ut originale peccatum fuerit radicalis ratio reprobationis. Sic ſentiendum arbitramur cum S. P. Auguſtino propter maximam S. Doctoris authoritatem, potiſſimè in his materiis. Qui enim attentiùs conſideraverit quànti ſemper fecerunt Pontifices ſummi Cœleſtinus primus, Leo primus, Gelaſius, atque Hormiſdas, & noviſſimè Clemens octavus hujus S. Doctoris doctrinam, non facile ab ejus ſententia recedet. Nec putent aliqui huic maximæ tantorum ſummorum Pontificum approbationi, & commendationi ſatisfacere, dicendo in materia prædeſtinationis, & gratiæ S. Auguſtini doctrinam approbari & commendari; non verò in materia reprobationis; quia materiæ iſtæ ita ſunt eſſentialiter adinvicem colligatæ, ut altera multùm pendeat ex altera. Nec tam gloriosè potuit S. Doctor circa alteram de Pelagianis triumphare, ſi in altera defecit, potiſſimè; quia ſingulare fundamentum, quod contra Pelagianos aſſumpſit S. Auguſtinus, fuit illud de peccato originali, propter quòd Deus dabat quibus volebat indebitam gratiam, prædeſtinando: & à quibus volebat, debitum juſtitiæ exigebat, reprobando. Unde ſi in hoc ipſe defeciſſet, ſecuram doctrinam non tradens; certè non tam illius doctrina à ſummis Pontificibus, qui accuratiſſimè eam ſæpius examinarunt, celebraretur: unde multùm ſupra omnem modum tantæ approbationi derogaretur, ſi ſententia S. Auguſtini penitus rejiceretur.

159. Accedit, quòd ut ſupra dictum eſt, in libro de prædeſtinatione Sanctorum & de dono perſeverantiæ S. Auguſtinus potiſſimè hanc doctrinam de reprobationis cauſa ex peccato originali expreſſiùs tradit; & in particulari illi duo eximij libri ab Hormiſda Papa in cauſa liberi arbitrij & gratiæ ita inveniuntur approbati Epiſt. 67. ad Poſſeſſorem primo tom. Epiſt. decret. 2. par. pag. 540. *De arbitrio autem libero, & gratia Dei, quid Romana, hoc eſt Catholica ſequatur & aſſeveret Eccleſia, licet in variis libris beati Auguſtini & maximè ad Hilarium, & Proſperum poſſit cognoſci, tamen in ſcriniis Eccleſiaſticis, expreſſa capitula continentur.* Procul dubio ſi doctrina S. Auguſtini, & potiſſimè tradita in libris de prædeſtinatione Sanctorum & de dono perſeverantiæ ad Hilarium & Proſperum, à ſummo Pontifice approbatur, & pro regula traditur in materia de libero arbitrio, & gratia: & in hac materia de gratia, & libero arbitrio, non ſolùm tractatur de prædeſtinatione & collatione gratiæ; ſed etiam particularem ingerit difficultatem reprobatio & negatio gratiæ; & hanc docet ſemper S. Auguſtinus fieri ob peccatum originale, non apparet quomodo ſalva Pontificis approbatione, hanc S. Auguſtini de reprobatione ſententiam liberè negare valeamus.

160. Impugnarunt olim quidam, ut S. Proſper affirmat in fine contra collatorem, S. Auguſtini doctrinam, & hodiè impugnatur: his verò non parùm roboris tribuimus, ſi ipſum, in univerſaliſſimo ſuæ ſententiæ fundamento non tenuiſſe veritatem, dicamus? Nec ipſis aliquid jucundius poteſt evenire, quàm videre nos eidem eſſe contrarios; dum enim inter nos, & S. Auguſtinum contradictionem advertunt: nonne de noſtra contradictione roborantur? Planè ſi Poſſidio credendum eſt, per decem annos hanc cauſam ex profeſſo contra Pelagianos ſummo ſtudio, & ingenio defendit Auguſtinus, vel ut Proſpero placet, per annos viginti: & poſt hæc in potiſſimo fundamento, vel in uno ex potiſſimis dicemus ipsũ defeciſſe, cum in omnibus aliis eum veridicum reperiamus? Unde hoc primò mihi perſuadeo, ſecuriſſimè doctorem, Theologum quemque in his materiis incedere, ſi hujus magni Doctoris doctrinam, licet ſibi difficilis appareat, amplectatur: nec enim propter rerum difficultatem relinquenda veritas eſt, ut ipſe Doctor Sanctus alibi confitetur. Hanc autem de reprobationis cauſa Doctrinam S. P. Auguſtinus ex Apoſtolo ad Rom. 9. deſumpſit, in illius verbis fundavit, atque ex litera ipſa deduxit: aſſerere verò illum minus Apoſtolũ intellexiſſe, qui poſt Apoſtolum ſecundus gratiæ defenſor meruit nuncupari, & qui per tot annos in hujus Doctrinæ elucidatione laboravit, quis dicat?

161. Probatur ergo prædicta veritas ex Apoſtolo. Et hæc ſit prima pro hac ſententia fundamentalis ratio. Apoſtolus in Epiſtola ad Rom. ex profeſſo tractat de cauſa electionis, & reprobationis, (quod nullus negare poteſt) ſemper autem ſupponit, & dicit, omnes homines obnoxios eſſe peccato originis, & ratione illius iræ in damnationem, niſi per gratiam Chriſti liberentur: ſentit ergo Apoſtolus originis peccatum cauſam fuiſſe juſtæ reprobationis. Si enim ſentiret Apoſtolus originis peccatum nullam fuiſſe reprobationis cauſam, quemadmodum nec actuale, ut

Digitized by Google

ut quid toties peccatum originale introducit, cum de electione, & reprobatione agit? Certè si non magis hujus fuit causa peccatum originale quàm actuale, non oporteret in his materiis semper peccatum originale introducere: cum ergo Apostolus semper illud in hac disputatione præsupponat, satis apparet illum sensisse peccatum originale ante electionem, & reprobationem à Deo fuisse prævisum, & ex illo misericordiâ indebitâ quosdam liberasse, alios autem justo judicio ob culpam illam reprobasse. Major hujus rationis probatur. Nam Apostolus in cap. 3. epist. ad Rom. ita ait. *Causati enim sumus omnes sub peccato esse &c. Justitia autem Dei per fidem Iesu Christi &c.* & cap. 5. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ* & cap. 6. *Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu.* Et cap. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Et statim. *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum &c.* Et cap. 8. *Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberabit me à lege peccati, & mortis.* Ex quibus locis illud ex Apostolo satis constat, per primi hominis peccatum impositam fuisse obligationem æternæ damnationis omnibus hominibus, à qua nemo potuit liberari nisi per Christum. Unde cum postea in c. 9. vocat illos vasa iræ agens de reprobatione in terminis, propterea hoc dicit, quia supponebat illos infectos peccato originali: & hac eadem ratione vocat illos vasa apta in interitum propter aptitudinem peccati originalis, quod ducit ad interitum. Igitur maximum fundamentum habet in Apostolo, quòd peccatum originale fuerit justa reprobationis causa: & ne aliquis putaret idem dicendum de peccatis actualibus, illa expressè negat causam reprobationis, cum ait. *Cum enim nondum nati essent, aut aliquid boni egissent, aut mali.* Certè qui attentiùs consideraverit Apostoli mentem & intentionem simul cum verbis in hac Epistola ad Rom. non poterit negare, ad minus multùm fundari in Apostoli doctrina, quòd peccatum originale fuerit reprobationis causa ex parte hominum, qui reprobati fuerunt. Accedit, quòd Sanctus Augustinus sic semper Apostolum intellexit, quia videbat ejus verba hoc satis indicare.

162. Tria autem tantummodo Apostoli testimonia breviter expendamus. Et primò illud Rom. 5. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem,* & præmiserat, *nam judicium ex uno in condemnationem.* Judicium verò ut litera sonat, & ibi Sanctus Thomas exponit, idem est ac divina punitio, quæ procedit ex uno peccato primi parentis in condemnationem omnium; quia videlicet justa fuit causa condemnationis in omnibus, qui divina misericordia non sunt salvati per Christum. Igitur docet Apostolus, quòd ex uno primi parentis peccato omnes justo judicio & justa punitione traduntur in damnationem, nisi ab illa in vitam prædestinentur per Christum. Ubi simul docet, quòd qui liberantur per prædestinationem & gratiam, per Christum ab illa justa damnatione, quam merebantur, liberi fiunt: qui autem non liberantur, sed reprobantur, justè in illa massa perditionis, quia ita merentur, relinquuntur.

163. Secundum testimonium Rom. 9. *Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum ut ostenderet &c.* Ubi verbum, *iram*, significat secundum omnes interpretes justitiam vindicativam. Cujus loci duplex sensus esse potest. Alter, quòd Deus nullo habito respectu ad originale peccatum, habens pro fine, suam justitiam & gloriam manifestare, sustinuit, id est permisit homines deficere, & sic illos reprobavit. Qui sensus licet possit literæ accommodari, per verba tamen sequentia quodammodo videtur excludi, cum subdit, *subsstinuit vasa iræ apta in interitum.* Quibus denotatur, quòd vasa iræ apta ex peccato originali in interitum sustinuit Deus in multa patientia; tum ad ostensionem justitiæ suæ; tum ad majorem misericordiam ostendendam in prædestinatis, sicut Sanctus Augustinus Epistola 105. exponit, & Sanctus Thomas super Paulum. Et ex consequenti ex prædicto loco videtur dicendum, quòd videns Deus vasa iræ ex peccato originali apta esse in interitum, voluit, eos reprobando, ostendere iram, & justitiam suam vindicativam in ipsis; ita quòd sicut finalis causa in reprobatione fuit ostensio justitiæ; ita ex parte hominis causa demeritoria fuit peccatum originale, quod de facto movit divinam justitiam. Verum est, quòd adhuc si tale peccatum non esset, ut dictum est supra, ex alio titulo justè Deus posset homines reprobare, & splendorem justitiæ suæ ostendere; sed modò non agimus de eo, quod fuisset, sed de eo, quod de facto fuit, & de eo quod, factum fuisse, videtur dicere Apostolus: planè nulli dubium quin iste secundus sensus conformior sit literæ Apostoli quàm ille primus.

164. Tertium testimonium est ex eodem cap. 9. ad Rom. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esaü autem odio habui.* In quo testimonio sicut Apostolus negavit actualia opera, quæ essent in minori, ut propter illa majori fratri præponeretur, & præ illo eligeretur (ut communis est explicatio & Sanctus Thomas ibi, & Sanctus Augustinus epist. 105. habent) ita docet quòd Esaü odio fuit habitus, & reprobatus ex peccato originali, in quo cum æqualis esset Jacob, etiam justè potuit odio haberi & reprobari; sed quod merebatur, ex gratuita electione ei dimissum est, cum à tali massa perditionis fuit per divinam gratiam, & prædestinationem liberatus: imò si totus contextus Apostoli attendatur in illo cap. 9. erit manifestum, ipsum ex originali peccato (à quo Deus quos vult misericorditer liberat eos prædestinando sine operum prævisione; & propter quod quos vult, justissimè reprobat) respondisse illi argumento, quod contra se opposuerat: dixerat enim, catholicam doctrinam proponendo, quòd sine operibus prævisis Jacob fuit per prædestinationem à Deo dilectus, & Esaü etiam sine operibus prævisis reprobatus; dixerat, quòd non volentis, nec currentis sed Dei est miserentis: dixerat, quòd cujus Deus vult miseretur, & quem vult indurat: contra quam doctrinam, quia fragili humanæ rationi difficilis apparebat, ex adverso opposuerat argumentum illud, quod postmodum ut Achillem Pelagiani opposuerunt, dicens, *quid ergo queritur, voluntati ejus quis resistit?* id est, quid Deus conqueritur de nobis, si non bene operamur? Ecce omnia pendent ab ejus voluntate efficaci, sine operibus vel hos prædestinante, vel reprobante illos, cui nullus est qui resistat. Quam objectionem solvendo, primo dixit. *O homo: tu quis es, qui sic respondeas Deo?* & iterum semel atque iterum, *an non potest &c.* per quod homines ad humilitatem induxit in his tractandis materiis, retundens superbiam eorum qui sine humilitate eas comprehendere laborant, qui & præcipitantur: & hac humilitate statuta argumentum solvit dicens. *Quod si Deus volens ostendere iram*, id est justitiam vindicativam, *sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum*, id est homines prævisos vasa iræ ex peccato originali, apta in interitum propter peccatum tale, si inquam, illos sic

Digitized by Google

ſic prævisos ex peccato originali vasa iræ apta in interitum sustinuit, vel permisit in illa massa damnationis manere, eos non prædestinando, sed justè in tali damnatione sinendo, seu derelinquendo; & hoc ad ostendendam in illis justitiam suam vindicativam, & majorem misericordiam in prædestinatis, quos ab æquali damnatione peccati originalis præparavit ipse in gloriam; Quid tu potes opponere? de quo potes conqueri. Ecce Apostolus ad respondendum & confundendam injustam querimoniam eorum, qui ex prædestinatione, & reprobatione sine prævisis operibus conquerebantur, & contra Dei prædestinationem, & reprobationem argumenta fulminabant: ex peccato originali respondet, & ex illo maximam misericordiam in prædestinante Deo sine operibus, & justum judicium in reprobante sine operibus, ostendit. Manifestè ergo Apostolus peccatum originale docet esse causam reprobationis.

165. Duo dicimus circa istum locum prænotanda, Primum, quòd actualia merita Jacob, & actualia demerita Esaü neget, ob quæ alius electus, & alius fuerit reprobatus: & hoc in litera est satis apertum, ut Sancti Doctores semper tradiderunt; quia Apostoli intentio est negare aliquid boni, quod fuerit in Jacob, & non in Esaü ut eligeretur; & aliquid mali quod fuerit in Esaü, & non in Jacob ut reprobaretur: ista enim inæqualia merita, vel demerita ob quæ unus eligatur, & alius reprobetur, manifestè excludit Apostolus: at vero æquale demeritum ex peccato originali in utroque repertū, quo justè uterque damnari poterat, non excludit, sed præsupponit Apostolus, cum dicit, quòd sine aliquo demerito actuali Esaü odio habuit Deus; nihil autem in eo poterat odiò habere nisi peccatum originale: fuit ergo reprobare Esaü, eum odio habere propter originale peccatum, & illum in tali miseria derelinquere. Nec huic aliter potest satisfieri, nisi dicēdo quòd ibi odio habere, non sumitur propriè pro odio, sed largè pro eo quod est gratiam non dare. At verba illa, non in hac impropria, sed in propria significatione videntur acceptanda, ut S. August. exponit prædict. Epist. 105.

166. Quòd si quis opponat, quòd S. Thomas 1. p. quæst. 23. art. 3. ad 1. hæc verba *odiò habere*, ita exponit, ut per hoc, quòd Deus non vult aliquibus aliquod bonum, dicatur eos odio habere: ubi non exponit odium propriè secundùm quod Deus peccatum odio habet. Ad hoc statim infra, dum de mente S. Thomæ agemus, dicendum erit: & nunc breviter respondetur, ibi S. Thomam non exponere testimonium; quod si feciſſet, de vero odio explicasset; sed largè sumit odio habere, pro eo quod est beneficium non conferre; quia id ad solutionem argumenti sufficiebat; & etiam ut generalem doctrinam de reprobatione traderet, quæ posset etiam Angelorum reprobationi coaptari. Unum tamen circa hoc Apostoli testimonium venit advertendum, quòd Apostolus agens de reprobatione, & prædestinatione, & tradens (ut ex prædicto testimonio videtur concludi) reprobationem fieri propter peccatum originale, consultò exemplum duorum apposuit, quibus æqualiter per circunciſionem remissum fuerat peccatum originale, nempè Jacob & Esaü; & tamen dicit, Esaü propter peccatum originale, antequam ei fuisset remissum, fuisse à Deo odio habitum, & reprobatum, ut intelligamus, quòd etiam in baptizatis reprobis (quibus per baptismum remittitur originale peccatum) peccatum ipsum originale, antequam eis sit remissum, esse causam, ut odio habeantur, & reprobentur.

167. Ex his ergo Apostoli testimoniis, suam S. P. Augustinus de reprobatione accepit sententiam, ut peccatum originale causam illius constitueret: clarè autem illam S Gregorius statuit libro 4. moral. quem & S. Thomas refert *quodlib. 5. quæst. 5. art. 8.* Et 1. *par. quæst. 100. art. 2.* Sic enim habet Gregorius. *Si parentem primum nulla putredo peccati corrumperet, nequaquam ex se filios gehennæ generaret, sed qui nunc per Redemptionem salvandi sunt, soli, ab illo electi, nascerentur.* Cujus Sancti Patris, & Doctoris sententia probabilis est, & ut probabilis à S. Thoma admittitur citatis locis. Constat autem, quòd si peccatum originale non fuisset, nullus esset damnandus, ut expresse Gregorius docet, dicens, quòd originale peccatū causa est reprobationis in his, qui damnantur.

168. Similiter Gelasius hanc videtur sententiam docere, quòd reprobatio fuerit propter originalem peccatum, *in Epistola namque 7. ad universos Episcopos Picenos* ita docet. *Nisi autem prima generatio, quam bonam Deus constituit, prævaricatione venisset in culpam, & reprobabilis esset effecta, secunda generatio subroganda non fuerat.* Igitur per prævaricationem primi parentis reprobabilis facta est hominum generatio: ergo cum Deus de reprobatione tractavit, illos, quos de facto reprobavit, ob culpam originalem, ob quam meritò reprobabiles existebant, reprobavit. Illud etiam quod in principio libri hujus præmisimus ex Concilio Valentino valdè sententiam istam confirmat: ut enim ibi expositum est (quod nec iterum repetendum venit, sed ibi est attendendum) apparet, Concilium illud sensisse propter originale peccatum homines reprobari, qui reprobati manserunt; dicimus id apparere, quia nec Concilium illud expresse affirmat. Videatur.

CAPUT XII.

Quòd peccatum originale fuerit causa reprobationis; probatur ex Sancto Thoma.

169. Sanctus Thomas etiam (licet multi ejus discipuli, illique gravissimi id negent) cum S. Augustino sentit, & concedit, originale peccatum fuisse causam reprobationis in hominibus, utramque enim rationem in hominum reprobatione concurisse, affirmat semper, & rationem indebitæ gratiæ, & rationem debitæ justitiæ propter originale peccatum. Nec enim est credibile Sanctum Thomam, qui semper sententiam Sancti Augustini tenuit, & defendit, & in aliquibus difficilibus explicavit, in hac parte S. Augustinum reliquisse, tacitâ ejus sententiâ, ut ab aliquibus prætenditur: hic enim disputandi modus à mente S. Thomæ est valdè alienus, qui Doctores Sanctos in multis difficilibus piè explicat, vel aliquando dicit, eos excedere, ut de Chrysostomo dicit, non autem suppresso nomine illos reprehendit. Sed efficaciùs idem probemus. S. Thomas 1. p. *quæst.* 100. *art. 2. ad 2.* dicit *quòd si Adam non peccasset, non generaret ex se filios gehennæ; ita scilicet quòd ab ipso peccatum contraherent, quod est causa gehennæ:* Igitur secundum S. Thomam peccatum originale ab hominibus contractum causa est gehennæ, & perconsequens causa est reprobationis. Dicit autem, quòd est causa gehennæ, id est, quòd est causa meritoria gehennæ, nisi per Dei gratiam remittatur, & ab illo gratuitâ Dei misericordiâ per gratuitam electionem homo liberetur: si igitur secundum S. Thomam peccatum originale, quod omnes contrahunt, causa gehennæ meritoria est: ergo propter illud Deus homines reprobavit, sicut propter demeritum, quod habebant.

170. Præterea, id apertè docet *Super 9. cap. epist. ad Rom. lect. 3. & 4.* Ubi Apostolum eo modo, quo priùs S. Augustinus, intelligit & explicat, quòd videlicet

Digitized by Google

delicet originale peccatum causa sit reprobationis : in lectione enim tertia ita habet. *Manifestum est enim, quod justitia distributiva locum habeat in his, quæ dantur ex merito, puta, si aliqui mererunt mercedem, ut plus laborantibus major merces donetur; non autem habet locum in his, quæ sponte, & misericorditer aliquis dat, puta si aliquis duos pauperes in via inveniens, det uni quod potest, vel disponit in eleemosynam dare, non est iniquus, sed misericors. Similiter si aliquis duobus æquè ipsum offendentibus uni dimittat offensam & non alteri, est misericors uni, & justus ad alterum; neutri verò iniquus. Cum enim omnes homines propter peccatum primi parentis damnationi nascantur obnoxij; quos Deus per suam gratiam liberat, solâ misericordiâ liberat: & sic quibusdam est misericors, quos liberat; quibusdam autem justus, quos non liberat; neutri autem iniquus.* Hæc S. Thomas, ubi apertè loquens de prædestinatione, & reprobatione docet, quosdam Deus per misericordiam, & prædestinationem liberare; & quosdam non liberare, sed reprobare propter peccatum primi parentis. Consultò autem S. Thomas utramque simul rationem adjunxit, & utramque exemplis explicavit, videlicet reprobare Deum, quia non debet, ut patet in dante eleemosynam uni prætermisso alio; & quia homo etiam per originale peccatum damnationi nascitutur obnoxius, ut intelligamus utramque simul rationem concurrisse: igitur utraque hæc ratio fuit, propter quam Deus homines reprobavit, ut in nostra conclusione asserimus. Notentur relata S. Thomæ verba, & apparebit idem omnino in illis docere, quod S. Augustinus docuit priùs, & eandem rationem cum illo assignare, videlicet quòd cum omnes homines peccato originis nascantur obnoxij, quos Deus ab illa communi perditionis massa liberat, solâ misericordiâ liberat; quibusdam autem, quos non liberat, sed reprobat, justus est, illis videlicet retribuendo, quod per tale originale peccatum secundum justitiam merentur. Procul dubio hæc est fundamentalis ratio S. Augustini, ob quam, ut illa exprimit, docuit peccatum originis causam esse reprobationis, & justitiam vindicativam, seu iram, Deum in reprobatione servare. Cum ergo S. Thomas idem fundamentum cum S. Augustino firmiter statuat, quod reipsa, & verbis æquivalentibus causam reprobationis ex peccato originali infert, non apparet, qua ratione aliqui S. Thomam velint S. Augustino in hac parte esse contrarium.

171. Et in lectione quarta idem prosequutus, explicans illud. *Nunquid dicit figmentum*, postquam induxit similitudinem de vasis infimæ materiæ, quòd conqueri non possunt de artifice, si in viles usus deputentur, doctrinam explicans, ita subdit. *Humana autem natura vilitatem habet ex sua materia, quia ut dicitur Gen. 2. fecit Deus hominem de limo terræ: sed majorem vilitatem habet ex corruptione peccati, qua per unum hominem in hunc mundum intravit, & ideo homo luto comparatur.* Et post pauca, *Si verò Deus hominem ad meliora non promoveat, sed in sua infirmitate eum dimittens, deputat eum ad infimum usum, nullam ei facit injuriam, ut possit justè de Deo conqueri.* Quibus verbis iterum reprobationem propter peccatum originale affirmat, & etiam propter vilitatem naturæ, in qua à principio creatus est homo, cui non debetur fieri vas in honorem per prædestinationem, docens Apostolum nomine luti utramque vilitatem significasse, & naturæ factæ ex limo terræ, & naturæ corruptæ propter peccatum originis.

172. Ecce S. Thomas agendo ex professo de prædestinatione & reprobatione, sicut agit in isto loco, ante omnia peccatum originis ex parte hominis præsupponit, quod ipsum reddit vilem; & docet quòd si Deus talem hominem sic cognitum vilem ex corruptione peccati originalis ad meliora non promoveat (per electionem videlicet & prædestinationem) sed in sua infirmitate eum per reprobationem dimittat, nullam ei facit injuriam. Quomodo ergo in his verbis non docet manifestè S. Thomas, Deum ante reprobationem prævidisse peccatum originale, & propter illud voluisse, homines, quos reprobavit, dimittere in illo, nec ad meliora voluisse per prædestinationem promovere? Certè non obscura sententia est.

173. Et iterum ibi explicans illud *ex eadem massa &c.* inducens primò exemplum de figulo, ita dicit; *Et similiter Deus liberam potestatem habet facere ex eadem corrupta materia humani generis, sicut ex quodam luto, nulli faciendo injuriam, quosdam homines præparatos in gloriam, quosdam autem in miseria derelictos.* Et post pauca explicans illud, *quod si volens Deus &c.* Ita ait. *Solvit primam quæstionem, scilicet, quare Deus velit quibusdam misereri, & quosdam in miseria derelinquere; sive quosdam eligere & quosdam reprobare.* Ubi magis apertè & in terminis ipsis docet, reprobare nihil aliud fuisse, quàm quosdam in miseria originalis peccati derelinquere, propter videlicet peccatum ipsum. Et infra iterum dicit. *Quia ipsi* (videlicet homines) *de se habent dispositionem ad malum ex corruptione primi peccati. Unde dicit se aptos in interitum, id est in se habentia aptitudinem ad æternam damnationem.* Semper ergo S. Thomas intelligit & explicat Apostolum, quòd reprobationem hominum constituat propter peccatum originale, & etiam proprer vilitatem naturæ, cui tantum bonum non debebatur.

174. Præterea ibi lect. 2. in fine postquam dixit quòd omnium primum, quod in prædestinatione attenditur, est dilectio, secundum electio, & tertium ipsa formalis prædestinatio, inquit. *Sicut autem dilectio de qua hîc loquitur* (scilicet Propheta cum dixit Jacob dilexi, Esau autem odio habui,) *pertinet ad æternam Dei prædestinationem; ita etiam odium, de quo hîc loquitur, pertinet ad reprobationem, qua Deus peccatores reprobat;* sed dilectio ut præmiserat, ita pertinet ad prædestinationem, quòd est omnium primum, quod in ipsa debet considerari: ergo pari ratione per oppositum, odium est primum omnium, quod in reprobatione debet attendi, quo videlicet Deus peccatores in originali existentes odio habens reprobat: Nec enim credibile est aut Prophetam, aut S. Thomam comparasse cum dilectione, quæ est prima omnium in prædestinatione, odium, quod non sit primum, sed ferè ultimum in reprobatione: Expendenda sunt verba ista S. Thomæ, nec leviter, vel transeunter legenda. Inquit enim quòd odium, de quo Propheta, pertinet ad reprobationem, quo odio Deus reprobat peccatores: odire autem & reprobare peccatores, præsupponit eos peccatores prævideri; non actuali peccato, ut ex Apostolo dictum est supra: ergo peccato originali.

175. Tandem lect. quarta in fine, in expositione illius Apostolici testimonij, *ut ostenderet divitias gloriæ suæ*, ait. *Quia ipsa condemnatio, & reprobatio malorum, qua est secundum Dei justitiam, manifestat & commendat Sanctorum gloriam.* Igitur non solùm condemnatio, quæ est ultimus effectus reprobationis, est secundum justitiam, sed ipsa reprobatio est secundum Dei justitiam punitivam, ut alibi explicavit. Per reprobationem autem supra condemnationem, necesse est quòd intelligat nedum condemnationem, quæ est ultimus reprobationis effectus, sed etiam reprobationem ipsam adæquate sumptam, pro ut videlicet includit effectus alios; & hanc docet fieri secundum justitiam. Quod si nomine reprobationis hoc non intellexit, sed tantum ipsam quoad suum ultimum effectum, idem omnino esset dicere *condemnatio & reprobatio,*

Digitized by Google

batio, & sic inutilis esset repetitio. Quod autem S. Thomas docet, & commentatur super Paulum, habet plurimùm auctoritatis, quia sunt commentaria illa de potissimis, & accuratissimis S. Thomæ operibus.

176. Præterea S. Thomas *q. 6. de verit. art. 2. ad 9.* Sic dicit. *Ad nonum dicendum, quòd electio Dei, qua unum eligit, & alium reprobat, rationabilis est: nec tamen oportet quod ratio electionis sit meritum; sed in ipsa electione ratio est divina bonitas. Ratio autè reprobationis est in hominibus peccatum originale, ut dicit S. Augustinus vel in futuro per hoc ipsum quod est non habere debitum ad hoc, quod eis gratia conferatur: rationabiliter autē possum velle denegare aliquid alicui, quod sibi non debetur.* Hæc Sanctus Thomas, ubi manifestè admittit cū Sācto Augustino peccatum originale esse causam reprobationis. Addit etiam secundam solutionem dicens, quia gratia & gloria debita non est, rationabiliter potest Deus illam denegare: sicut hac secunda præcisa ratione denegata fuit Angelis reprobatis; sed in hominibus utraque simul ratio præfuit ad reprobandum, & ratio indebitæ gratiæ & gloriæ, & ratio demeriti ob peccatum originis. Nec sufficit respondere Sanctum Thomam *1.p.quæst.23. art. 5.* ubi ex professo de hoc tractabat, hanc primam rationem reprobationis ex peccato originali desumptam secundum Sanctum Augustinum subticuisse, ac per hoc id non sine causa fecisse, sed quasi illo silentio illam non admittere, ut quidam explicant; quia ut infra clariùs exponemus, in illo loco primæ partis Sanctus Thomas eandem doctrinam tradit, quam in præcitatis locis præmiserat, nec est verbum in illo art. 3. 1. p. quod mutationem illius sententiæ indicet, sed multa quæ illam confirmant, ut statim videbimus. Ratio autem ob quam S. Thomas illam sub eisdem verbis non expressit in illo loco primæ partis illa est communis, quia Sanctus Doctor regulariter in summa non omnia dicit, quæ in disputatis, sed ibi compendio proposuit & proponit, quæ lato sermone in disputatis pertractat.

177. Cum ergo tam apertè in tot locis Sanctus Thomas & in actu exercito, & in actu signato probet sententiam Sancti Augustini constituentis reprobationem in hominibus propter peccatum originale, non apparet, quanam ratione velint Sancti Thomæ discipuli aliqui, utrumque doctorem Sanctum adinvicem contrariari, potissimè quia contrarietas Sancti Augustini & D. Thomæ in hac materia multùm supra modum præjudicat, & adversarios corroborat: ex hoc enim occasionem sumunt, ut Sanctum Augustinum in aliis circa materiam liberi arbitrij, & gratiæ impugnent, cum ipsum vident à discipulis Sancti Thomæ sub nomine Sancti Thomæ in eadem impugnari. Qua ratione quando non ita aperta esset Sancti Thomæ doctrina, sicut præinducta loca testantur, sed magis occulta & obscura, deberent discipuli Sancti Thomæ illum ita explicare (modo apertè contrarium non diceret) ut cum Sancto Augustino conveniret; non autem expressa testimonia, per unum (in quo expressè contrarium non dicit, imo ut dicemus eandem tradit doctrinam) velle esse revocata, quod certè præter rationem est. Testimonia enim non ita clara, per clariora, formalia, & expressa intelligenda sunt & explicanda, non è converso. Nunc autem si illa ex comm. super Paulum manifesta sunt, omnes judicent: & hoc modò allatum ex quæstionibus disputatis, quod præ cæteris formalius & expressius est, accuratiùs notent, & ostendant aliud, in quo dicat peccatum originale non fuisse causam reprobationis: & tunc eis libenter concedemus, revocatam esse sententiam, qua in hoc loco expressè fatetur quòd ratio reprobationis est in hominibus peccatum originale, ut dixit Augustinus: nec dicit quòd ratio reprobationis est in hominibus peccatum originale secundum Augustinum, sed assertivè suam sententiam pronuntians ait, quòd ratio reprobationis est in hominibus peccatum originale, ut dicit Augustinus.

178. Idem docet S. Thomas *in 4. dist. 46. q. 2. art. 2. quæstiun. 2. ad 5.* sic dicens. *Dico ergo quod omnibus hominibus ex merito proprij peccati debetur pœna æterna, sed quòd aliqui liberantur, hoc est ex sola divina liberalitate; posset enim omnes justè damnare, & ideo nulla est injustitia si aliquos eligat, & aliquos reprobet, in quibus tamen nulla differentia meritorum præcessit.* Ubi apertè sermo fit de peccato originali, quod omnibus commune dicitur, hoc enim solum omnibus inest, & in illo omnes æquales sunt absque differentia aliqua: unde asseritur quòd sicut omnes poterat propter illud justè damnare, ita nulla est injustitia si aliquos reprobet propter illud, eligens aliquos ex divina misericordia ad gloriam. Ubi etiam manifestè de prædestinatione quoad primum effectum fit sermo, quod satis ostenditur per verbum eligere: hæc vero electio formalem processum totius prædestinationis antecedit, ut constat ex ipso Doctore Sancto *1. part. quæst. 23. art. 4.* quod & nos supra exposuimus agentes de prædestinatione. Similiter etiam per verbum *reprobare* de ipsa reprobatione loquitur, etiam quoad primum ejus effectum, & non tantùm de ultimo effectus reprobationis; aliàs si de ultimo tantùm effectu reprobationis loqueretur, non diceret quod in peccato, propter quod damnantur, omnes sunt æquales; hoc enim dici nullo modo poterat: & præterea quia si loqueretur de voluntate inferendi ultimum effectum reprobationis, non diceret, quòd nulla est differentia meritorum in prædestinatis & reprobis; quia quoad ultimum effectum sive prædestinationis, sive reprobationis, magna profectò est; quia gloria, quæ est ultimus effectus prædestinationis, datur prædestinatis propter gratiam & opera meritoria ex gratia facta: æterna autem damnatio, quæ ultimus effectus est reprobationis, malis infligitur propter peccata quæ commiserunt: loquitur ergo de prædestinatione & reprobatione quoad primum illorum effectum; videt enim omnes homines æquales in peccato & quosdam ex misericordia liberat, prædestinando; quosdam justè propter originale reprobat.

179. Sed dicunt aliqui S. Thomam *1.p.quæst.23. art.5.ad 3.* contrarium dicere, videlicet solam divinam voluntatem esse reprobationis causam propter ostensionem divinæ justitiæ, quæ ratio probat (ut aiunt) non propter originale peccatum, sed propter illum splendorem divinæ justitiæ, voluisse Deum ex sola sua voluntate quosdam reprobare. Cui loco ex prima parte desumpto potius dicunt standum, in quo Sanctus Thomas ultimam manum imponens statuit sententiam, quòd sola divina voluntas propter finem ostensionis justitiæ suæ absque omni prævisione sive originalis, sive actualis, quosdam reprobavit. Hoc totum fundamentum illorum est, sed quàm inefficax sit, ostendendum erit statim.

CAPUT XIII.

Explicatur mens Sancti Thomæ 1. p. quæst. 23. art. 5. solutione ad 3. circa causam reprobationis.

180. VT autem verum fatear, ex isto loco primæ partis id efficaciter non colligitur; nec enim aliquid implicitè, vel explicitè dicit, propter quod dicamus, ipsum illam suam sententiam retractasse, quam tam expressè super Paulum apposuit, & in quæstionibus disputatis: imo in ipso loco 1. p. eandem

Digitized by Google

dem ſententiam præſupponit; quia in illo argumento tertio cui reſpondebat, expreſsè mentionem facit peccati originalis, ejus prævisionem præſupponens ad hominum prædeſtinationem & reprobationem. Et in art. 1. illius quæſtionis ſolutione ad tertium pro certo habet, hominum prædeſtinationem fuiſſe tanquam ex termino à quo ex ſtatu miſeriæ & peccati: ergo ſupponit S. Thomas prævisam fuiſſe à Deo hominū poſitivam indignitatem peccati originalis, propter quam juſtè illos reprobabat.

181. Verba prioris loci ita habent 3. *Non eſt iniquitas apud Deum, ut dicitur Rom. 9. Iniquum autem eſſe videtur, ut æqualibus inæqualia dentur. Omnes autem homines ſunt æquales, & ſecundum naturam & ſecundum peccatum originale: attenditur autem in eis inæqualitas ſecundum merita, vel demerita propriorum actuum. Non igitur inæqualia præparat Deus hominibus prædeſtinando & reprobando, niſi propter differentium meritorum præſcientiam.* In quo argumento manifeſtè intendit, quòd ante prævisam differentiam actualium bonorum operum, vel malorum, cum homines omnes ſint æquales, & in natura & in peccato originali, non eſt æquum, quòd alij prædeſtinentur; ac proinde eſt manifeſtum argumentum non procedere de ultimo effectu prædeſtinationis, vel reprobationis; imo illum omnino excludere, & tantum loqui de primo effectu, ſive prædeſtinationis ſive reprobationis, in quo ſolùm argumentum prædictum difficultatem habet: attendendo autem ad illum primum prædeſtinationis, ſive reprobationis effectum, in argumento illo expreſsè intromittit S. Thomas peccatum originale: ſi autem tale originale peccatum nihil omnino conducit ad primum prædeſtinationis, ſive reprobationis effectum, ut aliqui prætendunt, procul dubio non niſi ex ſuperfluò & abſque aliqua cauſa illud S. Thomas introduceret. Quid autem huic argumento reſpondeat, ſtatim apponemus. Nunc illud primò dicant, qui in hoc loco primæ partis fundantur, ad tenendum S. Thomam negare in illo peccatum originis cauſam eſſe reprobationis: qua ratione ſi non fuit prævisum (ut aiunt) ante prædeſtinationem & reprobationem hominum peccatū originale, S. Thomas illud tam manifeſtè ante prædeſtinationem & reprobationem præmittit? cum ait, omnes homines æquales fuiſſe ante prædeſtinationem & reprobationem ex parte naturæ, & ex parte peccati originalis. Unde ſicut natura prævisa fuit, ita & naturæ corruptio per peccatum originis, utriuſque enim præſcientiam in Deo præfuiſſe ante prædeſtinationem & reprobationem hominum ipſa litera docet in argumento illo. Vel ſi prævisum ante prædeſtinationem & reprobationem fuit, ut alij meliùs concedunt (quia id expreſſe in S. Thoma inſpiciunt, dicentes quidem fuiſſe ſic prævisum, ſed non ut cauſam reprobationis) quare ſi non fuit prævisum ut cauſa reprobationis, S. Thomas cum ex profeſſo de reprobatione agit, illud ante omnia prævisum eſſe ponit? Si enim ejus prævisio nil prorſus conducebat ad prædeſtinationis & reprobationis negotium, nulla ratio poſtulabat, ut S. Thomas agens de prædeſtinatione & reprobatione, illud prævisum ante prædeſtinationē ſtatueret. Ut quid enim rem omnino inpertinentem ad prædeſtinationem & reprobationem ante ipſam priùs appoſuit? Procul dubio non eſt S. Thomæ conſuetudo, ut minus conducentia & pertinentia ad rem quem tractat, expreſſe ſupponat. Nedum enim hæc de S. Thoma, ſed nec de ſe ipſis, qui ita ipſum exponunt, vellent dici, ut ex profeſſo materiam aliquam tractantes, rem inpertinentem, expreſsè ad illam præmittant. Et per hoc excluditur, quod dicunt, fuiſſe prævisum peccatum originale ante prædeſtinationem & reprobationem ſecundùm quod eſt objectum in cujus remedium venit Chriſtus, non autem ſecundum quod dicit ordinem ad reprobationem. Si enim hoc ita eſſet, nec S. Thomas agens de prædeſtinatione & reprobatione præmitteret præſcientiam peccati originalis, cum ad talem materiam nil omnino pertineret: cum ergo illud expreſsè ſupponat, pertinet ſine dubio ad talem materiam.

182. Præterea in 1. art. ad 3. præmiſerat etiam prævisum originis peccatum ante prædeſtinationem hominum, cum ait: *Ad 3. dicendum, quod prædeſtinari convenit Angelis, ſicut & hominibus, licet nunquam fuerint miſeri: nam motus non accipit ſpeciem à termino à quo, ſed à termino ad quem,* id exemplo ex phyſica manifeſtans, & poſt ipſum ita concludens. *Et ſimiliter nil refert ad rationem prædeſtinationis, utrum aliquis prædeſtinetur in vitam æternam à ſtatu miſeriæ, vel non.* Ubi manifeſtè docet, Angelos non fuiſſe prædeſtinatos à ſtatu miſeriæ, ſed homines, qui ſicuti a termino à quo, à ſtatu miſeriæ & peccati originalis prædeſtinati ſunt. Manifeſtum eſt ergo *in 1. par. quæſt. 23. art. 1.* Sanctum Thomam id docuiſſe, quod ſuper Paulum docuerat, nempe peccatum originale prævisum fuiſſe à Deo in hominibus ante eorum prædeſtinationem & reprobationem, & ab illo originali peccato, & à ſtatu miſeriæ ſicut à termino à quo factam fuiſſe hominum prædeſtinationem: ſide penitus evaneſcit, quod ab aliquibus dici ſolet, peccatum videlicet originale ordinem habuiſſe cum Chriſti Domini prædeſtinatione, non verò dicere ordinem ad prædeſtinationem & reprobationem hominum: cum S. Thomas illum ordinem expreſsè ponat inter peccatum originis, & hominum prædeſtinationem, qui eſt inter terminum à quo & ad quem; nec hoc niſi litera ipſa negetur, poteſt negari: ergo præſcientia peccati originalis per ſe ſupponitur ad prædeſtinationem & reprobationem hominum, ſicut terminus à quo per ſe ſupponitur in motu, qui ab ipſo tendit ad terminum ad quem. Imo minus conſequenter dicitur, quòd peccatum originale præſupponatur ad prædeſtinationem Chriſti ut id, in cujus remedium Chriſtus prædeſtinatur, & non dicat ordinem ad prædeſtinationem hominum ut id, à quo prædeſtinatus Chriſtus homines liberat. Si enim Chriſtus fuit prædeſtinatus in remedium peccati originalis prævisi; & hoc remedium præſtatur illis, qui per Chriſtum prædeſtinati ſunt: ergo prædeſtinantur per Chriſtum ab illo ſtatu peccati in gloriam, & hoc modo in remedium peccati Chriſtus fuit prædeſtinatus, & non alio: dicit ergo præſcientia peccati originalis ſicut terminus à quo ordinem per ſe ad prædeſtinationem hominum, ut apertè S. Thomas docet. Quare non video qua ratione dici poſſit, peccatum originale prævisum ante prædeſtinationem & reprobationem hominum non dicere ordinem cum prædeſtinatione & reprobatione.

183. Quòd ſi tandem aſſerant, peccatum originale dicere ordinem ad prædeſtinationem hominum ſicut terminum à quo, ut S. Thomas affirmat, non tamen dicere ordinem ad reprobationē ut illius cauſam: minus etiam conſequenter id dicunt: cum enim tale peccatum ſit prævisum ut terminus à quo prædeſtinationis, neceſſe eſt, quòd in reprobatione conſideretur ut demeritoria cauſa in qua reprobi relinquuntur: nam cum conſideratur ut terminus à quo prædeſtinationis, conſideratur ut ſtatus miſeriæ & damnationis, à quo per indebitam gratiam prædeſtinati liberantur: ergo pari ratione in reprobatione conſideratur ut magna miſeria & ſtatus miſeriæ, qui dicitur ſtatus damnationis, in quo juſtè relinquuntur.

184. Quod enim aliqui aſſerunt, S. Thomam in citato loco loqui non de prædeſtinatione ipſa, ſed de effectu

Digitized by Google

effectu aliquo ipsius, qui est justificatio, quæ fit in hominibus à statu peccati sicut à termino à quo: in primis contra literam procedit, quæ tam clarè de prædestinatione loquitur, & materiam de prædestinatione tractat; prædestinatio autem totum processum effectuum prædestinationis includit: Et cum S. Thomas de prædestinatione sine limitatione sermonem facit, de ipsa prædestinatione, quam & definivit, loquitur: cum enim ipse de aliquo tantùm effectu prædestinationis sermonem facit, ipsemet clarissimis verbis id affirmat, ut fecit prædicta q. 23. art. 5. in corpore, docens quòd licet merita prævisa non sint causa prædestinationis quoad omnem effectum adæquatum illius; tamen unus effectus prædestinationis prævisus, est causa alterius. Igitur cum S. Thomas de prædestinatione sine addito vel limitatione loquitur, de ipsa adæquatè sermonem facit; & sic loquitur in illo art. primo tum in corpore, tum in solutionibus argumentorum.

185. Insuper, ut ostensum est modò, illud tertium argumentum, quod contra prædestinationem & reprobationem opponebat, manifestè non de justificatione, sed de primo effectu vel prædestinationis, vel reprobationis procedebat. Cujus etiam solutio de eodem primo effectu, & non de alio debuit procedere, aliàs argumento non responderetur, si illud facit instantiam circa primum effectum, & solutio de alio, vel de ultimo, ut alij opinantur, sermonem facit.

186. Præterea, quia gratis admisso, ibi S. Thomam de illo expressè effectu prædestinationis fuisse loquutum, qui est justificatio; ex hoc apertè convincitur, etiam loqui de ipsa prædestinatione secundum se, & adæquate. Nam si justificatio hominum, ut aiunt, fit à statu peccati sicut à termino à quo: ergo & vocatio Dei qua illos vocavit, fuit à statu peccati sicut à termino à quo; illos enim vocavit à statu peccati ad statum justitiæ: vocatio autem primus effectus est prædestinationis secundum illud Apostoli. *Quos prædestinavit, hos & vocavit:* ergo primus effectus prædestinationis est à statu peccati ad statum justitiæ; & ex consequenti, ipsa prædestinatio adæquate est ab eodem statu peccati: si enim Deus vocavit hominem à statu peccati: ergo prædestinavit illum vocare ab eodem peccati statu ad statum gratiæ & gloriæ: hæc autem præordinatio in divina mente prædestinatio est; & sic prædestinatio hominum est à statu peccati sicut à termino à quo, ut clarè S. Thomas in prædicto primo art. q. 23. primæ partis pronuntiat.

187. Verum est, quòd alium ordinem dicit originale peccatum ad Christi Domini prædestinationem, & alium ad prædestinationem nostram: Etenim ad prædestinationem Christi ordinatur sicut id in cujus remedium Christus fuit prædestinatus, ut S. Thomas, & vera doctrina tenet: Ad nostram autem prædestinationem dicit ordinem sicut terminus à quo, ut modò ex S. Thoma relatum est, quia à tali peccato sicut à termino à quo Deus per Christum nos prædestinavit: & ad reprobationem dicit ordinem ut causa demeritoria, in qua reprobi justè relinquuntur.

188. Nec videtur satis dictum, ita esse, quòd S. Thomas præsupponit semper in doctrina sua peccatum originale fuisse prævisum à Deo ante hominum prædestinationem & reprobationem, non tamen propter illud Deum reprobasse. Nam ut capite sequenti probabimus, si peccatum originale fuit prævisum ante reprobationem, ut S. Thomas affirmat, propter illud homines reprobati manserunt, ut ipse S. Thomas aliis in locis inductis expressè declaravit, ut patet ex dictis.

189. Sed opponunt, quòd S. Thomas in illa solutione ad tertium, ex professo de causa prædestinationis & reprobationis hominum agens, nullam aliam rationem assignat, nisi divinam voluntatem volentem ostendere misericordiam in prædestinatis, & justitiam in reprobis, ait enim. *Quare hos elegit, & illos reprobavit, non habet rationem, nisi divinam voluntatem;* quod etiam explicat exemplis. Nec satis est, inquiunt, respondere, quòd S. Thomas loquatur comparativè de reprobatione aliquorum præ aliis. Etenim eodem modo loquitur quantùm ad causam de reprobatione & prædestinatione; sed prædestinationis nulla datur causa juxta mentem S. Thomæ quantùm ad integrum effectum prædestinationis, non solùm comparativè, sed nec etiam absolutè: ergo nec reprobationis. Secundo quia cum *q. 6. de verit. art. 2. ad 9.* assignasset duplicem causam reprobationis in hominibus, alteram secundum Augustinum, scilicet peccatum originale; alteram divinam voluntatem, quæ rationabiliter potest velle denegare alicui, quod illi non debetur: tamen 1. part. in 5. art. citato, ubi ex professo agit de eadem quæstione, primam causam subticuit, & secundam assignavit: sentit ergo peccatum originale non fuisse causam reprobationis quantùm ad integrum illius effectum.

190. Ad hoc dicendum, duo expresse haberi in illa solutione ad tertium. Primò loquendo in genere de reprobatis & prædestinatis affirmat, quòd aliqui sint prædestinati, & aliqui reprobi, causam vel rationem esse divinam bonitatem, quæ objectum est voluntatis divinæ, & quæ resplendere debuit in aliquibus per modum misericordiæ parcendo & prædestinando: quæ suppositа doctrina in prima parte illius solutionis, in secunda loquitur specialiter de istis prædestinatis, & istis reprobis, dicens, quòd supposito, quòd aliqui debuerint esse prædestinati ex misericordia, & alij reprobi ex justitia punitiva; quòd isti in particulari fuerint prædestinati, & isti in particulari ex justitia punitiva reprobi, nulla alia causa vel ratio fuit nisi sola divina voluntas, quæ, salva sua divina bonitate expressa in prima parte illius solutionis, poterat istos, quos prædestinavit, reprobare; & istos, quos reprobavit, prædestinare. Ista erga duo, quæ apertissimè in litera exprimuntur, nullo modo confundenda sunt, sed clariùs distinguenda. Ut igitur in prima parte solutionis modò persistamus, & in illo primo, quod in ipsa continetur, priùsquàm de secundo dicamus, voluit S. Thomas primò hanc rationem ex parte finis divinæ voluntatis assignare, ut ostenderet, finem, ob quem Deus propter peccatum originale non omnes prædestinavit, sed multos reprobavit, fuisse ostensionem justitiæ & potentiæ suæ; quem finem Paulus priùs assignaverat: & hoc solùm intendit ibi S. Thomas. Quærit enim, quare cum omnes homines sint æquales in natura, & peccato originali, quidam fuerint prædestinati, & quidam reprobati: & totius hujus compositi nullam aliam rationem assignat nisi divinam bonitatem, quæ debet repræsentari in aliquibus per modum misericordiæ parcendo, & in aliis per modum justitiæ puniendo, ut expressis verbis affirmat. Quæ verba, *parcendo & puniendo*, quibus S. Doctor utitur, satis ostendunt, ipsum sentire, prædestinationem fuisse, miseris parcere; & reprobationem fuisse, peccatores punire, sicut in aliis jam citatis locis docuerat.

191. Nec commodè verbum *puniendo* in litera S. Thomæ expressum intelligi potest de ultimo tantùm reprobationis effectu, non autem de primo, ita quòd primus reprobationis effectus hominum non sit punitio, sed tantùm ad punitionem in ultimo effectu ordinetur. Quia litera, intentio, & contextus S. Thomæ hoc non videtur admittere. Primò, quia S. Thomas non de ultimo tantùm reprobationis effectum loquebatur, sed etiam de primo, & de toto ipso reprobationis effectu, dicens quòd voluit Deus

reprobare

Digitized by Google

reprobare puniendo : ergo sentit quòd ipsa reprobatio, & primus effectus illius fuit punire, deserendo videlicet homines in corruptionis & peccati massa, ut manifestè explicavit ipse super Paulum citatis modò locis. Secundò quia verbũ contra positum pro prædestinatione hoc satis manifestat, dũ ait, quòd parcendo voluit prædestinare ; ubi apertè de ipso primo prædestinationis effectu fit sermo, qui fuit parcere miseris in peccatis detentis : ergo etiam in contrario verbo *puniendo*, quod in reprobatione apposuit, loquebatur de ipso primo effectu reprobationis, qui fuit punitio, seu derelictio in peccato originali. Patet consequentia, quia eodem modo loquitur S. Thomas de prædestinatione & reprobatione : si ergo de prædestinatione loquitur quantùm ad primum effectum ejus, etiam de reprobatione loquitur quantùm ad primum effectum, quem tamen vocat punitionem. Item, quia, ut supradictum est, cum S. Thomas de prædestinatione & reprobatione absolutè & sine limitatione loquitur, ut fit prædicto loco, de ipsa prædestinatione, & reprobatione secundum seipsas & adæquatè loquitur. Cum enim ipse de aliquo tantùm effectu sermonem facit, ipse propriis terminis id explicat, ut in illo eodem art. 5. in corpore habetur. Et tandem quia, quòd semel & iterum dictum est, & tertiò non sine causa repetimus, manifestum est, quòd argumentum illud tertium cui respondet, de primo tantùm prædestinationis & reprobationis effectu procedit : quomodo ergo solutio de ultimo effectu loquitur, in quo nulla est difficultas, insolutam omnino relinquens illam, quæ in argumento de primo effectum procedebat ? Quis hoc dicat ? Contra literam ergo videtur ista limitatio : quàm ergo consequentius est, & verius dicitur, ac literæ conformius, S. Thomam reprobationem vocasse punitionem propter originale peccatum, sicut supra Paulum, & in quæstionibus disputatis magis expresserat. Unde nec video qua ratione ex isto testimonio, in quo litera ipsa nobis magis favet, concludi possit, S. Doctorem expressam illam sententiam, quam super Paulum, & quæst. de verit. expressit, mutasse, seu retractasse.

192. Præterea, quomodo ex illa solutione S. Thomæ ad tertium colligitur, Doctorem Sanctum negare, peccatum originale fuisse causam reprobationis, ex eo quòd dicit rationem quare aliqui sint prædestinati, & aliqui reprobi, esse divinam voluntatem volentem ostendere misericordiam & iram ; cum ipse Sanctus Thomas super Paulum hanc eandem rationem assignet, & simul dicat reprobationem fuisse propter peccatum originale : sic ergo formetur ratio. S. Thomas super Paulum inductis locis hanc eandem rationem adhibet, quam constituit 1. *p. q. 23. art. 5. solut. ad 3.* sed ibi affirmat reprobationem fuisse factam propter peccatum originis : ergo eadem ratio adducta prima parte idipsum constituit, nec contrarium affirmat : sentit ergo cum ista ratione se tenente ex parte finis, optimè stare aliam tenentem se ex parte subjecti & materiæ ; aliàs si per alteram, altera excluderetur, utramque simul super Paulum non constituerat : ergo cum 1. *p. quæst. 23. art. 5. solut. ad 3.* illam rationem expressit tenentem se ex parte finis, nullo modo per hoc negavit aliam ex parte subjecti ; imo, ut probatum manet, illam præsupponendo includit tum in argumento, tum in illius solutione.

193. Quòd autem hæc eadem ratio, quam prima parte apponit ex parte divinæ bonitatis, quæ debebat resplendere per modum misericordiæ in prædestinatis, & per modum justitiæ in reprobis, apposita fuerit super Paulum, constat ; quia illius ibi verba sunt lect. 4. in explicatione illorum verborum, quod si Deus volens ostendere, *Solvit primam quæstionem, scilicet quare Deus velit quibusdam misereri, & quosdam in miseria derelinquere ; sive quosdam eligere, & quosdam reprobare. Circa quod considerandum est, quòd finis omnium divinorum operum est manifestatio divinæ bonitatis.. ... Tanta est autem divinæ bonitatis excellentia, quòd non potest uno modo, nec in una creatura sufficienter manifestari : & ideò diversas creaturas condidit, in quibus diversimodè manifestatur : præcipuè autem in creaturis rationabilibus, in quibus ejus justitia manifestatur, quantum ad illos, quos pro eorum meritis punit : misericordia verò in illis, quos ex sua gratia liberat. Et ideo ut utrumque in hominibus manifestaretur, quosdam misericorditer liberavit, sed non omnes.* Hæc Sanctus Thomas. Quam rationem, vides eandem prorsus esse, cum ea quam 1. p quæst. 23. citato art. 5. præfixit ; sed hîc simul cum ista ratione tenente se ex parte finis divinæ bonitatis, aliam apposuit tenentem se ex parte subjecti, nempe originale peccatum, cum dixit quòd Apostolus ostendit rationem quare Deus voluit quosdam prædestinare, & quosdam in miseria relinquere, seu reprobare : ergo perperam colligitur negasse prima parte peccatum originale fuisse causam reprobationis, quia dicit, divinam bonitatem fuisse causam, cur aliqui prædestinarentur, & aliqui reprobarentur ; cum ista ratio tantum abest quòd aliam se tenentem ex parte subjecti excludat, quin potius, ipso testante Sancto Thoma, includat : imo eam inclusisse in illo loco primæ partis, verba illa *reprobare puniendo*, & mentio quam facit apertè de peccato originali ostendunt, *ut diximus* : & sic omnia dicta Sancti Doctoris ubique consonant, nec certè mutatio sententiæ est, sed confirmatio.

194. Ad oppositionem factam respondetur, in illis verbis, *Quare hos eligat ad gloriam, & illos reprobet, non habere rationem nisi divinam voluntatem*, solùm docere id, quod verba ipsa sonant, & S. P. Augustinus sæpius explicavit, nullam videlicet posse esse causam in his, ut prædestinati sint, & in illis ut sint reprobati, cum omnes sint æquales in natura & in peccato originali, sicut in argumento præmiserat : propter quod peccatum poterat è converso hos reprobare, & illos eligere ; verùm præmiserat in eadem solutione, quòd hujus quod est aliquos esse prædestinatos, & aliquos reprobos, datur causa ex parte divinæ bonitatis, quæ in prædestinatis resplendere debuit per modum misericordiæ parcendo, & in reprobis per modum justitiæ puniendo. Quibus verbis docuit, quòd illi qui reprobantur ex justitia punitiva, reprobantur ob peccatum originale : & hac suppositâ absoluta doctrina, dixit in secunda parte illius solutionis, quòd isti in particulari prædestinentur, & *illi* reprobentur, cum omnes sint æquales & in natura & in peccato originali, nulla datur causa nisi sola divina bonitas, quæ salva sua misericordia, & justitia poterat reprobare istos, quos prædestinavit ; & prædestinare hos, quos reprobavit. Quæ doctrina ab ipso Sanctissimo Doctore explicatur exemplis in prædicto articulo inductis, quæ in hac materia rem efficiunt evidentẽ. Itaque docet S. Thomas, quare isti sint prædestinati scilicet Petrus & Paulus, idest quare Deus illis pepercit peccatum originale, ut dixerat : & istos idest Judã & Caïphã reprobaverit, volens in eis punire originale peccatum ; nulla alia causa fuit totius hujus conjuncti nisi sola divina voluntas, qua poterat vel omnes prædestinare, vel omnes reprobare ; vel prædestinare quos reprobavit, & reprobare quos prædestinavit : semper tamen docet quòd prædestinatis pepercit Deus peccatum originale, à cujus massa per misericordiam hos eripuit : & reprobis voluit originale peccatum non dimittere, sed per justitiam punire.

195. Et ad probationem dicendum, D. Thomam solùm

Digitized by Google

solùm loqui comparativè & de causa totius illius copulati, quæ nulla est, non autem de causa reprobationis, quam sæpius expressit, & ibi, ut diximus, non obscurè appoluit. Nec eodem modo loquitur de causa prædestinationis, & reprobationis, ut sicut illius etiam causa non datur, ita nec hujus, ut prætenditur. Primò quia eandem rationem Sanctus Augustinus perpetuò dat, docens nullam esse causam quare hic eligatur & non iste; cum qua tamen ratione etiam perpetuò docuit, peccatum originale esse causam reprobationis istius. Eodem modo ergo Sanctus Thomas per illa verba non negavit causam reprobationis, quamvis nullam causam prædestinationis assignet; imo, ut visum est supra, Apostolus nullam causam affert prædestinationis, bene tamen reprobationis.

196. Secundò quia exempla quibus cum Augustino S. Thomas utitur de duobus æquæ offendentibus Regem, rem faciunt clariorem; quamvis enim nulla sit causa ex parte eorum ut huic condonetur delictum, & non alteri) hujus enim comparationis nulla causa est) tamen quòd ille qui manet damnatus, damnetur, justa causa damnationis datur scilicet delictum, quod tamen alteri vult condonare. Cum ergo hoc exemplo utatur S. Thomas, satis apertè ostendit se assignare causam reprobationis in quocumque qui reprobatur: similiter satis ostendit, non dari causam electionis, sicut in illis duobus offendentibus Regem nulla causa est, ut alicui delictum condonetur. Præterea quia litera illius articuli quinti satis est clara: In prima parte enim illius solutionis ad tertium docet, hujus quòd aliqui sint prædestinati & aliqui reprobi, rationem posse assignari ex parte divinæ bonitatis, quæ in aliis per modum misericordiæ parcendo, & in aliis per modum justitiæ puniendo repræsentari debet: ubi dari causam non ex parte hominum, sed ex parte divinæ bonitatis, quòd aliqui sint prædestinati & aliqui reprobi expresse constituit. Quia totius hujus conjuncti nulla causa est ex parte hominum, sed causa est divina voluntas, quæ vult, ut ejus bonitas splendeat in prædestinatis per misericordiam, qua eos eripit à peccato originali & à massa perditionis, parcendo; in reprobis autem per modùm justitiæ puniendo in eis peccatum originale, quod eis non vult remittere, sed propter illud eos excludere à regno. Et quia tertium argumentum cui respondebat, comparative procedebat, probare intendens quòd debeat aliqua causa præcedere ut alij præ aliis eligantur. Ad hanc comparationem respondens in illa solutione docuit, dari causam ex parte divinæ bonitatis repræsentandæ vel per modum misericordiæ vel per modum justitiæ hujus, quòd est aliquos in genere prædestinatos esse, & aliquos reprobos. Deinde in secunda parte solutionis illius docet, nullam posse assignari causam quòd hi in particulari prædestinati, & hi reprobi sint nisi solam divinam bonitatem & voluntatem, quæ etsi vellet econtra reprobare quos prædestinavit, & prædestinare quos reprobavit, etiam in hoc & illius misericordia & justitia resplenderent. Hæc est aperta litera illius articuli ut semel secundò & tertiò reliquimus explicatum. Unde in illa solutione ad tertium non loquitur de absoluta causa vel prædestinationis vel reprobationis, sed de causa sumpta comparativè, sive in genere, & hanc assignat; sive in particulari horum & illorum, & hanc negat. Igitur mens S. Thomæ in illa solutione ad tertium satis clara est, & consistens in tribus. Primum est, peccatum originale fuisse à Deo prævisum ante prædestinationem, & reprobationem hominum sicut id, quod Deus aliquibus hominibus voluit remittere, ipsos prædestinando; & sicut id quòd Deus voluit in aliis punire, ipsos deserendo, & reprobando. Hoc primum constat, tum ex argumento, tum ex formalibus verbis solutionis illius. Secundùm quod docet est, quòd, ex omnibus hominibus sic prævisis æqualiter cum peccato originali, aliqui sint prædestinati, & non omnes; & quòd aliqui sint reprobati, & non omnes, hujus conjuncti seu copulati nullâ causam posse assignari ex parte hominum, cum omnes in natura, & in peccato originali fuerint æquales, ut in argumento præmiserat: bene tamen posse assignari hujus conjuncti rationem ex parte divinæ bonitatis, quæ debuit in aliquibus resplendere per modum misericordiæ parcendo, & in aliis per modum justitiæ puniendo. Tertiò docet, quòd hujus alterius copulati in singulari, quare videlicet isti in particulari prædestinati, & hi in particulari reprobati sint, nullam rationem pro hac vita à nobis assignari etiam ex parte finis divinæ voluntatis, sicut assignatur in illo primo copulato modò explicato; sed solam hujus causam esse divinam voluntatem, quæ in his vult ostendere misericordiam, & in aliis justitiam, cum tamen potuisset eadem sua voluntate è contra facere, hos reprobando, & illos prædestinando, salvo eodem fine divinæ voluntatis, quæ divina bonitas est. Dixi, non posse in hac vita aliam rationem à nobis assignari, quia in patria, ut supra ex S. P. Augustino diximus in Enchirid. cap. 95. *Tunc* (id est in patria) *non latebit, quod nunc latet, cum de duobus parvulis unus esset assumendus per Dei misericordiam, alius per judicium relinquendus; in quo, is, qui assumeretur, agnosceret quid sibi per judicium deberetur, nisi misericordia subveniret: cur ille potiùs quàm iste fuerit assumptus, cum causa una esset ambobus, &c.* Absque dubio si sententia Sancti Thomæ attentiùs in illo articulo quinto solutione ad tertium inspiciatur, tantùm abest quòd peccatum originale neget esse causam reprobationis in hominibus qui reprobati fuere, quin potiùs id ibi videtur non obscurè proponere.

197. Sed dices. In illa comparatione, cujus nulla est causa ex parte hominis nisi divina voluntas, quæ videlicet hos elegit, illos in particulari reprobavit, jam illi efficaciter reprobati manserunt: ergo ex sola divina voluntate sic fuerunt reprobati sine aliqua causa ex parte ipsorum.

198. Ad hoc dicendum, hos & illos æquales in natura, & æquales in offensa originalis peccati objectos fuisse divinæ voluntati, ipsamque inspexisse & hos, & illos ob talem æqualem offensam æqualiter mereri damnationem; unde præcisè quia voluit, hos ex misericordia elegit parcendo & prædestinando, & illos quia voluit, in peccato & miseria voluit derelinquere, & reprobare propter peccatum quod habebant; cum tamen eadem sola voluntate potuisset è contra hos reprobare, & illos prædestinare. Multùm ad hoc conducit exemplum, quod ex S. Thoma supra allatum est de duobus qui æqualiter Regem offenderunt, qui, cum æqualiter punitionem, mereantur ex culpa, tamen sola voluntas offensi quia vult, uni remittit, & alterum ex justitia punit; cum tamen posset si vellet è contra huic parcere, & illum punire. Sicut ergo quòd uni sit misericors parcendo, & alteri justus puniendo, hujus sola illius voluntas causa est absque aliquo discrimine ex parte eorum: ita quòd Deus ex æqualiter ipsum offendentibus per originale peccatum, huic sit misericors parcendo, & prædestinando: & illi sit justus puniendo & reprobando, sola Dei voluntas causa est. Et hoc S. Thomas in illo art. 5. docet, quod sumpsit ex Sancto Augustino pluribus in locis, potissimè ex Epistola 105: ubi ad longum hoc tractat: imò hoc ipsum expresse Apostolus docuit illis verbis, *Cum nondum nati essent &c. Iacob dilexi, Esaü autem odio habui*, quia sola divina voluntas causa fuit, ut ex illis duobus parvulis omnino in natura, & in peccato originali

Digitized by Google

ginali æqualibus, Jacob diligeretur, & Esau odio haberetur.

199. Possunt aliqui opponere tertiò, quòd si ita est, quòd Sanctus Thomas cum Augustino sentiat, peccatum originale fuisse reprobationis causam: quæ causa erat, ut illud, *Esau autem odio habui* non in proprietate sermonis de vero odio explicaret, sed de voluntate non dandi, ut explicat eadem 1. *par. q. 23. art. 3. solut. ad 1.*

200. Ad hoc dicendum, quòd illa causa fuit ut in illa solutione non acciperet, odio habere, pro odio proprio super peccatum cadente. Primò quia illa explicatio de odio largè sumpto ad solutionem sui argumenti satis erat. Deinde ut generalem doctrinam de reprobatione traderet, prout etiam se extendere potest ad reprobationem Angelorum. Quamvis enim ibi in particulari agat de hominum reprobatione, tamen generalem doctrinam tradit, omni reprobationi & hominum & Angelorum, communem; sicut & in primo articulo illius quæstionis licet de hominum prædestinatione in specie tractet, nihilominùs de prædestinatione prout etiam se extendit ad Angelos, universalem sermonem facit, ut patet potissimè ex solutione ad tertium jam explicata: Ibi enim ante omnia peccatum originale præmittit, in quo justè Deus derelinquit quos reprobat, ut abundè dictum est supra: quando verò Sanctus Thomas solùm de reprobatione hominum agit, ut supra Paulum, tunc odio habere, propriè explicat pro odio habere peccatores, ut supra manet expositum.

201. Unde ex dictis respondetur ad id, quod ex Sancto Thoma opponi solet, prima par. q. 23. art. 3. & alibi, ubi expressè docet reprobationem esse divinam quandam providentiam, quæ causas defectibiles permittit cadere: ergo ut ista providentia salvetur, dicendum est, quòd ex propriis providentiæ rationibus reprobatio fuit facta, & non propter peccatum originale puniendum.

202. Ad hoc dicendum, probare quidem argumentum, quòd licet peccatum originale non fuisset præviſum, reprobare potuisset Deus propter illam generalem rationem ex providentia deductam: At non probat, quòd de facto ordo providentiæ non fuerit executioni mandatus etiam supposito peccato originali, ut modò dictum est; quia illo supposito voluit Deus permittere quosdam deficere à fine, ut ordo providentiæ servaretur, & ut peccatores puniret in ostensionem justitiæ suæ.

203. Alia duo opponi solent argumenta; alterum est, quòd permissio in peccatum originale sit effectus primus reprobationis secundùm S. Thomam: unde non potest secundùm eundem Doctorem Sanctum, peccatum originale esse causam reprobationis. Ad quod supra satis dictum est, permissionem in originale non esse primum effectum reprobationis, nec secundùm Sanctum Patrem Augustinum, nec secundùm S. Thomam, nec secundùm veritatem ipsam, & argumento, quod id suadebat, satis responsum fuit.

204. Alterum, in quo potissimè insistitur, est, quòd Sanctus Thomas 1. *par. q. 23. art. 3.* manifestè docet, quòd reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in peccatum, & inferendi damnationis pœnam pro culpa; & idem dicit, aiunt, solutione ad secundum: ergo secundùm Sanctum Thomam permissio primi peccati, propter quod reprobus damnatur, est effectus reprobationis illius: ergo peccatum originale, quod est post permissionem illam, non potest secundùm S. Thomam poni causa reprobationis.

205. Ad hoc responsum est supra, & nunc clariùs, & breviter respondemus, Sanctum Thomam per illa verba, *Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam*, intelligere, quòd in culpa præexistente relinquatur, & in ipsa obduretur; hanc enim esse illius mentem, inducta testimonia in præcedenti capite satis ostendunt, quibus dicit reprobare homines, fuisse eos in massa peccati originalis dereliquisse: ut autem includeret omnem reprobationem tam hominum, quàm Angelorum, illa verba apposuit dicendo, *includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam*, ut applicata ad Angelos intelligantur de voluntate permittendi quòd primò in culpam cadant; applicata verò hominibus intelligantur de voluntate permittendi, quòd obdurentur in culpa, & in illa eos relinquat, ut in particulari loquens super Paulum de hominum reprobatione expressit. Præcipuè quia illa verba, *cadere in culpam*, non semper sonant, quòd in culpam quis primò cadat, sed etiam quod in præhabita dimittatur. Sicut cum Ecclesia pro animabus existentibus in Purgatorio orat ne cadant in obscura, manifestè intelligit, non quòd cadant de novo, cum jam cecidisse supponat, sed quòd non detineantur, dimittantur, seu relinquantur in obscuris. Nec enim potest intelligi, orare Ecclesiam, ne animæ existentes in Purgatorio cadant de novo in alia obscura, sed ne in obscuris, in quæ jam ceciderunt, dimittantur. Sic ergo per illa verba Sancti Thomæ, *includit voluntatem permittendi cadere in culpam*, potest intelligi etiam voluntas dimittendi in culpa præhabita, cum potissimè expressè ipse non semel asserat, reprobare *homines*, fuisse, non quòd permitterentur cadere *in peccatum* originale, sed quòd in peccato illo *relinquerentur*, seu dimitterentur.

206. Et per hoc excluditur, *quod* ab aliquibus Teologis prætenditur, Deum in primo signo ante omnem peccati prævisionem intendisse manifestare vindicativam justitiam, & in secundo signo voluisse peccatum permittere ex *illo affectu*, & intentione suæ vindicativæ justitiæ. *Excluditur*, inquam, ex prædictis sententia *hæc*, quia cum vera doctrina stare minùs potest. Dato enim, & non concesso, quòd ante omnem peccati prævisionem Deus vellet, seu intenderet suam justitiam vindicativam, in illo & eodem signo, & illo & eodem actu dicendum esset, quòd simul vellet peccati permissionem, non verò in secundo signo, ut aiunt: in quo etiam in sententia sua minùs consequenter loquuntur; quod sic ostenditur. Ille actus, quo Deus vult, seu intendit in illo priori signo suam vindicativam justitiam, vel est actus intentionis, vel electionis; si actus intentionis, ut revera est: ergo intendit suam vindicativam justitiam per hoc medium, quod est permissio peccati; & *sic* justitiam vindicativam vult ut finem & *in recto*, permissionem verò peccati ut medium, & *in obliquo*: hoc enim est de ratione actus intentionis, ut in materia de actu intentionis Sanctus Thomas, & cum eo omnes affirmant; quod etiam Aristoteles, & omnis vera Philosophia docet. Si autem dicatur, quòd sit actus electionis, quod minùs benè dicitur, idem etiam concluditur: tunc enim dicere tenentur, quòd vult Deus permissionem peccati ad suam manifestandam justitiam vindicativam, quia hoc est de ratione electionis, ut simul velit medium propter finem; medium quidem in recto, finem autem in obliquo; quod etiam in materia de actu electionis notum est. Unde sive sit electionis actus, sive intentionis, semper permissio peccati includitur sive in recto, sive in obliquo in illo primo actu, ac primo signo, quo Deus vult suam justitiam vindicativam. Quod etiam in exemplis ab illis Authoribus allatis ad suam explicandam sententiam satis constat. Si enim, ut aiunt, vult Deus quædam bona educere ex permissione malorum: & quia vult sicut finem illa bona educere, ideo

Digitized by Google

ideo permittit mala, certum est, quòd uno & eodem actu, & in uno & eodem signo, quo vult educere illa bona ex permissione malorum, eandem malorum permissionem simul vult: educere enim illa bona, vult ut finem, quem intendit per permissionem malorum sicut per medium. Clariùs id etiam patet in alio ab iisdem adhibito exemplo. Dicunt enim quòd quia Deus vult in aliquibus magnam causare contritionem, ideò illorum peccata permittit. Manifestum est autem quòd eodem actu, & in eodem signo, quo Deus intendit ut finem, illorum pœnitentiam, & contritionem, vult simul ipsorum peccata permittere, quia illum finem intendit per hoc medium: si enim in primo signo voluit educere contritionem, quomodo non in eodem signo voluit id, quod contritio supponit, nempè peccati permissionem? licet enim viâ intentionis intendat Deus contritionem ut finem per peccati permissionem, quoad executionem tamen priùs est peccati permissio, quàm eductio contritionis.

207. In alio etiam prædicta sententia deficit, quia si in primo signo, ut aiunt, voluit Deus suam ostendere justitiam vindicativam, & immediatè in secundo voluit permittere peccatum; cum permissio peccati in his qui propter illud puniuntur, atque damnantur, effectus sit reprobationis, reprobationem utique supponit, vel quod idem est, primum actum *illius*, qui est exclusio à regno: non ergo vult Deus, ut aiunt, immediatè post intentionem suæ vindicativæ justitiæ peccati permissionem, sed immediatè reprobare vult, seu excludere à regno, & postea peccatum permittere. Diximus permissionem in peccatum propter quod quis damnatur, atque punitur justitiâ Dei vindicativâ esse effectum reprobationis, sive illa sit permissio ut in peccatum homo labatur, sicut fit in illis qui propter actualia peccata damnantur; sive sit permissio ut in peccato jam contracto perduret; sicut fit in illis qui propter originale damnantur: in quibus permissio in originale non fuit reprobationis effectus, ut efficaciter supra probavimus; sed permissio ut in illo jam contracto perdurent, est effectus reprobationis illorum.

208. Denique quod præcipuum est, relata sententia vera nullo modo censeri debet: quia justitia vindicativa Dei præsupponit sine dubio non solùm permissionem peccati, sed ipsum peccatum jam præviſum, & ab homine, qui puniri debet, jam factum, seu contractum: objectum enim justitiæ Dei vindicativæ est homo, seu creatura punienda, ut Angelos comprehendamus, non secundum se, sed ut peccatum habens seu actuale, seu originale. Unde si Deus intendit suam vindicativam justitiam, intendit utique vindicare, atque punire: ergo intendit vindicare, atque punire punitione dignum: ergo peccatorem intendit punire; iste enim est punitione dignus: & sic peccatum præsupponitur ad intentionem Dei intendentis suam vindicativam justitiam. Quod non obscurè Apostolus docet ad Rom. 9. illis verbis. *Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam: sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum &c.* Quibus docet, quòd Deus sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, volens per hoc, vel in hoc ostendere iram suam, id est justitiam vindicativam: ergo jam erant prævisa vasa iræ apta in interitum, ut ea Deus sustineret in multa patientia, & sic ea tantâ patientiâ sustinendo in eis ostenderet iram, id est, punitivam tandem justitiam. Unde Sanctus Thomas ad illa verba docet, quòd vasa iræ apta in interitum ideò erant, quia peccatum originale habebant, ex quo vasa iræ effecta sunt apta in interitum: & propter hoc originale peccatum reprobos odio habuit Deus, ut idem Apostolus præmiserat; in quibus proinde voluit ostendere iram suam, id est vindicativam justitiam per æternam damnationem, licet priùs eos in multa patientia sustinuerit.

209. Quod verò insuper dicunt authores relatæ sententiæ, & ex Caiet. & Ferrar. probant, permissionem in ipsum originale peccatum voluisse Deum, quia voluit ostendere suam justitiam vindicativam, nec stare cum veritate potest. Etenim permissio in peccatum originale non fuit medium ad ostendendam Dei justitiam vindicativam, nec in hunc finem ordinata, sed secundum Sanctum Patrem Augustinum, & D. Thomam fuit medium à Deo ordinatum ad prædestinandum Christum Dominum. Quomodo enim dicitur, fuisse medium illam permissionem ad ostendendam justitiam vindicativam, cum, quando Deus originale peccatum permitterere voluit, nondum ageretur de prædestinatione hominum, & multò minùs de malorum reprobatione, seu de justitia aliqua vindicativa. Etenim, ut iterum dicamus, originale peccatum permissum fuit, ut Christus Dominus in ejus remediũ prædestinaretur; sed in illo signo in quo Christus fuit prædestinatus in remedium peccati originalis, nondum agebatur, vel de bonorum approbatione, aut reprobatione malorum per justitiam vindicativam: ergo permissio illius originalis peccati non fuit ex intentione justitiæ vindicativæ. Minor probatur, quia Christus Dominus fuit primus prædestinatorum, & ejus prædestinatio causa fuit prædestinationis nostræ: in Christo enim, & per Christum prædestinati sunt cæteri. Unde hoc ordine, rationis signa in divina mente distinguenda sunt. Omnium primò voluit Deus Christum Dominum prædestinare per hoc medium, nempe per permissionem originalis peccati, ut in illius remedium prædestinaretur. In secundo signo in Christo, & per Christum voluit prædestinare, quotquot prædestinati sunt; quia Christi prædestinatio causa fuit, ut diximus, prædestinationis cæterorum. In tertio signo fuit facta aliorum reprobatio propter originale peccatum, cui prævisi sunt obnoxij: & sic fuit ostensio justitiæ vindicativæ in illis, ut ex Apostolo manet ostensum. Sed de hac materia, & causa, infra plura dicenda sunt, & explicanda.

CAPUT XIV.

Rationibus probatur peccatum originale fuisse reprobationis causam.

210. NON pluribus, sed unica fundamentali ratione ostenditur peccatum originale causam demeritoriam reprobationis de facto extitisse. Certum est enim, quòd originale peccatum est vera culpa, & sufficiens reprobationis causa si prævideatur ante reprobationem; sed fuit revera ante hominum reprobationem prævisum: ergo tale peccatum fuit de facto vera reprobationis causa: major patet, quia originale ponit in hominibus indignitatem, & positivam Dei inimicitiam: ergo si prævidetur ante reprobationem, prævidetur ut causans positivam indignitatem, ob quam homines reprobentur. Minor autem supra fuit abundè probata hoc argumento, quia peccatum fuit prævisum ante Christi prædestinationem; sed prædestinatio Christi fuit ante hominum prædestinationem, & reprobationem: ergo de primo ad ultimum peccatum originale fuit etiam prævisum ante hominum reprobationem. Quod rectè de primo ad ultimum deduci ibi satis probatum reliquimus, & ex modò inductis ex Sancto Thoma satis convincitur, qui originale peccatum verè à Deo prævisum sicut terminum à quo præmittit in prædestinatione nostra: ergo sicut terminus à quo præsupponitur ad

Digitized by Google

terminum ad quem, & ad motum, qui ab illo tendit in terminum ad quem; ita secundum Sanctum Doctorem originale peccatum præsupponitur ante prædestinationem nostram, quæ in divina mente ab illo sicut à termino à quo tendit in gratiam, & gloriam sicut in terminum ad quem. Itaque post prævisionem originalis peccati, in remedium ipsius Deus Christum prædestinavit, & in ipso, & per ipsum omnes prædestinatos ab illa massa damnationis ex misericordia eripuit; alios autem propter eandem damnationis massam reprobavit, in ipsaque dereliquit propter peccatum illud sub quo tenebantur obnoxij.

211. Huic argumento multipliciter à multis respondetur, haud tamen scio an sufficienter solvatur. Quidam negant antecedens, quòd peccatum originale fuerit prævisum ante reprobationem simpliciter, sed tantùm in genere quodammodo causæ materialis, sicut etiam tantùm in eodem genere causæ fuit prævisum ante Christi prædestinationem. Sed hoc stare non potest; quia Christi prædestinatio omnibus modis, & in omni genere causæ fuit prior quã nostra prædestinatio, & quàm malorum reprobatio: unde & peccatum originale, quod fuit prævisum ante Christi predestinationem, omnibus modis fuit prævisum ante hominum prædestinationem, & reprobationem. Secundò, quia licet gratis admittatur, originale peccatum fuisse tantùm prævisum in genere causæ materialis ante reprobationem, hoc sufficeret, ut propter illud in illo priori naturæ cognitum, homines reprobarentur; sicut sufficiens occasio fuit, ut propter illud delendum Christus prædestinaretur.

212. Alij dicunt, prædestinationem Christi tantùm fuisse priorem hominum reprobatione in genere causæ finalis, unde potuit esse, quòd in alio genere causæ reprobatio prior esset ipsa prædestinatione Christi, & peccati originalis prævisione; & ex consequenti licet peccatum originale fuerit priùs prædestinatione Christi, non fuit tamen prius quàm ipsa reprobatio. Quod sic explicant. Dicunt enim permisisse Deum peccatum originale non ut causam, sed ut effectum reprobationis ad ostensionem justitiæ suæ, & in gloriam Christi; & sic peccatum originale non fuisse causam roprobationis, sed sequutum ad primum effectum illius, qui prioritate quadam antecessit Christi prædestinationem. Verùm ista solutio non videtur sufficere; quia certum debet esse, omnibus modis, & in triplici genere causæ fuisse priorem in divina mente Christi prædestinationem nostrâ, quæ fuit effectus prædestinationis Christi, videlicet in genere causæ finalis, formalis seu exemplaris, & efficientis. Finalis enim causa nostræ prædestinationis est gloria Dei, prædestinatio Christi, ac vita æterna: exemplaris autem ipsa prædestinatio Christi, ad cujus exemplar aliorum prædestinationes fiunt: efficiens verò est ipse Deus, qui in Christo, & per Christum nos prædestinavit in laudem gloriæ suæ. Cum ergo in hoc triplici genere causæ Christi Domini prædestinatio sit causa prædestinationis nostræ, etiam ex consequenti est absolutè & simpliciter prior hominum reprobatione, quæ omnibus modis posterior fuit hominum prædestinatione: & hoc in præsenti supponendum videtur, quia reprobatio non fuit vel occasio, vel dispositiva causa ut Christus prædestinaretur, ut notum est: ergo in nullo priori antecedit in divina mente Christi prædestinationem. Patet consequentia, quia hac ratione docet S. Thomas, quòd peccatum originale fuit in aliquo genere causæ prævisum ante Christi prædestinationem, quia fuit occasio ut Christus prædestinaretur.

113. Præterea ista solutio ad mentem S. Thomæ non est, nec ab illius Discipulis potest assignari, qui docet permissionem in peccatum originale fuisse tantùm medium ut Christus prædestinaretur, non autem fuisse in illo priori ante prædestinationem Christi effectum reprobationis. Imò nec in sententia Sancti Thomæ potest dici, quòd in illo priori ante Christi prædestinationem fuerit permissio peccati originalis causa reprobationis; quia reprobatio & omnis ejus effectus omnibus modis fuit posterior in divina mente Christi prædestinatione, imò prædestinatione nostra; quod in superioribus satis ostendimus. Tandem ista sententia videtur contra Apostolum superiùs inductum: ostensum enim fuit, Apostolum docuisse, Esaü, antequam quidquam boni vel mali egisset, fuisse odio habitum propter peccatum originale prævisum. Non potest ergo dici, non fuisse peccatum originale prævisum ante reprobationem.

214. Unde in S. Thomæ sententia *hoc ordine* ista instantia videntur ordinanda. Omnium *primo* voluit Deus gloriam suam. Secundò voluit Christum prædestinare propter gloriam suam in remedium peccati, quod in genere causæ materialis fuerat priùs permissum. Tertiò in Christo, & per Christum quos voluit, prædestinavit in gloriam suam, & Christi Redemptoris ostendendo in illis bonitatem suam per modum misericordiæ. Quartò alios in peccato prævisos, propter illud, sicut propter demeritum voluit reprobare, ostendendo in illis bonitatem suam *per modum* justitiæ. Ultimò alios in peccato prævisos, propter illud, sicut propter demeritum *voluit reprobare*, ostendendo in illis iram, & *vindicativam* justitiam ad gloriam suam & Christi *Redemptoris*. Unde nec reprobatio, nec aliquis *effectus ejus* fuit aliqua ratione ante prædestinationem *Christii*.

215. Præterea, si reprobatio antecedit aliqua prioritate quasi materiali Christi Domini prædestinationem: ergo non solùm primus effectus illius erit in illa prioritate prævisus ante prædestinationem Christi, sed collectio *simul omnium* effectum erit prævisa secundùm *illam prioritatem* ante Christi prædestinationem: ergo priùs erit prævisa derelictio in peccato, & æterna omnium malorum damnatio, quàm Christi Domini prædestinatio; hoc autem non est dicendum: ergo nec illud primum. Prima consequentia constat, quia si reprobatio formalis antecedit in aliquo prioritatis signo prædestinationem Christi, absque dubio non solùm permissio in peccatum originale, quæ ponitur ab his authoribus primus reprobationis effectus, sed tota ipsa collectio effectuum illius in illo eodem priori signo rationis prior erit Christi prædestinatione.

216. Igitur hac solutione excluſa, alij Discipuli Sancti Thomæ admittentes illud primum antecedens, videlicet peccatum originale fuisse prævisum ante hominum reprobationem, negant consequentiam, qua infertur ipsum fuisse verè reprobationis causam, & ut tale fuisse à Deo ante malorum reprobationem prævisum. Dicunt enim, hac præcisa ratione fuisse prævisum ante Christi prædestinationem, & malorum reprobationem, in quantum videlicet considerabatur ut id, in cujus remedium Christus prædestinabatur.

217. Sed solutio ista quamvis magis apparens sit, non tamen videtur satisfacere; nam quamvis prævisio peccati originalis considerata, & comparata in illo priori ad Christi prædestinationem, solùm consideretur ut id, in cujus remedium Christus prædestinatur, nec in illa prævisa consideratione aliam habeat rationem; comparatum tamen illud peccatum prævisum post prædestinationem Christi, & ante reprobationem malorum, ad ipsorum reprobationem, jam consideratur absque dubio ut indignitas positiva, & ut demeritoria causa gratiæ & gloriæ: ergo consi-

Digitized by Google

consideratur ut reprobationis causa. Patet consequentia, quia cum agebatur de reprobatione, & de exclusione à gloria, fuit in hominibus prævisa originalis macula: ergo prævisa fuit ut ratio reprobationis; quia considerata tunc fuit à Deo secundum id quod sibi proprium erat; erat autem sibi proprium illam esse positivam culpam, hac punitione dignissimam, ut videlicet per illam homines reprobarentur, & à regno excluderentur: ergo sic considerata & prævisa à Deo, fuit reprobationis causa. Itaque aliter comparatur originale peccatum cum Christi Domini prædestinatione, & aliter cum malorum reprobatione: cum prædestinatione enim Christi comparatur sicut id, in cujus remedium Christus prædestinatur: at post Christi Domini prædestinationem, & post nostram per illum prædestinationem, (qua per Christum à peccato liberati sumus) cum venitur in alio rationis signo ad hominum reprobationem, comparatur & consideratur peccatum originale in illis secundum id quod sibi proprium est, quòd est reddere homines illos verè filios iræ, & verè indignos, ac inimicos Dei; quos propterea ob talem indignitatem peccati justo judicio Deus reprobat, volens illos in tali peccato relinquere.

218. Insuper iste secundus dicendi modus, quem impugnamus, contra inducta Sancti Thomæ testimonia procedit; quia Sanctus Thomas pro certo habet, quòd Deus justo judicio reprobavit, volens ob peccati originalis maculam quosdam in illo relinquere; quod illo suo inducto exemplo de duobus offendentibus Regem satis declaravit, uni enim est misericors offensam remittendo; alteri autem est justus, illum ob culpam puniendo. Igitur docet quòd originale peccatum prævisum justa causa fuit ob quam à regno excluderentur, qui reprobati manserunt. Tandem iste modus dicendi sicut & primus literæ Apostoli superius inductæ adversari videtur: Apostolus enim, ut litera habet & Sanctus Augustinus, & Thomas exponunt, apertè docet Esaü, & reprobatos per illum significatos, fuisse à Deo odio habitos propter peccatum originale, antequam quidquam boni, vel mali in particulari egissent. Non potest ergo dici, non fuisse de facto peccatum originale causam reprobationis, cum ab Apostolo causa ponatur, ob quam ita sint reprobati, quòd odio sint habiti: hoc enim non intelligitur nisi ob peccatum originale.

219. Et per hoc excluditur aliud, quod alij affirmant, fuisse videlicet peccatum originale sufficientem causam reprobationis, cum à Deo ante reprobationem prævidebatur; non autem fuisse de facto causam ob quam Deus homines reprobavit. Constat enim jam ex modò dictis, quòd si illam culpam originalem ante reprobationem Deus prævidit, illam prævidit ut demeritoriam causam gloriæ; & ex consequenti propter illam exclusit à gloria, reprobando. Item quia asserere, peccatum originale à Deo ante reprobationem prævisum, verè esse sufficientem reprobationis causam, non tamen de facto illam voluisse Deum acceptare ut causam reprobationis, gratis omninò dicitur. Quomodo enim, si peccatum fuit verè prævisum ante reprobationem cum positiva indignitate sufficienti ad reprobandum, noluit Deus propter illud reprobare? Certè qui hoc dicunt, ideò id affirmant, quia irrefragabile putant illud argumentum, quod fit de reprobatis, quibus dimissum est peccatum originale; non enim videtur posse concipi quòd fuerint propter peccatum originale reprobati. Cæterum constituendo peccatum originale esse radicalem causam reprobationis, non formalem & proximam (ut jàm supra tetigimus, & abundantiùs in solutione argumentorum dicemus) argumentum illud satis solvitur. Unde propter illud non debet concedi id, quod fundamentum non habet, dicendo peccatum originale fuisse prævisù ut causam sufficientem reprobationis ante reprobationem ipsâ, & tamen non fuisse à Deo prævisum ut reprobationis causam. Tandem quia argumentum, quod sæpiùs ex Apostolo repetitum est, contrarium omninò suadet, seu potiùs convincit: docet namque Apostolus, de facto Esau, & reprobos per illum significatos odio habitos à Deo fuisse, antequam quidquam boni vel mali egissent: quod odium propter peccatum originale fuisse, intelligendum est; quia nisi propter illud, ut Augustinus sæpè exponit, nec odio poterant haberi, antequam quidquam boni, vel mali in particulari egissent.

220. Concludendum est ergo istud argumentum, peccatum originale fuit à Deo prævisum ante reprobationem; ergo fuit de facto causa reprobationis, urgentissimum esse. Præterea, si homines prævisi essent in gratia ante illorum prædestinationem, optimè sequeretur, quòd propter illam essent ad gloriam prædestinati, nec dici posset in tali casu non esse homines prædestinatos propter præcedentem gratiam: pari ergo ratione, si homines prævidenter cum peccato originali, & positivâ maculâ, & inimicitiâ ante reprobationem, dici non potest, si consequenter loquamur, quòd non fuerint de facto reprobati propter illud. Et sicut sine fundamento, in priori casu diceretur, quòd licet gratia esset sufficiens causa prædestinationis ad gloriam, tamen de facto Deus illos propter illam non prædestinaret; ita & sine fundamento dicitur, quòd licet originale peccatum sit prævisum ante reprobationem, & sit secundum se sufficiens reprobationis causa, de facto tamen nolit Deus propter illud homines reprobare.

221. Accedit quòd ista sententia (quæ ut diximus & probavimus, Sancti Augustini est, & S. Thomæ) magis suavem ostendit Dei prædestinationem, & reprobationem, magisque Dei misericordiam in prædestinatis hominibus, & justitiam in reprobis manifestat, dum illi à massâ perditionis ex sola misericordia prædestinantis eripiuntur; & isti justè in eadem corrupta massa reprobi relinquuntur. Magis etiam à sententia Calvini distat, qui tam prædestinationem, quàm reprobationem ante peccatum originale constituit.

222. Quod verò quidam Sancti Thomæ Discipuli dixerunt, fieri quidem reprobationem propter originale peccatum, non in omnibus reprobatis, sed in his tantùm, quibus originale peccatum remissum non fuit, non verò in his quibus fuit remissum, sustineri non potest. Primò, quia ut manet ostensum ex S. P. Augustino, & D. Thoma originale peccatum reprobationis omnium demetoria causa fuit; ipsorum enim doctrina est æquivalens universali: unde in illorum sententia non hæc tantum reprobatio, sed omnis reprobatio actus justitiæ punitivæ, sive vindicativæ est puniens originale peccatum. Secundò reprobari debet sententia illa; quia non unam & eandem reprobationem respectu omnium constituit, & uno modo factam; quod nec satis intelligi potest: cum enim prædestinatio electorum facta fuerit ex massâ humani generis per peccatum originale corrupta, ut sæpiùs ex Sancto Thoma ostensum est; liquet, quòd aliorum reprobatio prædestinationi oppositæ facta fuerit in omnibus reprobis ob illud idem originale peccatum prævisum; à cujus corruptionis massa per divinam misericordiam electi & separati non sunt. Unde sicut S. Thomas 1. p. q. 23. ad 3. prædestinationem ut sic, sive omnium electorum dixit esse actum divinæ misericordiæ, parcendo; ita reprobationem oppositam, omnium videlicet reprobatorum, decuit

Digitized by Google

esse actum divinæ justitiæ punitivæ, seu vindicativæ: reprobando ergo Deus vindicat & punit peccatum; non actuale, quia hoc non est causa reprobationis in aperta sententia Sancti Thomæ: ergo originale. Nullius ergo reprobati fit reprobatio nisi propter originale peccatum, aliàs falsum esset reprobationem ut sic esse actum justitiæ punitivæ.

223. Præterea id patet, quia aliàs postquam Deus quos voluit prædestinavit ex originalis peccati massa, & aliquos, quibus originale peccatum remissum non fuit, ob id reprobavit, expectare debuit ut aliis remitteret originale, ut eo in illis remisso, eosdem reprobaret: tunc vel illos reprobavit ex prævisione alicujus actualis, vel sine tali prævisione: si hoc secundum detur: ergo reprobatio non fuit in illis actus justitiæ vindicativæ; quod est contra Sancti Thomæ doctrinam: si primum concedatur: ergo illos reprobavit ex præviso actuali peccato; quod etiam est contra sententiam Sancti Thomæ illa citata solutione ad tertium, in qua actualia peccata negat fuisse reprobationis causam.

224. Tandem in illo sæpiùs repetito Apostoli testimonio. *Antequam quidquam &c.* usque ad illa verba *odio habui*, quatuor manifestè proponuntur. Primum quòd Deus odio habet quos reprobat; quod naturæ sine peccato convenire non potest, hæc enim à Deo odio non habetur. Secundum quòd eos odio non habet propter actualia peccata, quæ semel, & iterum in illo testimonio negavit dicens *antequam quidquam boni vel mali egissent*, & iterum, *sine operibus*. Tertium quòd eos odio habuit propter originale, quod subjungens exposuit illis verbis, *quòd si Deus volens ostendere iram suam*. Quartum & ultimum, quòd Esaü cui remissum per circuncisionem originale peccatum fuerat, odio est habitus, & reprobatus propter tale peccatum.

225. Hoc ergo Apostoli testimonio, si consideretur, satis constat, omnem & quemcunque reprobatum, sive ei fuerit remissum peccatum originale, sive non (omnis enim reprobus per Esaü in supradicto Apostoli testimonio figuratur, & intelligitur; sicut omnis prædestinatus per Jacob) odio fuisse à Deo habitum, & reprobatum, non ex mera & sola Dei voluntate sine aliquo peccato præviso (quia tunc odio habita fuisset pura hominis natura) nec etiam propter actualia peccata, quæ tam manifestè ab Apostolo negantur, sed propter peccatum originale, ob quod justè omnis reprobatus fuit odio habitus, sicut Esaü, qui, ut iterum dicam, fuerat per circuncisionem originale dimissum, sicut & fratri suo Jacob.

CAPUT XV.

Solvuntur rationes in oppositum.

226. TRIA potissima argumenta sunt, quæ prædictam doctrinam Sancti Augustini, & Sancti Thomæ impugnant. Opponitur enim primò sic. Omnis permissio in peccatum, propter quod quis damnatur, est reprobationis effectus: ergo peccatum originale non potuit esse causa talis permissionis: ergo nec causa potuit esse talis reprobationis. Consequentiæ certæ sunt: antecedens probatur; quia permissio in originale peccatum fuit effectus divinæ providentiæ ordinantis permissionem illam in supernaturalem finem, videlicet in ostensionem divinæ justitiæ: ergo fuit ordinata à Deo illa permissio in finem reprobationis: ergo fuit illa permissio reprobationis effectus. Patet ista consequentia, quia id, quod per se ordinatur in reprobationis finem, sine dubio inter effectus reprobationis debet computari.

227. Secundum argumentum est ex doctrina Sancti Thomæ 1. par. quæst. 23. art. 3. desumptum, ubi agens de reprobatione docet illam esse actum divinæ providentiæ: non ergo erit actus justitiæ vindicativæ. Si autem reprobatio ponatur facta ob originale peccatum, procul dubio reprobatio non providentiæ, sed vindicativæ justitiæ actus erit; quod cum allata Sancti Thomæ doctrina minùs convenit. Hoc magis ex eodem loco confirmatur. In ipso enim Sanctus Doctor apertè docet, voluntatem permittendi cadere in culpam includi in reprobatione. Verba ejus sunt. *Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa:* ergo permissio cadendi in originale peccatum effectus fuit reprobationis in illis, qui ob originale damnati sunt: ergo originale peccatum non potuit esse causa reprobationis, cum non possit esse causa permissionis in idem peccatum, ut est apertissimum. Et ratione eadem nec causa esse potest reprobationis omnium aliorum; quia originale peccatum, vel reprobationis omnium causa fuit, vel nullorum; quod modò supponimus.

228. Duobus his argumentis statim respondendum est, ut tertio difficiliori, quod in hac materia premit magis, commodiùs & diffusiùs postea satisfiat. Ad primum ergo dicendum est sicut supra, permissionem in peccatum originale effectum reprobationis non fuisse, nec in sententia Sancti Thomæ *id* posse affirmari, qui tantùm docet illam *permissionem* cadendi in peccatum originale, à Deo *ordinatam fuisse* ut medium ad Christi Domini prædestinationem; & hac ratione à Deo volitam fuisse: unde effectus fuit divinæ providentiæ supernaturalis ordinantis permissionem illam in supernaturalem finem, non quidem in ostensionem divinæ justitiæ, ut argumentum intendit, sed in prædestinationem Christi, ut dictum est. Quare neganda est illa major, quòd omnis permissio in peccatum pro quo quis damnatur, sit reprobationis effectus: vel distinguenda. Omnis permissio in purum actuale peccatum conceditur: omnis permissio in originale negatur, rationibus supra inductis, quæ & efficacissimæ sunt.

229. Ad secundum non est difficile respondere, atque salvare, quòd reprobatio hominum sit actus divinæ prouidentiæ, & simul quòd qui reprobati sunt, ob originale manserunt reprobi. Benè enim utrumque cohæret, & utrumque simul Sanctus Thomas in prælegata *q. 23. art. 1. 3. & 5.* non obscurè proposuit. Sicut enim in oppositio *art. 3.* dixit reprobationem actum esse divinæ providentiæ, ita in *art. 1. ad 3.* & *art. 5. etiam ad 3.* docuit Deum ex *hominibus* æqualibus & in natura, & in peccato originali, *quosdam* prædestinasse per modum misericordiæ, parcendo; & quosdam reprobasse per modum justitiæ, puniendo. Quantùm ad hoc ergo Sanctus Thomas docet reprobationem esse actum divinæ providentiæ; quia non omnes homines æquales in natura, & in peccato originali prædestinavit, sed quosdam permisit deficere à prædestinationis fine, eos reprobando: cum quo tamen optimè stat, quòd qui in particulari reprobi manserunt, ob peccatum originale reprobati fuerint. Sicut si duo eodem modo offendissent Regem, & ipse vellet providentiâ suâ ostendere & misericordiam, & justitiam in illis duobus; & alteri parcere, offensam remittendo; & ab altero debitum exigere, pœnam infligendo; esset sine dubio ibi actus providentiæ in quantum suâ providentiâ ita puniret, ut etiam misericordiam exhiberet: & misericordiæ attendendo, & etiam justitiæ, providentiam suam manifestaret. Rursus in eo cui offensam remitteret, misericordia esset; in eo autem à quo debitum exigeret, justitia. Similiter quod in genere, aliqui homines

sint

sint reprobi, & non omnes prædestinati actus est divinæ providentiæ. Quod autem illi homines qui rereprobantur, ex culpa sua reprobentur, non tam ad providentiam pertinet, quàm ad vindicativam justitiam: sicut per oppositum licet actus sit divinæ providentiæ, quosdam prædestinare, & non omnes reprobare; tamen quod isti sint prædestinati, actus est eximiæ misericordiæ. Et ratio hujus est, quia dummodò aliqui sint reprobati, & omnes non sint prædestinati, satisfit divinæ providentiæ, sive illi qui reprobantur, ex peccato originali reprobentur, sive non.

230. Vel secundò dicatur, & ut crediderim rectiùs, actum esse divinæ providentiæ permittere quosdam à fine deficere propter originale peccatum, sicut Sanctus Thomas docet citato art. 3. sed illum actum includere ex parte subjecti, & quasi matetialiter actum justitiæ excludentis illos à regno propter peccatum originale; ita quòd ille actus justitiæ, qui est reprobare propter peccatum originale, habeat se ut materiale respectu actus divinæ providentiæ, qui est permittere aliquos deficere à fine: accidit enim & materialiter se habet ad actum divinæ providentiæ, qui est permittere quòd aliqui à fine deficiant, quòd illi qui sic deficere permittuntur, permittantur deficere ex sola divina voluntate sine aliqua causa ex parte ipsorum, sicut fuit in Angelis; vel quòd permittantur deficere ob originalem culpam, ut fit in hominibus. Unde Sanctus Thomas attendens ad id quod formale est in illo actu, & non ad materiale, dixit illum esse actum divinæ providentiæ: nec est novum quòd aliquando in uno & eodem actu, in quo est duplex bonitas, vel malitia, ad diversas virtutes, vel vitia spectans, altera se habeat materialiter respectu alterius. Sicut in actu furti propter mœchiam, deformitas furti & ejus formalis malitia contra justitiam exercita se habet materialiter respectu mœchiæ, quæ est finis à quo formaliter specificatur actus ille: sic ergo permittere aliquos deficere à fine etiam ob originale peccatum est formaliter actus providentiæ, ut S. Thomas docet illo articulo tertio: sed justitia quæ ibi intervenit excludens illos à regno propter originalem culpam, materialiter se habet ad specificationem actus providentiæ. Qua etiam ratione in opposito actu prædestinationis, qui etiam est formaliter actus divinæ providentiæ ordinantis homines in vitam æternam, materialiter se habet magna illa misericordia, qua à massa damnationis eripiuntur, ratione facta. Et hæc est sine dubio sententia Sancti Thomæ 1. *par. quæst.* 23. *art.* 1. *ad* 3. dicentis, quòd non à termino à quo, sed à termino ad quem actus specificatur, nec ab eo quod se tenet ex parte subjecti, & materialiter: quæ solutio Sancti Thomæ ibi videnda est, & ad hoc propositum applicanda.

231. Potest & tertiò responderi, ideò S. Thomam dixisse reprobationem esse actum divinæ providentiæ, quia de reprobatione loquebatur, ut etiam se extendit ad Angelos, qui non ex præsuppositâ culpa reprobati fuere: quæ divina providentia etiam in hominibus idem omninò disponeret, etsi in illis nullum peccatum inveniret: at de facto in hominibus, & ista ratio reprobationis fuit, & alia etiam, quæ ex peccato originali, in quo astricti tenebantur, desumitur, ut dictum est supra.

232. Ad confirmationem dicendum, quòd cum Sanctus Thomas docet, reprobationem includere voluntatem permittendi cadere in culpam, intelligit lapsum in culpâ, sive de novo in illam cadere permittat Deus, sive in illa derelinquat, ut sic reprobationem Angelorum ex primo capite tradat, & hominum ex hoc secundo: hanc enim esse illius doctrinam, & mentem ostendunt; primò quæ ex ipso allata sunt supra, quibus expresse docuit reprobationem hominum fuisse eos derelinquere in miseria originalis peccati; quia enim in illo articulo tertio de reprobatione loquebatur, etiam secundùm quod ad Angelos extenditur; ideò illa verba apposuit *Voluntatem permittendi cadere in culpam*; quæ utrisque facilè possunt adaptari. Deinde id constare potest, quia ad intentionem Sancti Thomæ sufficit, quòd voluntas derelinquendi in peccato, infligendi pœnam pro illo, includatur in reprobatione; imò voluntas infligendi pœnam immediatè derelictioni in peccato correspondet: nam si quis permittatur in peccatum cadere, dummodo in ipso non derelinquatur, nec voluntas inflictionis pœnæ correspondet. Cum ergo Sanctus Thomas utrumque effectum reprobationis numeret, videlicet permissionem cadendi in peccatum, & inflictionem pœnæ; restat ut per permissionem cadendi in peccatum, potissimè intelligat derelictionem in peccato usque in finem: quod est formale & immediatum, cui correspondet inflictio pœnæ

233. Nec est facienda vis in verbo *permissio cadendi in culpam* quod propriè sonare videtur, quòd in illam de novo cadere permittat. Si enim, ut diximus supra, Ecclesia in sanctissimo Missæ Sacrificio pro defunctis jam in Purgatorio existentibus Dominum exorans precatur *ne cadant in obscura*, & per hæc verba non intendit orare, quòd de novo non cadant in obscura illa, vel alia, quia hoc impossibile est; sed tantùm intendit quòd in illis obscuris, in quibus jam sunt, non derelinquantur, vel diù remanere permittantur; & hoc rectè exponit per verba illa *ne cadant in obscura*: rectè etiam Sanctus Thomas per illa alia similia *permissio cadendi in culpam*, intelligere potuit non solùm permissionem cadendi de novo in culpam, sed permissionem derelictionis in ipsa: Imò ut omnis difficultas præcludatur, ipse Sanctissimus Præceptor in eodem articulo se exposuit, & quod in corpore dixerat voluntatem permittendi cadere in culpam, in solutione ad secundum nominavit derelictionem à Deo, dicens *Reprobatio verò non est causa ejus quod est in præsenti, scilicet culpæ; sed est causa derelictionis à Deo. Est tamen causa ejus quod redditur in futuro scilicet pœnæ æternæ.* Quibus verbis est manifestum, quòd per permissionem cadendi in culpam intelligit derelictionem à Deo; vel qua à Deo derelinquitur ut in culpam de novo cadat, vel qua derelinquitur in ipsa jam commissa.

234. Opponunt etiam aliqui, quòd si ideò peccatum originale est causa demeritoria reprobationis, quia præviśum fuit ante Christi Domini prædestinationem & nostram, ac malorum reprobationem; etiam actualia peccata erunt causa reprobationis; quia etiam ipsa prævisa fuerunt ante prædestinationem Christi, & prædestinationem & reprobationem hominum. Insistunt autem, quòd fuerint peccata omnia actualia prævisa ante Christi prædestinationem, ac per consequens ante reprobationem hominum, ut dicant, quòd ipsa peccata crucifigentium Christum prævisa ante ejus prædestinationem fuerint.

235. Ut autem ab hoc ultimo incipiamus, non videtur possibile, quòd illa actualia peccata crucifigentium Christum Dominum fuerint prævisa ante ejus prædestinationem. Etenim cum illa actu exercebantur, supponebant Christum, ut est apertissimum: ergo illorum permissio, atque prævisio supponebat in divina mente prædestinationem Christi: ergo ante illam nullo modo prævidebantur. Patet secunda consequentia, prima etiam manifesta est. Quia ita Deus permittit peccata fieri in tempore, sicut ab æterno præordinavit permittere: ergo si in tempore permittebantur exerceri contra Christum, quem supponebant

Digitized by Google

nebant, nec aliquâ ratione poterant antecedere ipsum Christum; ita ab æterno permissa fuerunt, atque prævisa post Christi prædestinationem: igitur prædestinavit Deus Christum crucifigendum, & per crucem Christi mundum redempturum, & ad istum finem permisit peccata crucifigentium, & usus est illorum malitia, atque peccato, ut prædestinatio Christi per crucem impleretur: non ergo dici potest, quòd peccata crucifigentium fuerint prævisa ante Christi prædestinationem. Imò nulla actualia peccata sic prævisa fuerunt ante prædestinationem Christi, & hominum prædestinationem, atque reprobationem. Si enim ante hominum reprobationem prævisa fuissent, utique illa essent causa reprobationis; quod tamen asserere repugnat illis Apostoli verbis *antequam quidquam boni, vel mali egissent &c.*

236. Dicendum est ergo, quòd sicut Christus Dominus principaliter prædestinabatur in remedium peccati originalis, quod tenebat totum humanum genus infectum, ita hoc tantùm originale peccatum fuit prævisum, ut occasio prædestinationis Christi: prædestinato autem Christo in remedium originalis peccati, etiam secundariò, & ex consequenti fuerunt prævisa peccata actualia, à quibus etiam secundariò & ex consequenti Christus quos voluit, liberavit. Unde nec Sanctus Pater Augustinus, nec Sanctus Thomas unquam dixerunt fuisse prævisa peccata actualia ante Christi prædestinationem, sed tantùm id de originali dixerunt: si autem & illa prævisa fuissent, non dubium quin diminutam doctrinam illi Sancti Doctores tradidissent.

CAPUT XVI.

Difficile solvitur argumentum, & materia hæc amplius elucidatur.

237. DIFFICILE autem argumentum (quod ab aliquibus in hac parte insolubile reputatur, & propter quod communiter à sententia S. Augustini jam explicata receditur, & quod in hac parte Achilles videtur contra Sancti Augustini sententiam) tale est. Multis ex hominibus reprobatis remissum fuit uerè & actualiter peccatum originale per baptismum, ut patet de baptizatis qui damnantur: ergo peccatum originale non potest esse in illis reprobationis causa. Consequentia patet, quia si in illis peccatum originale est causa reprobationis: ergo est causa totius effectus reprobationis ipsorum: ergo est causa damnationis æternæ, qui est ultimus effectus reprobationis. Consequentia utraque est manifesta, quia ut sæpè dictum fuit, quod est causa reprobationis, est causa totius reprobationis effectus à primo usque ad ultimum; sed nullo modo dici potest, quòd peccatum jam remissum in homine baptizato sit causa æternæ damnationis: ergo nec dici potest, quòd sit reprobationis causa in baptizatis qui damnantur. Minor constat ex Concilio Thridentino *sess. 5. decreto de peccato originali*, ubi dicitur. *In renatis nihil odit Deus, quia nihil est damnationis his, qui verè consepulti sunt cum Christo per baptismum in mortem.*

238. Quòd si dicatur originale peccatum in illis non esse causam æternæ damnationis, ut argumentum probat, sed esse causam aliorum effectuum reprobationis. Contra urget argumentum, quia nec etiam aliorum effectuum reprobationis causa est; quia derelictionis in peccato actuali, propter quod quis damnatur, peccatum originale jam remissum causa non est, eadem ratione modò facta, quia videlicet jam totaliter remissum fuit; imò ipsum peccatum actuale causa est justæ derelictionis in illo. Jam ergo peccatum originale remissum causa non est, nec æternæ damnationis, nec derelictionis in peccato actuali. Dices esse causam permissionis in tale actuale peccatum. Sed hoc etiam dici non potest ratione prorsus eadem; quia peccatum originale totaliter remissum non potest esse causa permissionis in actuale peccatum, aliàs totaliter remissum non videretur. Igitur nec primi, nec secundi, nec ultimi effectus reprobationis potest peccatum originale remissum esse causa: convincitur ergo quòd causa reprobationis non sit.

239. Antequam huic argumento respondeamus; tria certissima fundamenta ab omnibus firmanda, ac supponenda sunt. Primum est, omnibus baptizatis non ponentibus obicem verè ac totaliter remissum esse peccatum originale quoad omne, quod rationem culpæ habet, & quoad omnem reatum pœnæ æternæ: itaque nunquam infertur pœna damnationis æternæ pro illo originali peccato jam dimisso. Veritas ista ad fidem pertinet, ut ex multis locis Apostoli fit manifestum, & ex Concilio Tridentino citato satis comprobatur. Apostolus enim ad Rom. 8. docet *quòd nihil damnationis est his qui sunt in Christo Jesu: qui non secundum carnem ambulant*, ubi manifestè loquitur de damnatione debita peccato originali, quæ totaliter auferturin baptizatis per gratiam Jesu Christi: quamvis maneat in eis concupiscentiæ fomes, ut ibi Apostolus tradit. Unde hoc, quod est fideles concupiscere; non est in eis signum damnationis ob originale peccatum, sicut est in infidelibus. Et *iste est sensus* Apostoli in illo loco, qui etiam *traditur* à Concilio Tridentino citato.

240. Secundum fundamentum est, manere nihilominùs in homine per gratiam baptismalem justificato effectum peccati originalis, etiam quatenùs effectus peccati est, videlicet ipsam concupiscentiam, & peccati fomitem (dimisso etiam originali peccato) inclinantem hominem ad peccatum, licet concupiscentia talis nullo modo peccatum sit, sed effectus & pœna peccati, ut manifestè docet idem Tridentinum Concilium eadem sess. 5. de peccato originali. Et ratio hujus est, quia ut Sanctus Thomas dicit 1. 2. q. 109. art. 9. *Humana natura licet per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem, per quam servit legi peccati, ut dicitur ad Rom. 7.*

241. Tertium fundamentum, quod ex primo sequitur, est, peccatum originale in baptizatis reprobis non posse esse proximam, & immediatam causam damnationis æternæ, imò nec totius reprobationis, id est omnium effectuum ejus, videlicet permissionis in actuale, derelictionis in ipso, & damnationis æternæ; nec hoc unquam dixit, aut insinuavit Sanctus Augustinus, aut Sanctus Thomas, ut supra manet explicatum. Omnibus enim manifestum est, quòd sine errore id dici non potest: quantò ergo magis illud non dixisse Sanctum Augustinum credendum est. Vnde hoc tanto Doctori tribuere, vel de illo hoc suspicari, sine maxima ejus injuria non fit: nunquam ergo docuit Sanctus Augustinus nec sensit, peccatum originale in omnibus hominibus totius reprobationis esse immediatam, ac proximam causam.

242. His suppositis, ad argumentum sit prima solutio, dicendo prout jam explicatum est, non fuisse originale peccatum solam, & adæquatam reprobationis causam; quia ex duplici titulo Deus homines reprobavit, & titulo indebitæ gratiæ, sicut in Angelis factum est; & titulo debitæ punitivæ justitiæ propter originale peccatum: cum autem post primum actum

Digitized by Google

actum quem Deus habet circa reprobos dimissum est aliquibus reprobis peccatum originale, jam tota ejus demeritoria causalitas finita est; unde primi effectus reprobationis, qui est permissio in peccatum, originale peccatum causa non est, sed hujus effectus est causa titulus indebitæ gratiæ, quæ sicut à principio etiam causa fuit reprobationis, pariter causa est permissionis in peccatum, sive negationis auxilij, quod utique debitum etiam non est. Itaque cum utraque causa simul concurreret ad reprobandum, & indebita gratia, & debita justitia per originale peccatum; utraque immediata causa fuit tenens se ex parte hominis ad hoc, quòd Deus primũ actum quo reprobos à regno excluſit circa illos habuerit: & utraque ex seipsa erat prima, & radicalis causa respectu subsequentium omnium effectuum reprobationis: sed dimisso per baptismum postea peccato originali in aliquibus reprobis, jam peccatum originale non manet, nec aliqua ejus causalitas, nec virtus ob quam Deus inducat super eos reliquos effectus reprobationis: unde permissio in peccatum actuale propter quod reprobus ille damnatur, non fit propter originale, sicut propter primum causam, & radicem; sed fit propter aliam causam, nimirum propter titulum indebitæ gratiæ. Quoties enim ad aliquem effectum duplex causa concurrit, quarum quælibet illum effectum sufficienter potest producere; si altera auferatur, ex altera manente ille effectus effici potest. Unde hac solutione dicendum est, quòd in reprobis baptizatis peccatum originale fuit sufficiens immediata, & proxima causa ex parte ipsorum, ut Deus illos à regno excluderet, quæ exclusio est primus actus reprobationis, formalem reprobationem antecedens: quare peccatum originale ex se dicebat ordinem, sicut prima & radicalis causa ad cæteros omnes reprobationis effectus: sed quia postea totaliter dimissum fuit per baptismum, nullo modo causat etiam ut prima & radicalis causa reliquos effectus reprobationis, sed ex alia causa nunc explicata illi effectus consequuntur.

243. Secundò respondetur, concedendo, in bono sensu statim explicando, peccatum originale etiam in reprobis baptizatis fuisse primam, & radicalem causam totius reprobationis ipsorum. Quomodò autem originale peccatum sit prima radix reprobationis, omissis explicationibus aliis, quæ 1. par. quæst. 23. art. 3. solent à discipulis Sancti Thomæ adhiberi, hoc modo intelligi, & explicari debet. Quod videlicet peccatum originale fuerit causa demeritoria, & illa quidem proxima & immediata ob quam Deus voluerit omnes homines, qui reprobati sunt, excludere à regno: quæ voluntas excludendi à regno, cum sit voluntas circa finem, essentialiter præsupponitur ad formalem, & essentialem reprobationem, quæ actus providentiæ est, ut diximus supra: habita autem in Deo hac firma voluntate excludendi homines à regno, ex vi hujus firmi propositi divinus intellectus practicùs in secundo rationis signo ordinavit media per quæ de facto excluderentur: & in quibusdam ordinavit, eos derelinquere in eodem peccato originali, & propter illud eos pœna damni damnare: in aliis autem ordinavit, eos in peccato originali relinquere, permittendo quòd insuper alia adhibeant actualia, & propter omnia, eos æterna morte punire: in aliis verò propter altissima, & incomprehensibilia sua judicia ordinavit, eos ad tempus justificare, & à peccato originali eruere, & nullo modo propter ipsum eos damnare; ordinavit tamen, ut primum decretum de exclusione à regno impleretur, permittere illos in actualia peccata cadere, in eis eos derelinquere, & propter illa illos immediatè damnare: cum ergo permisso in actuale peccatum, qui primus effectus reprobationis est in illis hominibus, immediatè ac proximè fiat propter adimplendum decretum divinum de exclusione à regno, sicut propter proximam & immediatam causam; & illud decretum propter peccatum originale habitum fuerit, ideò hac ratione dicitur peccatum originale fuisse primam reprobationis radicem.

244. Sed nunc premit argumentum. Quia jam peccatum originale admittitur prima radix, primaque causa demeritoria ipsius formalis reprobationis: erit ergo prima radix, & causa primi effectus illius, nempe permissionis in actuale peccatum, secundum quod talis permissio est primus reprobationis effectus: ergo jam peccatum originale dimissum influit sicut prima radix in hominẽ baptizatum quantùm ad hoc, quòd ille permittatur cadere in peccatum, propter quod est damnandus: quod est causare magnum malum in homine baptizato, post quam illi est totaliter dimissum; quod sine dubio difficultatem magnam facit. Quod clariùs apparebit, si per manifestam deductionem ascendamus ad investigandam hanc primam reprobationis radicem dicendo: ideò iste baptizatus damnatur, quia in peccato actuali mortuus est: idcò autem in actuali mortali mortuus est, quia justè in illo à Deo derelictus est: ideò autem in illo fuit derelictus, & non ab eo mundatus sicut alij; quia permissus fuit in illud cadere, permissione quæ fuit primus reprobationis effectus: ideò autem permissus fuit cadere; quia absoluta voluntate & efficaci decreverat Deus illum à regno excludere: ideò autem voluit Deus illum à regno efficaciter excludere, quia peccatum originale habebat: ergo de primo ad ultimum prima radix ob quam Deus induxit super baptizatum omnem effectum reprobationis fuit originale peccatum; quod cum perfecta remissione illius cohærere non potest.

245. Ad hoc dicendum, originale peccatum esse in baptizatis primam radicem, & causam primi effectus reprobationis, & totius processus illius posse intelligi dupliciter. Uno modo formalitet, ita quòd formaliter loquendo de prima causa, & prima radice habeat remissum orginale peccatum influxum aliquem saltem virtualem in hominem baptizatum quoad hoc, quòd ex vi hujus primæ radicis permittatur ille homo cadere in peccatum actuale secundum quòd talis permissio est primus reprobationis effectus, & dicit ordinem ad sequentes. Et hoc modo non concedimus originale peccatum esse primam radicem, & primam causam demeritoriam influentem sivè formaliter sive virtualiter ad hoc, quòd de facto permittatur baptizatus cadere in peccatum actuale, ut argumentum probat; quia cum totaliter, & omnibus modis sit dimissum, nihil damnationis affert baptizato, nec aliquem influxum etiam virtualem habet supra primum effectum reprobationis (qui permissio est) nec in aliquos sequentes.

246. Secundo modo dicetur prima radix, & prima causa demeritoria processus reprobationis, & primi effectus illius (qui permissio est) quodammodo materialiter, & absque ullo prorsus influxu in permissionem talem, vel in aliquem alium reprobationis effectum, sed præcisè per hoc quòd proxima causa fuit demeritoria, ex qua Deus formavit illud decretum de exclusione à regno; quod postea decretum ex vi suæ immutabilitatis causa fuit permissionis in actuale, & cæterorum effectuum reprobationis: propter hoc, inquam, dicitur originale peccatum prima, & radicalis causa ipsius processus reprobationis. Itaque decretum illud infallibiliter permissionem causat in baptizatis, non secundùm quod habitum fuit ex originali, nec secundùm quod originalis culpa ibi virtualiter existens operatur, sed tantùm ob suam immutabilitatem, quæ ob quamcumque rationem semel habeatur, ex propria natura tantùm, & non secun-

Digitized by Google

dum quod occasionem ab hac, vel ab illa causa sumit, habet, quod permissionem in peccatum actuale causet. Quod est clariùs dicere, quòd licet peccatum originale vera causa demeritoria fuerit, ut illud decretum circa reprobos haberetur; tamen ad hoc, quod illud decretum firmitatem habeat, & infallibiliter impleatur, & permissionem peccati actualis causet, omnino peccatū originale per accidens se habet, & merè materialiter. Quod ex eo constare potest, quòd non minùs id haberet, etiamsi peccatum originale non præcederet, sed ex mera Dei voluntate esset: sicut in Angelis fuit factum, qui reprobati manserunt. Et hoc modo dicitur peccatum originale prima radix reprobationis; quia videlicet causa demeritoria fuit ob quam Deus habuit circa homines illud decretum excludendi eos à regno, quod decretum est prima radix, & causa reprobationis formalis, & processus illius.

247. Sit ad hujus majorem claritatem accommodatissimum in hac eadem materia exemplum, quod magis quietabit. Certum est enim, quòd originale peccatum occasio fuit, ut Christus veniret in remediū illius; & fuit occasio ut Deus haberet firmum decretum circa Christum prædestinandum; & tamen non sequitur. Peccatum originale fuit prima occasio ut Christus prædestinaretur; sed prædestinatio Christi causa fuit nostræ prædestinationis: ergo peccatum originale prima occasio fuit nostræ prædestinationis. Certè peccatum originale nec causa, nec occasio fuit prædestinationis nostræ; imò in nobis, ut dictum est, secundum se causa est totaliter prædestinationi nostræ opposita. Sicut ergo peccatum originale comparatum cum prædestinatione Christi fuit prima radicalis occasio prædestinationis Christi, non nostræ, quamvis nostra ex prædestinatione Christi sequatur; ita fuit peccatum originale causa prima & radicalis, ut Deus haberet illud decretum excludendi hos à regno, & ibi totaliter quievit: postea verò decretum illud ex sua propria firmitate habet permittere quòd illi in actuale peccatum cadant, propter quod damnandi sunt. Similiter, peccatum originale prima occasio radicalis fuit ut Christus ut Redemptor veniret; sed Christus veniens nobis dedit gratiam, & gloriam: ergo peccatum originale prima occasio fuit ut nobis gratia & gloria dentur. Certè nulla est ista consequentia ratione dicta; quia originale peccatum nullum ordinem habet cum hoc, quòd nobis gratia, & gloria dentur, sed tantum cum Christi Incarnatione, ut diximus. Ita ergo, licet peccatum originale fuerit prima causa radicalis ut reprobi à regno excluderentur, & illud decretum excludens à regno causa fuerit permissionis in actuale peccatum, ob quod baptizatus reprobus damnatur, non tamen originale peccatum causa est talis permissionis, aut damnationis, quia solùm ordinem habet cum illo decreto excludente à regno, non cum permissione in actuale, vel cum damnatione quæ sit propter illud.

248. Adhuc sic potest clariùs exemplum induci. Certum est, quòd permissio in peccatum originale fuit in aliquo genere causæ, nedum occasio, sed vera causa, & ratio, ut Christus prædestinaretur, & incarnaretur; & tamen non sequitur hac suppositā majori; sed Christi prædestinatio, & Incarnatio est causa nostræ prædestinationis: ergo permissio in peccatum originale est causa nostræ prædestinationis. Planè conclusio non sequitur, quia permissio in originale solùm est causa, seu ratio in aliquo genere prædestinationis Christi, non autem nostræ; quia ad nostram prædestinationem ordinem non dicit; nec argumentum hîc tenet de primo ad ultimum. Sic ergo etiam non tenet. Peccatum originale fuit prima causa, vel ad minimùm occasio, ut Deus decerneret aliquos excludere à regno; sed hoc firmum decretum est causa permissionis in peccatum actuale ob quod reprobus damnatur: ergo peccatum originale est causa talis permissionis, & damnationis. Non, inquam, tenet; quia licet originale peccatum cum decreto excludendi à regno ordinem habeat, non tamen cum permissione in peccatum actuale, sed illam tantùm divinum decretum sua stabilitate, & firmitate causat, à quocunque fuerit occasionatum decretum tale.

249. Sed adhuc restat argumentum. Quidquid est causa causæ, est causa causati; sed originale peccatum est demeritoria causa, ut illud decretum expulsivum à regno habeatur: ergo est causa causati per tale decretum, nimirum permissionis in peccatum, & alterius cujuscunque reprobationis effectus.

250. Ad hoc dicendum, quòd Axioma prædictum verum habet, quando causa est illius causa, quatenus est causa causati, non aliàs: in casu autem posito in omnibus, quibus originale per baptismum non est dimissū, ipsum est causa demeritoria illius decreti, quatenùs decretum est causa cujuscunque alterius effectus reprobationis; & sic est etiam causa effectus reprobationis causati per tale decretum. At verò in illis, quibus per Baptismum originale peccatum dimissum est, ipsum non est causa demeritoria illius decreti, quatenùs postea, dimisso jam originali peccato, causat alium quemlibet reprobationis effectum; & sic non est causa illius effectus postmodum causati, sed ad illum materialiter tantùm se habet: & decretum illud habitum ex stabilitate sua solùm illos sequentes reprobationis effectus causat, ac si nunquam præcessisset originale peccatum, sed aliunde, nempe per illud decretum haberetur. Potest hujus esse exemplum. Sit Petrus, qui suasit Paulo furtum; & Paulus ex illius suasione voluntatem firmam habuit furandi, & de facto furatus est. Non dubium quin tunc ratio furti suadenti attribuatur, quia fuit moralis causa pravæ illius voluntatis, quatenus ipsa causa furti fuit. Verùm si idem Petrus postquam alteri furtum suasit modo dicto, & illius circa furtum voluntatem causavit, postmodum ante furti executionem ei furtum dissuasit ita efficaciter, imò multò magis quàm antea furtum suaserat, & totis viribus illum ab illa mala voluntate dissuadere conatus est, nec tamen potuit, sed ille furtum commisit: tunc furtum factum Petro non attribuitur, nec illius moralis causa est. Nec in hoc casu valet argumentum illud, Quidquid est causa causæ, est causa causati; quia revera non fuit Petrus causa voluntatis furantis secundùm quod ipsa furtum causavit, sed aliundè voluntas furantis, furtum cōmisit ex sua prava voluntate. Cujus ratio est, quia licet à principio Petrus Paulo furtum suaserit, tamen postea id omnino revocavit, unde nec formaliter, nec virtualiter postea ad furtum ut moralis causa Petrus concurrit, sed totaliter ejus virtus circa tale furtum post revocationem cessavit, & interrupta est. Sic ergo, originale peccatum à principio quidem causa demeritoria fuit illius divini decreti expulsivi à regno, sed cum postea totaliter dimissum fuit in Baptismo, totaliter ejus virtus cessavit, & interrupta est: unde si post illius dimissionem divinum decretum causavit alios reprobationis effectus, id non habet formaliter, vel virtualiter quatenùs ex peccato originali habitum fuit, sed aliundè, nempè ex stabilitate, & firmitate sua: quomodolibet enim semel habeatur decretū, etiamsi omnis causa, quę fuit motiva ut formaretur postea penitùs cesset & omnis virtus illius; tamen ex sua immutabilitate causabit effectus illos; & peccatum originale, quod fuit causa motiva, ut haberetur, jam postea dimissum ibi tantùm materialiter se habet.

251. Quòd si quis ulteriùs instet, Deus propter peccatum

Digitized by Google

peccatum originale voluit excludere reprobos à regno: ergo de facto & in exercitio excluſi ſunt à regno propter peccatum originale; ſic enim de facto à regno ſunt excluſi, ſicut illos Deus voluit eſſe excludendos; ſed baptizati reprobi de facto non ſunt excluſi à regno propter peccatum originale: ergo nec propter illud eos Deus voluit à regno excludere. Ex quo totus proceſſus doctrinæ traditæ infirmatur, qua dictum eſt, propter originale peccatum, ſicut propter demeritoriam cauſam Deum eos voluiſſe à regno excludere. Tota vis hujus argumenti conſiſtit in illa conſequentia. Deus propter peccatum originale voluit excludere reprobos à regno: ergo illi de facto, & in executione ſunt excluſi à regno propter peccatum originale. Quòd autem bona ſit conſequentia probatur. Quia benè ſequitur, Deus voluit iſtos excludere à regno propter peccatum originale: ergo voluit eos eſſe excluſos à regno propter peccatum originale: patet hoc ex S. Thoma 1. *par. q. 19. art. 5. in fine*, ubi concludit quòd Deus non vult hoc propter illud; ita quòd illud ſit cauſa divini decreti, aut habeat cauſalitatem reſpectu actus volendi; ſed cum dicitur, quòd Deus vult *hoc propter illud*, illa particula, *propter*, cauſalitatem importat reſpectu rerum volitarum, & eſt ſenſus, quòd Deus vult hoc eſſe propter illud: ergo ſi Deus propter originale peccatum voluit reprobos excludere à regno, ſenſus eſt, quòd Deus voluit reprobos eſſe excluſos à regno propter illud idem originale peccatum: ſic enim ly *propter* importat cauſalitatem, non reſpectu actus volendi, ſed objecti voliti: Tunc ulterius ſequitur hæc conſequentia: ergo de facto & in executione reprobi excluſi ſunt à regno propter originale peccatum; quia ſic res in tempore in executione eveniunt, ſicut ab æterno Deus illas fieri voluit; hoc autem, ut dictum eſt, de reprobis baptizatis concedendum non eſt, quia de facto & in executione à regno non ſunt excluſi propter originale peccatum, cum eis totaliter per Baptiſmum fuerit dimiſſum.

252. Ut clariùs huic argumento reſpondeamus, tres propoſitiones quæ in ipſo proponuntur veniunt expendendæ. Prima quæ & primum antecedens eſt. Deus voluit reprobos excludere à regno propter peccatum originale. Secunda, Deus voluit illos eſſe excluſos à regno propter peccatum originale. Tertia, illi de facto, & in executione fuerunt excluſi à regno propter peccatum originale. Et quidem in prima licet verbum *propter* non importet cauſalitatem reſpectu actus volendi, nec cauſa illius ſit, ut ex inducto S. Thomæ teſtimonio ex prima parte fit manifeſtum, & omnes recipiunt, tamen dicit rationem ob quam actus divinæ voluntatis terminatus fuit ad excludendum à regno omnes, quotquot ab ipſo excluſi ſunt. Sententia eſt S. Thomæ 1. *contra gent. cap. 86. & 87.* Quam & alibi frequenter habet, & ſine contradictione ab omnibus communiter recipitur, quòd licet nihil poſſit eſſe cauſa actus divinæ voluntatis, benè tamen aliquid extra Deum poteſt eſſe ratio ob quam divinæ voluntatis actus magis terminetur ad hoc objectum quàm ad aliud. Sic ergo in propoſito dicendum, quòd particula, *propter*, in hac propoſitione: Deus voluit iſtos excludere à regno propter peccatum originale, quamvis non importet cauſam reſpectu divini decreti excludentis à regno, importat tamen rationem ob quam divinum illud decretum terminatum eſt ad excludendum à regno quotquot ab illo excluſi ſunt. Vnde ſicut communiter dicitur, quòd volitio divina ſecundùm quod terminatur ad finem eſt ratio ejuſdem diuinæ volitionis ſecundum quod terminatur ad media (quod & S. Thomas citatus docet); ita præviſio originalis peccati ratio fuit divinæ volitionis ſecundùm quod terminatur ad excludendos iſtos à regno. Et in hoc omnes in univerſum reprobi conveniunt, & pares ſunt ſine aliqua differentia, ſive baptizati ſint, ſive non, quòd nimirum in omnibus illis præviſio originalis peccati fuit ratio ob quam Deus voluit illos à regno excludere per illud primum decretum.

253. Rurſus volitio illa, qua Deus propter originale peccatum illos voluit à regno excludere, volitio fuit circa finem, antecedens proinde omnem proceſſum formalis reprobationis, qui fit per divinum intellectum practicum circa media, præſuppoſita illa priori volitione finis, ut jam in ſuperioribus tactum eſt. Vnde ſicut in qualibet efficaci volitione finis hoc reperitur quòd ex vi illius tantùm habetur obtinendum eſſe illum finem per aliqua proportionata media; non autem habetur expreſsè, quòd ſive per iſta, ſive per illa media finis obtineatur quia hoc poſtmodum intellectus practicus facit: ita in illa volitione excludendi à regno, ſeu in illa excluſione ſic volita & intenta, media in particulari, quibus ille finis eſt obtinendus & executioni mandandus, non includuntur, ſed tantùm ex vi illius habetur, quòd de facto aliquibus mediis debebat executioni mandari: hæc autem media, præſuppoſita illa finis volitione, divinus intellectus practicus adinvenit triplici via, ſeu modo, determinando videlicet ut in aliquibus illa excluſio à regno volita & intenta propter originale peccatum, propter illud ſolum de facto executioni mandaretur, ut factum fuit & continuò fit in parvulis quibuſque, qui ſine baptiſmo in lege gratiæ, vel ſine alio remedio in lege ſcripta & naturali inſtituto pro emundatione peccati originalis decedunt. Vel ſecundò determinando, ut tum propter originale peccatum, tum etiam propter alia ſuperaddita mortalia actualia in aliis reprobatis de facto in executione compleretur, ut factum fuit, & fit in omnibus infidelibus adultis, qui moriuntur. Vel determinando tandem tertiò, quòd in aliis nimirum in baptizatis excluſis à regno per illam priorem volitionem, ſeu intentionem, non mandaretur de facto executioni illa finis volitio, ſeu excluſio à regno propter peccatum originale, quod eis per Baptiſmum voluit omninò dimittere, ſed propter alia peccata actualia.

254. Hac igitur ſuppoſita doctrina circa illam primam propoſitionem, facilè eſt reſpondere ad alias duas quæ ex hac prima in argumento proponuntur, & ordine quodam ex iſta prima inferuntur. Vnde in forma reſpondetur, Deus voluit iſtos excludere à regno propter peccatum originale: ergo ſunt de facto illi excluſi à regno, & in executione propter peccatum originale. Reſpondetur, inquam, diſtinguendo primum antecedens. Deus voluit illos excludere à regno propter peccatum originale, voluit, inquam, excludere propter originale peccatum, quantùm ad intentionem finis conceditur; quantùm ad executionem hanc, vel illam in particulari negatur: & ad primam conſequentiam qua infertur: ergo voluit eos eſſe excludendos à regno, quoad intentionem concedo, quoad executionem ſive iſto, ſive illo modo complendam nego: & ſic negatur ultima conſequentia, quæ dicitur: ergo de facto, & in executione omnes reprobi etiam baptizati ſunt excluſi à regno propter peccatum originale: poteſt enim aliquid eſſe cauſa, vel ratio alicujus quoad intentionem, non tamen quoad executionem, propter nimirum aliquod impedimentum interveniens poſt illam priorem intentionem, quod impediat ſaltem quodammodo illam priorem intentionem: & tale impedimentum fuit remiſſio originalis peccati in reprobis baptizatis, quæ poſt volitam, & intentam, ut diximus, excluſionem à regno, antecеſſit illius executionem. Sicut etiam in prædeſtinatione videmus, quòd gratis omninò & ſine ope-

Digitized by Google

ribus, qui prædestinantur, sunt dilecti, & electi ad regnum; & tamen in executione regnum non obtinent sine operibus: ita per oppositum omnes odio habiti propter originale peccatum, excluſi à regno sunt propter idem peccatum: unde sicut in prædestinatis non sequitur. Deus omnino gratuitò, & sine meritis voluit eos eligere ad regnum: ergo voluit eos omnino gratuitò, & sine meritis esse admittendos in executione ad regnum: ita per oppositum non sequitur. Deus propter originale peccatum voluit quosdam excludere à regno: ergo voluit eos quoad executionem esse excludendos à regno propter peccatum originale; planè non sequitur ratione jam explicata: sicut enim prædestinatos in primo rationis instanti voluit Deus eligere ad regnum gratuitò, & sine operibus; & in alio secundo rationis instanti voluit, eos non esse quoad executionem admittendos ad regnum sine operibus: ita reprobos omnes voluit in primo instanti rationis excludere à regno quoad intentionem propter peccatum originale: & in secundo voluit non omnes esse in executione excludendos à regno propter peccatum originale, sed aliquibus voluit per baptismum dimittere.

255. Et per hoc patet ad aliud argumentum. Peccatum originale eodem modo est ratio reprobationis in omnibus reprobis: ergo eodem modo est ratio excluſionis à regno; sed in non baptizatis est ratio excluſionis à regno etiam quoad executionem: ergo & in baptizatis; vel si non in istis, nec in illis. Ad hoc dicendum, quòd peccatum originale eodem modo fuit ratio excluſionis à regno quantùm ad illum primum intentionis actum jam expositum, non verò quoad operis executionem, ut dictum est. Vel secundò clariùs dicatur, quòd peccatum originale quantùm est ex se eodem modo est causa, vel ratio excluſionis à regno in omnibus reprobis, & eũdem omninò in omnibus causaret effectum, nisi aliunde impediretur quoad executionem: in baptizatis autem nedum impeditur, sed omninò tollitur nè talem causet effectum.

256. Omnia igitur concludendo, dicimus originale peccatum fuisse causam demeritoriam, sivè rationem ob quam Deus omnes reprobos odio habuit, ipsosque voluit à regno propter tale peccatum excludere: & iste fuit primus intentionis actus circa reprobos. Secundò sivè in secundo rationis instãti aliquibus voluit peccatum per baptismũ omninò dimittere. Tertiò ut primum intentionis decretum excluſionis à regno in ipsis impleretur, voluit permittere eos in alia actualia peccata cadere, in eis ipsos relinquere, & propter ea de facto & in executione à regno suo excludere, atque damnare: quia tamen totus iste reprobationis effectus ab illo omnium primo decreto excluſionis à regno propter peccatum originale originem sumpsit, ideò originale peccatum dicitur prima radix, & prima causa reprobationis.

257. Secundò respondetur, quòd etiam permiſsionis in peccatum actuale causa est originale peccatum, non per se, quia jam totaliter est remiſsum, sed per effectum in baptizatis relictum: potiſsimus enim effectus peccati originalis est, quòd homines juſtificati in accepta juſtitia ſtabiles non ſint, niſi ex fortiori dono gratiæ conſerventur; quod quibus datur, ex miſericordia datur; quibus autem non datur, sed ut cadant permittitur, juſtè ipſis, quod ipſi ex ſe poſtulant, tribuitur, quia hoc ex primi parentis peccato acceperunt. Et hæc est expreſſa Sancti Gregorij ſententia in expoſitione Pſalmi 101. ad illum verſiculum. *Quia cinerem tanquam panem manducabam &c.* ſic enim ibi habet. *Et cum juxta Apoſtoli ſententiam neque volentis, neque currentis, ſed miſerentis ſit Dei, alios qui corruerant, miſericorditer erigit: alios ſtare videbantur, cadere juſtè permiſit. Ex peccato namque primi parentis accepimus, ut nec in ipſa juſtitia ſtabiles eſſe poſſimus.* Quod & S. P. Auguſtinus magis exponit *lib. de corr. & gra. cap.* 12. loquens enim de homine poſt naturæ lapſum reparato per gratiam, ait. *Nam ſi in tanta infirmitate vita hũana, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei ſine quo perſeverare non poſſint, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent: inter tot, & tantas tentationes infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet, & ideò perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate, nec vellent; aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent.* Cum autem uterque Sanctus Eccleſiæ Doctor dicit, quòd ex infirmitate in nobis relicta ex peccato primi parentis non poſſumus ſtabiles eſſe in juſtitia, nec in ea perſeverare, in compoſito ſenſu loquuntur, ut infra lib. 4. explicandum eſt copioſiùs, ad hunc videlicet ſenſum, quòd fieri non poteſt, ut homo in gratia conſtitutus ſtet, & in ipſa perſeveret niſi altiori dono gratiæ donetur. At ad præſens ſufficiat ex utroque Doctore Sancto diſcere, effectum eſſe in hominibus baptizatis, & juſtis ex peccato primi parentis relictum, quòd in accepta juſtitia non perſeverent, ſed quantùm in ipſis eſt, ab illa cadant: quod homo in natura integra non habebat, ut infra lib 4. explicaturi ſumus: & ex conſequenti cum Deus quoſdam, & potiſsimè reprobos cadere in actuale peccatum permittit, juſtè eis tribuit, quod ipſi ex *infirmitate ex* peccato primi parentis derivata *poſtulant, quæ* proinde cauſa erit petens ut ſic à *Deo* cadere permittantur. Qua etiam ratione S. Thomas *1.2. queſt.* 109. *art.* 9. *in 2. ratione* docet, quòd homo exiſtens in gratia & quoad mentem ſanatus, quia in eo remanet corruptio, & infectio quantùm ad carnem, niſi ſpeciali auxilio gratiæ adjuvetur, à peccato non abſtinebit, ſed cadet ex illa corruptione & infirmitate: unde ne cadat, ſed à peccato abſtineat, tali ſpeciali auxilio indiget. Igitur ſecundum SS. Gregorium, Thomam, & Auguſtinum hoc habet homo, etiam per gratiam juſtificatus, ex peccato originali contractum, & ſibi proprium ob infirmitatem & corruptionem carnis, quòd in accepta gratia, & juſtitia non ſtabit, ſed ab illa cadet, niſi ſpeciali auxilio ſublevetur: quod, ut diximus, quibus Deus donat, ex miſericordia donat; quibus autem negat, ſed ipſos in peccatum actuale cadere permittit, juſtè negat; hoc illis tribuens quod & ipſi ex ſua corruptione, & infirmitate poſtulant. Unde illa infirmitas ex peccato originali dimiſſo relicta, cauſa erit permiſſionis talis in his qui cadere permittuntur: & per conſequens originale peccatum etiam hoc modo eſt prima radix reprobationis. Itaque etiam duplici titulo Deus illos juſtè cadere permittit. Primò quia quòd perſeverent non eſt illis debitum; ſicut nec Angelis (quia id debitum non erat) conceſſum fuit, illis videlicet qui ceciderunt. Secundò quia homines ex infirmitate ex peccato originali derivata hoc habent, quòd in juſtitia accepta minus ſtabiles ſint, ob quod juſtè etiam Deus illos cadere permittit, ut potiſsimè expreſſis verbis citatis S. Gregorius docet. Et per hanc ſolutionem argumentum factum clariùs ſolvitur, & nullas illud habere vires monſtratur. Concedimus enim quòd propter illum effectum peccati originalis homo permittitur cadere in peccatum actuale, propter quod actuale ſolum damnabitur: & ſic illius primæ permiſſionis in actuale cauſa eſt effectus ex peccato originali relictus; & ex conſequenti peccatum originale eſt cauſa prima & radicalis reprobationis: unde & peccatum originale non in ſei ipſo, ſed in ſuo effectu manens

in

Digitized by Google

in homine justificatio causa est permissionis in actuale.

258. Quòd si opponatur ex Concilio Tridentino citato, quòd jam aliquid sit damnationis in baptizatis relictum ex peccato originali dimisso: id quidem negatur. Concilium enim illa sess. 5. can. 5. solùm intendit, imò apertis verbis exponit, nihil in baptizatis damnationis esse, sed verè peccatum originale illis dimitti & quoad omnem culpam, & omnem reatum culpæ, & non imputari, ut hæretici contendebant: unde baptizati verè manent innocentes, immaculati, puri, innoxij, Deo dilecti, cohæredes Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli impediat. Hoc, inquam, tantùm intendit Concilium per illa verba *nihil damnationis, &c.* ut ex præmissis verbis exponit. Non tamen negat, quin imò immediatè subjungit *manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem hæc sancta Synodus fatetur & sentit*, quem dicit ex peccato remanere ut illius effectum. Sicut ergo ex hoc quòd in baptizatis fomes concupiscentiæ maneat, nihil per hoc damnationis in eis manet, ut ex Apostolo Concilium docet; ita ex eo quòd tales baptizati permittantur in actuale peccatum cadere, nihil etiam damnationis in eis manere dicendum est. Procul dubio si peccato originali totaliter dimisso & quoad omnem culpam, & omnem pœnam in baptizatis, manet tamen in eis effectus illius, qui est fomes ad peccatum inclinans secundùm quod Concilium allatis verbis habet, & Paulus clamat, *sentio aliam legem in membris meis, &c.* Quid mirum, quòd etiam peccato originali totaliter dimisso, ob effectum ab illo relictum permittat Deus quos justè exclusit à regno ob peccatum originale, in peccatum cadere, cum ista permissio non inclinet in peccatum, sicut in peccatum inclinat fomes ipse. Imò si illa permissio in peccatum actuale aliquid damnationis dicitur in reprobo baptizato, qui reprobatus fuit ob originale peccatum; erit etiam aliquid damnationis talis permissio in reprobo baptizato & excluso à regno ex sola Dei voluntate sine peccato originali in contraria sententia: tenet enim ex illa voluntate sequi permissionem in peccatum; & sic etiam in illa sententia dicitur aliquid damnationis manere in illo baptizato, si quidem manet permissio in peccatum actuale, quæ permissio dicitur aliquid damnationis esse. Cum ergo hoc contraria sententia non admittat, nec in nostra id admitti, aut contra illam opponi potest.

259. Nec obstat si quis opponat. Causa remota alicujus effectus debet esse proxima alterius intermedij, ex quo tanquam ex causa sequatur ultimus, cujus est causa remota (hoc enim supponitur ex bona Philosophia); sed peccatum originale remissum nullum effectum proximè causat, ex quo tanquam ex causa sequatur damnatio: ergo nullo modo est illius causa remota. Minor patet, quia primus effectus reprobationis in parvulo baptizato est permissio peccati actualis, vel negatio gratiæ efficacis ad illud vitandum, cujus tamen originale peccatum non est causa. Non, inquam, obstat hoc. Respondetur enim rectè dici originale peccatum causam remotam permissionis in peccatum, quia relinquit in baptizato effectum, ob quem talis permissio fit, ut ostensum est: quia ergo originale peccatum immediatè effectum illum produxit antequam esset remissum, & post illius remissionem ille effectus in baptizato perseverat, & propter illum effectum fit permissio in peccatum actuale, rectè dicitur, illius primi effectus reprobationis causa remota originale peccatum secundùm omnem bonam Philosophiam.

260. Potest tertiò prædicto argumento responderi ex doctrina ejusdem Magni Gregorij ita dicentis super illud Job. Somno meo requiescerem. *Si Parentem primum nulla putredo peccati corrumperet, nequaquam ex se filios gehennæ generaret, sed qui nunc per Redemptorem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur*, quam sententiam S. Thomas refert quodlib. 5. quæst. 5. art. 8. sub his verbis, *quod verò Gregorius dicit, quod si primus homo non peccasset, nequaquam ex se filios gehennæ generaret: indubitanter verum est: non enim in filios transfunderet peccatum originale, secundùm quod homines filij iræ nascuntur. Quod autem subdit, quod hi soli qui nunc salvandi sunt, nascerentur: intelligendum est, quòd pronomen facit simplicem demonstrationem, quia scilicet soli electi nascerentur, quantum est ex ratione originis, non autem demonstrationem personalem, quia aliæ personæ essent hominum, qui salvarentur.* Hæc S. Thomas. Quibus Gregorij sententiam tenet, illamque exponit, quòd nimirum si primus parens non peccasset, soli electi generarentur, licet non essent idem numero, qui modò salvantur. Et 1. p. quæst. 100. art. 2. licet magis adhæreat S. P. Augustino dicenti, quòd quamvis Adam non peccasset, aliqui possent peccare, ut patet ex argumento sed contra illius articuli, tamen sententiam S. Gregorij modò relatam, quam & ibi inducit in primo argumento, non reprobat. Imo in solutione ad 1. ita ait. *Ad primum ergo dicendum, quòd si Adam non peccasset, non generaret ex se filios gehennæ, ita scilicet, quòd ab ipso peccatum contraherent, quod est causa gehennæ; possent tamen fieri filij gehennæ per liberum arbitrium peccando; vel si filij gehennæ non fierent per peccatum, hoc non esset per hoc; quia essent in justitia confirmati, sed propter divinam providentiam, per quam à peccato conservarentur immunes.* Ex quibus apparet, eum in secunda solutione sententiam S. Gregorij admittere: imò illam tradit Augustinus *lib. 1. retract. cap. 13.* dicens: *Ac per hoc, si & in parentibus, & in filiis facunditas felicitasque mansisset, usque ad certum Sanctorum numerum, quem per destinavit Deus, nascerentur homines*, Sententiam ergo Gregorij priùs docuit S. P. Augustinus; & utriusque doctrinam S. Thomas, tum in quodlibeto citato loco, tum apertè in secunda solutione admittit.

261. In hac ergo doctrina manifestè argumentum solvitur, & tota illius vis apertè confringitur. Si enim non stante primi hominis peccato nulli homines fuissent damnati, sed quotquot generarentur fuissent electi, clarè convincitur, quòd de facto quotquot reprobati sunt, propter peccatum originale reprobati fuere; ita quòd ipsum originale peccatum causa fuerit reprobationis prima & radicalis, ut manet explicatum: si enim tale peccatum non fuisset, nec Deus illud decretum formasset, quo efficaciter voluit aliquos excludere à regno, & ex consequenti nec sequeretur infallibilis permissio aliquorum in peccatum actuale propter quod multi damnantur, sicut modò infallibiliter consequitur talis permissio ex vi efficaci illius divini decreti, quo propter peccatum originale decrevit Deus excludere à regno omnes, qui reprobati sunt, ut dictum est supra. Absque dubio sententia ista S. Gregorij, & S. P. Augustini satis declarat, quomodo originale peccatum in baptizatis qui damnantur, fuerit & prima & radicalis causa reprobationis; quia decretum efficax excludendi eos à regno non esset, nisi peccatum originale præcessisset.

Sed instabis adversus ea quæ S. Augustinus habet in retract. loco inducto: quòd ipse Doctor Sanctus 14. *de civit. cap.* 10. inquit quod *tam fœlix universa esset humana societas, si nec illi*, scilicet primi parentes, *malum, quod etiam trajicerent in posteros, nec quisquam ex stirpe eorum iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet.* Ex quibus verbis S. Thomas 1. p. citata quæst. 100. art. 2. infert quòd ex his

Digitized by Google

verbis datur intelligi, quòd etiamsi primi homines non peccassent, aliqui ex eorum stirpe potuissent iniquitatem committere, quæ damnationem recipetet.

262. Ad hoc dicendum, quòd quamvis id ex prædictis verbis detur intelligi, ut S. Thomas dicit: tamen in aliis allatis ex 1. lib. retractationum clariùs, & expressiùs dicitur, quòd si primus homo non peccasset, nullus esset homo reprobus: unde per istum clariorem est explicandus ille alius, in quo oppositum videtur intelligi. Nec S. Thomas ibi ex professo de hoc agit, nec quæ fuerit absoluta mens S. Augustini ibi inquirit, quòd si fecisset, nec illum locum retractationum omisisset.

263. Verùm adversus sententiam istam, quòd si non esset peccatum originale, nullus homo reprobatus fuisset, obstare videtur, quod à nobis dictum est supra, duplici videlicet titulo excluſos à regno fuisse, qui reprobati manserunt, & titulo indebitæ gratiæ, & titulo debitæ justitiæ: ergo ablato hoc secundo justitiæ, peccato originale non existente, ratione alterius tituli nempe indebitæ gratiæ aliqui reprobarentur. Præterea, etiamsi peccatum originale non esset, ad divinam providentiam pertineret permittere aliquos deficere à fine, ut S. Thomas docet 1. *p. q. 23, art. 3.* Tandem si prædestinationis gratia tunc omnibus daretur, non tam appareret gratia, quàm naturæ debita; quia quod omnibus datur, ad naturam magis quàm ad gratiam pertinere videtur, ut quarto nostro libro ostensuri sumus.

264. Nihilominus ad primum horum dicendum, diversã esse rationem de quæstione, quę de facto modò procedit, & de illa quæ de possibili tunc in illo casu esset. Quoad quæstionem de facto, dicendum, quòd existentibus hominibus æqualibus in natura, & peccato originali, Deus, quos reprobavit, duplici titulo supra explicato à regno excluſit: & hoc est, quod à nobis dictum est supra tractantibus quæstionem de facto. Quid autem esset de possibili, si peccatum originale non esset, dicendum. Primò tunc gratiam prædestinationis veram gratiam fore, & non naturæ debitam, ut est manifestum. Secundò, etiam tunc illum titulum indebitæ gratiæ ex se fore sufficientem, ut eo solo Deus aliquos posset reprobare. Tertiò in sententia Sanctorum, quæ modò relata fuit, Deum neminem reprobaturum tunc, quamvis justè posset ex prædicto titulo non debitæ gratiæ.

265. Ad secundum dicendũ, benè divinam providentiam & doctrinam S. Th. salvari, permittendo aliquas ex intellectualibus creaturis id est Angelos ab illo fine deficere, licet tunc omnes homines salvarentur. Ad tertium dicendum, quòd tunc non ita appareret ratio gratiæ in illa prædestinatione, sicut apparet modò dum aliqui reprobantur, quia ut S. P. Aug. sæpè docet, magis apparet ratio indebitæ gratiæ, quando illa aliquibus non datur; hoc tamen latiùs in quarto libro operis hujus dabimus manifestum.

CAPUT XVII.

De Parvulorum prædestinatione & reprobatione.

266. OSTENDIMVS adultorum prædestinationem secundum firmum Dei propositum divinæ voluntatis fieri nulla præsuppoſita sive absoluta, sive conditionata præscientia boni usus. Ostendimus deinde illorum reprobationem sine aliqua præscientia actualium peccatorum & demeritorum in divina mente extitisse. Ostendimus postremò factam fuisse ipsorum reprobationem ex prævisione originalis peccati sub quo tota humani generis massa tenebatur astricta. Unde nunc de parvulorum prædestinatione & reprobatione erit dicendum, & quæ circa illam affirmant isti recentiores, erunt attentiùs consideranda.

267. Igitur l. 1. p. 1. tract. 6. cap. 13. quatuor assertiones ex ipsis retulimus circa parvulorum prædestinationem & reprobationem. Prima affirmat in parvulorum prædestinatione & reprobatione solùm agi de gratuitis donis acquirendis, vel amittendis, quia, ut putant, in reliquis omnibus proinde se habebunt parvuli reprobati, sicut si in puris naturalibus cõderẽtur, addentes quòd parvuli post diem judicij reassumptis corporibus liberi erunt ab omni ærumna, melioremque vitam in naturalibus ab omni vitio mentis, & corporis immunem ducent in perpetuas æternitates, quàm ullus unquam mortalium duxerit. *In secunda* verò dicunt, quòd aliqui parvuli pereant, effectum fuisse, & pœnam peccati originalis, idque evenisse non per se, sed per accidens ex ipsa dispositione causarum universi, ac primi parentis casu præter Dei intentionem ac voluntatem. In tertia autem dicunt, parvulos ex parte Dei habere remedium sufficiens contra peccatum, præsertim in nova lege; nam Christus pro omnibus est mortuus, & pro omnibus instituit Sacramentum in remedium peccatorum nemine excepto. Postremò in quarta statuunt, certitudinem prædestinationis parvulorum non esse ex certitudine meritorum, sive effectuum prædestinationis, sed ex certitudine divinæ præscientiæ: hanc autem præscientiam secundum quam opinantur fieri eorum prædestinationem, dicunt esse præscientiam liberæ conjunctionis parentum ad generandum, & nativitatis parvulorum, & applicationis remedij contra originale peccatum, antequam moriantur.

268. Has quartuor assertiones ipsorum retulimus lib. 1. part. 1. tract. 6. cap. 13. Has dederunt authores ex illo principio satis à nobis supra confutato eodem 1. lib. par. 2. tract. 1. cap. 19. & sequentibus, quo de peccato originali ita videntur sentire, ut ipsum non veram culpam sed pœnam in parvulis fateantur: illos enim sic sentire aperuimus citato loco.

269. Argumenta, quibus hæc sibi persuadent, sunt in primis antiqua, sæpè inculcata, & sæpissimè detruncata. Quòd ex prædestinatione certa secundum Dei propositum, & ante illam præscientiam sicut in adultis ipsorum impeditur arbitrium: ita in parvulis arbitrium parentum concurrentium ad generationem, & aliorum applicantium remedium contra peccatum impediatur, sive lædatur.

270. Præterea id ideò statuunt, ut evitent, Deum esse acceptatorem personarum: putant enim, Deum, si ex intentione quosdam parvulos prædestinaret, & alios æquales omninò reprobaret, esse personarum acceptatorem. Tertiò id affirmant, ut illi insolubili argumento de parvulis, (quo S. Aug. adversus Pelagianos triumphavit, & nunquam fuit solutum ab antiquis) aliqualem videantur adhibere solutionem.

271. Contra has ergo quatuor illorum assertiones, quibus malè de parvulorum prædestinatione & reprobatione loquuntur, aliæ quatuor veritates statuendæ sunt, atque firmandæ.

272. Prima, in parvulorum prædestinatione & reprobatione non solùm agebatur de gratuitis donis consequendis, aut amittendis, sed de vera prædestinatione liberante eos à statu peccati, & miseriæ; & de vera reprobatione & damnatione æterna propter peccati originalis culpam quam habebant. Nec parvuli reprobati, exceptis solis donis gratuitis, se habebunt in cæteris omnibus, sicut si essent in puris naturalibus conditi, sed verè manebunt miseri & damnati verâ pœnâ damni æternâ propter culpam quam habent, quam

Digitized by Google

quam tamen si in puris naturalibus conderentur non haberent.

273. Secunda conclusio. Quòd aliqui parvuli sint reprobati, non solùm est pœna, & effectus peccati originalis eveniens per accidens ex dispositione causarum universi, non ex Dei intentione, sed per se ex Dei intentione & voluntate volente in illis punire peccatum originale processit.

274. Tertia conclusio. Parvuli, qui sine baptismo pereunt, non habuerunt sibi applicatum aliquod sufficiens remedium; licet remedium sufficiens, imò efficax sit à Christo Domino pro omnibus institutum.

275. Quarta conclusio: Quòd parvuli prædestinati salutem sint consequuti, primò & originaliter provenit ex Dei absoluto, firmoque proposito, & ex certitudine mediorum, & effectuum à divina voluntate, & prædestinatione præparatorum, absque aliqua priori præscientia sivè absoluta, sive conditionata applicationis remedij per alienam aliorum voluntatem factæ: imò potiùs, ideo Deus præscivit aliis parvulis de facto remedium contra originale applicaturum, quia ut applicaretur, Deus effecit, & ab æterno præparavit: & ideo Deus præscivit parvulos sub tali remedio recepto morituros, quia, ut cum illo remedio morerentur & salvarentur, ita ipse disposuit.

276. Veritates istæ non aliunde efficaciùs demonstrari possunt, quàm ex oppositio principio, contrarioque fundamento illi, in quo contrariæ assertiones fundantur. Cum enim secundum Catholicam veritatem originale peccatum parvulis inhæreat, non tantum ut pœna, sed ut vera culpa (quod probandum non est, sed ex fide supponendum) facilè est illorum prædestinationem, & reprobationem ex Dei intentione & voluntate salvare, atque ex divino proposito, sive beneplacito, quo in aliquibus parvulis (prædestinatis videlicet) voluit suam misericordiam ostendere parcendo, & eos à massa corruptionis liberando: in aliis verò voluit suam justitiam & iram ostendere reprobando, & eos in statu miseriæ, & corruptionis massa relinquendo, ut in ipsis puniret peccatum & culpam, qua erant infecti. Ex hac verò prædestinatione electorum præparavit omnia media, & efficaciter illa voluit applicare, ut salvarentur. Ex reprobatione autem aliorum impedivit ne talia media applicarentur, quæ si essent applicata, salvarentur. Et sicut in aliis, ut clamat Augustinus, ostendit misericordiam; ita in aliis ostendit justitiam; in neutris autem apparet iniquitas, vel injustitia.

277. Præterea, quia asserere (ut illa prima ex quatuor illorum assertionibus habet) quòd in prædestinatione, & reprobatione parvulorum tantùm agitur de donis gratuitis acquirendis, vel amittendis; & quòd in reliquis se habebunt parvuli reprobati sicut si in puris naturalibus conderentur, est non admittere in eis originale peccatum, quod veta animæ culpa sit: quod quia satis ex ipsis ostendimus libro 1. part. 2. tract. 1. cap. 19. & sequentibus, ideo ad præsens omittendum putamus, & solùm in memoriam revocandum, quod 1. lib. part. 2. tract. 1. cap. 20. dictum est, horum Authorum sententiam in quinque capitibus peccato originali detrahere, sed in nullo ita evidentiùs sicut in hac prima propositione. Si enim parvuli sine baptismo decedentes (qui secundum veritatem, & Pontificum definitiones verè miseri sunt, atque damnati verâ damni pœnâ, licet non pœnâ sensus) post diem judicij nedum vitam habebunt reassumptis corporibus, sed fælicem vitam, procul dubio non manent in morte, nec in miseria, nec in damnatione; & ex consequenti nec peccatum habent originale, quod in habente necessario infert miseriam, damnationem, & mortem: & si hoc non causat, nec verè peccatum originale est, sed vocè duntaxat.

278. Similiter si parvuli illi vitam habituri sunt illámque fælicem extra regnum, jam illis promittitur, quod Pelagius dicebat, eos in certo quodam loco inter Cælum, & Infernum vitam habituros, non quidem supernaturalem (hanc enim parvulis sine baptismo nunquam promisit Pelagius) sed fælicem in naturalibus vitam. Præterea illam habituros eos dicebat extra regnum Cœlorum, ad ostendendum illam illorum vitam non futuram supernaturalem, ut 1. lib. part. 2. tract. 1. cap. 22. satis ostensum est, ubi etiam canon Concilij Africani 200. Episcoporum & amplius inductus est, qui definit, tales parvulos vitam non habituros in tali illis promisso loco extra regnum Cœlorum.

279. Tertiò quia cum clarè dicant, parvulos illos vitam fælicem habituros immunem ab omni vitio mentis, & corporis; nec clarioribus verbis in illis potuerunt peccatum originale negare, cum illud sit verè vitium mentis, quod tamen eis denegatur.

280. Deinde etsi contra istorum sententiam alia efficaciora argumenta non essent, illa propria ipsorum verba ita manifestant impossibilia continere, ut vel ipsa seipsa efficaciter oppugnent. Quis enim audiat, quod in secunda ex illis quatuor assertionibus dicunt, videlicet, quòd parvuli sine baptismo decedant & pereant, non per se, sed per accidens evenire ex dispositione universi, & aliarum causarum præter Dei intentionem & voluntatem, sine qua scriptura dicit, quòd nec folium arboris in terram cadit. Quis, inquam, hoc audiat, & non statim judicet, hoc non tam impugnandum, quàm execrandum.

281. Innumera penè sunt Sancti Patris Augustini testimonia, quæ apertissimè testantur, parvulos, qui sine baptismo moriuntur & pereunt, non præter Dei voluntatem, sed ex Dei voluntate nolente illos salvare, sic perire: imò hac ratione Doctorem Sanctum Pelagianos debellasse evidentissimum est.

282. Ut autem omnia alia omittantur, illud unum solum, quod habet epistola 107. est referendum, sic enim habet: *Quomodo dicitur homines omnes eam fidem esse accepturos, si non illi, quibus non donatur, eam sua voluntate respuerent, quoniam Deus vult omnes homines salvos fieri: cum multis non detur parvulis, & sine illa plerique moriantur, qui non habent contrariã voluntatẽ, & aliquãdo cupientibus, festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente non detur, cum repentè antequam detur, expirat, pro quo ut acciperet, currebatur. Unde manifestum est, eos, qui huic resistunt tam perspicuæ veritati, non intelligere omninò, qua loquutione sit dictum, quòd omnes homines vult Deus salvos fieri, cum tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult: quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis.* Ecce Sanctus Patet & Doctor semel & iterum in isto loco, & alibi frequenter docet, parvulos, qui sine baptismo decedunt, Deo nolente eos salvare, sed volente in eis punire peccatum originale, perire: & tamen nunc audimus, eos præter Dei voluntatem perire ex dispositione aliarum causarum.

CAPUT XVIII.

Quòd S. P. Augustinus argumento desumpto ex parvulorum prædestinatione, & reprobatione semper de Pelagianis triumphaverit.

283. UT igitur prædicta Recentiorum sententia circa parvulorum prædestinationem, & reprobationem perfectè comprehendatur, & opposita veritas intelligatur & defendatur, illud oportet attentiùs

Digitized by Google

attentiùs considerare, triumphale argumentum, quo Sanctus Augustinus Pelagianos convincebat, & quo errorem illorum penitùs detruncabat, fuisse illud de parvulis oppositum. Ut enim Sanctus Doctor totam Pelagianorum hæresim destrueret, affirmantium gratiam Dei secundum propria hominum merita dari, ita ut priùs homo inciperet bonum quàm Deus adjuvaret (in quem errorem inciderunt, ut & libertatem hominum salvarent in illis prioribus inceptionibus, & Deum ab acceptione personarum liberarent, simulque ostenderent quòd Deus vult omnes homines salvos fieri, si tamen ipsi voluerint sic benè operando incipere) ut, inquam, Sanctus Pater Augustinus hanc hæresim inimicam divinæ gratiæ detruncaret, inter efficacissima alia plurima quibus illam debellavit, hoc potissimum argumentum fuit, quod ex parvulis desumpsit Apostolum imitatus in illo exemplo de Jacob, & Esaü ad Rom. 9. Sic ergo convincebat S. Augustinus.

284. Ex parvulis æqualibus absque omni priori merito, vel actu sive suo, sive suorum parentum, quendam Deus prædestinat, & ex prædestinatione gratiam donat: & alium reprobat, & ex reprobatione condemnat: ergo gratia Dei, & ejus prædestinatio non fit ex præcedenti merito aliquo, nec ex actu aliquo in quo homo incipiat, & Deus postea adjuvet. Igitur nihil omnino præcedit ex parte hominis, ut gratia detur; sed totum fit ex divina misericordia volente alicui subvenire, & divina justitia volente alium punire. Ex quo ulterius inferebat Sanctus Doctor. Sicut ergo parvulis sine aliquo actu vel merito, vel ipsorum, vel suorum parentum datur prædestinatio, & gratia absque personarum acceptione, & absque parentum, vel ministrorum læsione libertatis, & tandem absque eo quod per hoc contradicatur illi Apostoli testimonio: *Qui vult omnes homines salvos fieri*: Ita etiam in adultis gratiam Deus donat absque omni priori merito, vel actu, ut vera sit gratia & non debita, sine læsione libertatis ipsorum, sine personarum acceptione, & sine eo quod per veræ gratiæ prædestinationem aliquid dicatur contra illud Apostoli. *Qui vult omnes homines salvos fieri.*

285. Omnia ista evidenter inferebat, & ita evidenter, ut etiam ejus evidentiam non auderent Pelagiani aliquando negare. Antecedens autem S. Augustinus ita explicat & confirmat, ut omnes evasiones, quæ circa illud à Pelagianis apponebantur & apponi poterant, efficaciter ipse secludat, & perfectè sesclusas ostendat. Unde *epistola* 105. ita dicit. *Verùm isti, qui personarum acceptatorem fieri existimant Deum, si in una, eademque causa super alios veniat misericordia ejus, super alios verò maneat ira ejus, nempe totas vires argumentationis humanæ in in parvulis perdunt.* Ubi manifestè affirmat illud primum inconveniens de acceptione personarum omnino præcludi per argumentum factum de parvulis. Et *in epistola* 107. *ad vitalem* eodem argumento de parvulis convincit non rectè induci illud Apostoli *Qui vult omnes homines salvos fieri*, ad probandum gratiam dari homini, nisi ille malè operando resistat: cujus verba sunt præcedenti cap. inducta, & quia memoriâ debent retineri, hîc iterum sunt inducenda; nec enim ubi tanta necessitas est, vitio dabitur repetitio. *Quomodo dicitur omnes homines eam finisse accepturos, si non illi, quibus non datur, eam sua voluntate respuerent; quoniam Deus vult omnes homines salvos fieri; cum multis non detur parvulis, & sine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus, festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus, ac paratis, Deo nolente, non detur, cum repentè anoquam detur expirat, pro quo ut acciperet, current? Unde manifestum est eos, qui huic resistunt tam perspicuæ veritati, non intelligere omnino, qua locutione sit dictum, quod omnes homines vult Deus salvos fieri, cum tam multi salvi non fiant; non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis.* Et *lib. de prædest. sanct. cap.* 12. ita dicit. *Sed omnis hæc ratio qua defendimus gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, vere esse gratiam; id est, non secundum merita dari, quamvis evidentissimè divinorum eloquiorum testimoniis asseratur; tamen apud eos, qui nisi aliquid sibi assignent, quod priores dent, ut retribuatur eis, ab omni studio pietatis reprimi se putant; laboratur aliquando in ista majorum jam utentium voluntatis arbitrio; sed ubi venitur ad parvulos, & ad ipsum mediatorem Dei, & hominum, hominem Christum Jesum, omnis deficit præcedentium gratiam Dei humanorum asserito meritorum.* Ex quibus & aliis multis similibus constat, qualiter S. Augustinus illa tria, quæ à Pelagianis objiciebantur, inconvenientia solvit argumento de parvulis supra constituto.

CAPUT XIX.

Quòd illud argumentum de parvulis nunquam à Pelagianis fuerit solutum.

286. VARIIS rationibus laborarunt omni tempore Pelagiani prædictum argumentum de parvulis solvere, nec tamen potuerunt. Primò enim dicebant, eandem rationem non esse de parvulis, & adultis, nec illud argumentum de parvulis ad adultos posse transferri; quia in parvulorum prædestinatione & reprobatione agebatur tantùm de admissione gratuita ad regnum cœlorum, vel de exclusione ab illo, non autem de liberatione à culpa, aut de punitione seu reatu alicujus peccati quod ipsi haberent, sicut fit in adultorum prædestinatione & reprobatione.

287. Hanc responsionem refert & impugnat S. P. Augustinus *Epist.* 105. & 107. Et *lib.* 4. *contra Iulian. cap.* 8. & potissimè *lib. de dono persev. cap.* 11. In epistola enim 105. dicit, quòd licet eis concedatur omnino gratis illud, quod falsissimè supponunt, in parvulorum prædestinatione & reprobatione solùm agi de gratuita admissione in regnum cœlorum, & de exclusione ab illo absque omni eorum peccato & demerito, ita ut baptismus ponatur ab his solùm necessarius ad ingressum regni cœlorum, non ad absolutionem peccati (ut ipsa forma baptismi manifestat) adhuc tamen argumentum contra ipsos convincit. *Quam quæso* ait Augustinus, *allaturi sunt causam, quod alius sic gubernatur, ut baptizatus hinc exeat; alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium priusquàm ab eis baptizandus offeratur expiret.* Ac si clariùs diceret, quam causam assignare possunt, ut unus gratuitò admittatur in regnum cœlorum, & alius excludatur ab eo, qui vult omnes homines salvos fieri, & apud quem nulla est acceptio personarum. Dicant ergo, qualiter hæc inconvenientia quæ opponunt, ipsi salvent in illa gratuita admissione, vel exclusione à regno in parvulis ipsis? Et *lib.* 4. *contra Iulian. cap.* 8. alio modo prædictam responsionem impugnat dicens. *Nunquid ergo homines non sunt* (parvuli videlicet) *ut non pertineant ad id, quod dictum est, omnes homines?* Quod est clarè dicere, cum Pelagiani dicant Deum velle omnes homines salvos fieri, si ipsi voluerint; Numquid parvuli non pertinent ad illos omnes homines, quos Deus vult salvos fieri? cum ergo sub illa universalitate claudantur: cur excluduntur à regno cœlorum ab illo, qui

vult

Digitized by Google

vult omnes homines salvos fieri. Et *lib. de dono pers. cap.* 11. aliam prædictam responsionem excludit dicens: *Cur autem causam parvulorum ad exemplum majorum, sicut scribitis; non patiuntur afferri homines, qui contra Pelagianos non dubitant esse peccatum originale, quod per unum hominem intravit in mundum, & ex uno omnes esse in condemnationem?* Quibus verbis satis clarè ostendit, quòd si illi revera, & non sola voce peccatum originale in parvulis esse fatentur, bene admitterent argumentum de parvulis ad adultos transferri, dicendo quod sicut aliquibus parvulis misericordiâ Deus dimittit delictum, ita ab aliis justitiæ exigit debitum: quod sicut in parvulis, & in adultis æqualiter currit.

288. Igitur hac præclusa responsione, aliam secundam responsionem parabant Pelagiani dicentes, quosdam parvulos baptizari, atque salvari; quosdam verò sine baptismo perire; non ex Dei ordinatione, sed vel à fortuna, vel à fato. Hanc responsionem ex verbis & principiis Pelagianorum concludit, imò ab eis esse datam, tradit Augustinus lib. 4. contra Julian. cap. 8. *Vestra quippe sententia, non nostra est*, usque ad illa verba, *merita nulla sunt*. Illam etiam in terminis assignat Faustus Reghiensis Episcopus *lib. 2. de grat. & humanæ. arbitrio cap. 3.* loquens enim de interfectione Sanctorum Innocentium, quæ ipsis pro baptismo fuit computata, ut pote habens veram martyrij rationem; sic dicit: *Hanc itaque parvulorum* (idest Innocentium) *interfectionem, non dispositio Dei, sed impietas ordinavit inimici.* Cùm ergo neget Dei dispositionem, & providentiam circa illorum parvulorum salutem, & circa media quibus illam fuerunt consecuti, sine dubio totum, vel in casum, vel in fortunam reducit.

289. Contra hanc solutionem S. Augustinus epist. 105. citata ita dicit. *An hoc* (parvulorum scilicet prædestinationem & reprobationem) *fato vel fortunæ dàturi sunt? Non opinor eos in tantam dementiam prorupturos, quantulumcumque nomen Christianum tenere cupientes.*

290. Hac igitur secunda responsione secluſa ad aliam tertiam se convertebant Pelagiani, dicentes ideo aliquibus parvulis dari baptismatis gratiam, aliis verò denegari, quia illorum parentes circa illos diligentes erant, aliorum verò minimè: vel propter merita aliqua parentum aliquos baptizari, vel propter demerita alios sine baptismo perire.

291. Sed hanc tertiam responsionem facilè expugnat S. P. Augustinus epist. 105. & 107. Primò quia plerique parvuli ex infidelibus nati baptizantur; alij verò ex fidelibus procreati sine baptismo moriuntur: igitur ex parentum meritis baptismus non datur, nec ex demerito denegatur. Secundò quia parentibus cupientibus, festinantibus, ministrisque volentibus ac paratis, Deo nolente non datur baptismus: sæpe verò parentibus minùs curantibus, minusque diligentibus eorum filij baptizantur: ergo ex voluntate, diligentia, sive incuria parentum non provenit, quòd hi parvuli baptizentur, alij verò minimè. Tertiò quia pro parvulis qui in utero materno moriuntur cessat ista ratio: nec enim ad parentum curam, vel incuriam potest esse recursus. Quartò quia ut S. P. Augustinus ait prædicta epistola 105 gratis admisso quòd parentes hujus differentiæ sint causa, quid fecit parvulus ut propter demerita excludatur à cœlo? Nunquid ipse sibi parentes infideles, vel negligentes de quibus nascitur eligit? Et eandem rationem repetit lib. de dono persev. cap. 12. & alibi sæpe.

292. Cæterum advertendum, quòd licet S. Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 23. dicat, quòd parvuli qui sine baptismo pereunt, ob defectum, & negligentiam parentum pereant, vel eis baptismus non detur, ratione tamen valde diversa hoc dicit S. Prosper ab illa, qua Pelagiani hac eadem solutione utebantur, contra quos S. Augustinus militat. De qua rationis diversitate, quomodo videlicet à Pelagianis introducatur contra Catholicam veritatem; & quomodò à S. Prospero adhibeatur in sensu valde diverso, dicendum erit infra commodiùs. Unde ad præsens cum S. Augustino dicamus adversus Pelagianos, parvulis quibus baptismus datur, non ideo dari, quia parentes id promeverunt; nec ideo negari quibus negatur, quia parentes id etiam meruerunt, ut sic cum ista tertia evasione concludamus.

293. Cum ergo convicti fuerint has prædictas responsiones minime posse consistere, ad aliam quartam confugerunt, dicentes ideo parvulos, qui baptizantur, baptizari & salvari, quia præscivit Deus eos si diutiùs viverent bene operaturos & in gratia perseveraturos; eos verò, qui nec baptizantur nec salvantur, præscisse malè operaturos & in peccatis morituros si diutiùs viverent.

294. Hanc responsionem refert S. Prosper epist. ad S. P. Augustinum; illam etiam impugnat Sanctus Augustinus *lib. 1. de origi. anima cap.* 12. Et *lib. de prædest. sanct. cap.* 12. 13. & 14. Et *lib. de dono pers. cap.* 9. in quo ultimo loco ita concludit. *An eo rediturí sumus, ut adhuc disputemus, quanta absurditate dicatur, judicari homines mortuos etiam de his peccatis, quæ præscivit Deus eos perpetraturos esse, si viverent? Quod ita abhorret à sensibus Christianis aut prorsus hominis, ut id etiam refellere pudeat.* In tot tamque absurda multiplicatis impossibilibus solutionibus prorumpebant Pelagiani, quia refugiebant fateri parvulos veram originalem culpam habere, ob quam quidam justissimè à Deo reprobarentur; & alij ex mera misericordia, ac vera gratia per baptismum liberarentur. Ex eo enim quòd non intelligebant, qualiter dictum sit illud: *Qui vult omnes homines salvos fieri*, & qualiter cum hac generali doctrina Apostoli optimè cohæret, quod Deus in particulari aliquos propter demerita vult condemnare, in illas impossibiles & absurdas solutiones incidebant semper fluctuantes, & nullo modo argumentũ solventes.

CAPVT XX.

Quòd nec modò à recentioribus illud argumentum de parvulis aliqua ratione solvatur.

295. SED nec modò & temporibus istis prædictum argumentum aliqua ratione solvitur, licet illius mentionem faciant, & solvere conentur. Nec enim de novo aliam adducunt solutionem præter modò relatas, sed mutatis solùm verbis, æquivalentia & idem omnino significantia proferunt. Ex quatuor ergo solutionibus relatis duas eligunt recentiores, non minus quàm aliæ duæ, quæ relinquuntur, impossibiles. Eligunt itaque sicut fundamentalem primam responsionem modò relatam capite præcedenti, dicentes non esse eandem rationem de prædestinatione & reprobatione adultorum & parvulorum: nec argumentum de parvulis ad adultos posse transferri, ex eo quòd in adultorum prædestinatione & reprobatione agitur de ipsorum meritis, vel demeritis, præmiandis, vel æterno supplicio puniendis. Cæterum in parvulorum prædestinatione, & reprobatione agebatur solùm de gratuita admissione ad regnum, vel de exclusione ab illo, non autem de æterna punitione propter peccatum quod non habebant. Hoc constat apertè ex ipsorum verbis expressis in prima ex illis quatuor assertionibus: & cum hac prima responsione consequenter loquendo conjungunt aliam secundam, dicentes quòd parvuli

Digitized by Google

vuli sine baptismo pereant, ex Dei voluntate & intentione non provenire, sed id esse pœnam atque effectum peccati primi parentis, evenireque per accidens ex ipsa dispositione causarum universi; aliquando verò ex aliquorum malitia: quæ omnia impedire Deus minimè tenetur: ita dicunt in terminis in relatis assertionibus. Unde manifestum est, ipsos sentire parvulorum reprobationem, defectum baptismi, atque mortem præter Dei voluntatem evenire; & sic à casu fieri, vel ex fatali ordine & connexione causarum. Verùmtamen est, illos non ita hoc ipsum de prædestinatione parvulorum asserere, sicut de reprobatione fatentur, quòd nempe parvulorum prædestinatio præter Dei intentionem & voluntatem eveniat: verùm id expressè de reprobatione ipsorum affirmant.

296. Sed dices, quare potiùs hanc solutionem tam apertè negantem Dei voluntatem, & casum vel fortunam introducentem ausi sunt adducere?

297. Ad hoc dicendũ, hanc solutionem elegisse, quia ex illorum principiis videbatur consequentiùs deduci. Cum enim ipsi dixissent in parvulorum reprobatione non agi nisi de gratuita admissione, vel exclusione à regno cœlorum absque aliqua ipsorum culpa, quæ verè in ipsis esset, propter quam meritò & justè à regno excluderentur: hoc firmato principio, & illo alio apposito, quòd Deus vult omnes homines salvos fieri quantùm est ex parte sua, nisi & ipsi homines præstent impedimenta peccatis suis; consequenter dixerunt, Deum, qui vult omnes homines salvos fieri nisi ipsorum obstent peccata, parvulum illum peccatum non habentem non velle perire nec à regno excludere; sed id debere præter Dei voluntatem evenire ex aliis causis ad id concurrentibus. Si enim ipsi sentirent parvulum illum veram culpam in se habere, facili negotio se expedirent dicendo, illum non baptizari & perire, quia Deus illum propter illam culpam punire voluit, sicut & adultum quemlibet vult perire ad puniendum peccatum illius. Ex quo magis aperitur & confirmatur quod libro 1. part. 2. tract. 1. cap. 22. diximus, hanc sententiam non videri bene de peccato originali sentire.

298. Quomodo autem ex his duobus principiis, quòd videlicet Deus vult omnes homines salvos fieri nisi ipsi per peccatum obstent; & quòd in parvulis vera culpa & peccatum non sit, sed tantùm sit pœna peccati primi parentis, hi authores deducant parvulos perire sine baptismo præter Dei voluntatem, verba ipsorum satis manifestant; quæ licet in diversis locis ab ipsis statuantur, ordinem tamen inter se habẽt. Molina enim in concord. *q. 19 art. 6. disp. 1. §. ex his*, illud principium sæpe ab eis repetitũ constituit, quòd videlicet Deus vult omnes homines salvos fieri, & eis omnia remedia ad id necessaria tribuere, sub conditione tamen quòd per ipsos non steterit. Deinde *in quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 9.* quasi minor sub ista majori subsumitur, quòd videlicet in parvulorum reprobatione non agitur sicut in reprobatione adultorum de punitione æternæ mortis propter peccatum, sed de præcisa exclusione à regno. Ex quibus duobus principiis illam conclusionem inferunt, quòd ex Dei voluntate illi non pereunt, sed ex aliarum causarum dispositione. Quasi sic argumententur. Deus vult omnes homines salvos fieri, & eis remedia ad id necessaria conferre nisi ipsi suis peccatis ponant impedimentum; sed parvuli non ponunt impedimentum aliquo peccato, quod verè peccatum in eis sit: ergo si hæc eis non conferuntur, & absque illis revera pereunt, id ex Dei voluntate esse non potest, nec ex illa provenire: ergo necesse est quòd ex dispositione aliarum causarũ, vel ex aliorum malitia id proveniat.

299. Hæc est illorum aperta sententia, si omnia eorum principia, verba, & contextus verborum comprehendantur: quòd ut magis fiat manifestum referam authoris illius concordiæ verba ex quæst. 19. art. 6. disp. 1. §. ex his, *Ex his*, inquit, *Constat in Deo optimo maximo constituendam esse volitionem tum bonitate atque pietate dignissimam; tum libero arbitrio creato; probationique qua ad præmij palmam nos perducere constituebat, maximè consentaneam; qua videlicet homines omnes & Angelos quos condere statuebat, ex æternitate voluerit salvos fieri, sempiternamque vitam, mediaque ad eum finem necessaria eis conferre, sub conditione tamen si per ipsos, aut primum parentem non staret. Vnde cessat objectio, quam sæpius Augustinus repetit, quæque causa fuit ut testimonium Pauli non de omnibus universim hominibus exponeret, sed ad tres illas expositiones relatas confugeret. Sæpe enim objicit, pueros in uteris maternis interdum perire ante baptismum, nec tamen per pueros, nec per ministros Ecclesiæ stare, qui percuperent eis subvenire; & remedium baptismi ad salutem adhibere; nec tamen possunt: non ergo Deus vult omnes universim homines salvos fieri; etiam sub conditione illa, si per ipsos; aut per parentes, aut per ministros Ecclesiæ non staret. Ad hanc enim difficultatem respondendum est. Deum spectata prima conditione generis humani velle omnes homines nemine excepto salvos fieri, si per ipsos; vel primum parentem (cui primo dona gratuita toti soboli communicanda per generationem collata sunt) non stet. Posita vero ruina generis humani, & beneficio redemptionis, velle iterum omnes homines salvos fieri; servata tamen constitutione, cursuque causarum universi, dependenterque à libero arbitrio hominum, ut explicatum est. Quare Deo gratum est omnes salvos fieri, eaque de causa juxta testimonium Pauli vult ut ab eo id petamus, & pro viribus nostris omnibus proximis procuremus. Quòd autem quidam pereant, quibus nec alij nec ipsi sibimetipsis subvenire queant, effectus est atque pœna peccati primi parentis, idque non per se, sed per accidens ex ipsa dispositione causarum universi, ac primi parentis casu præter Dei intentionem, ac voluntatem evenit; ad id quoque interdum confert malitia aliquorum: quæ omnia Deus minimè impedire tenetur.* Hæc ille. Quibus verbis multa dicit consideratione digna. Primò enim notetur intentio satis expressis verbis declarata: intendit enim apertè contra S. P. Augustini sententiam, suam statuere. Intendit secundò illi S. Augustini argumentò respondere. Et tandem tertiò respondet, parvulos perire sine baptismo, non ex Dei voluntate, sed omnino per accidens, & præter illam, ex dispositione aliarum causarum. Omitto modò explicare quàm irreverenter contra Doctorem Sanctum Pelagianæ hæresis destructorem loquatur.

300. Verùm expendenda sunt verba illius authoris in prædicta responsione, tria in substantia dicit. Primum est, Deum spectatâ prima conditione generis humani velle omnes homines, neminem excepto, salvos fieri, si per ipsos, vel primum parentem, (cui primo dona gratiæ ut posteritati communicaret, collata sunt) non staret. Secundum est, quòd posita ruina generis humani, & beneficio redemptionis vult Deus omnes homines salvos fieri; servata tamen constitutione, cursuque causarum universi, & dependenter ab ipso arbitrio hominis. Tertium est, quòd aliqui parvuli pereant, non provenire ex Dei intentione & voluntate, sed esse effectum, & pœnam peccati primi parentis, id que non per se, sed per accidens evenire ex ordine causarum universi.

301. Illud primum dictum, quòd Deus vult omnes homines salvos fieri, attenta prima conditione generis humani, cum hac tamen conditione si per ipsos, vel primum parentem non steterit: in sensu quo

ab

Digitized by Google

ab iſtis authoribus intelligitur ſeminarium eſt totius Pelaginani erroris. Hoc enim ſic intelligebant, ut Deus, media illa voluntate qua omnes homines vult ſalvos fieri, daret omnibus ſufficientia auxilia ad ſalutem, ut qui, ex ſeipſis illis bene uterentur & efficacia redderent, ſalverentur: qui verò malè uterẽtur, illa reddendo inefficacia, damnarentur. De qua prava intelligentia abundè diximus ſupra tractatu ſecundo cap. 13. & ſequentibus.

302. Secundum verò dictum parùm diſtat à primo, in eodem enim ſenſu perſeverat, quòd videlicet poſt peccatum primi parentis, & beneficium Redemptoris, Deus ita vult omnes homines ſalvos fieri, ut tamen id dependeat à cauſis univerſi, & à libero hominis arbitrio; quæ cauſæ aliquando inferunt parvulo mortem ante baptiſmum, & impediunt ne ille ſalvetur.

303. Tertium verò dictum ad quod & duo priora ordinantur, in primis illam continet propoſitionem, quòd ex Dei intentione, & voluntate non evenit quòd illi pereant, ideſt, quòd in perpetuum excludantur à regno: hoc enim intelligit, cum dicit, illos perire. Dixit autem id non evenire nec ex Dei intentione, nec ex Dei voluntate; ut neget aliquo modo, ſive primò & per ſe (quòd pertinet ad intentionem) ſive ſecundario volitum à Deo, quòd illi parvuli *ſic* pereant. Dicit præterea id eſſe effectum, & pœnam peccati primi parentis. Hoc (ſi non ab his authoribus quorum notus eſt ſenſus diceretur) poſſet rectè intelligi, ut nimirum peccatum primi parentis ſit prima radix, & cauſa perditionis illorum parvulorum: at verò proxima & immediata cauſa, quòd pereant, ſit peccatum, quod ex illa origine traxerunt, quodque verè in ſeipſis retinent; ob quod & juſtè damnantur. At vero hi authores, ut diximus ſæpe & latè probavimus 1. lib. part. 2. tract. 1. intelligunt, parvulos perire; eſſe effectum & pœnam peccati primi parentis quod in ſe retinent. Verùm quare non dicunt apertè eſſe pœnam culpæ quam habent, vel peccati quo maculantur? Quare non dicunt aliquando, parvulos habere in ſe peccatum (quod eſt mors animæ) propter quod pereunt; ut fatentur Concilia, potiſſime Aurauſicanum ſecundum can. 2. Quare, inquam, hæc non dicunt? ſed dicunt eſſe pœnam & effectum peccati primi parentis: procul dubio cum hoc dicunt, volunt pœnam peccati primi parentis in parvulos tranſire non culpam. Quod & ſubjuncta verba declarant, cum dicunt, damnationem parvulorum eſſe effectum & pœnam peccati primi parentis non per ſe, ſed per accidens ex diſpoſitione aliarum cauſarum provenientem, in quantum cauſæ naturales mortem parvulis inferentes, cauſæ ſunt per accidens damnationis ipſorum. Verùm peccatum originale per ſe cauſa demeritoria eſt illius damnationis, cauſa vero efficiens divina voluntas, quæ punire vult parvulos propter illud peccatum, quo verè reddũtur inimici Dei.

304. Explicatâ ergo mente iſtorum authorum, et ab omnibus comprehendatur illam fere impugnare non oportet. In hac enim materia ut S. Hieronymus dicit epiſtola ad Cteſiphontem adverſus Pelagianos, illorum ſententias prodidiſſe, ſuperaſſe eſt. Quis enim audiat perire parvulos in æternum ſine Dei voluntate, ſed à caſu, fortuna, vel fato. Repetendum eſt ergo cum Sancto Auguſtino epiſt. 105. *An hoc fato, vel fortunæ daturi ſunt*, quòd parvuli pereant? An præter Dei voluntatem id ex cauſis naturalibus, vel ex aliorum hominum malitia poteſt dici evenire? *Non opinor*, inquit Sanctus Auguſtinus, *eos in tantam dementiam prorupturos, quantulumcumque nomen Chriſtianum tenere cupientes.* Et lib. de dono perſev. cap. 12. in fine ſic dicit. *An res humanas in parvulis; non divinâ providentiâ, ſed fortuitis agi caſibus opinabimur?* Et iterum ibi. *Aut parentum negligentiæ ſic tribuendum eſt, quòd parvuli ſine baptiſmo moriuntur, ut nihil ibi agant ſuperna judicia, &c.* Quibus verbis, quid aliud affirmat quàm fatum, vel caſum conſtitui, & divinam providentiam negari; ſi negemus divino judicio fieri, ut parvuli ſine baptiſmo moriantur. Quid aliud docent, qui dicunt negari parvulis baptiſmum ex diſpoſitione aliarum cauſarum præter Dei voluntatem & intentionem, niſi viam, ad fatum vel fortunam iterum introducendam. Quare in ultimo citato loco Sanctus Auguſtinus ad probandum parvulis negari baptiſmum non fatali neceſſitate, ſed Dei voluntate inducit illud Matth. 10. *Nec paſſer cadet in terram ſinè patre veſtro.* Quomodo ergo ab his authoribus dicitur, parvulis negari baptiſma ſine Dei intentione atque voluntate? Certò contra illos convincit Auguſtinus, quòd fatum, vel fortunam reſpectu talis operationis conſtituant, voluntatẽ Dei circa illos effectus negantes.

305. Dicent fortè, nec ex fato, nec ex fortuna, vel caſu id evenire, ſed id Deũ permittere, ſicut peccatũ quod à Deo nullo modo eſt volitum, & ab ipſo permittitur, non dicitur evenire à caſu & fortuna reſpectu Dei. Ad hoc primò dicendum, abſurdum eſſe, illos de malo pœnæ ſicut de malo culpæ loqui, ita quòd ſicut unum eſt tantùm permiſſum, ita etiam aliud; quod jam ſupra ſatis hoc libro impugnavimus. Dicendum ſecundò, peccatum ideo non eſſe à caſu reſpectu divinæ voluntatis, quia illud eſt à divina voluntate permiſſum: nec ante eſt à Deo præviſum quàm voluntate ſua permiſſum. Unde ſi ante actum divinæ voluntatis permittentis eſſet à Deo præviſum, eſſet certè à caſu reſpectu divinæ voluntatis, & omnibus modis præter ejus voluntatem etiam permittentem eveniens, ut ſupra in materia de divina providentia latè oſtendimus. In caſu autem poſito hi authores nec voluntatem Dei volentem quòd parvuli pereant admittunt; nec Deum permittere efficaciter quòd illæ cauſæ inferant mortem ante baptiſmum concedunt: quia cum Deus velit omnes homines ſalvos fieri, nec putant cum hac voluntate poſſe compati, quòd Deus velit efficaciter permittere, quòd illi parvuli pereãt, ſed id dicunt evenire per accidens ex aliis cauſis præter Dei voluntatem. Igitur ut ex Sancto Auguſtino modò diximus, qui divinam voluntatem circa tales operationes negant, illas evenire ex fato vel fortuna conſtituunt: quod æquivalentibus verbis explicant per cauſas extra Dei voluntatem operantes.

306. Eſt inſuper hæc authorum ſententia contra apertam Sancti Auguſtini doctrinam epiſt. 107. ad vitalem, in qua ſemel atque iterum dicit, quòd parvulis non applicatur baptiſmus, non quia ipſi nolunt, cum voluntatem non habeant, non quia parentes & miniſtri nolunt cum ſæpe feſtinent, & ad id ſint præparati; ſed quia Deus non vult, quòd eis detur baptiſmus: quod repetit lib. de dono perſev. cap 12.

307. Inſuper actuum 16. habetur, quòd volentes Apoſtoli Evangelizare verbum in Aſia vetati ſunt à Spiritu Sancto, & diſponentes ire in Bithiniam prohibiti ſunt à Spiritu Jeſu. Quis autem dubitet quin toto illo tempore quo prohibiti ſunt prædicare baptiſmum in illis provinciis, parvuli multi perierint? ergo Deus eis prohibuit prædicationem baptiſmi & ipſum baptiſmum: ergo ideo baptizati non ſunt, quia Deus prohibuit expreſsè miniſtris: ergo ideo ſine baptiſmo perierunt, quia Deus noluit ipſos baptizari. Quid hic dicturi ſunt, qui tam aperta veritate relicta, negant divinam voluntatem velle aliquos ſine baptiſmo perire propter judicia occulta; & ad alias cauſas vel fatales, vel merè caſuales, & præter Dei voluntatem agentes confugiunt. Abſit ergo aſſerere, non

Digitized by Google

divina voluntate, sed per accidens omnino & præter illam aliquibus negari baptismum.

308. Præterea cum dicunt, suppositio peccato primi parentis & beneficio Redemptionis Deum velle omnes homines salvos fieri, servata tamen constitutione & ordine causarum universi, interrogandi sunt, an iste concursus causarum inferentium mortem parvulis ante baptismum sit ex Dei ordinatione & voluntate, vel non; si non: ergo in terminis conveniunt cum Fausto dicente, ut supra retulimus, interfectionem innocentium non ex Dei dispositione, sed impietate tyranni ordinatam fuisse: nec enim Faustus divinam voluntatem permittentem (suppositia prævisione illarum causarum) negavit, aut negare potuit. Si autem concursus talis fuit ex divina voluntate causatus, habetur intentum, quòd videlicet voluit Deus illum parvulum non baptizari, sed in peccato justè relinqui. Mirum ergo, quòd volentes cum S. P. Augustino & cum veritate ipsa fateri peccatum originale verè & propriè esse peccatum, propter quod justè Deus parvulos puniat & damnet, tot falsa & impossibilia multiplicent, & publicent.

CAPUT XXI.

Quòd parvulis sine Baptismo decedentibus nullum sufficiens salutis remedium Deus velit applicare.

309. ULTIMO loco in hac materia de parvulorum prædestinatione, & reprobatione, illa venit examinanda assertio supra relata, qua contendunt recentiores, Deum voluisse quantum est ex se in omni lege omnibus parvulis, nullo excepto, dare sufficiens remedium contra peccatum originale, potissimè verò quantùm est ex se velle in nova lege omnibus parvulis conferri Baptismum. Dicunt quantùm est ex se, quia vident illud, quod evidentissimum est, multis parvulis de facto non conferri; sed id dicunt evenire præter Dei voluntatem, ex aliorum causarum cursu & dispositione, ut modò ex ipsis probavimus.

310. Tria potissima sunt fundamenta, quibus id persuadent. Primò, quia Deus voluit dare Christum redemptorem pro omnibus nullo excepto: ergo omnibus per Christum voluit dare sufficientia remedia ad salutem: voluit ergo & parvulis omnibus sufficientia remedia ad salutem conferre. Ultima consequentia est nota: & prima probatur, eatenus est Christus generaliter omnium redemptor, quatenus per ipsum omnia sufficientia remedia ad salutem dantur, ita ut si omnibus hæc sufficientia remedia non concedantur, respectu eorum quibus non dantur, Christus non videatur verus redemptor: si ergo aliqui talia remedia de facto non habent, non ex Dei voluntate illis privantur, sed ex aliarum causarum dispositione.

311. Secundò, Dominus præcepit omnes baptisari: ergo quantum ex se est, omnibus vult dari baptisma: ergo si aliquibus de facto negatur, non ex Dei voluntate, sed aliunde debet provenire. Prima consequentia probatur, quia aliàs aliquid impossibile eis præciperet Deus, omnes videlicet baptisare, quorum aliquos nollet baptisari.

312. Tertiò, quia Deus vult omnes homines salvos fieri: ergo cum in hac voluntate includantur omnes parvuli, omnibus illis vult baptismum confere quantùm est ex se. Probatur consequntia, quia ex illa voluntate qua vult omnes homines salvos fieri, sequitur voluntas dandi omnibus baptismum quantùm in se est. Quomodo enim potest velle illos salvos fieri, si eis non vult dare sufficiens remedium ad salutem?

313. In hac difficultate generalem supponimus doctrinam ex D. Thoma 3. p. quæst. 60. art 5. & 61. art. 3. Et quæst. 70. art. 4. ad 2. & ex communiori Scholasticorum sententia in 4. dist. 1. fuisse videlicet in omni lege remedium aliquod contra peccatum originale. In lege quidem naturali non ita erat determinatum, sed in diversis nationibus, diversa Sacrificia seu Sacramenta ad id instituebantur. In lege autem scripta fuit circumcisio, quamvis & ipsa incepisset ante legem scriptam ut notum est in Abraham. In lege verò gratiæ est baptismus. De differentia horũ quantùm ad virtutem & causalitatem nihil dicimus, sed ea supponimus ex D. Thoma, imò ex Conc. Florentino.

314. Observandum præterea, quid nomine auxilij sufficientis in hac & aliis similibus materiis intelligant recentiores, cum dicunt, Deum dare auxilium sufficiens ad salutem: intelligunt enim (quod est maximè notandum) auxilium, sive remedium ita ex parte Dei sufficiens ut aliud ex parte Dei non sit necessarium, ut de facto quis salutem consequatur, ut infra commodiùs erit magis explicandum.

315. Observandum denique, quòd cum quæritur, an parvuli omnes habeant sufficiens remedium ad salutem, & an Deus velit illis sufficientia remedia ad id conferre, hoc potest in duplici sensu intelligi. Primò de remedio ipso contra peccatum originale instituæ, quod Deus voluit ut sufficiens contra tale peccatum instituere. Secundò, ut intelligatur de applicatione ipsius remedij, & de voluntate, qua *Deus voluit tale* remedium sufficienter parvulis applicare. *Hæc enim* distinguenda sunt ad æquivocationes tollendas.

316. Ad dubium igitur dicendum est primò, loquendo de Baptismo in lege gratiæ, & de aliis remediis in lege naturæ & scripta institutis contra peccatum originale habent parvuli, semperque habuerunt sufficiens remedium contra peccatum, & ex consequenti habuerunt sufficiens remdium ad salutem, sed multò præstantius in *lege gratiæ. Quòd est dicere*, fuisse semper in omni *lege*, sed *in lege* gratiæ potissimè institutum sufficiens remedium ad salutem contra peccatum originale pro parvulorum salute, ita quòd Deus sufficienter eis providit ad salutem. Et ratione hujus generalis institutionis sufficientis remedij verè dicuntur parvuli ipsi habere sufficiens remedium ad salutem contra peccatum. Sicut enim si in magna quadam civitate instituta esset publica medicina sufficiens pro omnibus qui infirmitate aliqua laborarent, verè dicerentur omnes cives illius civitatis habere sufficiens remedium contra infirmitatem illam, licet plurimis ob multas causas impedientes illa medicina non applicaretur. Sic ergo, quia Christus instituit remedium sufficiens pro parvulorum salute contra peccatum originale, quo parvuli omnes possunt à peccato mundari, verè dicuntur parvuli omnes habere sufficiens remedium contra peccatum. Videatur S. Thomas 3.p.quæst. 49. art. 1. ad 3 ex quo ista desumitur ratio. Et eodem modo potest etiam in hoc sensu dici, Deum velle voluntate antecedente omnium parvulorum salutem, & omnibus velle conferre remedium ad salutem sufficiens, in quantum videlicet instituit pro omnibus parvulis, nullo excepto, sufficiens salutis remedium. Hanc veritatem sufficienter confirmant & efficaciter probant argumenta illa tria modò relata. Quia enim Christus sufficiens remedium pro omnibus parvulis instituit, dicitur voluntate antecedente eos velle salvare. Et optimè verificatur, quòd omnium sit generalis redemptor, & quòd omnes justè præcipiat baptizari.

317. Dicendum secundò, Deus non vult omnibus parvulis dare Baptismum quantùm in se est, in sensu quem recentiores intendunt, ita ut Deus quantùm est ex parte sua illis velit conferre baptismum, & præter

Digitized by Google

præter Dei voluntatem ex aliarum causarum dispositione impediatur & non conferatur. Veritas ista probatur ex dictis præcedenti capite, in quo efficaciter probavimus sentum istum damnari debere, quia rem tanti momenti per accidens omnino, & præter Dei voluntatem dicit evenire, cum S. Augustinus dicat quòd quibusdam parvulis baptismus Deo nolente non datur: unde ab omni Theologo est affirmandum, quòd ideo multi non recipiunt baptismum, quia Deus non vult illud eis conferri, vt in eis puniat verum peccatum originale, quod habent. Igitur in sensu recentiorum, quem in illa sua assertione prætendunt, & quem satis aperiunt, dici non potest, quòd Deus omnibus parvulis vult dare baptismum quantùm est ex parte sua, ita ut si non detur, aliunde id proveniat præter Dei intentionem & voluntatem.

318. Dicendum tertiò, in sensu alio valde diverso admitti posse, quòd Deus quantùm est ex parte sua vult omnibus parvulis conferri baptisma, in quantùm videlicet pro omnibus parvulis nullo excepto voluit baptismum instituere ut sufficientissimum remedium in universum omnium parvulorum. Qui enim pro omnibus, nullo dempto, sufficiens salutis remedium instituit, ex parte sua omnibus vult salutem, & ex parte sua omnibus vult tale remedium; cæterum ista voluntas, qua Deus omnibus parvulis vult conferre baptismum quantùm est ex parte sua, est voluntas antecedens & inefficax, sicut & illa qua Deus vult omnes homines salvos fieri. Cum qua voluntate antecedenti optimè stat, quòd Deus voluntate consequenti, & efficaci velit, quòd aliquibus parvulis in particulari nullo modo baptismus conferatur, nec eis applicetur etiam sufficienter, ut dictum est. Itaque velle pro omnibus parvulis instituere baptismum voluntas Dei efficax & consequens fuit: velle autem omnibus in particulari illud conferre, vel applicare, tantùm est voluntas inefficax & antecedens, qua videlicet vult Deus omnes illos salvare, ut homines sunt; licet in particulari, attento ordine justitiæ suæ, velit in istis, quibus baptisma applicari non vult, peccatum originale punire.

319. Dicendum ultimò, loquendo de applicatione hujus remedij, videlicet Baptismi à Deo instituti, & de voluntate Dei volentis omnibus parvulis tale remedium applicare, non habent omnes parvuli tale remedium sibi sufficienter applicatum. Imo vult Deus absolutè & efficaciter, quòd illis non applicetur ad puniendum originale peccatum, quod habent. Probatur, quia multi parvuli pereunt in terris, in quibus nec Baptismi notitia habetur: non ergo illis tale remedium sufficienter applicatur. Item, quia plures in uteris maternis rapiuntur, certum est autè quòd illis baptismus non est sufficienter applicatus. Item probatur, quia volentibus Apostolis ire ad prædicandum Baptismum aliquibus nationibus, illos Spiritus Sanctus ad tempus prohibuit, ut constat apertè ex Scriptura supra inducta: Certissimum est autem, quòd illo tempore aliqui parvuli sine tali remedio decesserunt: ergo voluit Deus quòd illis tale remedium non applicaretur ad puniendum originale peccatum, ut diximus.

320. Præterea id apertè probatur ex S. P. Augustino *Epist.* 107. *ad vitalem* Et *libro* 4. *contra Iulian. cap.* 8. *Lib. de natura & grat. cap.* 8. *Lib. de præd. Sanct. cap.* 12. Quibus in locis illud pro certo constituit, quòd parvuli, qui sine Baptismo rapiuntur, non alia ratione baptismo privantur, nisi quia Deus noluit illis dare baptismum, sed ab eis vult justè debitum exigere, eos puniendo propter originale peccatum, quod habent. Itaque apertè docet citatis locis S. Doctor, quòd parvulis illis ideo non datur baptismus, non quia parentes nolunt, sed quia Deus non vult: neque eis denegatur propter negligentiam, vel peccata parentum, sed quia Deus à parvulis talibus vult debitum exigere. Rationes autem quibus S. Augustinus id manifestat retulimus supra, excludentes illas quatuor Pelagianorum evasiones, quibus hoc insolubile argumentum de parvulis solvere conabantur.

321. Quod si opponas, quòd etiam S. Prosper *lib. 2. de vocat. gent. cap. 23.* hanc eandem videtur defendere solutionem, quòd videlicet, ideo parvulis sine remedio decedentibus remedium non datur, quia parentes eo remedio non bene utuntur, vel propter aliam culpabilem ipsorum negligentiam; quod videtur contra modò inductam S. Augustini doctrinam.

322. Ad hoc respondeo, distinguendum esse diligentiùs, quid Pelagiani in prædicta argumenti solutione errantes dixerint, & quid S. Prosper sine errore dictaverit. Pelagiani quidem errabant, quia dicebant, quòd sicut parvulis, quibus Baptismus non datur, ex culpa aliqua parentum non datur, ita quibus datur, ex parentum merito datur; ita quòd illa Baptismi collatio non sit vera gratia. Rursus errabant, quia argumentum de parvulis ad majores negabant posse transferri, quia non putabant in parvulis vere esse originalem culpam, quæ justè à Deo posset per privationem Baptismi puniri. Et alia similia confingebant deliramenta, quæ proinde S. Augustinus efficaciter impugnat, & nos cum Sancto Doctore impugnavimus supra. At verò S. Prosper ista illorum dogmata damnans firmiter tenet, peccatum originale esse veram culpam in parvulis, ob quam solam justissimè Deus potest negare baptismum. Addit tamen non irreligiosè posse credi, quòd parvuli, qui rapiuntur sine remedio, habeant etiam illam generalem gratiam, quæ semper omnibus data fuit nationibus, qua si bene uterentur parentes eorum, etiam ipsi per eosdem juvarentur. Hæc enim sunt ipsius verba citato cap. 23. Quibus verbis hoc solùm docet, quòd videlicet in omni lege fuit aliquod remedium pro parvulis, quod si per parentes ipsis applicaretur, ipsi parvuli juvarentur: quod verissimum est. At verò quòd parentes illo uterentur, illudque parvulis applicarent, vel alij præter parentes docet esse divinæ gratiæ in eodem capite. Similiter quòd parentes tali remedio non utantur, neque illud parvulis applicent, itaut vel nolint applicare, vel impediantur quacumque aliâ viâ ex divina provenit voluntate atque justitia, quæ illâ viâ vult originale peccatum illorum parvulorum punire, ut S. Augustinus semper docuit, nec contrarium docet S. Prosper in citato loco. Itaque ibi solùm dicit, quòd parvulis non defuit generale remedium, ut à peccato liberarentur: quod verum est sine dubio. Docet secundò, quòd cum remedium illud parvuli sibi applicare non possint, in tali applicatione subjacent alienæ parentum voluntati, vel aliorum: quod etiam est verum. Tertiò & ultimò docet, quòd si parentes, vel quicumque alij illo remedio bene uterentur, parvuli ipsi per eos contra originale peccatum juvarentur: quod etiam absque dubio certum est, vera enim est conditionalis illa: Et hæc tria tantùm docet S. Prosper in prædicto loco. Ex quibus tamen non licet inferre, quòd quando de facto parentes, vel alij bene vtuntur remedio ipsum parvulis applicando, hoc non proveniat ex divina misericordia, volente per illam viam parvulum liberare. Similiter non licet inferre, quòd quando parentes, vel alij non bene vtuntur tali remedio, sive ex voluntate nolente, sive ex impotentia & impedimento quocumque, non, inquam, licet inferre, vel S. Prospero tribuere, quòd id non proveniat ex divina voluntate, volente illâ viâ justissimè punire parvulum propter originalem culpam quam habet. Unde S. Prosper à S. Augustini sententia non recedit.

Digitized by Google

CAPUT XXII.

Contrariorum argumenta dissolvuntur.

323. AD illa tria in contrarium objecta, quæ probare intendebant, Deum omnibus parvulis dare sufficiens remedium quantùm est ex parte sua, ita ut si aliqui illud non recipiant, ex aliis causis præter Dei voluntatem eveniat. Respondetur, & ad primum dicendum, non dissimilem olim fuisse Massilienſium argumentationem, cui respondet S. Prosper ad cap. Gallorum respons. 9. & sententia etiam nona & ad objectiones Vincentianas resp. 1. in quorum ultimo loco ita dicit. *Quod enim ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc saculum sine fide Christi, & sine regenerationis sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. Cum itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captivitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, & jam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Cujus mors non ita impensa est humano generi, ut ad redemptionem ejus, etiam qui regenerandi non erant, pertinerent: sed ita, ut quod per unicum exemplum gestum est pro universis, per singulare sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute divina habet quidem in se ut omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur.* Hæc S. Prosper. Quibus verbis in summa Massilienſibus respondit, non rectè ipsos inferre, Dominum nostrum Jesum Christum non generaliter pro omnibus passum, neque omnium esse generaliter Redemptorem, ex eo quòd multis ejus redemptio non applicatur. Quia licet quoad sufficientiam & virtutem, & quoad pretij magnitudinem pro omnibus mortuus sit, & omnium verè sit generalis Redemptor, quantùm tamen ad efficaciam, non pro omnibus est mortuus, neque omnium redemptor extitit, ut communiter omnes Theologi fatentur.

324. Sed instant, quòd ex eo quod Christus Dominus quoad sufficientiam sit omnium verè Redemptor, omnibus debeat applicare sufficientia remedia; & si omnibus quantùm est ex se non applicat, quòd nec Christus pro omnibus verè sit mortuus, neque verè omnium dicatur Redemptor.

325. Verùm ad hoc jam ex S. Prosperi verbis patet responsio. Non enim requiritur ad hoc ut cum omni proprietate Christus dicatur omnium Redemptor quoad sufficientiam, quòd omnibus de facto sufficientia remedia applicentur, sed quòd in se habeat sufficientem virtutem, & talem pretij magnitudinem, qua possint sufficientissimè omnes redimi atque salvari: quòd autem aliquibus non applicetur ad alia pertinet divina judicia. Itaque illa sufficientia, quam postulat generalis redemptio, in pretio sanguinis Christi est, non autem in auxilio sufficienti omnibus collato, vel in remedio omnibus sufficienter collato, ut manifestè patet de parvulis, qui in utero matris moriuntur, pro quibus sine dubio Christus mortuus est quoad sufficientiam, & sufficienter illorum est Salvator atque Redemptor, cum tamen nullum sit salutis remedium illis sufficienter applicatum, quia noluit Christus Dominus illud eis applicari, propter occulta, justaque judicia, ut semper repetit S. Pater Augustinus.

326. Propter aliam etiam rationem cum proprietate dicitur Christus omnium in universum Redemptor atque Salvator; quia videlicet sufficientia pro omnibus instituit salutis remedia nullo sive adulto, sive parvulo excepto. Hæc solutio S. Thomæ est, hoc enim modo explicat semper, quòd Christus est omnium in universum Redemptor atque Salvator quoad sufficientiam, & quòd omnes sua passione causaliter à peccatis liberavit, id est, instituendo causam nostræ liberationis, ex qua possent quæcumque peccata & quandocumque remitti, vel præterita, vel præsentia, vel futura: sicut si medicus conficiat medicinam, ex qua possint quicumque morbi sanari etiam in futurum: his expressis verbis sufficientiam passionis Christi explicat S. Thomas *3. par. quæst. 49. art. 1. ad 3.* Et *quæst. 29. de verit. art. 7. ad 4.* ita ait. *Ad quartum dicendum, quòd meritum Christi quantùm ad sufficientiam æqualiter se habet ad omnes, non autem quantùm ad efficaciam; quod accidit partim ex libero arbitrio, partim ex divina electione, per quam quibusdam misericorditer effectus meritorum Christi confertur; quibusdam verò justo judicio Dei subtrahitur.* Ecce sufficientiam quantùm ad omnes æqualem constituit eo modo quo ex ipso reliquimus explicatum ex 3. parte loco citato, quia videlicet pro omnibus sufficientia remedia instituit, licet multis nullo modo applicentur.

327. Adverte tamen circa prædictum locum, quòd cum S. Thomas dicit, partim id ex *arbitrio* provenire, partim ex divina electione, *nulla ratione intendit*, constituere liberum arbitrium & *gratiam causas partiales*, sicut moderni constituunt, *ut libro tertio copiosiùs dicendum erit*, *sed tantùm intendit dicere*, quòd gratia detur, vel *subtrahatur*, partim ex libero arbitrio provenire, partim ex divina electione: cum autem gratia negatur, *id* provenit ex libero arbitrio ob cujus indignitatem Deus illam negat. Itaque totum hoc disjunctum quòd gratia detur vel subtrahatur, *quoad unam partem illius* provenit ex divina electione, quoad aliam verò ex libero arbitrio. Et hanc esse legitimam S. Thomæ sententiam & mentem, ipsa S. Doctoris inducta verba manifestant satis, si inspiciantur. Itaque duo in summa affirmanda sunt. Primum, Christum quoad sufficientiam omnium in universum esse Redemptorem & pro omnibus mortuum fuisse. Secundum, Christum esse Redemptorem omnium quoad sufficientiam, non esse, dare omnibus de facto sufficientia remedia ad salutem quantùm est ex parte sua, ita ut præter Christi intentionem & voluntatem eveniat, si illa non habeant; sed esse, habere in se virtutem & pretij magnitudinem talem, ut multi Mundi possint per illam liberari, atque ab omnibus peccatis salvari.

328. Est & tertia alia ratio, ob quam optimè salvatur, quòd omnium in universum sit Christus Redemptor quoad sufficientiam, quia videlicet, omnes in statu vitæ hujus possunt per Christū obtinere sufficiens salutis remedium, omnibus enim illud potest Christus dare: unde S. Thomas *3. p. quæst. 8. art. 3. in corpore & solut. ad 1.* docet, quòd licet infideles non sint actu uniti Christo, sunt tamen illi uniti in potentia, quia possunt illi uniri: quæ potentia, ut ibi docet S. Thomas, primò & principaliter consistit in virtute Christi, quæ est sufficiens ad salutem humani generis; secundariò autem in arbitrij libertate. Et hoc modo dicit ibi S. Thomas, quòd Christus est omnium hominum caput, etiam infidelium: si ergo secundùm Sanctum Thomam ut dicatur Christus omnium hominum caput, sufficit quòd habeat virtutem ad uniendum sibi omnes homines tanquam membra, etiamsi de facto aliqui illi uniti non sint; eodem prorsus modo sufficiet, ut Christus dicatur omnium Redemptor quoad sufficientiam, quòd omnibus possit dare

Digitized by Google

dare ſufficientia ſalutis remedia, licet de facto aliquibus illa non tribuat.

329. Ad ſecundum dicendum, argumentum illud nullius eſſe momenti, ſicut enim Deus non vult homines omnes abſoluta voluntate & conſequenti ſalvari; ita neque hac voluntate vult omnes baptizari; neque talis voluntas colligitur ex præcepto baptiſmi, imo nec ex tali præcepto licet colligere homines habere in ſe collatũ ſufficiens remediũ baptiſmi, vel baptiſmũ habere in ſua poteſtate, ſi priorem divinã poteſtatẽ ſecludamus, quia id, quod Deus præcipit, vult voluntate ſigni, quæ in præcepto conſiſtit; ut autem præceptum illud ſit de re poſſibili, ſatis eſt, poſſibilem omnibus eſſe baptiſmum per Dei auxilium. Quòd autem cum hac generali præcepti impoſitione, qua omnes jubentur baptizari, ſtet ſimul efficax Dei voluntas prohibens ne aliquibus baptiſmus prædicetur, conſtat aperte Act. 16. ubi cum Paulus & Silas tentarent ire in Bithiniam, non permiſit eis Spiritus Jeſu. Quomodo ergo baptizari eos voluit, quibus nec prædicari quidem baptiſmum permiſit? Certum eſt ergo, quòd illis Deus noluit dari baptiſma: hîc enim ad alias cauſas baptiſmum impedientes præter Dei voluntatem recurrere non licet, cum ipſe Deus teſtetur ſe prohibuiſſe ne irent ad prædicandum & baptizandum.

330. Ex quo dicendum videtur, illis, quibus ſic prohibuit ad tempus prædicari Evangelium, auxilium ſupernaturale ad credendum & ad ſalutem non dediſſe; nec enim videtur credibile, quòd illis interius auxilium ſupernaturale dederit ad credendum, quibus expreſsè prædicationem prohibuit; quia juxta communem modum ante interius auxilium prædicatio præmittitur. Ubi etiam aliud prænotaverim, nunquam Deum mittere prædicatores ad aliquod Regnum, Provinciam, vel Civitatem in qua aliqui prædeſtinati non ſint; quia aliàs haberet Deus abſolutam voluntatem nullũ ſalvandi ex eis, & ſic videretur quodammodo otioſa talis prædicatorum miſſio. Imo non videretur id dignum Dei clementia, quia tunc illis omnibus imputaretur quòd non crederent, nec ignorantiâ excuſarentur: unde ex prima intentione videretur Deus velle illos punire. Cum ergo prædicatores à Deo mittuntur in aliquam partem, ſignum eſt, ibi eſſe aliquos prædeſtinatos, propter quos ex prima intentione prædicatores mittit: unde licet ex conſequenti multis, aliiſque plurimis, qui non convertuntur, imputetur infidelitas, patienter ſuſtinere debent, quia totum hoc Deus ordinat in bonum electorum. Ex quo recte poſſumus colligere in Bithinia pro illo tempore, quo prohibita eſt eis prædicatio, prædeſtinatos non fuiſſe: unde nec divina clementia eis tunc mittere voluit prædicatores in majorem ipſorũ damnationem: & ſic poteſt etiam intelligi illud de Tyriis & Sidoniis, quòd videlicet quia à maſſa perditionis non erant ex prædeſtinatione ſeparati, ut Sanctus Auguſtinus affirmat, ideo nec eis mittere voluit Chriſtus prædicatores, ne infidelitas eis imputaretur ad culpam.

331. Ad illud ultimum de voluntate, qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, diximus ſupra abunde: nunc ad prælens id affirmamus, cum hac voluntate antecedenti & inefficaci qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri in quantum homines ſunt beatitudinis capaces, ſtare optimè voluntatem conſequentem & abſolutam, qua Deus vult aliquos parvulos non ſalvari propter peccatum originale in eis puniendum, ut dictum fuit ſupra. Dicimus ſecundò, hujus voluntatis volentis omnes homines ſalvos fieri non eſſe effectum, dare de facto auxilia ſufficientia; ſed hujus voluntatis effectus eſt, dari omnibus naturam ad beatitudinem ordinatam, ut docet S. Thomas *quæſt. 23. de verit. art. 2. in fine corporis.* Similiter effectus illius antecedentis voluntatis eſt, dare omnia naturalia & gratuita quæ generaliter pro omnibus inſtituta ſunt, ut divina præcepta, ſancta conſilia, divina inſtituta Sacramenta, quæ æqualiter ex vi illius voluntatis, qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, pro omnibus ordinata ſunt, ut S. Thomas exponit *in 1. diſt. 46. art. 1.* ſicut ſupra dictum fuit. Circa illud autem, quod ex his authoribus retulimus, eos nomine auxilij ſufficientis illud intelligere, quod ita ad ſalutem ſufficiat, ut nullum alium neceſſarium ſit, ut quis de facto ſalutem conſequatur: dicimus nomine auxilij ſufficientis id non intelligere, ſed illud quod dat tantum poſſe ſalvari: ſupra quod, ut de facto quis ſalvetur, opus eſt auxilio dante ipſum poſſe & operari, quod dicitur efficax: & hoc quantùm ad rei ſubſtantiam ſupponimus. Quantùm vero ad modum loquendi, an verè & propriè dicatur auxilium ſufficiens illud, quo præſuppoſito, aliud eſt requiſitum, ut de facto quis ſalvetur, quidam ſic nominant condividendo auxilium ſufficiens contra auxilium efficax. Reputo tamen quòd propriùs illud quod ſic vocant auxilium ſufficiens, nominarent auxilium generale in ordine gratiæ, vel auxilium inefficax, vel auxilium tribuens tantum poſſe, quo vocabulo ſemper utitur S. P. Auguſtinus. Nam auxilium quod eſt ſimpliciter, & abſolutè ſufficiens, & verè & propriè ſufficiens dicitur, potiſſimè ſi dicatur perfectè ſufficiens, videtur importare id auxilium, quo ſine alio fieri poteſt, ut quis ſalutem conſequatur. Sed de hoc ex profeſſo 4. lib. agemus.

MONITIVNCVLA AD LECTOREM.

INterſeruerat hîc Author tractatum brevem adverſus ſpecialem Leonardi Leſſij ſententiam, qui prædeſtinationem fieri ait nec ſecundùm Dei propoſitum, nec ſecundùm conditionalium ſcientiam, ſed ſecundùm præſcientiam Dei abſolutam. Verùm quia ob diverſitatem titulorum non parum libri ordo turbari videbatur, ipſum ad calcem libri rejecimus, poſt reliquos omnes tractatus, ibique commodiùs apponendum duximus.

Digitized by Google

TRACTATVS QVINTVS, DE CHRISTI DOMINI PRÆDESTINATIONE

CAPUT PRIMUM.

Quædam circa Christi prædestinationem præsupponuntur.

1. EIMVS jam de adultorum, & parvulorum prædestinatione, nunc de Christi Domini prædestinatione quæ causa est prædestinationis ipsorum, breviter dicamus oportet. Breviter, inquam, quia de hac, & præcedenti materia ad longũ tractare, neque vacat, neque assumptum postulat institutum. Unde plurima ad illam pertinentia, quæ sunt satis in suis propriis locis à S. Thomæ Discipulis tractata supponentes, illa solùm assumamus quæ ad examen illarum assertionum conducere videbuntur; quæ ex recentioribus *libro* 1. *tract.* 6. *cap.* 14. relatæ sunt. Itaque in prædicto capite hæc in substantia affirmant: Primò, quòd ante Christi Domini prædestinationem præcessit in Deo certa cognitio omnium futurorum contingentium, sive bonorum, sive malorum, sive naturalium, sive supernaturalium cognitorum non absolutè, sed sub conditione per illam mediam scientiam supra abundè relatam & impugnatam, quæ fuit ipsorum assertio in ordine trigesima nona: quadragesima autem dicit animas Christi, & Beatæ Virginis ea ratione potiùs quàm cæteras fuisse ad tantam dignitatem electas, quia præviſæ sunt meliùs usuræ libero arbitrio quàm cæteræ si ad talem dignitatem assumerentur. In 41. verò sic dicunt, *Christus per sua merita non fuit causa prædestinationis nostræ quoad integrum illius effectum, quatenùs comprehendit non solum dona supernaturalia, sed etiam naturalia.* Cui etiam aliam 42. addiderunt in hunc modum. *Christus per sua merita non fuit causa prædestinationis nostræ quoad integrum supernaturalem effectum ejusdem prædestinationis, quoniam non fuit causa Incarnationis, per quam effectum est, ut ipse simul esset homo, & Deus.* Deinde in assertione 43. dixerunt, Christi Passionem, & Crucem non fuisse æterna Dei voluntate præordinatam, atque ut in tempore suo eveniret absolutè dispositam, *sed ex* præscientia tantùm Judaicæ malitiæ *prævisam, atque* permissam.

2. Sed antequam hæc omnia in particulari discutiamus, priùs communia quædam circa Christi prædestinationem præsupponere oportet, quorum illud sit primum. Quòd Christus secundùm quod Deus, sive secundum quod naturalis Dei filius non est prædestinatus. Quæ veritas certa, & indubitata debet esse, ut pote in Conciliis definita: de quo vide Sancti Thomæ discipulos locis citatis.

3. Supponitur secundò hanc propositionem vetissimam esse, & indubitatam. Christus secundùm quod homo, vel secundùm quod subsistit in humana natura est prædestinatus, cum expressè in illa ponatur illud additum seu specificatio illa *secundum quod homo* illa enim specificatio denotat humanitatem esse conditionem requisitam in Christo ut verè ipse possit dici prædestinatus. Imò supponitur, hanc propositionem absolutè prolatam Christus est prædestinatus simpliciter, & absque alio explicito addito debere concedi; quia revera implicitè supradictam specificationem includit propter formale importatum per verbum *Christus* positum à parte subjecti; quod formale est humana natura supra quam appellat proprium conceptum illud prædicatum *prædestinatus*, cum sit verbum significans actum animi interiorem, ut communiter à Theologis ex vera dialectica explicari solet.

4. Unde quamvis nomen *Christus* se habeat ut nomen connotativum, ut communiter dici solet, non tamen in hac propositione, Christus est prædestinatus, debet resolvi ut nomen connotativum, dicendo, hoc est prædestinatum, & hoc est Christus; quia ut sic propositio illa prima exponens falsa esset; sed debet absolutè concedi ratione formalis: sicut nec ista, album est disgregativum visus, resolvitur in illas exponentes: hoc disgregat visum, & hoc est album; sed vera est ratione illius formalis, albedinis nempè, ratione cujus sit disgregatio visus. Et hoc circa hanc propositionem, Christus secundum quod homo est prædestinatus, specificativè sumptam. Nam si sumatur reduplicativè, etiam vera est, sed ratione diversa; includit enim causalem propositionem cum aliis adjunctis, quæ omnes pari ratione veræ sunt. Nimirum

Christus

Digitized by Google

Christus est prædestinatus ; & Christus est homo ; & omnis homo est prædestinatus ; & quia Christus est homo, est prædestinatus. Hæ omnes veræ sunt ; illa enim omnium prima, de qua sola aliqua poterat esse difficultas, nempè Christus est prædestinatus, ratione modò dicta vera est ; & ex consequenti omnes aliæ.

5. Ampliùs supponatur, quòd Christus secundum quod homo non fuit prædestinatus ut esset filius adoptivus : Christum enim nullo modo dici posse filium Dei adoptivum adeò certum est, ut oppositum ad minùs valdè periculosum in fide arbitremur, propter authoritatem Concilij Francofordiensis contra Elipandum, & Felicem celebratum, quod talem adoptivam filiationem negat in Christo : & propter decretalem Adriani, quæ id ipsum damnat. Quæ definitiones contra relatos hæreticos, qui filiationem Dei naturalem in Christo negabant, & solam adoptivam constituebant, rem certam de fide faciunt. Contra eos autem, qui cum filiatione naturali, aliam etiam admittunt adoptivam (in quantum videlicet Christus est homo) rem certam de fide non faciunt, licet ad minùs valde periculosum in fide sit illud concedere ; quia utraque filiatio in una Christi persona non videtur posse cohærere, qua ratione id concedere, diximus in fide periculosum. Igitur Christus in quantùm homo prædestinatus est, ut esset filius Dei naturalis, ut apertè docet Divus Thomas *3. par. quæst. 24. art. 2. ad 3.* ut esset, inquam, filius Dei naturalis ex unionis gratia ; nam totum hoc est terminus formalis prædestinationis Christi : quod modò supponimus. Præterea & illud supponatur, humanam naturam non esse prædestinatam ut quod, neque talem propositionem debere admitti, ut Sanctus Thomas ubi supra art. 1. ad 2. & omnes ejus discipuli rectè demonstrant ; quia natura humana non est filius Dei naturalis ; unde non est prædestinata ut sit filius Dei naturalis.

6. Supponatur etiam, Christum non esse prædestinatum primò & per se ad gloriam, & multò minùs ad gratiam habitualem, sed prædestinatum esse primò & per se ad unionem hypostaticam, ut videlicet esset Christus ex gratia unionis prædestinatus filius Dei naturalis, ut dictum est : gloria autem, & habitualis gratia consequentia fuere ad illum primum, & formalem prædestinationis terminum modò explicatum.

7. Insuper illud supponatur, Christum Dominum omnium prædestinatorum caput esse, & Principem, & omnium illorum primum prædestinatum ; ita ut ejus prædestinatio in divina mente prioritate antecedat aliorum prædestinationem, non solum hominum, sed quod majus est Angelorum : de quo potissimè videatur Magister frater Joannes Vincentius relect. de gratia Christi quæst. 6. de quo statim.

8. Præsupponatur etiam, cum hac veritate quòd Christus sit primus prædestinatorum, optimè cohærere quod Sanctus Thomas docet *3. par. quæst. 1 art. 3.* & omnes ejus discipuli, quòd videlicet Christus fuit prædestinatus ex principali Dei intentione in peccati originalis remedium ; ita ut si illud peccatum non fuisset, nec Christus in mundum venisset : ex quo manifestè concluditur, Christum Dominum, præsuppositâ præscientia peccati originalis in divina mente, fuisse prædestinatum, ita ut talis peccati præscientia illo rationis signo, in quo Christus prædestinabatur, præcesserit voluntatem prædestinandi Christum, saltem in genere causæ materialis, seu occasionalis ; licet in genere causæ finalis prior fuerit, & magis intenta Christi prædestinatio, ut omnes discipuli Sancti Thomæ locis citatis tractantes ex professo hanc materiam contra Scotum solent affirmare : ubi argumenta plurima, quæ contra has prioritates in diverso cau-

sarum genere opponuntur, optimè solvunt, & veram Sancti Thomæ doctrinam in Scripturis, & Sanctis Patribus fundatam explicant, atque defendunt, sicut statim notum dabimus, postquam definitum à nobis fuerit, conditionatam illam mediam scientiam, utpotè nullam, non præcessisse ante Christi Domini prædestinationem.

CAPVT II.

Quòd conditionata seu media scientia non antecesserit Christi Domini prædestinationem in divina mente.

9. TVM in principio capitis præcedentis, tum diffusè magis in primo hujus operis libro part. 1. tract. 6. cap. 14. retulimus 39. Recentiorum assertionem, in qua expressis verbis affirmant, quòd ante prædestinationē tam hominū, quàm Christi quatenùs homo est, atque adeo antequam incarnationem Deus decerneret, præcessit in mente divina cognitio omnium universim futurorum contingentium, non quidem qua esse absoluta futura novit, sed ex hypothesi quòd totum ordinem naturæ, & gratiæ, & unionis hypostaticæ condere vellet ; quem reipsa condere statuit : non præcessit verò cognitio peccatorum, quæ ea absolutè & absque ulla hypothesi esse futura prænoverit. Hæc sunt ipsius Molinæ verba formalia, quem & alij recentiores sequuntur : in quibus proindè absolutam futurorum aliquorum contingentium, & ex consequenti absolutam peccati originalis præscientiam negant aliqua ratione seu prioritatis ordine antecedere in divina mente decretum prædestinationis Christi. Et hoc est primum, quod dicunt. Deinde secundò affirmant, non solùm respectu peccati originalis, sed respectu omnium in universum futurorum contingentium sive naturalium, sive supernaturalium, sive bonorum, sive malorum fuisse ante decretum prædestinationis Christi in mente divina mediam illam scientiam, sive præscientiam, qua cognovit omnia illa sub conditione futura.

10. Argumenta, quibus probant, non præcessisse in Deo ante decretum prædestinationis Christi absolutam præscientiam, vel peccati originalis vel aliorum quorumcunque futurorum contingentium, sunt eadem cum illis, quæ communiter pro Scoti sententia contra Sancti Thomæ doctrinam opponuntur, quæ optimè à discipulis Sancti Thomæ solvuntur in propriis locis, videlicet 3. part. quæst 1. art. 3. & potissimè à Magistro fratre Joanne Vincentio in supradicta relectione de gratia Christi. Unde quia Recentiores in hoc nihil de novo adducunt, quod ab aliis oppositum non sit, & à Sancti Thomæ discipulis planè solutum, ideò omnia illa communia argumenta repetenda non sunt, sed in prædictis locis videnda, & cum solutionibus, quæ ipsis adhibentur, considerandа. Verùm nec omnes conveniunt in neganda absoluta prævisione peccati originalis ante prædestinationem Christi, quia Pater Vasquez 3. part. disput. 116. & sæpè alibi asserit, Christum Dominum prædestinatū esse post prævisionē absolutam peccati Adami quasi pendentis, & antequam intelligatur contractum à toto humano genere. Quam sententiam impugnat Ferdinandus Salazar in defensorio pro immaculata conceptione cap. 15. & 16. & tenet ipse cap. 17. certò certiùs esse, fuisse Christum prædestinatum post absolutam prævisionem peccati originalis jam contracti à toto humano genere.

11. Argumenta verò, quibus probare intendunt, præcessisse ante Incarnationis decretum in divina mente illam mediam, seu conditionatorum scientiam,

Digitized by Google

duo in particulari sunt. Alterum est ex illa generali doctrina desumptum, qua perpetuò affirmant, Deum ante omnem actum liberum voluntatis suæ atque adeò ante omnem liberam tam hominum, quã Christi prædestinationem habuisse illam mediam præscientiam illorum omnium futurorum sub conditione.

12. Alterum est desumptum ex doctrina Sancti Thomæ *3. par. quæst. 1. art. 3. solut. ad 4.* ubi docet quòd prædestinatio Christi præsupponit præscientiam futurorum in mente divina. Ex quo inferunt, S. Thomam in his verbis loqui de illa præscientia futurorum sub conditione, seu de illa media scientia, ita ut cognitio futurorum sub conditione per hanc mediam scientiam secundùm S. Thomam antecesserit in divina mente Christi Domini prædestinationem. Quod probant primò ex Sancti Thomæ intentione; quia intentioni, & instituto Sancti Thomæ ista sola videbatur deservire: ergo de illa locutus est. Antecedens probant, quia S. Thomas intendebat manifestè, quòd Incarnatio Verbi fuit in remedium peccati, ita quòd sine prævisione peccati non fuisset; ad hoc verò manifestandum sufficiebat prævidisse Deum humani generis ruinam sub conditione futuram, si scilicet Deus ordinem rerum creare vellet, quem de facto creavit. Secundò id probant ex exemplo, quod S. Thomas ad hoc manifestandum inducit de orationibus alicujus prævisis ante prædestinationem alterius: cum enim tales orationes sint effectus prædestinationis alterius (verbi gratia orationes Stephani effectus fuerint prædestinationis Pauli) non potuerunt esse absolutè prævisæ per scientiam absolutam visionis ante Pauli prædestinationem: ergo necesse fuit, quòd tantùm essent prævisæ sub conditione futuræ per illam mediam scientiam, ita ut hoc præviderit Deus. Si Stephanus, & Paulus in illo rerum ordine à me constituantur (in quode facto constituti sunt) & si Stephanus taliter oraverit, Paulum prædestinabo: ergo de hac cognitione futurorum sub conditione loquitur S. Thomas, cum ait, quòd prædestinatio supponit præscientiam futurorum. His argumentis suum intentum concludunt, quòd videlicet ante Christi Domini prædestinationem præcessit in divina mente cognitio omnium futurorum sub conditione per illam mediam, seu conditionatorum scientiam.

13. Cæterùm in hac parte in expugnatione hujus mediæ scientiæ, quæ in Deo sine fundamento confingitur, amplius immorandum non est: satis enim me disputasse arbitror, tum in hoc secundo, tum in primo hujus operis libro adversus hanc mediam scientiam, quæ gratiam Dei, & ejus gratuitam prædestinationem vehementer oppugnat; & ita disputasse, ut non tam ego, quàm ipse S. Augustinus, & S. Thomas, cæterique Patres, imò scholastici Doctores apertissimè demonstraverint, illam fuisse olim Semipelagianorum figmentum ad subtrahendum divinæ causalitati, & gratiæ quod malè libero hominis adscribant arbitrio. Vnde ad præsens ad argumenta, quæ modo à recentioribus proponuntur circa Christi prædestinationem, & futurorum præscientiam, respondeamus.

14. Ad primum ergo quo dicunt, se non aliter probare, fuisse in Deo illam mediam scientiam ante decretum prædestinationis Christi, nisi quia probaverant jam in tota sua doctrina talem mediam scientiam inveniri in Deo ante omnem actum liberum divinæ voluntatis. Respondetur, nec nos aliter melius posse demonstrare nullam talem conditionatam, seu mediam scientiam præcessisse in Deo ante decretum prædestinationis Christi, nisi quia abundè satis, & usque ad redundantiam monstravimus supra, fictitium, & omninò impossibile esse, in Deo talem cognitionem constituere ante omnem decretum liberum divinæ voluntatis. Quia præter alia multa impossibilia quæ deduximus, illa præcipua sunt; quòd divina cognitio & perfectio primò, & originaliter à creatura sumeretur; quòd tolleretur prima divina causalitas tam in ordine naturæ quàm gratiæ: quòd Deus inspector esset, non factor nostrarum bonarum operationum: quòd certa cognitio futurorum contingentium in Deo negaretur: ac tandem quòd per illam mediam scientiam liberum creatum, velaferretur, vel totaliter impediretur arbitrium. Quæ omnia, & alia inconvenientia plurima apertè convinci, & sequi ex media illa scientia (ut crediderim) manifestè demonstravimus supra libro primo.

CAPUT III.

Explicatur vera Sancti Thomæ intelligentia 3. p. quæst. 1. art. 3. solu. ad quartum.

15. AD secundum argumentum, quo laborant recentiores hanc talem mediam, seu conditionatorum futurorum scientiam Sancto Thomæ adscribere, atque in ejus sententia fundare in illo inducto loco tertiæ partis, quamvis responsum sit supra libro primo, ubi veram Sancti Thomæ intelligentiam prædicti loci assignavimus: libet tamen magis ex professo ejus sententiã aperire, & quàm falsò ab his recentioribus hæc media scientia *ex tali loco* colligatur, ostendere. Quod ut clariùs innotescat, omnium primò verba Sancti Thomæ referamus, sic enim Sanctus Doctor habet. *Ad quartum dicendum, quòd prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum; & ideo sicut Deus prædestinat salutem alicujus hominis per orationes aliorum implendam; ita etiam prædestinavit opus Incarnationis in remedium peccati.* Hanc solutionem adhibuit S. Thomas quarto argumento à se constituto, *in quo* prætendebatur, quòd Christi prædestinatio fuit ab æterno in divina mente, & ex consequenti quòd etiam ante peccatum, necessarium fuit, Filium Dei incarnari, ad hoc ut Christi æterna prædestinatio impleretur. Cui argumento, ut constat, respondet, quòd prædestinatio æterna supponit futurorum præscientiam; & sic æterna Christi prædestinatio supponit in divina mente præscientiam peccati, in cujus remedium Christus prædestinabatur; sicut etiam decrevit Deus ab æterno implere prædestinationem unius per orationes alterius. Hæc est in terminis Sancti Thomæ doctrina in illa solutione ad quartum.

16. Ex qua primò illud apertè deducitur, *nihil* magis posse contra Sancti Thomæ mentem inferri, quàm ipsum sensisse, quòd prædestinatio Christi æterna supponat in divina mente omnium in universum futurorum contingentium præscientiam; quia nec argumentum, nec ejus solutio, nec intentum hoc aliqua ratione, vel à longè insinuant, sed totum contrarium. Quia solùm intendebat, quòd aliquorum futurorum præscientia antecedat æternam Christi prædestinationem, videlicet præscientia peccati originalis, quia in remedium ejus prædestinabatur: & quòd præscientia orationis v. g. Stephani præcesserit Pauli prædestinationem quoad executionem, quia ab æterno decreverat Deus implere quoad executionem Pauli prædestinationem per orationes Stephani. Et quidem quòd non sentiat Sanctus Thomas, quòd omnium futurorum præscientia præsupponatur ante Christi prædestinationem, exemplum de orationibus quibus impletur aliquorum prædestinatio clarè convincit: cum enim orationes illæ non nisi ex prævisis Christi meritis habeant, quòd per ipsas aliorum impleatur prædestinatio; quomodo illæ prævideri potuerunt

Digitized by Google

tuerunt ante Christi prædestinationem : non ergò hæc futura prævisa sunt ante prædestinationem Christi : & simili ratione nulla futura opera prædestinatorum prævideri potuerunt ante Christi Domini prædestinationem, cum sint illius effectus. Unde hoc fundamentum, (quod apertè ex litera patet) totam recentiorum sententiam de media illa scientia, & falsam Sancti Thomæ interpretationem simul evertit. Per illam enim mediam scientiam omnia in universum futura contingentia priùs cognita præcesserunt Christi prædestinationem, ut etiam expressis verbis fatentur; sed litera Sancti Thomæ non de cognitione omnium in universum futurorum procedit, sed aliquorum tantum, ut constat : ergo non loquitur Sanctus Thomas de cognitione per illam mediam scientiam quæ antecedat Christi prædestinationem.

17. Præterea in litera illius argumenti Sanctus Thomas loquitur de præscientia absoluta futurorum; præscientia enim futurorum in doctrina S. Thomæ hoc sonat, videlicet cognitionem absolutam futurorum : ergo de illa cognitione futurorum sub conditione non loquitur. Confirmat hoc antiqua, & communis intelligentia omnium discipulorum ejus, qui omnes nullo discrepante à tempore Sancti Thomæ usque in præsentem diem intellexerunt, Sanctum Doctorem de præscientia absoluta aliquorum futurorum *fuisse locutum*, & de præscientia quæ in aliquo priori rationis in genere tantùm causæ quasi materialis prædestinationem præcedat, licet ipsa prædestinatio in genere causæ finalis antecedat præscientiam illam : ergo non loquitur Sanctus Thomas de præscientia illa conditionata, quæ omnibus modis prædestinationem antecedit.

18. Est præterea alia tertia ratio efficacissima. Quia si Deus ante omnem actum liberum suæ divinæ voluntatis scivit, quòd si Stephanus sic oraret, Paulus prædestinaretur, ut dicunt recentiores : ergo scivit Deus orationes tales effectus non esse prædestinationis Pauli: hæc enim consequentia manifesta est; etenim secundum illam mediam scientiam cognoscuntur à Deo ante alterius prædestinationem : ergo non cognoscuntur ut effectus prædestinationis talis, sed potiùs ut causa, vel ratio illius. Hoc autem contra Sancti Thomæ expressam mentem procedit, imò contra id quod ipsi recentiores in argumento ut verum præsupponunt, quòd videlicet orationes Stephani effectus fuere prædestinationis Pauli. Nulla ergo ratione vel Sancti Thomæ doctrinam salvant, vel suam, qua asserunt orationes unius esse effectus prædestinationis alterius : hoc, inquam, non salvant, si per scientiam mediam cognoscuntur illæ orationes ante actum liberum divinæ voluntatis prædestinantis & ordinantis quòd illæ effectus sint prædestinationis alterius.

19. Igitur ad illud secundum argumentum dicendum, hanc mediam scientiam non solùm instituto S. Thomæ in illa solutione non deservire, sed contra ipsum procedere, ut diximus. Quis enim dicat mediam illam scientiam impossibilitatibus plenam, & à Sancto Thoma efficaciter expugnatam, vt libro primo ostendimus, ejus instituto deservire, vel à Sancto Doctore iterum approbari. Quod autem opponunt Sanctum Thomam loqui non de præscientia absoluta, sed conditionata; quia videlicet exemplum inductum à S. Thoma de orationibus unius ante prædestinationem alterius non potest verificari de præscientia absoluta talis orationis, ex eo quòd talis oratio est effectus prædestinationis alterius, unde ante suam causam nulla ratione potest absolutè prævideri; multò minùs illis favet. Quia Sanctus Thomas (si vel ad illius expressa verba volunt attendere) non docet orationes unius ante alterius prædestinationem prævideri, sed prævideri ante impletionem prædestinationis alterius, quod est valdè diversum. Itaque secundum S. Thomam falsum omninò est, quòd v.g. ante Pauli prædestinationem præviderit Deus orationes Stephani, cum illæ orationes media fuerint prædestinationis Pauli, & ex Pauli prædestinatione præparata; qua ratione considerantur vt effectus prædestinationis Pauli, nec ante ipsam à Deo fuerunt prævisæ orationes tales. Verum est autem, quòd Deus absolutè præscivit per orationes Stephani implendam esse Pauli prædestinationem : & hoc S. Thomas in illa solutione expressè affirmat. Id autem Deus idcò præscivit, quia ita ordinaverat; quòd videlicet per orationes Stephani, Pauli prædestinatio quoad executionem impleretur : sub qua consideratione tales orationes considerantur ut causæ respectu impletionis, & executionis prædestinationis Pauli. Vnde non solùm potuerunt, sed debuerunt absolutè priùs à Deo prævideri quàm impletio prædestinationis Pauli.

20. Hæc est aperta Sancti Thomæ sententia circa exemplum adhibitum in illa solutione ad quartum; in qua supponit Sanctus Doctor doctrinam à se ex professo traditam 1. *par. quæst.* 23. *art.* 8. ubi docet, quòd si loquamur de alicujus prædestinatione quantùm ad ipsam divinam electionem & prædestinationem, nullius prædestinatio juvatur orationibus, aut precibus alterius; nec enim orationibus Sanctorum fit, quòd aliquis prædestinetur à Deo: si autem loquamur de prædestinatione quantùm ad ejus effectum, sic alicujus prædestinatio juvatur quantùm ad effectum, & quantùm ad executionem & impletionem orationibus alterius : quia in ista secunda consideratione orationes tales habent rationem causæ respectu effectus prædestinationis alterius; & sic necesse est quòd à Deo absolutè prævideantur ante effectum prædestinationis alterius. Quod ergo S. Thomas in prima parte dixit, quòd prædestinatio quoad effectum juvatur per alterius orationes, 3. parte art. 3. ad 4. æquivalentibus verbis dixit, quòd Deus prædestinat per orationem unius implendam prædestinationem alterius. Sine fundamento ergo ex hoc exemplo colligitur, S. Thomam loqui de scientia media seu conditionatorum. Imò exemplum convincit, ipsi in loqui de præscientia absoluta, ut patet ex dictis.

21. Sed tunc aliâ viâ urget argumentum, quòd videlicet sequatur, S. Thomam in prædicta solutione ad quartum loqui de præscientia absoluta peccati originalis quantùm ad executionem, non quantùm ad intentionem : hoc autem aliâ viâ in recentiorum incidit opinionem, qui dicunt Christum in remedium peccati ex principali Dei intentione ordinatum non fuisse, sed remedium peccati fuisse medium quo quantùm ad executionem voluit Deus Christum prævolitum executioni mandare. Sic Suarez 3. *p. q.* 1. *disp.* 5. Sed ista sententia (ut uno verbo dicam) nec vera est, nec cum S. Thoma consentiens. Imò ab illa Scoti non multùm recedit, quam impugnare hîc modò non vacat. Vnde ad argumentum modò factum. Dicendum primò, quòd sive loquatur de absoluta præscientia quoad executionem, sive quoad intentionem, hoc tamen quod modò principaliter intendimus redditur manifestum, S. Thomam nulla ratione in illa solutione ad quartum scientiam futurorum sub conditione intellexisse, sed de absoluta præscientia fuisse loquutum. Dicendum secundò, quòd illa solutio ad quartum duo habet expressè; alterum, doctrinam & responsionem principalem; alterum verò, exemplum quo illam manifestat. Doctrina & responsio principalis (ut constat ex verbis, & ex argumento cui respondet, & ex resolutione articuli quam præsupponit) procedit non solùm quoad exe-

Digitized by Google

cutionem, sed etiam quoad intentionem: itaque docet quòd Christi prædestinatio æterna quoad intentionem præsupponit in divina mente præscientiam absolutam originalis peccati, in cujus remedium Christus ex divina intentione prædestinabatur. Et per hoc respondet argumento, quòd licet prædestinatio Christi sit æterna, tamen in aliquo rationis priori potuit præsupponere peccati præscientiam. Ut autem explicaret Sanctus Thomas, quòd licet prædestinatio sit æterna in Deo, potest optimè præsupponere alicujus alterius præscientiam, inducit exemplum magis clarum, quod procedit de prædestinatione æterna in divina mente quantùm ad executionem, ante quam præcedit cognitio, seu præscientia alterius futuri priùs cogniti, videlicet præscientia orationis unius ante impletionem prædestinationis alterius à divina mente ab æterno dispositæ, atque præparatæ. Unde ex isto exemplo non licet inferre, quòd tota solutio illius argumenti tantùm procedat de præscientia peccati originalis præsuppositæ in divina mente ante Christi prædestinationem quantùm ad executionem solùm; quia, ut dixi, litera & contextus totius articuli apertè contrarium ostendunt. Itaque Sanctus Thomas per illud exemplum, hoc tantùm intendit manifestare, quòd videlicet optimè stat, quòd prædestinatio alicujus in divina mente sit æterna, & tamen quòd in aliquo priori rationis supponat præscientiam aliquorum futurorum: & ad hoc tantùm inducit exemplum, non autem ad manifestandum se loqui de prædestinatione quoad executionem solùm, ut diximus.

CAPUT IV.

Quòd Christi prædestinatio ex absoluta peccati originalis prævisione sit facta.

22. COGNITO nullam fuisse in divina mente mediam scientiam ante Christi prædestinationem, qua peccatum originale sub conditione præscierit Deus antequam Christum prædestinaret, ut authores cum quibus agimus defendunt, illud elucidare oportet, an Christi prædestinatio ex absoluta peccati originalis prævisione sit facta. Quam quæstionem licet supra inter quædam præsuppositæ posuerimus, quia tamen gravis est, & post Scotum Recentiores isti Theologi statuere nimis laborant, non fuisse Christum Dominum prædestinatum ex prima & præcipua Dei intentione in remedium peccati originalis absolutè prævisi; eandem visum fuit paulo diffusiùs discutere, sed majori qua poterimus brevitate, ac claritate.

23. Ut autem ea, in quibus conveniunt, priùs explicemus. Supponendum, non verti in dubium, an Deus priùs voluerit mittere Christum in carne passibili, quàm absolutè peccatum originale permiserit, atque prævideriti. Conveniunt namque omnes, non priùs Deum voluisse, Christum mittere in carne passibili, quàm absolutè peccatum originale præsciverit, sed prædestinatum fuisse in carne mortali, atque passibili post peccati originalis absolutam prævisionem. Similiter & illud, quod ex hoc sequitur, inter omnes est indubitatum, ante permissionem, ac propriam & absolutam prævisionem peccati originalis non fuisse Christum Dominũ prædestinatum uti Redemptorem hominũ, & ut actualiter exercentem munus Redemptoris, sed tantùm fuisse ut sic prædestinatum ad exaltationem humanæ naturæ, ut dicunt. Unde hoc solum sub quæstione est, an absolutè & simpliciter secundum omnem considerationem fuerit Christus prædestinatus ex prævisione absoluta peccati originalis, vel ante illam; ita ut non existente peccato originali, Christus nullo modo, nullaque ratione venisset: an potiùs etiam illo peccato de medio sublato, atque à Deo non prævisо venisset, sed in carne immortali, & impassibili.

24. In hac quæstione præter Scotum hi Recentiores, & potissimè Franciscus Suarez *3. par. quæst. 1. disput. 5.* diffusissimè illam tractans defendit, Christum absolutè & simpliciter ex prima & principali Dei intentione fuisse prædestinatum ante permissionem, & absolutam prævisionem peccati originalis ut bonum quoddam superexcellens ad exaltationem humanæ natutæ; postea verò ordinasse permissionem peccati, ut per hoc medium illa primaria Dei intentio executioni optimo modo mandaretur. Sicut Deus ex primæva intentione voluit *Joseph* in Ægypto exaltare, & ad hunc præconceptum finem voluit ordinare permissionem fraternæ venditionis, ut per hoc medium congruenter finis ille prævolitus quoad executionem obtineretur. Unde hæc ejus in substantia sententia est, quòd Deus ex prima intentione & prima voluntate, qua voluit se creaturis communicare, voluit Mysterium Incarnationis, & Christum Dominum, ut esset caput & finis omnium operum sub ipso Deo; & ex consequenti licet peccatum originale non esset, nec Deus illud absolutè prævideret, ex vi illius primariæ intentionis veniret Christus ut finis, & caput omnium, licet non in carne passibili, nec ut hominum Redemptor. *Quomodo autem* hic author octo signa rationis pro *sua exponenda* sententia constituat, hîc *referendum non putamus*, quia videri possunt in Patre *Ferdinando Salazar* in suo defensorio pro immaculata Conceptione cap. 4. & cap. 17. qui ut præmissimus *cap. 2.* certò certiùs dicit tenendum, Christum prædestinatum fuisse post peccatum originale prævisum: ubi etiam quandam repugnantem contradictionem in verbis Patris Suarez deprehendit, quam & nos *infra* commodiùs apponemus.

25. Potissimum hujus sententiæ fundamentum est. Christus est caput, & finis omnium rerum: ergo prior fuit in intentione omnibus aliis: ergo prior fuit ipsa permissione peccati, & prævisione ejus: ergo independenter ab illa prædestinatus fuit ut omnium rerum caput, & finis: ergo etiamsi peccatum non esset, in carne veniret. Prima consequentia patet, quia de ratione finis est, quòd prior sit in intentione: aliæ vero consequentiæ ex hac videntur deduci. Antecedens verò primum videtur apertè deduci ex illo *prov. 8. Dominus possedit me in initio viarum suarum*, vel ut alia litera habet *Dominus creavit*, & ita legunt passim Syrij: quod multi Sancti Patres de Christo prædestinato interpretantur, ita ut sensus sit, *quòd in* divina mente in initio viarum Dei, id est, *operum* ipsius priùs fuerit Christus prædestinatus sicut caput, & finis omnium divinorum operum. Ex hoc testimonio sic argumentantur. Sapientia Incarnata dicit se creatam ante Cœlum, & Terram, ut Patres Græci passim exponunt; at hoc non potest intelligi de creatione temporali quoad executionem, nam sic sapientia Incarnata est multò posterior: ergo de creatione æterna in prædestinatione, seu de proposito creandi, ita ut sensus sit, Dominus prædestinavit me in initio viarum suarum. Similiter cum Sapientia Incarnata dicitur prædestinata ante creationem Cœli, & Terræ, per hoc non significatur tantùm temporalis creatio Cœli, & Terræ, omnia enim quæ Deus fecit, sunt prædestinata & creata in prædestinatione ante Creationem Cœli & Terræ; unde nihil peculiare de Sapientia Incarnata diceretur: igitur sensus est, quòd in prædestinatione divina prior fuit Sapientia Incarnata quàm propositum creandi Cœlum, & Terram, & sic antecessit hominem, & ejus peccati prævisionem,

Digitized by Google

visionem, cum ante omnia sit in prædestinatione divina.

26. Idem tradit Apostolus ad Coloss. 1. dicens. *Qui est imago Dei invisibilis, Primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt universa ..... & ipse est ante omnes & omnia in ipso constant: & ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Et denique concludit. *Ut sit ipse in omnibus primatum tenens.* Cujus testimonij sensus videtur, quòd Christus quatenùs verbum sit imago invisibilis Dei: quatenùs verò homo sit Primogenitus omnis creaturæ, caput & finis omnium, & primatũ tenens in omnibus & ante omnia in divina mente. Quod enim hoc testimonium intelligatur de Christo secundum quod homo, probatur ex Concilio Sardicensi Epistola ad omnes fideles in qua Christus ut Verbum dicitur Unigenitus, & ut homo Primogeninitus. Et in Concilio Magno Ephesino part. 3. cap. 40. in Epistola Cyrilli ad Valerianum Episcopum de Verbi Incarnatione dicitur. *Ad quomodo, obsecro, Primogeniti nomen Unigenito attribuere licebit, si verè Incarnatus non fuit? Nam si verum est illud ut in multis fratribus, tum certè convenienter intelligitur Primogenitus, cum ad fraternitatem procul dubio nostram descendit, cum sese submittens homo nostri similis factus est per omnia, solo peccato excepto, fratribus suis assimilatus.* Hanc interpretationem sequuntur Chrysostomus, Hieronymus, Anselmus, & glosa ad illam locum. Rursus Apostolus probat, Christum esse primogenitum omnis creaturæ, quoniam in ipso cõdita sunt universa; & ipse est ante omnes; & omnia in ipso constant; & ipse est caput corporis Ecclesiæ: ubi etiam apertè de Christo ut homine loquitur. Sensus ergo est, quòd propter Christum etiam quatenùs hominem condita sunt universa, ita ut ipse in mente, & prædestinatione divina sit ante omnem creaturam prædestinatam: ergo est ante Angelos, & ante homines: ergo ante prævisum peccatum hominis prædestinatus est.

27. Præterea illud videtur probari ex illo Joan. 17. *Clarifica me tu Pater claritate quam habui, priusquam mundus fieret apud te.* Hîc Dominus petit sibi conferri gloriam, quam habuit ante mundum conditum; sed non petit gloriam divinitatis, cum hac nunquam caruerit: ergo humanitatis, quam habuit in divina prædestinatione ante mundum conditum; ante conditum, inquam, non solùm exteriùs in executione (id enim nihil peculiare haberet, cum omnium Sanctorum gloria fuerit ante mundum prædestinata) sed etiam interiùs in mente divina per prædestinationem.

28. Secundò, id sic persuadent. Christi prædestinatio fuit finis, & exemplar prædestinationis nostræ secundum illud Apostoli ad Rom. 9. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui, ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus:* Quod de ipso ut homine & primo prædestinatorum exponunt Chrysostomus, Hieronymus, & Anselmus. Similiter Christi gratia & gloria exemplar fuit, & finis totius gratiæ, & gloriæ hominibus collatæ, ut Tridentinum Concilium expressè tradit sess. 6. cap. 7. ergo prior fuit Christi prædestinatio & ejus gratia & gloria in divina mente, quàm aliorum prædestinatio; quia finis est prior quoad intentionem, ut dictum est: At etiam si peccatum originale non fuisset, homines essent prædestinati, & haberent gratiam & gloriam: ergo esset Christus prædestinatus ut exemplar, & finis prædestinationis gratiæ, & gloriæ eorum.

29. Quòd si dicatur, electionem & prædestinationem hominum factam esse ex præviso peccato originali, atque adeo optimè potuisse Christum esse exemplar; & finem prædestinationis eorũ, quamvis ipse ex prævisione peccati originalis prædestinatus fuerit.

30. Ex oppositio insurgunt. Primò, quia etiam homines fuerunt prædestinati ante peccati originalis prævisionem: quod ex ex probant, quia in eodem signo rationis homines & Angeli simul prædestinati sunt, tanquam unum corpus, & civitas una regalis: sed Angeli non sunt prædestinati præviso peccato originali, imò ante ipsum, quia priùs Angeli fuerunt prædestinati, quàm mali Angeli sint reprobati; & priùs mali fuerunt reprobati, quàm homo à diabolo tentaretur, & ex consequenti priùs quàm Deus permitteret hominem cadere, & ejus peccatum absolutè prævideret: ergo nec homines sunt prædestinati præviso peccato originali. Secundò, quia saltem negari non potest, quin voluntas illa generalis ordinandi primos parentes ad beatitudinem supernaturalem, & dandi illis gratiam & gloriam antecesserit permissionem peccati originalis, & prævisionem ejus: sed respectu objecti illius voluntatis, nempe gratiæ collatæ primis parentibus fuit Christus causa finalis & exemplaris (quidquid sit de meritoria): ergo prior fuit in divina mente voluntas prædestinandi Christum, quàm voluntas dandi gratiam & gloriam primis parentibus: sed voluntas hæc dandi primis parentibus gratiam & gloriam fuit ante absolutam permissionem & prævisionem peccati originalis: ergo à fortiori hanc prævisionem peccati antecessit in Deo voluntas prædestinandi Christum, & ei dandi gratiam, & gloriam. Quòd autem Christi gratia præconcepta fuerit ut causa exemplaris & finalis gratiæ collatæ primis parentibus, probant; quia non est dicendum habuisse Deum alium finem aut exemplar, quando in particulari elegit prædestinatos, & quando generali ratione eis voluit dare gratiam.

31. Tertio principaliter id probant. Ordinatè volens primò vult finem, deinde id quod est fini propinquius, & sic deinceps; sed finis quem vult Deus in creaturis est gloria sua, cui fini propinquior est Incarnatio; nam in hac maximè ostendit gloriam suam: ergo hæc debebat esse volita ante omnia alia, ante Angelorum, & hominum creationem, & prædestinationem: ergo ante hominis creandi prævisum peccatum, fuit Christi Incarnatio prædestinata. Confirmatur, quia Incarnatio est melius bonum & magis amabile, quàm cætera omnia simul juncta, etiam quàm gloria omnium hominum, & Angelorum: ergo hoc majus bonum propter se fuit à Deo volitum: ergo non propter aliud, vel occasione alterius; quia tantum bonum non debuit esse occasionatum.

32. Quartò opponunt ex Sancto Anselmo *libro 1. cur Deus homo cap. 18.* Vbi probat homines futuros esse beatos etiamsi Angeli non peccassent, quia aliàs possent homines lætari de peccato Angelorum; ubi & generaliter concludit nullam animam in cœlo esse, quæ sibi persuadeat, se fuisse gloriam consequutam, quia alterius præcessit peccatum; ergo multò minus hoc de anima Christi potest dici: igitur non fuit prædestinata occasione peccati, sed sine ipso prædestinata fuisset.

33. Confirmant ex Sancto Augustino *libro de natura, & gratia cap. 25.* ubi inquit. *Non enim hoc eis dicimus, quod sibi iste opposuit, ut esset causa misericordiæ Dei, necessarium esse peccatum.* Ex quo deducunt secundùm mentem Sancti Augustini, quòd nec peccatum fuit necessarium ut Deus homo fieret. Confirmant præterea ex eodem Sancto Augustino *libro 14. de civitate cap. 23.* ita dicente. *Quisquis autem dicit non fuisse generaturos* (scilicet primos parentes) *nisi peccassent; quid dicit, nisi propter numerositatem Sanctorum hominis fuisse peccatum?* Et post pauca. *Quod si credere absurdum est, illud potius est credendum, quòd Sanctorum numerus quantus*

Digitized by Google

complendæ illi sufficit beatissimæ civitati, tantus existeret, & si nemo peccasset, quantus nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorum. Si ergo absurdum reputat S. Augustinus credere, peccatum fuisse necessarium, ut multitudo esset prædestinatorum; pari ratione nec erit dicendum, necessarium fuisse peccatum ut Christus prædestinaretur, sed potiùs erit credendum, quòd sicut non existente primorum parentum peccato, multiplicarentur homines prædestinati; ita illo non existente Christus & caput & finis illorum prædestinatorum, fuisset prædestinatus ex vi illius primævæ Dei intentionis volentis Christum ut finem omnium rerum prædestinare.

34. Quintò id probant, quia fides Adæ in statu innocentiæ fuit verè fides de Christo; quare si durasset status ille, durasset fides illa de Christo: nec enim potest dici, quòd mutaretur, vel aliquod objectum à principio propositum postea non proponeretur. Alia argumenta omittuntur, quia ista sunt efficaciora & ad illa, alia reducuntur.

35. Tandem pro hac eadem sententia allegant Rupert. *lib. 3. de gloria, & honore Filij hominis* Et *lib. 13. de gloria Trinitatis, & processione Spiritus Sancti cap. 20.* Cyrill. *lib. 5. Thesaur. cap. 8.* & pro eadem (ut dicunt) referri possunt Irenæus, & S. P. Augustinus libro 1. *de nuptiis cap. 21.* Hanc sententiam Scotus defendit *in 3. dist. 7. quæst. 3. & dist. 19. §. in ista quæstione* Alens. *3. par. quæst. 2. membr. 13.* Albertus Magnus *in 3. dist. 10. art. 4.* & recentiores citati.

36. Quibus tamen non obstantibus. Dicendum, Christum Dominum ex prævisione peccati originalis sicut ex occasione, & in remedium ipsius fuisse à Deo ex prima & præcipua intentione prædestinatum, ita quòd si peccatum non esset, nec à Deo esset prævisum, Christus ex vi illius primæ Dei intentionis nulla ratione esset prædestinatus, nec veniret etiam in carne immortali, & impassibili.

37. Consultò diximus, quòd si peccatum non esset, Verbum nulla ratione caro factum fuisset ex vi illius primi Dei decreti, & intentionis divinæ quam de facto Deus habuit; quia de possibili, nulli dubium est, potuisse Deum carnem humanam sumere, etiam nullo existente peccato. Sententia ista expressè est S. Thomæ *3. par. q. 1. art. 3. & 4.* Et *libro 4. contra gent. cap. 55.* Circa cujus doctrinam illud venit considerandum, nullam vel esse apparentem rationem, ob quam Franciscus Suarez 3. par. disp. 5. hoc quasi sub dubio relinquat, dicens *sect. 2. §. prima.* Quòd hæc sententia existimatur esse S. Thomæ *Et sect. 4. §. In quo est prima*, iterum ait. *Quod hæc existimatur esse divi Thomæ.* An verò existimetur esse S. Thomæ, an potiùs ejus expressa sententia sit, ipsa verba manifestent, sic enim habet 3. parte citato articulo in corpore. *Unde cum in Sacra Scriptura ubique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, convenientiùs dicitur, Incarnationis opus ordinatum esse à Deo in remedium contra peccatum, ita quòd peccato non existente, Incarnatio non fuisset: quamvis potentia Dei ad hoc non limitetur, potuisset enim etiam peccato non existente Deus incarnari.* Hæc Sanctus Thomas. Perpendat ergo Theologus, obsecro, an possit aliquis patentissima ista verba legens asserere, hanc sententiam existimari esse S. Thomæ. Et hinc intelliget, quid erit ab his Authoribus expectandum in recitandis S. Thomæ sententiis in locis aliis quæ ita evidentia non sunt, cum hanc apertissimam divi Thomæ sententiam, in alium sensum detorqueant, & dicant contrariam apertè literæ D. Thomæ, existimari ejus esse sententiam.

38. Præterea ipse Sanctissimus Præceptor *4. contra gent. cap. 85.* sic dicit. *Cum igitur præcipua causa videatur divinæ Incarnationis expiatio peccatorum, ut ex Scripturis divinis docemur, congruentiùs fit humanam naturam quàm Angelicam assumi à Deo.* Quibus docet, præcipuam causam divinæ Incarnationis fuisse peccata remittere, asserens quòd ex Scripturis docemur, hanc fuisse in divina mente præcipuam, & primam rationem Incarnationis. Quæ verba attendenda sunt diligenter adversus eos, qui dicunt, aliam fuisse primam, & præcipuam causam Incarnationis in mente divina, ut infra commodiùs expendemus. Si ergo ad ista vel transcursim attendit prædictus Author, quomodo scribere potuit, quòd hæc existimatur S. Thomæ sententia: quasi sub dubio relinquens, an revera sententia illius sit? Dicet fortè se *sectione 5. in §. prima sententia* absolutè dixisse hanc S. Thomæ sententiam esse, hæc enim ejus ibi verba sunt. *Prima sententia negat peccato non existente incarnandum fuisse Deum: hanc tenet divus Thomas hîc.* Fateor quòd rectè tunc dicit, sicut prioribus locis minùs rectè, adeò enim verba S. Thomæ aperta sunt, ut compulerint ipsum fateri non solùm existimari esse S. Thomæ sententiam, quam defendimus, sed etiam Sanctum Thomam eam tenere; Maneat ergo hoc primò certum & indubitatum, hanc sententiam S. Thomæ esse.

39. Præterea sententia hæc apertissimè est Sancti Patris Augustini in duobus locis à S. Thoma citatis *3. par. q. 1. art. 3.* & in multis aliis, quæ induci poterant, sed ob brevitatem omittuntur, eò vel maximè quòd prædictus ille Author, cum quo præsentem quæstionem tractamus, expressè fatetur S. Augustini sententiam esse, quòd prædestinatio hominum facta fuit ex prævisione peccati originalis: quod in libris Augustini contra Pelagianos est sine dubio apertissimum; sicut & illud est in Sancti Patris doctrina manifestum, Christum prædestinatum fuisse ex prævisione originalis peccati. Vnde sine causa aliqua pro contraria citatur *libro 1. de nuptiis cap. 21.* sic enim ibi habet. *Si peccatum non fuisset, quid me in Paradiso securius esse potuisset, ubi nec stimularet mea, nec alterius me libido tentaret. Respondebit etiam connubij Sacramentum, de me ante peccatum dictum est in Paradiso. Relinquet homo Patrem, & Matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Quod magnum Sacramentum dicit Apostolus in Christo, & Ecclesia. Quod ergo est in Christo & Ecclesia magnum, hoc in singulis quibusve viris, atque uxoribus minimum, sed tamen conjunctionis insparabilis Sacramentum.* In quo loco tantùm dicit Sanctus Pater Augustinus, quòd ante peccatum in illis verbis *relinquet &c.* & in ipso conjugio Adami & Evæ latebat magnum Mysterium, nimirum unionis Christi, & Ecclesiæ: non tamen dicit, nec inde sequitur, quòd hoc Mysterium in illis latuisset, etiamsi peccatum non fuisset futurum; quia revelavit Deus primo parenti ante peccatum mysterium Incarnationis, quod illis verbis *propter hoc relinquet &c.* Adam explicavit, ut Apostolus testatur: sed non revelavit ei causam, vel occasionem ob quam præordinaverat tale Incarnationis mysterium, ut Sanctus Thomas docet *3. p. q. 1. art. 3. ad 5.* Itaque sicut Deus ex prævisione peccati futuri ab æterno multa præordinavit, quæ aliàs non præordinasset; ita & ante peccati eventum verbis, & factis præfiguravit Incarnationis mysterium, quod tamen nullo modo fecisset nisi peccatum fuisset futurum. In divina ergo mente mysterium Incarnationis ex peccati prævisione præordinatum erat. Adamo autem revelatum fuit mysterium, non autem causa, vel occasio ejus, quia nihil prohibebat, quin unum illi revelaretur, non aliud.

40. Similiter nec alia verba quæ S. Augustinus habet *libro 2. de nuptiis, & concupiscen. cap. 32.*

difficultatem

Digitized by Google

difficultatem faciunt, hæc enim sunt. *Iste, inquam, sunt nuptiæ, de quibus dictum est, excepto quod hîc figuratum est magno illo Christi, & Ecclesiæ Sacramento: propterea relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Hoc enim ante peccatum dictum est; & si nemo peccasset, sine pudenda libidine posset fieri.* Quibus verbis duo dicit Sanctus Augustinus. Primò quòd si peccatum non esset, esset nihilominus matrimonium, sed sine pudenda libidine. Hoc assertivè dicit futurum fore, etiamsi peccatum non esset. Secundò dicit, quòd in illo matrimonio Adami & Evæ figurabatur de facto unio Christi cum Ecclesia; quod verissimum est, & à Paulo prædicatum: sed non dicit, quòd etiamsi non esset peccatum, figuraretur in tali connubio unio Christi cum Ecclesia. Hoc planè non dicit; figurabatur enim in matrimonio celebrato ante peccatum unio Christi cum Ecclesia, quia Deus ex prævisione peccati futuri prærordinavit Christi Incarnationem, & illam significavit in verbis illis *relinquet* &c. Adæ & in matrimonio ipsius cum Eva. Quod tamen, si peccatum non esset prævisum, nec præfiguraret, ut dictum est ex Sancti Thomæ manifesta sententia.

CAPUT V.

Idem ex patribus confirmatur.

41. IN hac etiam sententia ferè omnes Sancti Patres concordant (quos refert sed non sequitur idem Suarez 3. p. disput. 5. sect. 2.) Athanasius apertè in pluribus locis, Nazianzenus, Cyrillus. Unde mirum est, quòd cum pro hac sententia inducatur Cyrillus à prædicto moderno authore sect. citata 2. §. *probatur ex Patribus*, in eadem sectione in alio sequenti §. *dico primo*, idem citetur Cyrillus pro alia sententia quam ille modernus author contra hanc nostram defendit: quasi in uno, & eodem loco qui ex Cyrillo allegatur, videlicet *lib. 5. Thesauri cap. 5.* Sanctus ille Doctor duas illas sententias, quæ inter se minùs cohærent, expresserit: sed de hoc copiosiùs dicemus in solutionibus argumentorum: ad præsens sufficiat, quòd ferè omnes Sancti Patres, quorum vestigiis inhæremus, hanc sententiam docuerint, videlicet Cyrillus alius Hierosolymitanus, Epiphanius, Theophilactus, Justinus, Nyssenus, Dionysius Areopagita, Irenæus, Leo Magnus, Sanctus Augustinus, Gregorius, Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Bernardus, Cyprianus, Prosper, Anselmus, atque Lactantius. Hi omnes non aliam causam Incarnationis agnoscunt, nisi quam Sanctus Thomas ex Scripturis colligit, videlicet originale peccatum, in cujus remedium Verbum factus est homo: igitur illa cessante carnem non assumeret.

42. Verùm prædictus modernus author omnes hos Patres ita conatur exponere, ut tantùm sentiant, quòd absque permissione, & prævisione peccati non véniret Christus in carne mortali, atque passibili; non verò quòd absolutè non veniret in carne videlicet immortali, & impassibili. Quæ explicatio, seu potiùs dictorum Sanctorum Patrum voluntaria restrictio non potest alicui placere: tum quia, ut dixi, voluntaria est: tum quia prædicti Patres explicari non possunt de adventu Christi in carne passibili, cum absolutè loquantur de ipsa substantia Incarnationis. Quia verò in particulari per omnes supradictos Patres discurrendo, probare, hanc esse illorum sententiam, & mentem, longum esset nimisque prolixum, aliquorum gravissimorum verba tantum inducam, quæ adeo manifesta sunt, ut etiam qui oppositam tuentur sententiam, fateantur expressa illa esse pro sententia quam ex Sancto Thoma defendimus. Athanasius serm. 3. contra Arrianos agens de nostra indigentia, & necessitate, quam dicit antecessisse verbi Incarnationem, hæc verba subdit. *Qua* (scilicet necessitate) *sublata carnem non induisset.* Leo Magnus serm. 3. Pentecostes. *Si homo in naturæ suæ perfectione, & honore, in quo creatus est, permansisset, nec creator hominum creatura fieret, nec æternus temporaliter subiret, nec formam servi in similitudinem carnis peccati assumeret.* Similiter Sanctus Augustinus serm. 8. de verbis Apostoli. *Si homo*, inquit, *non periisset, filius hominis non venisset.* Parique ratione Irenæus lib. 5. cap. 14. *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbū Dei caro factum esset*; Quorum Sanctorū verba manifestè procedunt de Incarnationis ut biātia, & de Incarnatione ut sic loquuntur, & negant Incarnationē futurā si homo non peccasset: unde illa velle restringere ad hoc, ut negent tantùm passibilem carnē, sensus & litera non admittit: unde hæc distinctio de Incarnatione in carne passibili, vel impassibili ad frangendam invidiam quæ ex tantorum Sanctorum impugnatione oriebatur, potiùs videtur inventa, quàm ad illorum mentem attingendam. Concludamus ergo, veritatem nostræ conclusionis esse expressam Sancti Thomæ, & Sancti Augustini sententiam: quod sufficere deberet, ut Theologus illam amplecteretur: imò est communis inter Sanctos Patres doctrina, à qua nec est recedendum: & hoc sit primum pro conclusione fundamentum.

43. Secundò principaliter id ratio Sancti Thomæ suadet. Cum enim in divina Scriptura ubique Incarnationis ratio ex peccato primi parentis assignetur, convenientiùs dicitur, Incarnationis opus ordinatum esse à Deo in remedium contra peccatum, ita ut peccato non existente Incarnatio non fuisset. Procul dubio scriptura apertè docet, Dominum in carne venisse ad redimendum hominem à peccato, nec aliam causam assignat, imò nec insinuat: credendum est ergo nec aliam extitisse principaliorem. Cur enim suppressâ, & quasi ex industria occultatâ primariâ causâ illius adventus, solùm secundariam nobis exponeret? præcipuè cum illa magnoperè ad Christi gloriam pertinere dicatur. Hoc enim nihil aliud videretur esse, quàm nos in errore velle detinere, dum arbitraremur rationem potissimam Incarnationis illam esse, quæ revera non fuit.

44. Plana sunt scripturæ testimonia Matth. 1. *Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Matth. 18. & Lucæ 19. *Venit filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat.* Matth. 9. *Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus..... Non veni vocare justos, sed peccatores*, Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret.* 1. ad Timoth. 1. *Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.*

45. Ad hæc, & similia putant se respondere, dicentes, hæc omnia testimonia intelligenda esse de adventu Christi in carne passibili, & de modo quo de facto venit. Quòd enim sic venerit, id totum factum, & præordinatum est propter peccatorum redemptionem: at etiamsi illa redemptio non esset, veniret Christus, licet non in carne passibili: hanc verò rationem, ut dicunt, Scriptura non exposuit, quia Scriptura sacra frequentiùs explicat rationem Incarnationis

Digitized by Google

tionis prout in executione facta est, hæc autem est redemptio à peccato: Aliæ autem rationes divinæ Incarnationis rarò explicantur in Scriptura, quia altiores sunt, & eorum cognitio minùs est nobis necessaria. Sicut cum frequentissimè Scriptura loquitur de hominum glorificatione, docet illam esse futuram secundùm propria illorum merita, proximam rationem prædestinationis assignando, non primam; quia ejus cognitio non est tam accommodata, nec tam utilis hominibus. Similiter cum Apostolus docet, quòd Christus surrexit propter justificationem nostram, causam proximam & minùs principalem apposuit, non primam & principalem, quæ est gloria Christi ordinata in gloriam Dei sicut in ultimum finem. Parique ratione 1. Reg. 16. dicit Samuel se venisse Bethleem ad sacrificandum, exprimens secundam & minùs principalem causam adventus sui, & taeens seu occultans primam & principalem, quæ erat ungere David in Regem: multa sunt his similia in scriptura. Eodem ergo modo cum Scriptura Sacra assignat causam Incarnationis Christi ex peccato primi parentis, proximam causam quoad executionem assignat, non autem primam & principalem, quæ fuit in intentione divina.

46. Verùm nec ista infirmare debent, aut possunt supradictam rationem à S. Thoma factam, qua & relati Sancti Patres moti sunt, ut visum est supra. Majoris enim ponderis & fundamenti est, quàm ut possit præfictis apparentiis enervari. Primò quia idem Sanctus Thomas 4. *contra gent. citato cap.* 55. docet expressè, præcipuam causam Incarnationis Verbi fuisse ex occasione peccati desumptam, ut ex Scripturis docemur, cujus sententiæ magis standum est sine dubio, quàm hujus moderni vel alterius opinantis illam non præcipuam causam extitisse. Secundò, quia hæc expositio minùs congruit verborum Scripturæ proprietati, à qua recedendum non est, nisi ad id ratio manifesta cogat, quæ in casu isto nulla est: significant enim inducta testimonia, Incarnationem secundum se suamque substantiam factam fuisse ob redemptionem hominum: unde nec restringenda sunt ad quemdam modum seu qualitatem tantùm ipsius. Præterea in symbolo fidei confitemur. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & Incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est.* Ubi sermo est de ipsa Incarnationis substantia, quæ facta dicitur propter nostram salutem.

47. Quòd si dicant, ibi assignari motivum secundarium, non primarium Incarnationis. Respondemus, mirum planè esse, semper nobis proponi hoc motivum accessorium & secundarium, sine quo res æque futuræ erant, & nunquam exprimi motivum principale, atque motivum primarium à quo tota rei substantia pendet: quod certè dissonum est communi loquendi modo Scripturæ Sanctæ. Confirmatur, quia hoc est generale in Scriptura divina, ut cum de mysteriis gravissimis tractat, & rationem vel causam illorum exponit, licet in uno vel altero loco minus principalem causam apponat, alibi tamen principaliorem, & primam tradat; sed nullibi in divinis literis alia ratio traditur Incarnationis Christi præter illam quæ ex peccato desumitur: ergo hæc sine dubio censeri debet prima & principalis, sicut S. Thomas expressit. Quod manifestare sufficiat in exemplis in oppositum allatis, ea contra proprios Authores retorquendo, ne per alia plurima discurramus. Manifestum est enim, quòd licet in Scripturis, hominum glorificatio sæpè dicatur futura secundum merita, sæpiùs tamen Scripturæ ipsæ exprimunt, primam & principalem causam esse liberam Dei voluntatem sic volentem homines prædestinare: quod copiosè supra agentes de electione ad gloriam dedimus comprobatum, distinguentes ex Scripturis Sanctis duplicem electionem ad gloriam; alteram primam quoad intentionem & merè gratuitam; alteram sequentem & quoad executionem, quæ merita præsupponit. Quam doctrinam cum nobiscum pariter iste modernus Author amplectatur, illamque in Scripturis contineri affirmet; quomodo ad hoc non attendens exemplum adhibet de glorificatione, quo à seipso de oppositio potiùs potest convinci?

48. Similiter exemplum secundum adductum ex Apostolo dicente Christum resurrexisse propter justificationem nostram, hoc clariùs corroborat. Nec enim puto, quemquam posse dubitare, quin Scriptura & Apostolus primam & principalem causam resurrectionis Christi expresserint: cum plurima ad hoc manifestandum statim se offerant testimonia psal. 56. *Exurge gloria mea.* Vbi propter gloriam patris ponitur Christi resurrectio. Et Rom. 6. *Ut quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris*, id est per virtutem Patris, ex qua ipse Pater glorificatur, secundum prædictum Prophetæ testimonium. *Exurge gloria mea.* Item ad Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum.* Vbi exaltatio per resurrectionem ponitur ut præmium Christi propter ejus obedientiam; ideò enim resurrexit ut esset exaltatus, *quia fuerat* humiliatus. In quibus testimoniis *ponitur principalis* & prima ratio resurrectionis Christi, *scilicet* gloria Patris, & postea gloria *corporis Christi*, & tandem proxima videlicet *justificatio nostra*, sicut in præcitato alio testimonio docuit Apostolus.

49. Parique ratione, illud Samuelis 1. Reg. cap. 16. *Ad immolandum Domino veni.* In quo secunda, vel consequens ratio sui adventus exprimitur, constat ex eodem cap. habuisse *aliam priorem*, & primam, nempè Davidis *unctionem. Itaque* tria illa opposita exempla, in quibus secundæ, & veluti accessoriæ rationes exprimuntur, habent in eadem divina Scriptura alias priores, & principales rationes expressas, atque signatas, ut visum est: & sic vera est præsuppositia major. Minor verò, quòd nunquam in divinis literis alia ratio Incarnationis Verbi ponatur, nisi liberatio à peccato, patet primò ex S. Thoma dicente 3. *par. quæst.* 1. *art.* 3. *quòd ubique in divina Scriptura Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignatur.* Vbique, inquit, quia nullibi alia exprimitur in Scriptura præter supradictam: Et in hoc S. Thomas suam fundavit rationem. Et quidem mirum esset, quòd alia fuisset prima, & præcipua Incarnationis ratio, & quòd nullibi Scriptura Sancta illam expressisset: hoc enim mihi nunquam persuadere potero. Et præterea quòd nulla alia in Scriptura ratio adhibeatur, ex eo constare potest, quòd isti recentiores aliam ex Scriptura non inducunt, quod est signum nullam esse.

50. Sed dices. Vtique aliam præcipuam, & primam rationem divinæ Incarnationis adhibent ex Scripturis Sanctis hi Authores, videlicet Christum caput esse, & finem omnium, ut deduxerunt ex illo Prover. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Et ex 1. ad Coloss. ubi Christus vocatur primogenitus, & caput, ac ante omnia primatum tenens.

51. Ad quod tamen breviter nunc dicimus (quia diffusior in solutionibus argumentorum præparatur responsio) ex istis locis per non legitimas consequentias deduci, quòd Christus ordine intentionis fuerit prior omnibus modis in divina mente, quàm permissio & prævisio originalis peccati. Primò quia Cyrillus *libro* 5. *Thesauri cap.* 8. *citato* docet expressè, & fuisse

Digitized by Google

fuisse Christum prædestinatum in remedium peccati prævisi, itaut illo non existente Christus nec esset prædestinatus, & simul esse Caput, & finem omnis creaturæ. Vnde per hoc secundum, quo cum Apostolo vocat Christum caput non impugnat Cyrillus primum suum dictum, ut volunt illi recentiores eum inducentes in illo loco pro utraque sententia.

52. Secundò, quia Sanctus Thomas, & illi Sancti Patres, qui docuerunt, quod non existente peccato, Verbum Caro factum non fuisset, nunquam dubitarunt, nec dubitare potuerunt, quin Christus sit caput, & finis omnium, quis enim hoc dicat? Igitur senserunt id quod verissimum esse infra ostendetur, utrumque simul optimè cohærere, & quod non existente peccato Christus non veniret; & quòd ipse sit caput & finis omnium; quia utrumque sacra Scriptura apertè pronunciat. Et ratio brevissima est, quia ex vi primæ intentionis Dei fuit Christus immediatè prædestinatus in remedium peccati prævisi, & mediatè, id est media hac Redemptione fuit factus caput, & finis omnium. Quod quomodo rectissimè cohæreat, ostendendum erit inferiùs: nunc ne à proposito digressio fiat, sufficit respondere ex eo quòd Christus sit caput, & finis omnium, perperam colligi quòd ipse veniret etiamsi peccatum originale non fuisset.

53. Tertiò principaliter sequitur ex oppositâ sententia, quòd verè possumus dicere, filium Dei non assumpsisse carnem humanam nostri causâ, sed solum modum, & qualitatem carnis: nec propter nos absolutè venisse, sed solùm quòd propter nos tali modo, & tempore venerit: at hoc stare non potest cum testimoniis scripturæ, & cum citatis verbis Symboli, quæ semper clamant, quòd propter nos, & propter nostram salutem venit.

CAPUT VI.

Quod Christus fuerit prædestinatus suppositâ absolutâ præscientia peccati originalis ratio Theologica proponit.

54. INSUPER veritas nostræ conclusionis alia efficaci ratione probatur in hunc modum. Efficax decretum quo prima intentione voluit Deus prædestinare Christum, vel fuit decretū de prædestinando Christo in carne passibili, vel impassibili, vel abstrando à capite carne passibili & impassibili: hoc enim est dabile, imò nec intelligibile medium aliud. Si primum, habetur intentum, quòd in remedium peccati originalis fuerit ex prima intentione Dei prædestinatus, nec enim potuit prædestinari passibili sine prævisione peccati. Ex quo pari ratione concluditur, quòd si peccatum non esset, nec illa Dei prima intentio de Christo prædestinado haberetur: quod sicut est manifestum, ita authores sententiæ oppositæ sine recusatione concedunt. Si secundum, nec Christus posset venire passibilis atque mortalis sine mutatione illius primi decreti, primæque intetiones, quo decreverat Deus illum immortalem, & impassibilem prædestinare: quam decreti mutationem nullus poterit affirmare; quod etiam manifeste sequi nullus est, qui non videat. Vnde necesse est quòd oppositam sententiam defendentes illud tertium eligant sicut & de facto eligunt, dicentes illam primam Dei intentionem fuisse de Christi Incarnatione quoad substantiam Incarnationis, abstrahendo in illo priori rationis signo à modo passibili, vel impassibili: & in alio signo rationis, prævisо jam peccato determinasse Deum ut etiam in remedium illius veniret in carne mortali; atque per hoc medium, videlicet passibilitatis & Redemptionis optimo modo fuisse executioni mandatam & determinatam illam priorem intentionem Dei,

55. Verùm contra hunc dicendi modum occurrit, quia non videtur posse defendi, quòd in illo priori signo rationis astruatur prima Dei intetio de Incarnatione sic indeterminata, atque confusa, ut videlicet circa substantiam Incarnationis fuerit, non verò circa modum ipsius in particulari: quam confusam, & genericam, & non in particulari determinatam Dei intentionem asserere minus possumus, quia imperfectionem involveret, illamque magnam in Dei sic eligente Christum ad gloriam.

56. Sed ad hoc ipsi respondet, nullum prorsus in hoc esse inconveniens, nec speciale id esse in hoc Domini prædestinatione, sed in aliis omnibus prædestinatis hoc ipsum inveniri. Cum enim Deus in primo rationis signo quo homines elegit ad gloriam ante formalem processum prædestinationis, elegit v.g. Petrum ad gloriam, non est necesse quod in illo priori signo intelligamus decrevisse Petrum per mortem, & Crucem ad gloriam perducere; sed hoc decrevit in alio signo sequenti, quo jam formalem processum prædestinationis per certa media præordinavit. Similiter asserunt quòd si verum est (ut existimant) prædestinatos fuisse electos ante peccatum originale prævisum, in illo signo nec diffinit Deus illos in carne mortali aut immortali prædestinare; quid ergo inconvenit hoc ipsum de Christi Domini prædestinatione explicare, quod generaliter in aliorum prædestinatione sine aliqua prædestinantis imperfectione videmus esse impletum?

57. Nihilominus neutrum exemplum aliquid juvat ad infringendam vim rationis factæ. Et quidem secundum nec debebat adduci, quia falsum quoddam præsupponit, videlicet homines esse electos & prædestinatos ante prævisionem peccati originalis: imò hoc exemplum supponit, quod impugnamus, videlicet Christum fuisse prædestinatum ante prævisionem peccati. Si enim homines sunt prædestinati ante prævisionem peccati, procul dubio, & Christus. Ideo enim dicuntur homines prædestinati ante peccati præscientiam, quia Christus ponitur etiam ante talem præscientiam prædestinatus: unde reipsa in illo allato exemplo petitio principij involvitur. Primum autem exemplum de aliis prædestinatis fateor quòd apparens videtur ad evitandum inconveniens, quod opponebatur de confusione, & imperfectione eligentis. At si paulo accuratius res examinatur, erit manifestum, nec sic euitari inconveniens illud. Ad cujus manifestationem suppono id, quod apertissimum est, electionem hominum ad gloriam esse actum divinæ voluntatis circa finem, qui vocatur intentio, ut supra agentes de electione ad gloriam satis explicavimus. Suppono secundò, quòd illa intentio ordinem rationis antecedit formalem prædestinationem, qua præparantur media ad consecutionem finis præintenti, quod etiam sicut apertissimum supra dedimus manifestum citato loco. Suppono tertio, & ultimo, quod sicut prima illa electio ad gloriam est determinatè respectu talis vel talis gradus gloriæ, & non in confuso respectu tantùm gloriæ ut sic, ita ad illam eligit hominem talem in particulari, & cum tali individuali ratione, & non hominem indeterminatum, seu in confuso. Et ratio est manifesta, quia electio hujus hominis ad gloriam, etiam ut supra aperuimus, in aliquo genere causæ supponit creationem illius, qui eligitur. Nam homo, qui nullo modo, nullaque ratione, & in ullo genere causæ præintelligitur creatus, nec potest intelligi electus ad gloriam: quod mirum, si quis neget: creatio autem hominis est creatio illius

Digitized by Google

in particulari, & cum omni individuali, & particulari ratione: quod etiam est indubitatum. Itaque electio ad gloriam est expressa & determinata, & respectu talis personæ quæ eligitur, & respectu talis, vel talis quantitatis gloriæ ad quam eligitur: & si poneretur in determinata vel respectu hujus hominis in particulari, qui eligitur, vel respectu gradus gloriæ ad quam eligitur, proculdubio illa electio seu intentio finis in ratione intentionis confusa, & cum magna imperfectione in Deo constitueretur. Respectu verò mediorum, non est ita determinata, cum enim sit finis intentio & finis intentio qua talis præcisè explicitè non tendat in media, satis est, quòd implicitè illa contineat, in quantùm hunc hominem vult eligere ad talem gradum gloriæ per media ad id magis conducentia: postea verò in secundo signo rationis in virtute hujus intentionis, seu hujus electionis ad gloriam, divinus intellectus practicus præparat hæc vel illa media, quæ magis conducunt ad illum finem secundum ordinem divinæ sapientiæ. Indubitata est doctrina ista in via Aristotelis, & Philosophorum ac Theologorum respectu cujuscunque providentiæ, quæ cum sit circa media, præsupponit volitionem finis modo nunc breviter explicato ut à principio hujus libri exposuimus: & in particulari in materia prædestinationis est satis nota ex Sancto Thoma, & omnium rectè philosophantium, ut supra copiosè, & nunc dictum est brevius.

58. Ex his autem certissimis fundamentis facilè apparens illud exemplum præcluditur, & nihil omnino juvare, nec evitare indeterminatam, confusam, & imperfectam illam Dei priorem finis intentionem, convincitur. Quod sic denudatur, nam exemplum inductum de electione beati Petri ad gloriam tantùm probat id, quod evidens est, videlicet in illo priori signo rationis quo ad gloriam eligitur non esse determinata media per quæ debet consequi gloriam, ad quam est electus: quod sine dubio concedendum est ratione facta; quia cum electio illa sit actus circa finem, id est, sit intentio, non est necesse quod explicitè media contineat, sed tantùm in virtute, per quam in secundo signo rationis divinus intellectus practicus in particulari hæc media præparat, ut videlicet per crucem ad talem gradum gloriæ perveniat: non tamen probat, nec probare potest, quòd illa electio ad gloriam sit indeterminata atque confusa, vel respectu talis, aut talis gradus gloriæ, aut respectu personæ Petri hîc & nunc, & cum omni ejus individuali ratione, qua gloriam postea possedit. Quod si sic non esset, inevitabile foret quòd illa electio intra limites electionis ad gloriam maneret imperfecta atque confusa. Sic igitur prima Dei intentio eligentis Christum ad gloriam, cum actus sit circa finem, poni debet sine dubio intra rationem electionis ad gloriam, & in ratione actus circa finem certa, & determinata atque distincta, & respectu talis, & talis gradus gloriæ; & respectu talis personæ Christi, quæ eligitur hîc & nunc & in particulari, & cum omni individuali ratione, qua postea in executione gloriam talem consequta est. Et si sic non ponatur, confusa proculdubio, & imperfecta in Deo ponitur electio talis Christi ad gloriam, ut ostensum est. Quia ergo sententia illa, quam impugnamus, apertè constituit illam Dei primam intentionem eligentis Christum ad gloriam esse indeterminatam respectu Christi, qui eligitur ad gloriam; nec determinat in qua individuali, particulari, ac distincta ratione sit illa persona quæ eligitur; sine dubio intra limites electionis Christi ad gloriam imperfecta est, & confusa; hoc autem Deo repugnat. Aliud est de medijs, quibus postea Christus consequturus erat gloriam talem; hæc enim media esse expressa atque distincta ex vi primæ intentionis quæ est circa finem, nec est necesse verb. gratia, (ut rem clarius delucidemus) debuit prima intentio Dei eligentis Christum ad gloriam, determinata esse circa hoc, quòd Christus in carne talj passibili eligeretur ad talem gloriam, sicut de facto in carne tali passibili illam consecutus est: cæterum an in carne illa passibili, atque mortali hoc genere mortis, ut per crucem, vel alio moreretur, hoc jam pertinet ad media, nec hoc necesse fuit expressum atque distinctum in illa prima Dei intentione eligentis Christum ad gloriam, ut dictum est. Igitur exemplum allatum non tenet, quia procedit de medijs; materia autem ad quam applicatur, procedit de subjecto quod prædestinatur, unde ad propositum non est. Sicut ergo in illa prima Dei intentione eligentis Christum ad gloriam, aliqua ratione & genere causalitatis supponitur creatio animæ Christi, & illa creatio necessario non confusè, sed in particulari est, vel in carne passibili, vel impassibili: similiter sicut de facto in executione Christus in hac passibili carne gloriam talem ad quam electus fuit, consecutus est: ita ex vi primæ intentionis in tali carne passibili, ad illam gloriam electus est. Totum enim hoc manifestè pertinet ad primam intentionem, ut nempe in tali carne eligatur ad gloriam talem, in qua illam assecutus fuit. Per quæ autem media, vel per quod mortis genus illam acceptet Christus assequuturus, hoc necesse non est habere expresse ex vi illius prioris intentionis, *cum ipsa non* sit circa media, sed circa finem: *sed hoc habetur ex* divino intellectu practico ita *præparante. Quod si* prædestinatio Christi primò *fuit non ad gloriam*, sed ad unionem hypostaticam *ut nimirum* prædestinatus esset filius Dei in virtute, ex qua consequenter fuit electus ad gloriam, ut Theologus debet asserere; ratio etiam urget, quòd ex vi hujusmodi prædestinationis, nisi illam confusam in Deo constituamus, prædestinatus fuit filius Dei *in virtute* in tali individuali carne hypostatica, *qualem post modum* de facto habuit, ob rationem indictam. Unde nec ipse Suarez constituit unionem hypostaticam in confuso à Deo primo diffinitam, sicut alij posuerunt: & meritò quia Deus circa creaturam in confuso nihil diffinit. Restat ergo, quòd nec etiam in confuso difinierit in illo priori humanam Christi carnem in confuso, abstrahendo à carne passibili, & impassibili: per quod etiam manet reprobatus alius modus dicendi Ferdinandi de Salazar constituens tria instantia in suo vocato libro cap. 17. in quorum primo prævidet Deus originale peccatum in omnibus: & in secundo prædestinat Christum in remedium illius: ac in tertio jam ex meritis prævisis Christi decrevit creare Sanctissimam Virginem, & eam ei Matrem dare. Etenim *in illo* secundo instanti prædestinatum ponit *Christum* in confuso, & non ex tali matre, quā post modum habuit: cum autē decreta Dei non sint in confuso, nullo modo sic in confuso sine Matre Christum prædestinavit.

59. Ex quo sequitur quòd Christus Dominus ex prima Dei intentione, & electione electus fuit ut peccatorum Redemptor; ac ex consequenti ex prævisione absoluta peccati fuit in carne passibili electus, licet genus mortis, & modum redimendi fuerit in secundo rationis signo prædestinatus. Patet hoc quia ex prima intentione non fuit electus in carne impassibili, & immortali, ut probatum est; nec in carne abstrahendo à mortali, & immortali, passibili, & impassibili ut ostensum est modò: ergo necesse est dicere, quòd ex prima illa Dei intentione fuerit electus in carne passibili atque mortali in remedium peccati prævisi, & ut hominum Redemptor, atque per redemptionem illorum Salvator, sicut S. Thomas, & ancipiti illi Sancti Patres perpetuò docuerunt, & ex divinis literis deduxerunt.

60. Con

Digitized by Google

60. Congruentias verò ad id probandum omitto 1. quòd potiùs humana natura quàm Angelica sit assumpta, quia videlicet redemptione indigebat non autem Angelica. Si enim Verbum creaturam assumeret sine hac redemptionis necessitate, & solùm ad nobilitandum & perficiendum universum, & ad excellentissimum opus faciendum, & ad se infinitè communicandum creaturis; naturam Angelicam utique nobiliorem assumeret; nec sine tam magna necessitate terram, & carnem indueret: nec sic se exinaniret Dominus Majestatis. Præterea, quia etiam ex hoc ratio sumitur, quare potius Filius, quam Pater, vel Spiritus Sanctus carnem assumpserit, ut videlicet per eum redimeretur homo, per quam sicut per imaginem, & similitudinem Patris creatus fuerat. Tertiò quia tantum opus non debuit ordinari nisi magna necessitate. Has & alias similes, ut dixi, omitto congruentias: nec enim in illis insistendum est principaliter; aliæ enim possent induci præter has, quas Sanctus Thomas apponit. 4. *cont. gent. cap.* 55. Insistendum ergo principaliter est, si rationibus agatur, in illa quæ superius manet explicata, adjuncta alia de Scriptura Sancta, quæ ubique causam Incarnationis Christi ex peccato desumit, unde Sancti Patres sic semper Scripturam Sanctam intellexerunt.

61. Sed adversus totum istum nostrum discursum, quo probavimus, constitui à Scoto & illius sequacibus Christum ex vi primi divini decreti prædestinatum fuisse in carne abstrahendo à passibili, & impossibili in confuso, instat ille modernus author in prædicto *libro cap.* 12. quòd Scotus in illo primo signo in quo statuit Deum elegisse animam Christi, non statuit elegisse carnem aliquam ipsius, sed hanc in quinto postmodum signo, prævisio jam originali peccato, electam fuisse: & sic cessare argumentum thomistarum de carne abstrahendo à passibili vel impassibili pro illo primo instanti. Verùm hoc nihil est aliud, quàm, ut unum evitent inconveniens,, in plura incidere. Primò, in confuso fuisse Christi prædestinationem in illo primo signo, cum anima sola & non ejus caro prædestinaretur, evidens est: quod est inconveniens inductum. Deinde sicut Deus decrevit creare animam Christi, ita illam prædestinavit; quia decretum prædestinationis ratione præsuponit decretum creationis, ut est manifestum; sed Deus in nullo instanti rationis decrevit creare animam Christi sine carne, quod etiam verum est: ergo in nullo signo rationis decrevit prædestinare animam Christi sine carne. Præterea, posito quòd anima Christi sic sit prædestinata in illo primo signo, si in sequentibus signis non esset prævisum peccatum, haberet Deus aliud decretum eligendi carnem Christi impassibilem; sicut posita prævisione peccati passibilem elegit: ergo abstrahendo à passibili, & impassibili carne animam Christi in illo primo signo prædestinavit; & sic idem quod prius. Quare saltem nimis in confuso esset prædestinatio animæ Christi: & hoc inconveniens nullo modo poterunt evitare.

CAPUT VII.

Primum fundamentale argumentum oppositum diluitur.

62. QUIBUS præmissis, non erit difficile argumenta à principio objecta diluere. Et quidem ad primum, quod quasi fundamentale est. Dicendum, quòd licet Christus sit caput, & finis omnium; & ex consequenti prior sit in divina mente quàm cætera omnia, & etiam quàm permissio, & prævisio peccati in genere causa finalis, non tamen in illo priori omnibus modis, & in omni genere est illis prior, ita quòd pro illo signo ab eis præscindat, quia in genere causæ quasi materialis priùs fuere in divina mente permissio, & prævisio peccati. Et ratio est, quia Natura humana sub peccato prævisa comparatur ad Christum sicut perfectibile in ordine ad perficiens, & sic ut subjectum præsupponitur in divina mente in genere causæ materialis. Unde sicut in genere causæ finalis voluit Deus Christum prædestinare ut finem illam perficientem, ita etiam illam voluit ut subjectum perfectibile per Christum: nec unum in aliquo signo rationis voluit sine ordine ad aliud. Sicut enim in nullo priori rationis voluit Deus priùs formam quàm materiam, sed in omni prioritate rationis qua voluit formam, voluit & materiam; quia formam voluit ut actuantem materiam in genere causæ formalis atque finalis; & materiam voluit ut actuatam per formam in genere suo proprio causæ materialis. Ita dicendum est, quòd homo sub originali peccato prævisus comparatur ad Christum sicut subjectum à Cristo perficiendum: unde in eodem rationis signo, quo in genere causæ finalis Deus voluit Christum eligere ut finem perficientem hominem, ipsum à peccato prævisо redimendo, simul voluit in genere causæ materialis peccatum originale permittere, ipsumque prævidit ut id, in cujus remedium Christus Dominus eligebatur.

63. Considerandum præterea, Christum Dominum primò & originaliter esse prædestinatum ut Redemptorem ex occasione & prævisione peccati, ut dictum est; & mediatè, media videlicet hac redemptione, prædestinatum fuisse caput & finem omnium: ita ut non fuerit prædestinatus ut caput & finis omnium aliarum rerum immediatè, & independenter à redemptione & prævisione peccati, sed mediâ illa, & dependenter ab ea: & sic omnia alia, mediâ permissione peccati, prævisione ipsius, & mediâ redemptione respiciunt Christum ut caput, & finem perficientem omnia. Nec duplex illud allatum testimoniū, alterum Sap. 8. in quo Christus dicitur, secundum communem explicationem, initium viarum Dei, id est, primus in intentione Dei comparatione aliorum operum: Nec illud aliud Apostoli ad Colcss. 1. in quo vocatur primus, caput, ac primatum tenens ante omnia opera Dei, dicunt Christum Dominum fuisse prædestinatum ut finem, & caput omnium, omnino sine respectu ad prævisionem peccati immediatè; sed solùm docent, quòd fuit primus in divina mente respectu aliorum operum, quod ab omnibus, (sicut concedimus) est asserendum, sed id factum mediâ redemptione, ut diximus.

64. Potest secundò alio modo prædicta veritas explicari, quòd nempe fuerit Christus prædestinatus ex prævisione peccati originalis; potestque responderi ad argumentum oppositum alio modo, sine illa duplici prioritate causæ finalis, & causæ materialis, dicendo: & hanc veritatem explicando per actum intentionis hoc modo, ut videlicet ordine intentionis voluerit Deus per permissionem peccati originalis Christum prædestinare, ita ut illius peccati permissio medium fuerit, per quod Deus voluerit Christum prædestinare, & sine quo talem prædestinationem non intenderet, nec eam vellet. Hic verò intentionis actus virtualiter includit alium actum electionis, hunc nimirum, volo permittere primi hominis peccatum propter prædestinandum Christum; in illo autem actu formali intentionis includente virtualiter electionem, finis intentus, nempe Christi Domini prædestinatio, est ratio volitionis permissionis peccati, ut in materia de intentione & electione communiter affirmatur. Et juxta hunc dicendi modum, qui fortè facilior est, non oportet quòd prioritate aliqua

Digitized by Google

rationis etiam in genere causæ materialis sit prior in divina mente volitio permittendi originale peccatum, quàm prædestinatio Christi. Etenim medium inclusum in actu intentionis effectus est quodammodo illius intentionis finis, nec aliqua ratione ordine intentionis, vel in aliquo genere causæ prius est ipso fine intento, cum finis intendatur per illud medium, nec priùs aliqua ratione sit volitum medium quàm finis. Imo cum in formali actu electionis in quo media directè, & in recto sunt volita propter finem, finis sit ratio volendi media, in nulla prioritate rationis aut causalitate priùs sunt volita media quàm finis, qui est ratio volendi ea. Hoc quidem verum habet intentionis ordine, nam quoad executionem priùs sunt volita media quàm finis: cum finis, qui est priùs intentione, sit ultimus in executione: & hac ratione quoad executionem priùs voluit Deus (sicut de facto fecit) creare hominem & ejus peccatum permittere, quàm Christum Dominum Incarnari; & sic prædicta duo testimonia sine difficultate procedunt.

65. Imo si testimonia alia Scripturæ expendamus, constabit, illa non obscurè tradere, Christum Dominum fuisse electum, & prædestinatum ut caput & finem omnium mediâ prævisione peccati, atque dependéter à redemptione, ita ut si redemptio non esset, nec Christus esset caput, & finis aliorum: quod inter alia significare videtur apertiùs illud Apostoli ad Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod, & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium, terrestriũ & infernorum, & omnis lingua confiteatur, &c.* Ex quo liquet, quòd illa tam insignis exaltatio Christi, qua est super omnia constitutus, ita ut necdum homines, sed Angeli, & dæmones illi genuflectant, ei collata est, ex eo quòd se humiliavit per passionem, & mortem; & quod mediâ redemptione totius mundi accepit principatum. Hoc planè prædictum testimonium proponit, cui si conjungamus id, quod certissimum est, videlicet, ita Deum ab æterno hęc præparasse, sicut de facto evenerunt, erit manifestum, Deum ab æterno Christum elegisse, & prædestinasse ut hominum Redemptorem ex peccati videlicet prævisione: & mediâ redemptione, atque per illam elegisse, & prædestinasse illum futurum caput & finem omnium, & ut talem super omnia habiturum principatum.

66. Unde Cyrillus ad hæc attendens, postquam *libro 5. Thesauri cap. 8.* non semel apertis verbis docuit, Christum fuisse prædestinatum tantùm ut Redemptorem ex prævisione peccati, videns quòd mediâ hac redemptione prædestinatus fuit caput, & finis omnium, doctissimè hoc in secundo loco constituit. Quod ut liquidò constet, omnem ejus contextum sub brevitate propono. Incipit in illo capite explicare illud proverb. 3. *Dominus sapientia terram fundavit*: Et ait, quòd illa sapientia quâ Deus terram fundavit, fuit à Deo fundata ut fundamentum totius ædificationis: & sapientiam, quæ fundata est ut fundamentum totius ædificij, dicit esse Christum quatenus hominem; sicut idem Christus quatenus homo significatur prover. 8. *Dominus creavit me in initio viarum suarum.* Unde ait Cyrillus, quòd utrobique Christus quatenus homo significatur, qui dicitur fundamentum omnis ædificij, & initium omnium operum: explicans autem qualiter hoc fundamentum sit factum ante omnia, non quoad executionem, quia sic posterior fuit Christi Incarnatio, sed in divina prædestinatione, subdit, *Sed Deus qui futura omnia novit, æternaliter quoque fundavit quantùm ad cognitionem suam Filium suum: hoc est, fundamentum illud futurum constituit, ut nos superædificati in ipso à corruptione in incorruptionem resurgamus. Sciebat enim mortales nos futuros propter peccatum, ac ideo ex misericordia sua ante sæcula constituit, ut Verbum suum homo & initium viarum, & fundamentum fieret.* Constat ergo ex citatis verbis, quòd quia Deus prævidit hominem casurum, & homines ex peccato mortales futuros, prædestinavit Christum quatenus hominem ut initium viarum Dei, & fundamentum totius ædificij: & sic fuisse Christum prædestinatum initium, fundamentum, caput, & finem omnium, quia prædestinatus fuit Redemptor ex prævisione peccati. Et post pauca in explicatione illius *Ante sæcula fundavit me, antequam montes stabilirentur, antequam fontes aquarum prorumperentur*, iterum ait: *Quæ omnia creaturam à nihilo ad esse productionem significant. Causa verò, ut sic dixerim, quare præsciti sumus in Christo, & in adoptionem ex charitate Dei Patris vocati, hæc est. Prævidit Deus peccaturum hominem, & in mortem casurum: prævidit etiam conferentia generi ejus, & quomodo renovaretur, & ad immortalitatem rediret. Idcirco quasi radices hujus spei in Filio suo nobis deposuit, per quem ad adoptionem nos vocavit.* Et iterum. *Præfundatur igitur ante nos Christus, & in ipso nos omnes superædificamur: idque ante initium mundi in præscientia Dei.* Notentur hujus magni Doctoris verba & ordo, quem expresse in divina mente constituit, prævidens Deus hominis peccatum, in remedium ejus præfundavit Christum, & in ipso nos omnes fundavit, & hoc ante initium mundi in *divina mente*, & sic factus est Christus initium, fundamentum, & caput omnium, mediâ videlicet redemptione à peccato: hoc autem fuit ordine intentionis in genere causæ finalis, nam in genere causæ quasi materialis simul voluit mundum & hominem propter Christum sicut propter finem: vel quod idem est, voluit Christum redemptione sua perficientem mundum; unum enim ab alio in illo ordinis intentione non est separandum, ut dictum est: sicut simul quis vult materiam propter formam, & formam ut actuantem materiam, nec in aliquo signo vult unum sine alio. Ex quo fit manifestum, quod supra ex Cyrillo præmisimus, ipsum nostram aperte tenere sententiam, quòd videlicet Christus fuerit prædestinatus in remedium peccati ex prima Dei intentione. Secundò, quòd hac ratione factus est initium viarum Dei in divina mente quoad ordinem intentionis, licet quoad ordinem executionis fuerit posterior aliis operibus Dei.

67. Quòd autem ordine intentionis fuerit Christus prior in divina mente homine & mundo, patet: cum enim mundus factus fuerit propter hominem, & homo propter Christum, necesse est, quòd ordine intentionis prior fuerit in divina mente Christus quàm homo, & homo quàm mundus, licet in executione è contra priùs factus fuerit mundus, deinde homo, postea Christus quatenus homo. Hunc verò intentionis, & executionis ordinem inter mundum, & hominem expresse ponit ante Cyrillum, Concilium Nicænum lib. 2. cap. 18. in responsione ad Philosophum per Episcopum Eusebium Phamphili, verba sunt *Si mundus est propter hominem, omnino cum homo prior sit in Dei proposito, erit homine ac rationabili sapientia posterior: Igitur homo prior est mundo; est etiam prior naturis mundi, quales sunt Cœlum, terra, nox, nubes, venti, abyssi, fontes, montes, & colles. Omnibus his prior est sapientia, & homo in Dei proposito jam prior est mundo: sed eundem accidit posteriùs in via creationis conditum fuisse: qui autem in divina intentione homine posterior erat, ille in viam creationis prior incidit.* Ubi etiam Concilium illud proverb. 8. *Dominus creavit*, vel, *condidit me* ut habet litera alia, vel *possedit me*, ut alia habet lectio, quod

Digitized by Google

(quod Philosophus Arrianus de verbo æterno intelligebat, ut suam hæresim fundaret, qua verbum esse creaturam conditam seu creatam asserebat) rectè exponit de rationali sapientia, ideſt, de homine, non de verbo æterno, nisi addatur quatenus homo: verba sunt. *Non est itaque Filij Dei illud: Dominus condidit me, sed rationalis sapientiæ.* Unde minus bene modernus quidem author in illo suo defensorio prò Immaculata Conceptione cap. 19. in principio dicit, quòd illa verba Prov. 8. utriusque Ecclesiæ Patres tam Græcæ, quàm Latinæ partim de Sapientia & Verbo Dei increato, partim de eadem Sapientia & Verbo Incarnato interpretantur. Ad Verbum enim increatum, & ad Sapientiam increatam ut sic applicari non posse, docet Concilium relatum. Hæc magnum illud Concilium habet explicando illud prov. 8. *Dominus possedit me initio viarum suarum*, docens, esse intelligenda de rationali sapientia, seu de homine, quem dicit esse initium viarum Dei, id est, operum; quia prior fuit in divina intentione ipso mundo, licet in executione posterior eo fuerit. Non est autem dubium, quin inter homines, priorem omnibus senserit Concilium Christum quatenus hominem, quia etiam propter ipsum factus est homo. Unde reipsa eodem modo explicatur à Cyrillo, & à Concilio illud proverb. 8. citatum, de Christo videlicet quatenus homine, qui ordine intentionis prior est homine, & mundo: & sic dicitur initium viarum Dei in genere videlicet causæ finalis, sed non sine ordine ad prævisionem peccati, ut dictum est, licet ordine executionis posterior fuerit & homine, & mundo.

68. Unde ex mente Concilij citati atque Cyrilli ita distinguenda instantia sunt. In primò Deus voluit manifestare suam bonitatem creando mundum propter hominem. In secundo voluit permittere peccatum hominis ad prædestinandum Christum in remedium illius ut hominum Redemptorem. Et in tertio voluit Christum prædestinare ut Redemptorem hominis & mundi & ut caput, finem hominum, & totius mundi. Unde semper fuit Christus in divina mente prior omnibus in genere causæ finalis, quia mundus ordinabatur ad hominem, & homo ad Christum sicut ad finem: ergo omnium finis erat Christus: sed immediatè, ut diximus, finis est hominum, ipsos à peccato redimendo, & mediâ hac redemptione, finis & caput est omnium: & omnia voluit Deus condere propter ipsum sicut propter finem: & ipsum Christum propter se ipsum tanquam ultimum finem.

CAPUT VIII.

Alia solvuntur argumenta, & quòd homines fuerint prædestinati post prævisionem peccati originalis ostenditur.

69. Simili ratione omnia sequentia diluuntur argumenta. Nam secundum, cum objiciebatur, solutionem accepit; dictum est enim, optimè stare, Christum esse caput, & finem, imo meritoriam causam prædestinationis nostræ, licet & ipse electus, & prædestinatus fuerit ex prævisione peccati. Priùs enim fuit Christus prædestinatus in remedium peccati prævisi, & deinde nos in ipso, & per ipsum prædestinati sumus ex massa illa corrupta per peccatum, ut perpetua doctrina SS. Augustini, & Thomæ est, quam & modò supponeremus, si hoc etiam ab eis Recentioribus non esset impugnatum: tenent namque & ipsi, homines omnes, etiam Adamum, prædestinatos fuisse ante absolutam peccati originalis prævisionem, consequenter quidem ad suam sententiam loquentes, qua dixerunt, Christum ante prævisionem peccati fuisse electum. Et quòd majus est; contendunt hoc deduci vel sumi ex S. Thoma. Sic enim Franciscus Suarez habet lib. primo de essentia prædestinationis cap. 22. §. dico 3. *Omnes homines salvandi, electi fuerunt ante prævisum peccatum Adæ; imo & ante voluntatem permittendi illud. Hæc conclusio, ait, sumitur ex Sancto Thoma quæst. 23. art. 1. ad 3. & ex art. 4. si attentè legatur.* Et 3. p. disp. 5. sect. 2. §. tertio probari potest, inquit, *Probabiliorem existimo communem sententiam Theologorum asserentium electionem hominum prædestinatorũ antecessisse prævisionem originalis peccati: quam licet D. Thomas nunquam clarè docuerit, in eam tamen magis inclinare videtur* 1. p. q. 23. art. 4. & 5. & clarius q. 6. de verit. art. 2. ad 9. Potissimum pro hac sententia argumentum est illud secundo loco supra objectum, cujus occasione ista tractamus. Imo si vera sunt, quæ iste author dicit: Tum 3. p. quæst. 1. art. 4. disp. 5. section. 1. & 2. Et 1. part. lib. 2. de causa prædest. cap. 14. num. 21. Et lib. 3. de effectibus prædest. cap. 7. nullus poterit eum à contradictione liberare. Cum enim ipse in prioribus locis cum Scoto teneat, ante peccatum primi parentis, & ante Christi Domini passionem prævisam, fuisse homines prædestinatos & electos efficaciter ad gloriam: & in ultimo loco citato dicat, donum creationis in omnibus prædestinatis effectum fuisse prædestinationis eorum, non quidem secundum se, sed quatenus primum fundamentum prædestinationis, & electionis eorum: concluditur primò manifestè contra ipsum, Christum Dominum non meruisse prædestinatis omnem effectum prædestinationis ipsorum; quia ante passionem ejus prævisam, & ante omne ejus meritum prævisum Deus dedit prædestinatis hunc potissimum & primum prædestinationis ipsorum effectum, qui est, ipsos voluisse creare, ut talis creatio esset fundamentum prædestinationis ipsorum. Secundò etiam concluditur, Christum Dominum passione sua non meruisse, quòd homines essent prædestinati ad gloriam; nec illos fuisse electos & prædestinatos per Christum: si quidem ante omnem ejus passionem & meritum prævisum, omnes fuerunt à Deo electi, & ad gloriam prædestinati: & sic Christus Dominus nemini passione sua mereri potuit, ut foret, vel ut electus, & prædestinatus esset, vel ut omnem effectum prædestinationis ex meritis Christi haberet: quod tamen secundum, & potissimè ultimum à Theologis concedi non potest, quia derogatur maximè meritis passionis Christi Domini: quod nec hìc probandum putamus, sed supponendum. Ad nostram ergo propriam materiam revertamur.

70. Pro resolutione ergo dicendum, omnes homines, etiam ipsum Adamum, electos & prædestinatos fuisse ex prævisione peccati originalis, & ex illa massa, quæ prævidebatur per peccatum infecta atque corrupta. Hæc, ut diximus, clara, & perpetua doctrina S. Augustini, & Sancti Thomæ est, quamvis iste author oppositam in Sancto Thoma velit fundare; sed nulla, nostro judicio, vel apparenti ratione, ut ostendemus. Et quidem quòd sententia ista sit millies à Sancto Augustino in libris contra Pelagianos repetita atque firmata, adeo clarum est, ut nec hoc in dubium ausus fuerit revocare citatus author, imo id expressè confessus fuerit 3. p. disp. 5. sect. 2. §. *ad hanc vero*, sic dicens *Ad hanc vero rationem respondent alij ex doctrina S. Augustini, electionem & prædestinationem hominum factam esse post prævisum originale peccatum.* Et lib. 1. de essentia prædestinationis cap. 12. §. *secunda ratio*, inquit, *minor* (scilicet quod alij ab Adamo electi sint post præscientiam originalis peccati) *videtur esse clara sententia Sancti Augustini in lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 7. de prædest. & gratia cap. 3. & lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. In Enchirid. cap. 49. & sæpè alias: favet*

Digitized by Google

etiam D. Thomas 1. p. q. 23. art. 1. ad 3. quatenus ait, terminum à quo prædestinationis fuisse miseriam peccati. Hæc ille, qui licet id dicat in argumento 2. oppositò, tamen in illius solutione sine causa Augustinum conatur exponere non de prædestinatione quoad primam intentionem, sed quoad media, ut statim in hoc capite veram tradendo doctrinam S. Thomæ aperiemus. Unde quod dixit, claram videri sententiam Sancti Augustini, revera ita ipse sensit, sed ne videretur contra ipsum tenere, unico verbo, absque aliqua probatione, temperavit. Quia ergo jam admittit claram videri sententiam S. Augustini citatis locis, quòd homines sint electi post præscientiam peccati originalis, id non probamus: sed tamen advertimus, non videri tantùm esse claram S. Augustini sententiam, sed esse clarissimam, apertissimam, & millies, ut dixi, repetitiam atque pro fundamento contra Pelagianos firmatam. Advertimus secundò, non solùm S. Augustinum id apertè docere de aliis hominibus, sed etiam de primo parente: Unde contrarium asserere, manifestè est sententiam S. Augustini impugnare. Legantur loca ab isto authore inducta, & erit apertissimum de primo parente etiam in illis loqui S. Augustinum. Unde in re manifesta nec immorandum putamus.

71. Veniamus modò ad illud aliud, quod de S. Thoma affirmat, sensisse videlicet Doctorem Sanctum, vel ex ejus doctrina deduci, quòd sint homines electi ante prævisum peccatum originale. Quod planè falsum est, & inauditum, potissimè cum idem author (quod est attentiùs considerandum) in uno & eodem loco S. Thomæ 1. p. q. 23. art. 1. ad 3. contradictorias sententias simul velit fundare, nempe electos fuisse homines ante prævisum peccatum originale, & non fuisse electos ante peccatum illud, sed post ipsum. Primam enim propositionem affirmativam ex illo articulo 1. ad 3. fundat lib. 1. de essentia prædest. cap. 12. §. dico 3. & 3. par. disp. 5. sect. 2. §. ad hanc verò. Secundam autem negativam fundat ex eodem art. 1. ad 3. in prædicto §. ad hanc verò dicens. *Quòd doctrinæ Augustini, ponentis homines electos post prævisum peccatum originale favet D. Thomas 1. p. q. 23. art. 1. ad 3. sicut ex inductis verbis ipsius satis patet.* Quasi Sanctus Thomas in uno & eodem articulo, imo in una & eadem solutione illius tertij articuli aliquid dicat, quod contradictoriis sententiis favere valeat.

72. Ut autem manifestè omnes cognoscant, semper Sanctum Thomam (hoc enim explicare & in hoc immorari nostrum est proprium) apertè docuisse cum Sancto Augustino, & veritate ipsa, omnes homines post prævisum Adæ peccatum electos fuisse, idsic demonstro. Primò aperta sententia S. Thomæ est, Christum fuisse electum post prævisum peccatum Adæ in remedium illius, ut dedimus manifestum ex ejus patentissimis verbis: sed idem Sanctus Doctor semper docuit homines electos ad gloriam post electionem, & prædestinationem Christi, quod nullus negabit: ergo manifestè docuit S. Thomas, homines electos ad gloriam post prævisum Adæ peccatum. Procul dubio etsi omnia alia, quæ pro hac re sunt expressa testimonia, deessent, vel illud duplex principium à S. Thoma apertè statutum hoc ita convincit, ut nullus possit de sententia ipsius in hac parte dubitare.

73. Quòd si prædicta ratio (quæ efficacissima est) nec hos authores movet, alia evidentiora, clariora inducantur testimonia, quæ à nobis relata sunt supra agentes de reprobatione, ubi ex S. Thoma super caput 9. Epist. ad Rom. lect. 2. 3. & 4. satis ostendimus, semper Doctorem Sanctum ante prædestinationem, & reprobationem hominum, peccatum originale prævisum à Deo posuisse: & prædestinationem bonorum factam fuisse ex illa massa peccato originali infecta, ex qua Deus per misericordiam quosdam liberavit prædestinando; quosdam verò in miseria illa dereliquit reprobando: ex quibus, ut alia omittantur, evidentissima illa verba sunt lectio 4. supra cap. 9. Epist. ad Rom. *Humana autem natura vilitatem habet ex sua materia, quia ut dicitur Gen. 2. fecit Deus hominem de limo terræ: sed majorem vilitatem habet ex corruptione peccati, quæ per unum hominem in hunc mundum intravit: & ideo homo luto meritò comparatur.* Unde concludit. *Si verò Deus hominem ad meliora non promoveat,* (per prædestinationem videlicet, de hac enim ibi expressè loquebatur) *sed in sua infirmitate eum dimittens* (videlicet per reprobationem) *deputat eum ad infimum usum, nullam ei facit injuriam, ut possit justè de deo conqueri.* Quibus apertissimè prædestinationem, & reprobationem hominum post prævisionem peccati originalis constituit. Manifesta etiam sunt verba alia in illa lectione 4. *Similiter Deus liberam potestatem habet facere ex eadem corrupta materia humani generis sicut ex quodam luto, nulli faciendo injuriam, quosdam homines præparatos in gloriam, quosdam autem in miseria derelictos.* Potuitne S. Thomas clariùs vel apertiùs docere, prædestinationem, & reprobationem hominum fieri ex præsuppositâ peccati originalis prævisione, quàm dicendo *quosdam homines præparasse Deum in gloriam ex corrupta materiâ humani generis*; quam prioribus verbis relatis præmiserat esse corruptam ex peccato primi parentis? An aliud est preparare Deum homines in gloriam, quàm prædestinare? Procul dubio ista videntes, & legentes, nisi jam expressè velint contradicere, nequeunt S. Thomæ adscribere sententiam, quæ totaliter ejus dictis repugnat.

74. Præterea *in 4. dist. 46. q. 2. art. 2. quæstiu. 2. ad 5.* inquit. *Dico ergo, quòd omnibus hominibus ex meritò propriij peccati debetur pœna æterna, sed quòd aliqui liberentur, hoc est ex sola divina liberalitate; posset enim omnes justè damnare, & ideo nulla est injustitia, si aliquos eligat, & aliquos reprobet.* Ecce electionem, & reprobationem ponit post peccatum originale, quod sicut est omnibus hominibus commune, ita & inest unicuique proprium, ut lib. 1. par. 2. tract. 1. satis ex Sancto Augustino tradidimus. Et *1. par. q. 23. art. 5. ad 3. & in 3. argumento & solutione illius*, apertis verbis prædestinationem & reprobationem hominum constituit post peccatum originale, in quo omnes æquales prævidebantur. Quod testimonium, quia supra in tractatu de reprobatione satis ad hoc propositum expendimus, nec repetendum arbitramur. Manifestum est igitur, ubique S. Thomam docuisse prædestinationem & reprobationem hominum factam fuisse post prævisum peccatum originale, sicut Sanctus Augustinus ex Apostolo docuerat. Imò & Apostolum ipsum hanc docuisse sententiam explicavimus tractatu præcedenti. Unde ibi dicta expendenda sunt, & ad intentum nostrum applicanda.

75. Quod autem opponunt *ex 1. p. q. 23. art. 1. ad 3.* Et *ex art. 4. & 5.* non solùm id ibi non habetur, quod intendunt, sed totum oppositum adeo clarè, ut ultra supradicta testimonia, hæc ipsa id efficaciter convincant. In art. enim primo solutione ad 3. ita habet *Ad 3. dicendum, quòd prædestinari convenit Angelis sicut, & hominibus; licet nunquam fuerint miseri: nam motus non accipit speciem à termino à quo, sed à termino ad quem. Nihil enim refert quantùm ad rationem dealbationis, utrum ille, qui dealbatur, fuerit niger, aut pallidus, vel rubeus: & similiter nihil refert ad rationem prædestinationis, utrum aliquis prædestinetur*

Digitized by Google

netur in vitam æternam à statu miseriæ, vel non: quamvis dici possit quòd omnis collatio boni supra debitum ejus, cui confertur, ad misericordiam pertineat: ut supra dictum est. Quæ solutio adhibita fuit argumento, quod sub his verbis opposuerat. *Angeli sunt capaces beatitudinis sicut homines; sed Angelis non competit prædestinari, ut videtur (cum in eis nunquam fuerit miseria; prædestinatio autem est propositum miserendi, ut dicit Augustinus:) ergo homines non prædestinantur.* Attendat ergo Theologus, si non potiùs tum ex proposito argumento, tum ex solutione ipsius concluditur, docuisse S. Thomam hominum prædestinationem fuisse factam ex præsupposita miseria peccati, non autem prædestinationem Angelorum. Nam expressè dicit terminum à quo in hominum prædestinatione fuisse miseriam, peccati videlicet, non autem in prædestinatione Angelorum. Quo supposito ad argumentum respondet in prima solutione, etiam Angelis convenire prædestinari, quia prædestinatio ex termino ad quem, quæ gloria est, non ex termino à quo speciem sumit: unde cum Angeli & homines conveniant in termino ad quem prædestinationis, scilicet in gloria, ad quam sunt electi, utrisque convenit prædestinari, licet in eis terminus à quo sit diversus, miseria videlicet peccati in hominibus, vel non miseria peccati in Angelis. In secunda autem solutione docet, quod etiam convenit Angelis prædestinari sicut hominibus, quia collatio boni supra debitum ejus cui confertur, ad misericordiam pertinet: & sic potest salvari etiam pro Angelis illud D. Augustini, quod prædestinare est propositum miserendi; licet ipsi prædestinati non sint ex præsupposita miseria peccati, sicut homines ex tali miseria prædestinati fuerunt. Hæc est aperta S. Thomæ solutio atque sententia, ex qua, ut dicimus, manifestè concluditur homines fuisse prædestinatos post miseriam peccati originalis prævisam.

76. Videt quidem prædictus modernus author, quòd potiùs ex hac solutione sequebatur totum oppositum, quod intendebat; quare extortè illam conatur explicare, dicendo, quòd cum S. Thomas dicit terminum à quo prædestinationis hominum fuisse statum peccati, loquitur de prædestinatione quoad media per quæ homines salvantur, non quoad primam intentionem, seu electionem gloriæ; & quòd eodem modo potest intelligi Augustinus: vel si referatur hoc ad electionem gloriæ, intelligi potest veluti per anticipationem, quia illi electi sunt, qui futuri erant in massa perditionis, & ab illa erant liberandi per efficacia media prædestinationis.

77. Quis autem non videat, quàm extorta utraque ista explicatio sit, & quàm contra mentem, & literam S. Thomæ. Prima namque literam oppugnat, quia S. Thomas in illo primo articulo loquitur de prædestinatione secundum omnia quæ includit, & prout claudit dilectionem, & electionem, quæ ratione antecedunt ipsam formalem prædestinationem. Postquam enim in illo articulo primo præmiserat, quòd homines prædestinantur à Deo, in articulo quarto subdit, quod prædestinati eliguntur à Deo: unde de prædestinatione secundùm quod includit dilectionem, ait, quod homines prædestinantur, & eliguntur ad gloriam sicut ad terminum ad quem ex præsupposita miseria peccati sicut ex termino à quo. Secundò quia aliàs non assignaret differentiam inter homines, & Angelos, si utrique ex prima intentione fuerunt electi ad gloriam ex nulla præsupposita peccati miseria; quod apertè est contra literam. Tertiò quia terminus à quo in prædestinatione non sonat medium prædestinationis, sed aliquid se tenens ex parte subjecti prædestinandi, seu eligendi: unde necesse est, quod ex parte subjecti quod prædestinatur, præsupponatur. Quartò, quia ut omne subterfugium præcludatur, in illo loco ex 4. sent. citato dist. 46. expressè S. Thomas loquitur de electione ad gloriam, & ait homines ad illam electos ex præsupposita peccati præscientia, ut dictum est supra: cum ergo ibi non loquatur de prædestinatione, & de mediis quæ in ipsa claudantur, sed de electione quæ prædestinationem ratione antecedit, & ordinem mediorum ejus, non possunt isti authores ad media confugere, & primam Dei intentionem eligentis homines ad gloriam ex prævisione peccati originalis negare: igitur minus stare potest cum litera hæc moderna interpretatio, sed, ut dictum est, contra ipsam procedit.

78. Secunda etiam facilè retunditur. Quomodo enim cum terminus à quo præsupponatur in suo ordine ad terminum ad quem, potest per anticipationem solùm præsupponi ad illum? Illa enim, quæ ponuntur per anticipationem, sunt talia ut ex natura sua posteriora sint, & talia ab omnibus cognoscuntur; unde cum priùs statuuntur, necesse est recurrere ad anticipationem. Cæterum necesse est quod terminus à quo in aliquo genere causæ, & prioritatis antecedat terminum ad quem, ut est apertissimum: unde nullo modo potest dici, quod ex prima intentione moventis aliquid à termino à quo ad terminum ad quem, ipse terminus à quo ponatur tantùm per anticipationem. Omitto quòd homines electi ad gloriam ante permissionem peccati originalis, & ejus absolutam prævisionem, ut vult author iste, non potuerunt certò præscivi postea futuri justificandi atque salvandi ex statu peccati originalis, ut supra libro primo copiosè adversus illam mediam scientiam, ad quam in hac parte confugit, dedimus manifestum: his ergo minus obstantibus, constat S. Thomã in illa solutione ad tertium illius primi articuli tenere atque docere, homines prædestinatos, & electos esse ad gloriã ex statu peccati originalis sicut ex termino à quo.

79. In articulo autem tertio & quarto illius quæstionis 23. nihil habetur ex quo colligi possit, non fuisse hominum prædestinationem factam post peccatum originale; quod nec ipse deducit, nec aliquem deducere posse putamus, nisi per mediatas valdeque distantes & non legitimas consequentias quis sillogizet: qua amplitudine atque licentia ex quolibet possit quis colligere quodlibet. Similiter in art. 5. in corpore nihil est penitus, quod prætensæ sententiæ faveat, nisi quis id ex eo colligi velit quia S. Thom. ibi dicit contra Origenem, & Pelagianos, nulla vel in altera vel in ista vita præcessisse opera propter quæ aliqui sint prædestinati, aliqui reprobi. Ex quo certissimo, & indubitato principio, qua vel apparenti ratione colligi possit non fuisse homines electos, & prædestinatos post peccati originalis absolutam præscientiam, in quo æqualiter omnes homines se habebant propter æquale demeritum; supra agentes de reprobatione dedimus manifestum? Imò potiùs, ut dictum est tractatu præcedenti cap. 13. in eodem art. 5. tum in argumento tertio proposito tum in solutione ejus S. Thomas apertè ponit peccati originalis prævisionem ante hominum prædestinationem, & reprobationem: unde potius adversarij ex hoc art. refutantur.

80. Minoriam apparentia opponit ex quæst. 6. de verit art. 2. ad 9. quia potius ex illo loco potissime habetur, sensisse S. Thomam, factam fuisse electionem, & reprobationem hominum post prævisum originale peccatum: nam apertè litera docet electionis (qua unus eligitur ad gloriam præ alio) non dari rationem, vel meritum ex parte ejus, qui præ alio eligitur: bene autem ex parte reprobationis dari causam secundum Augustinum, videlicet peccatum

Digitized by Google

tum originale: supponit ergo S. Thomas, cum de electione & reprobatione retractabatur, nullum prævisum fuisse meritum ad eligendum; bene autem prævisum fuisse demeritum, scilicet peccatum originale ad reprobandum: & hoc habet manifeste solutio illa ad 9. Adhibet deinde S. Thomas secundam solutionem, dicens, quod etiam si peccatum originale prævisum non esset, ex eo solo titulo quod gratia debita nulli est, poterat Deus illam hominibus denegare eosque reprobare quod supra agentes de reprobatione asseruimus, ostendentes de facto duplici titulum Deum reprobasse eos qui de facto reprobati manserunt; & quia eis gratia debita non erat: & insuper quia illi demeritum habebant ex peccato originali, quo sicut eos justè reprobavit, poterat justissimè etiam omnes alios ob commune & æquale demeritum prævisum reprobare: nisi ex divina misericordia & gratuita Dei bonitate, quidam ex illa perditionis massa fuissent electi.

CAPUT IX.

Alia argumenta diluuntur.

81. SUPEREST modò ut ad illud secundum argumentum quod ex ratione petebant, cujus occasione ista tractavimus, respondeamus ad quod concedenda videtur major, quod nempe in eodem rationis signo simul fuerunt homines, & Angeli prædestinati; quia eorum prædestinatio ex parte objectorum non videtur ordinem prioris, & posterioris importare, nec alterum supra alterum causalitatem habere, ut alterum altero priùs à Deo prædestinaretur: potissimè quia tam illi quàm isti post prædestinatum Christum, in Christo & per Christum ut una regalis civitas prædestinati sunt. Minor autem neganda est, cum dicitur Angelos non fuisse prædestinatos post prævisum peccatum Adæ: imo post illius prævisionem prædestinati sunt, sicut fuerunt prædestinati post prædestinatum Christum, qui ex prævisione peccati Adæ fuit prædestinatus, ut dictum est. Et ad reprobationem illam in qua tota difficultas est, quòd priùs boni Angeli sunt prædestinati, quàm mali reprobati; & priùs mali reprobati, quàm tentarent hominem: & ex consequenti priùs quàm homo peccaret fuerunt reprobati; dicendum quòd ordine executionis priùs fuit peccatum Angelorum, quàm hominum; quia fuit causa illius, ut argumentum probat: at in ordine intentionis sicut fuit priùs Christus prædestinatus in remedium peccati prævisi, quàm Angeli prædestinarentur vel reprobarentur: ita priùs fuit Christus prædestinatus in remedium peccati prævisi, quàm sint Angeli prædestinati, vel reprobati: & hoc est quod communiter à Theologis dicitur, quòd Christus Dominus est primus prædestinatus; & quòd prædestinationis omnium Christi prædestinatis est finis, & exemplar ex parte termini, ut in superioribus manet expositum. Itaque intentionis ordine sic videntur instantia ista distinguenda. Priùs Christus prædestinatur in remedium peccati prævisi; vel priùs Deus voluit hominis peccatum permittere, ut Christum prædestinaret: hæc enim duo essentialem inter se se ordinem habent, ut dictum fuit. Deinde homines, & Angelos in Christo voluit Deus prædestinare, sed diversimodo: homines ex Christi merito: Angelos in Christo sicut in capite, & fine ac exemplari prædestinationis ipsorum tertiò voluit & Angelos, & homines reprobare in majorem gloriam prædestinatorum, & præcipuè Christi Domini. Cæterum quoad executionem priùs voluit Cælum, & Terram creare, secundò Angelos in gratia creavit prima die tertiò bonos Angelos beatificavit, quartò Angeli mali reprobati sunt. Quintò creatus est homo, & permisit Deus quòd à dæmone tentaretur. Sextò permisit hominem peccare. Septimò in remedium ipsius missus est Christus. Unde quod fuerat priùs in intentione, nempe Christus prædestinatus in remedium peccati prævisi, est posterius in executione.

82. Ex quo alia solvitur quæstio, an videlicet priùs ratione sint homines electi ad gloriam, quàm sit prævisum peccatum Angelorum, ita quòd non sint electi occasione peccati Angelorum, sed per se æquè ac ipsi Angeli, hoc, inquam, ex præmissa distinctione diluitur. Unde dicendum quòd quoad intentionem electi sunt homines in illo primo signo rationis Angeli, & ante peccatum Angelorum, & reprobationem ipsorum, ut patet ex ordine instantium supra expositorum. Cæterum quo ad executionem, è contrario se res habet: nam post peccatum Angelorum decrevit Deus homines beatificare. Absolutè verò dicendum est, quòd electi sunt ad gloriam homines ante prævisum peccatum Angelorum: quia in ista propositione ordo intentionis importatur, non modo executionis.

83. Unum tamen non omittendum, prædictum authorem, cum quo agimus, asserere *lib. 1. de essent. prædest. cap. 12. §. 1.* S. P. Augustinum: docere homines fuisse electos ad gloriam ante prævisum peccatum Angelorum in lib. 11. de Civit. *Dei cap. 9.* & lib. 12. cap. 1. & 9. lib. 15. cap. 1. & *lib. 22. cap. 22.* Cum tamen nihil dicat tale in illis *locis S. Doctor*: nec videtur ex his quæ ibi docet, id rectè colligi posse. Ex quo etiam sequitur, peccatum Angelorum dixisse ordinem ad peccatum hominis sicut quodammodo causam ad effectum; permisit enim, inter alia, Deus Angeli peccatum, ut ex illius tentatione permitteret hominis peccatum.

84. Ad confirmationem dicendum, gratiam collatam primo parenti in statu innocentiæ non fuisse ex meritis Christi: sicut nec gloria Angelis collata ex meritis Christi fuit: quod multò verius ex reipsa & in doctrina S. Thom. & S. P. Augustini semper judicavimus; quia Christi Domini meritum, essentialiter meritum fuit Redemptoris: unde ad Angelos qui redempti non sunt, non videtur extendendum; nec ad hominem pro illo primo innocentiæ statu quo Redemptore non indigebat. Quod enim aliqui Theologi dicunt, meritum Christi fuisse quidem Redemptoris, sed habuisse insuper quandam eminentiam ut se extenderet ad non redemptos. Si per hoc dicere intendunt, quòd habet quidem hanc eminentem virtutem ut se possit extendere ob suam infinitatem etiam ad merendum non redemptis, etsi ad illos esset ordinatum: concedendum hoc quidem est ob illius infinitatem, ut diximus: sicut etiam infinitam habuit virtutem, ut si à Christo Domino ordinaretur ad hoc, quòd Spiritus Sanctus carnem assumeret, utique ex merito Christi Spiritus Sanctus Carnem sumpsisset. Sed hoc nihil ad propositum facit. Si autem velint asserere, quòd de facto ita fuit ordinatum à Christo Domino. Ut etiam non redemptis Angelis mereretur gratiam & gloriam, ita ut eis de facto gratia, & gloria ex Christi meritis data fuerit: hoc nec sufficienter probant, nec in S. P. Augustini, & D. Thomæ sententia rectè potest fundari.

84. Imò totum oppositum potiùs Sancti Doctores affirmant: & quidem de gratia primo homini collata in statu innocentiæ S. P. Augustinus ita habet lib. de correp. & gratia cap. 11. *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? imo verò habuit magnam, sed disparem, ille in bonis erat, quæ bonitate sui conditores acceperat..... Sancti verò in hac vita ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt ex quibus clamant ad Deum. Libera nos à malo ille in illis bonis*

Christi

Digitized by Google

Christi morte non eguit &c. Docet ergo apertè quòd gratia primæ conditionis non fuit data primo parenti ex meritis Christi: Unde & ideo vocatur gratia primæ conditionis, non gratia redemptionis. Verum tamen est quod hæc eadem gratia Adæ collata quoad reviviscentiam ex meritis Christi fuit: & hoc nullus negabit, nec negare potest.

85. Quod vero à quibusdam opponitur ex S. Bernardo dicente, Angelos etiam per Christum fuisse redemptos. Dicendum accepisse S. Bernardum redemptionem largo modo, ad hunc sensum, quòd gratia, & gloria data Angelis fuerit per Christum redemptorem, licet illi verè per ipsum redempti non fuerint? putavit enim S. Bernard. gratiam Christi Domini non solùm fuisse redemptionē in ordine ad illos, qui verè à peccatis redempti sunt, sed etiam habuisse illam eminentiam supradictam se extendentem de facto ad non redemptos. Quod aliqua probabilitate non caret propter tanti Sancti reverentiam, & authoritatem: licet opposita verior sit ut ex S.P. Augustino præmisimus de gratia data Adæ in statu Innocentiæ: quod à fortiori diceret de gratia Angelis collata, ut est manifestum. Nullus autem ex Theologis ita intelligit S. Bernardum ut sentiat Angelos verè, & propriè per Christum fuisse redemptos: hoc enim nec rectè dici potest, nec S. Bernardo debet attribui.

86. Cum S. P. Augustino docente verbis relatis, gratiam primæ conditionis primo parenti collatam ex meritis Christi non fuisse (quod à fortiori ut dictum est diceret de gratia Angelis data) perpetuus est S. Thomas, ut infra copiosiùs ostendemus quod verò aliqui moderni Theologi dicunt, aliquibus dedisse Christum gratiam, non tamen pro eis mortuum fuisse, nec per crucem eis gratiam contulisse, sed alio modo novuum est apud Sanctos Patres & antiquos Doctores inauditum. Hoc ergo supposito, dicendum, quòd tam respectu gratiæ Angelorum, quàm gratiæ primo parenti collatæ in statu innocentiæ fuit Christi Domini prædestinatio causa finalis & exemplaris, sed non meritoria: itaut primò, & per se fuit prædestinatus Christus in remedium peccati, & mediante peccati prævisione, & humana redemptione caput fuerit, finis, & exemplar omnis gratiæ: tam primæ conditionis, quàm gratiæ Angelorum, ut dictum est supra. Et ad probationem, qua dicitur priùs fuisse gratiam collatam Adæ, quàm permissionem peccati ipsius, quo ab ipsa cecidit, eadem distinctione utendum, quòd videlicet quoad ordinem executionis, id est manifestum: at verò quoad ordinem intentionis, priùs intendit Deus Christum prædestinare in remedium peccati prævisi, & ex consequenti priùs voluit eodem intentionis ordine peccatum hominis permittere, quàm illi dare illam primæ conditionis gratiam: imo illam ideo ei dare voluit, ut permitteret eum ab ea cadere, ut sic Christum Dominum in remedium peccati prædestinaret.

87. Ad quartum ex Authoritate Anselmi desumptum ex lib. 1. cur Deus homo, cap. 18. Dicendum primò, satis ex toto illo libro primo atque secundo convinci, quòd si Adam non peccasset, nec Deus homo fieret. Unde quod de Angelis etiam dicit illo cap. 18. quòd videlicet homines non fuerunt prædestinati quia Angeli ceciderunt: nos quoque id asserimus: negamus tamen quòd si Adam non peccasset, Christus fuisset prædestinatus, ut dictum & probatum supra manet: hujus autem negatæ illationis ratio, & discrimen est, quia ut probatum dedimus, permissio peccati primi hominis dicit essentialem ordinem in divina mente ad Christi Domini prædestinationem: at peccatum Angelorum nullum ordinem habuit ad prædestinationem hominum. Ratio autem quam adducit Anselmus, quia aliàs lætari possent homines de peccato Angelorum, ex quo tantum bonum illis evenisset, inter topica potest haberi; nec enim convincit nisi quòd in illo casu tantum deberent homines gaudere de divina misericordia & bonitate, quæ occasione peccati Angelorum eis tantum bonum contulisset. Itaque non de peccato gauderent, sed de misericordia Dei, quæ ex peccato tantum bonum eduxisset: in quo sensu nec est inconveniens concedere, animam Christi Domini gaudere de divina misericordia, & summa bonitate, quæ occasione peccati primi hominis eam ad tam supremam dignitatem erexit inquo etiam sensu SS. Patres exponunt illud Christi Domini Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Non enim est sensus quòd gaudeat quia sapientibus abscondit sed cum sapientibus absconderit, parvulis revelaverit.

88. Ad confirmationem desumptam ex S.P. Augustino dicente libro de natura & gratia cap. 25. *Non enim hoc eis dicimus, quod sibi isti opposuit, ut esset causa misericordiæ Dei, necessarium fuisse peccatum; utinam non fuisset miseria, nec ista esset misericordia necessaria.* Dicendum quòd his ultimis verbis, & objectioni respondet, & nostram de novo confirmat sententiam, quòd videlicet, si miseria peccati non fuisset, nec misericordia Incarnationis necessaria fuisset. Et ex consequenti sine necessitate Deus illam non prædestinaret. Citatus autem author priora verba S. Doctoris inducit, & alia brevissima immediatè sequentia omittit: & ex illis prioribus (*non eis dicimus, ut esset causa misericordiæ Dei, necessarium fuisse peccatum*) deducit: ergo si peccatum non fuit necessarium ad illam misericordiam, foret misericordia talis etiam non existente peccato. At S. Augustinus ex posterioribus verbis hanc illius consequentiam refutat, dicens, *utinam non fuisset miseria, nec ista esset misericordia necessaria*, ac si clariùs dicat, utinam non esset miseria, & non fuisset ista misericordia. Sed & illud addendum, quòd cum iste author, ut relatum est supra, sentiat S. Augustinum docuisse Christum prima intentione prædestinatum fuisse post previsum peccatum Adæ in remedium illius; quomodo supradictum locum inducit ad probandum Sanctum Augustinum sensisse, fore prædestinandum Christum, si peccatum Adæ non esset? An putat Sanctum Doctorem sibi in hac parte esse contrarium, ut quòd semper docuit, in illo opposito loco neget: & hoc S. Augustino, sibi & aliis persuadeat prædictus author.

89. Ad aliam secundam confirmationem desumptam ex eodem S. P. Augustino dicente libro 14. de civitate Dei cap. 23. quòd primi homines etiam si Adam non peccassent, generassent, & homines prædestinati essent. Respondemus id quidem verissimum esse, sed malè ab his authoribus intellectum, & oppositum contra sententiam, quam semper (ut diximus) Sanctus Augustinus docuit. Verum quidem est, quòd licet Adam non peccasset homines per generationem multiplicati essent, & prædestinati, sed tunc nec Christus veniret, nec illorum prædestinatorum Christus caput esset. Itaque hominum prædestinatio absolutè, & secundum se ac ex sua intrinseca natura non dicit ordinem ad Christum, ita ut in nullo casu possit esse prædestinatio hominum nisi per Christum Dominum, ut S.P. Augustinus declarat in hoc possibili casu, vel in illo futuro conditionato modò explicato: sed prædestinatio hominum redemptorum, ut Catholica veritas habet, dependet à Christo sicut à causa meritoria, finali, efficiente, & exemplari, ut visum est; & mediâ hac redemptione, cujuscumque gratiæ, prædestinationis, & gloriæ Angelorum Christus est finis & exemplar. Ad aliud quod de fide Christi, quæ fuit in primo parente, addiderunt, S.

Digitized by Google

ipse Thomas respondet *3. par. quæst. 1. art. 3. ad 5.* quòd per fidem fuit Adamo revelatus Christus venturus, sed non fuit ei revelata causa, vel occasio sui adventus, quæ præfuit in prima Dei intentione eligentis, & prædestinantis Christum ut redemptorem. Quod si originale peccatum non fuisset à Deo permissum atque prævisum, nec Christus ex prima illa Dei intentione quæ peccatum supponebat, venisset, nec fides Adamo illum venturum proposuisset.

90. Quantùm autem ad Rupertum, Alensem & Scotum quos ultimò pro sua sententia inducunt; fatemur hos authores ita sentire, sed minus prævalere possunt contra inductorum Sanctorum Patrum multitudinem copiosam. De Cyrillo etiam quem modò pro sua sententia modò pro nostra ex uno & eodem libro & capite Thesauri, ut visum fuit, allegant, nec opus est alia dicere, supra enim accuratè mentē Cyrilli ex proprio contextu literæ aperuimus, ipsumque semper doctrinam S. Thomæ docuisse ostendimus.

91. Contra id autem, quod non semel diximus, gratiam tum primo homini in statu innocentiæ, tum Angelis collatam ex meritis Christi non fuisse secundum S. P. Augustini & D. Thomæ sententiam, contra hoc inquam aliqui ex S. Thomæ discipulis insurgunt, probare contendentes sententiam S. Thomæ esse, quòd gratia Angelis, & primo homini ante ipsius lapsum collata, eis data fuerit per Christum & ex meritis ejus: quod sic probant, quia S. Thomas *3.p. quæst.8.art.5.* docet quòd Christus secundum gratiam habitualem est caput totius Ecclesiæ: & in *art.4.* præmisit, quòd est caput Angelorum: ergo etiam erit caput Angelorum secundum gratiam habitualem; & ex consequenti eis gratiam habitualem tribuit: gratiam ergo habitualem habuerunt Angeli ex Christo sicut ex capite, & ex meritis ipsius: quod à fortiori de gratia primo homini collata in statu innocentiæ dicendum erit, cum illius etiam pro illo statu Christus caput fuerit secundùm gratiam habitualem. Explicatur, quia Christus secundùm gratiam habitualem est caput Ecclesiæ; sed Ecclesia non solùm includit hanc militantem per fidem, sed etiam illam triumphantem in statu patriæ; unde etiam illius Christus est caput secundùm gratiam habitualem; ad hanc verò Ecclesiam pertinent Angeli: ergo illorum est caput secundùm habitualem gratiam: ergo eis ut caput influit eandem gratiam habitualem. Confirmatur ampliùs, quia S. Thom. super Joan. ad illa verba *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*, dicit quòd etiam Angeli de hac Christi plenitudine acceperunt, hæc verò Christi plenitudo, uti ibi Joannes exposuit, erat plenitudo gratiæ, & veritatis: secundùm ergo S. Thomæ sententiam, acceperunt Angeli de plenitudine gratiæ, & veritatis Christi non solùm veritatem, sed etiam ipsam gratiam.

92. Cæterùm in S. Thomæ doctrina hoc verum non est, nam ut à principio diximus, non fuit ex D. Thoma Angelis data gratia ex meritis Christi: & idem est de gratia primo parenti data in statu innocentiæ: semper enim docuit S. Thomas, gratiam Christi esse gratiam redemptoris; & solùm hominibus utpote redemptis, gratiam ex meritis suis Christum dedisse.

93. Deinde ubicumque S. Thomas in sua doctrina docet, quòd Christus secundum quod homo est caput Angelorum, nunquam docet, quòd in eos gratiam habitualem influat, sicut docet quòd hominibus ex meritis gratiam tribuit: imo explicans quid Christus Dominus in Angelos positivè influat ut illorum caput, docet expressè quòd quantùm ad influentiam eis actus hierarchicos tribuit, eos illuminando, purgando, & perficiendo, ut ait Dionysius: & tandem ad omnem tollendam dubitationem, hanc negativam aliquando expressè constituit, quod videlicet Christus secundùm quod homo non meruit gratiam Angelis. Verba ipsius sunt in 3. d. 13. q. 2. art 2. *Dicendum ad primam quæstionem quod Christus secundùm quod homo, est caput Angelorum: non tamen ita propriè. nec eodem modo sicut hominum, propter duas conditiones. Primò quantum ad conformitatem naturæ, quia cum hominibus convenit etiam secundùm speciem in natura, cum Angelis autem non secundùm speciem, sed secundùm genus intellectualis creaturæ. Secundò quantùm ad influentiam, quia non influit Angelis removendo prohibens, aut merendo gratiam, aut orando pro ipsis; quia jam beati sunt; sed in his quæ ad actus hierarchicos pertinent, secundum quod unus Angelus illuminat alium, purgat, & perficit sicut in secundo dictum est: hoc enim multò eminentiùs à Christo recipiunt.* Quid clarius? expressè dicit, quòd non influit ut caput in Angelos merendo eis gratiam: quod autem illuminet Angelos id ex Dionysio probat. 7. cap. de celesti hierarchia in argumento secundo.

94. Similiter *in quæst.29. de verit. art.4.* tractans an gratia capitis conveniat Christo secundùm quod homo est, in argumento quinto intendit probare, Christum secundùm quod homo est, non esse caput Angelorum, quia nec eis conformis est in natura, nec ipsos à peccato liberavit; ad quod ita respondet. *Ad quintum dicendum, quòd Christus non solum secundùm divinam naturam, sed etiam secundùm humanam est Angelorum caput, quia eos illuminat secundùm humanam naturam ut Dionys., dicit 7. cap. de divinis nominibus. Unde & ad Colloss. 2.* dicitur. *Quòd ipse est caput omnis principatus, & potestatis: sed tamen humanitas Christi aliter se habet ad Angelos, quàm ad homines, quantùm ad duo. Primò, quantùm ad naturæ conformitatem, per quam est in eadem specie cum hominibus, non cum Angelis. Secundò quantùm ad finem Incarnationis, quæ quidem principaliter facta est propter hominum liberationem à peccato; & sic humanitas Christi ordinatur ad influentiam, quam facit in homines, sicut ad finem intentum: influxus autem in Angelis non est ut finis Incarnationis, sed ut Incarnationem consequens.* Quibus id quod diximus supra docet apertè, nimirum mediâ passione Angelos, & cætera perficere, sed consequenter ad incarnationem, factam ex principali intentione ad liberandos homines à peccato. Ubi etiam explicat quid Christus secundùm quod homo ut caput influat in Angelos, nempe illuminationes, quibus eos purgat, & perficit. Præterea eadem quæst. *29.ar.7.solut.ad 5.* negat quòd Christus Angelis meruerit præmium essentiale: ergo nec eis justificantem gratiam meruit. Deinde *3. p. q.7. art.9.* docet quòd gratia justificans, seu habitualis data fuit animæ Christi sicut universali principio gratificationis in humana natura, nec hoc extendit ad Angelos. Tandem eadem *3.p quæst.59.* ultimo docet, quòd præmium essentiale, & idem ait de gratia justificante, datum fuit Angelis per Christum: non quatenus homo est, sed quatenus verbum Dei, quia ergo certum est, Christum pro Angelis non esse mortuum; ita nec gratiam justificantem eisdem meruit: pro omnibus enim, quibus gratiam justificantem meruit, mortuus est, & sua morte eis talem justificantem gratiam meruit.

95. Præterea *in lect 2. super cap. 2. ad Colos:* explicans quomodo Christus sit caput omnis principatus, & potestatis, sic habet in fine *qui est caput omnis principatus, & potestatis, in quantum est Rex eorum, & Dominus? non per conformitatem naturæ, quia sic caput est hominum.* Parique ratione *lect. 8. super primum cap. ad Ephes.* dicit Christum Dominum caput esse Angelorum, secundùm quod supereminet omnibus; ut enim ibi exponit tria inveniuntur in capite naturali,

Digitized by Google

naturali, ad cujus similitudinem Christus dicitur caput primum & præeminentia in situ, quia caput in homine est superius omnibus membris. Secundum est influentia capitis in membra quia ab eo omnes sensus derivantur in membra. Tertium est conformitas in natura: quæ omnia inveniuntur in Christo respectu hominum: in ipso enim est perfectio omnium gratiarum: est sublimitas, quia omnibus supereminet: est influentia, quia ab ipso sicut à capite derivantur omnes motus ad potentias spirituales: est conformitas in natura, quia verus est homo cum aliis hominibus. Item 3. p. q. 8. a. 1. tria docet pertinere ad caput scilicet ordinem, perfectionem, & virtutem. Tandem eadem 3. p. q. 59. *art. ultimo* docet, quòd præmium essentiale, & idem ait de gratia justificante, datum fuit Angelis per Christum, non quatenus homo est, sed quatenus verbum Dei: quia ergo certum est, Christum pro Angelis non esse mortuum; ita nec gratiam justificantem eisdem meruit: pro omnibus enim, quibus gratiam justificantem meruit, mortuus est, & sua morte eis talem justificantem gratiam meruit.

95. Preterea *in lect. 2. super cap. 2. ad Colos.* explicans quomodo Christus sit caput omnis principatus, & potestatis, sic habet in fine. *Qui est caput omnis principatus, & potestatis, inquantum est rex eorum, & Dominus; non per conformitatem naturæ, quia sic caput est hominum.* Parique ratione *lect. 8. super 1. cap. ad Ephes.* dicit Christum Dominum caput esse Angelorum, secundùm quod supereminet omnibus; ut enim ibi exponit, quomodo Christo verè conveniant illa tria; & qua ratione est caput cæterorum secundum ordinem, perfectionem, & virtutem: quod enim super Paulum dixit *sublimitatem*, in tertia parte nominavit *ordinem*.

96. In summa, tria ex omnibus inductis locis S. Thomæ, & ex aliis quæ possunt induci habentur expressè. Primum est, Christum Dominum secundùm quod homo est, esse caput Angelorum, idque docet cum Apostolo dicente 2. ad Colloseñs. *Qui est caput omnis principatus, & potestatis.* Ubi nomine principatus & potestatis comprehendit cæteros Angelorum ordines. Id tradit ubique SS. Doctor. Quod docet est secundum quò ad modum, quo est Angelorum caput, docetque, si omnia ejus dicta attendantur, quinque modis illorum caput esse. Primò quia propinquior est Deo præ omnibus illis, ut docet 3. p. q. *art.* 1. & 4. Secundò quia omnibus præeminet, & sublimitatem habet supra omnes; quod ex primo consequitur: quod docet cit. hoc super epistolam ad Ephes. Tertiò quia eos gubernat ut illorum Rex, & Dominus: quod capitis est proprium, ut docet super Epistolam ad Colosſ. hoc cit. Quartò quia plenitudinem habet omnium gratiarum supra Angelos omnes, ut docet ubique. Quintò & ultimò quia in eos influit illuminationes, purgationes, & perfectiones, ut ex Dionysio probat in tertio sent. & q. 29. de veritat, locis inductis. Propter ista quinque simul sumpta, imo propter quodlibet eorum seorsum, Christus secundùm quod homo, caput est Angelorum Christus, non autem propter conformitatem in natura specifica, vel quia eis meruit gratiam & gloriam, ut apertè docuit.

97. Ad argumentũ autem oppositum dicendũ, quòd licet Christus Dominus secundùm quod homo constituatur caput Ecclesiæ secundùm gratiam habitualem, caput, inquam, Ecclesiæ tum militantis per fidem in hoc statu, tum etiam triumphantis in patria per gloriam, itaut sit Angelorum caput secundùm habitualem gratiam; non tamen Angelis gratiam habitualem promeruit, sicut hominibus, quibus eam dedit, & quotidie distribuit, quia non eodem modo est caput Angelorum, & hominum, sed diverso, ut Sanctus Thomas docuit in terminis locis citatis: Nam secundum quod Angeli, & homines sunt diversa hujus capitis membra, ita diversum influxum à capite percipiunt: illi actus hierarchicos: isti habitualem gratiam. Unde S. Thomas utrumque docet, & Christum esse Angelorum caput, nec tamen eis gratiam influere: imo 3. p. *quæst.* 8. *art.* 4. ex professo docet, Christum esse caput Angelorum: & solutione ad 2. dum exponit quomodo sit illorum caput, dicit: *& ideo non solum fidelium, sed etiam comprehendentium est caput; utpote plenissimè habens gratiam, & gloriam.* Non dicit inquantum eis omnibus dat gratiam & gloriam, sed quatenus plenissimè habet gratiam & gloriam. Ad illud quod dicit super Joannem quòd Angeli de plenitudine ejus acceperint. Dicendum hoc verissimum esse: sed quid de ejus plenitudine acceperint, ipse SS. Doctor in omnibus inductis locis expressit, docens non esse justificantem gratiam, sed illuminationes, & similia.

CAPUT X.

Quòd anima Christi non sit assumpta à verbo, quia prævidebatur bene usura suo arbitrio si assumeretur.

98. CIRCA Christi Domini prædestinationem aliam ex ipsis retulimus assertionem, quæ sic habet. *Illud etiam quod ad exaltionem, & laudem, & honorem Christi, sanctissimaque illius Matris spectat, mihi videtur admodum verisimile, sanctissimis eorum duorum animabus non solum excellentiora dona conferre decrevisse; sed etiam previdisse melius quàm cæteras pro sua innata libertate usuras suo arbitrio, eaque ratione in tantam dignitatem potius quàm cæteras electos fuisse.* Hoc in terminis dixit Molina in concord. q. 23. *art.* 4. & 5. *disp.* 1. *memb.* 11. §. *illud etiam.*

99. In hac assertione expressè loquitur ille author de hac media scientia, quâ Deus ante actuale decretum prædestinationis Christi prævidit, quòd si anima Christi esset unita verbo hypostaticè, meliùs quàm aliæ uteretur suo arbitrio, & sua innata libertate. Quod enim de hac præscientia futuri sub conditione loquatur expressè, ex eo fit apertissimum, quòd in toto illo membro 11. semper de illa expressè loquitur, & in §. immediatè antecedenti, de eadem media scientia præmiserat hæc verba. *Quamvis Deus obligatus non fuerit ut sui liberi arbitrij previso, aliisve circumstantiis ex parte adulti prædestinãdi, ut hoc, vel illo modo illi providere, ac opitulari constitueret; potuisse tamen & ad circumstantias, & ad usum respicere, decensque ac rationi valde consentaneum fuisse, id ita facere: in multisque re ipsa ad multa respexisse, constituendo aliqua propter circumstantias, & usum previsum, quæ alioquin non constituisset:* Et post pauca ita subjungit. *Quin sicut unum peccatum permitti solet in pœnam alterius peccati: sic propter eleemosynas, & alia opera moraliter bona facta ab existente in lethali peccato consuevit sæpe Deus opitulari citius ac magis uni quàm alteri, ut à peccato resurgat: eaque ratione hujusmodi opera non immeritò appellari consueverunt dispositiones remotæ ad gratiam. Porro ut universim quoad hactenus dicta, quasi minorem quandam propositionem subsumamus, unde nostrum intentum concludamus quæ auxilia, & dona confert Deus in tempore propter aliquem bonum usum liberi arbitrij antecedentem: & quæ peccata permittit, aut quam pœnam aliam infligit propter malum arbitrij usum antecedentem: eadem ex æternitate conferre, permittere, aut infligere statuit propter eundem bonum aut malum usum previsum futurum ex hypotesi quòd hunc vel illum ordinem*

Digitized by Google

verum condere vellet. Postque verba, immediatè subjungit illa alia quæ de anima Christi, & Beatissimæ Virginis modò ex ipso retulimus. Ut ergo distinctiùs procedamus, priora verba, quia generalia sunt, expendamus. Deinde hæc alia quæ in particulari de Christo Domino, & ejus Sanctissima Matre procedunt, examinabuntur.

100. Circa primum, illud primò dicit, Deum alligatum non fuisse usu liberi arbitrij prævisо sub conditione per illam mediam, ut homines (quos sic prævidebat bene usurus arbitrio, si in tali rerum ordine constituerentur) de facto in tali rerum ordine constitueret. Quibus verbis negat in illo bono usu sub conditione prævisо meritum de justitia, seu de condigno, ut propter ipsum Deus tales homines constituere velit in illo ordine rerum. Quod meritum de condigno neque ultimi Pelagiani admiserunt, nec admittere potuerunt; quia evidentissimum ipsis erat præsciviisse Deum innumeros homines, sive possibiles, sive bene usuros suo arbitrio si in tali, vel tali rerum ordine constituerentur: quos tamen nec Deus creavit, nec illo rerum ordine constituit. Et tamen si esset meritum de justitia, sive de condigno in tali eorum bono usu sub conditione prævisо, negare ipsi non poterant, omnes illos debere constitui in tali rerum ordine; quia jam quasi alligaretur Deus merito illo de justitia: & propterea iste author affirmat Deum minimè alligatum fuisse usui liberi arbitrij prævisо ad constituendos homines in tali vel tali rerum ordine; itaut id postularet talis usus ex merito de justitia. Vide Suarez 3. *par. quæst.* 2. *disp.* 10. §. *dices* probantem non posse fundari meritam de condigno in bono usu aliquo prævisо per illam mediam scientiam, quia non prævidetur ille bonus usus ut absolutè futurus.

101. Secundò dicit, decens valde & rationi congruam fuisse, ut Deus respiceret ad illum bonum sub conditione prævisum, ut constitueret homines in tali rerum ordine, in quo si ponerentur, prævidebantur bene usuri. Quibus verbis apertissimè illud meritum secundum pietatem (quod Pelagiani posteriores seu Semipelagiani admiserunt in illo bono usu sub conditione prævisо) & ipse admittit: quod meritum secundum pietatem explicat per illa verba *est decens, & valde rationi congruum.*

102. Affirmat tertiò, in multis de facto reperisse Deum ad illum bonum usum sub conditione prævisum, ut de facto Deus constitueret homines plures in tali rerum ordine, in quo si ponerentur, bene arbitrio suo prævidebantur usuri. Itaque de facto multos Deus constituit in tali rerum ordine propter illud meritum secundum pietatem, quod meritum in illorum bono usu sub conditione prævisо cernebat.

103. Sed dices de quo bono usu prævisо per illam mediam scientiam loquitur; an de bono usu antecedente omnia dona gratiæ; an de bono usu subsequente illam suam tantùm excitantem gratiam. Ad hoc dicendum de utroque planè loqui, & in utroque tale meritum secundum pietatem constituisse. Quod enim de bono usu subsequente gratiam sub conditione prævisо loquatur, patet primo ex illo §. illud addendum, & ex antecedentibus, in quali, de bono usu subsequente gratiam manifestè loquitur. Patet etiam ex §. illud etiam citato: ubi de bono usu animæ Christi subsequente unionem hypostaticam sermonem facit, affirmans propter illum sic prævisum, fuisse animam Christi præ alijs animabus à verbo assumptam. Quod autem etiam loquatur de bono usu prævisо sub conditione antecedente omnem gratiam, fit manifestum ex eodem §. illud addendum, in quo apertè & expressis verbis de bono usu sub conditione prævisо per illam mediam scientiam & antecedente omnem gratiam sermo fit. Et hoc est quod dicit *quin sicut &c.* ac si clariùs diceret, non solùm propter bonum usum prævisum ut subsequentem gratiam Deus constituit homines in tali rerum ordine, quin etiam illos constituit in tali rerum ordine propter bonum usum antecedentem dona gratiæ, etiam per illam mediam scientiam sub conditione prævisum.

104. Quæres secundo quinam sunt illi multi, quos dicit de facto constitutos in tali rerum ordine propter talem bonum usum sub conditione prævisum? Ad hoc dicendum, quòd licet eos ipse expressè non nominet, quantùm tamen ex ejus doctrina, & principijs colligi ferè evidenter potest, ipse intelligit omnes prædestinatos; quos dicit in tali rerum ordine constitutos propter illorum bonum usum sub conditione prævisum sivè antecedentem, sive subsequentem dona gratiæ. Et quòd ista sit ejus mens; patet primò ex contextu: cum enim in toto illo memb. 11. de prædestinatione secundum illam mediam præscientiam disputasset, & apertè docuisset illum bonum usum per illam prævisum esse rationem, sive causam, seu conditionem prædestinationis, quatenus prædestinatio est distincta à communi providentia, statim subdit §. *addendum*, dicens. *Illud addendum, quod propter talem bonum usum prævisum sub conditione Deus ex omnibus sic prævisis multos* (id est prædestinatos) *constituit in tali rerum ordine in quo prævidebantur usuri, si in illo constituerentur.* Et ita est ejus mens denudata. Patet secundò quia ideo exemplum constituit in Christo omnium prædestinatorum capite, ut ex consequenti id de omnibus alijs ejus membris affirmaret. Tertiò quia in prædicto §. *illud addendum*, dicit per hoc totum suum concludere intentum, quod sine dubio, ut ex supradictis constat, fuit aliquale meritum secundum pietatem constituere in natura respectu prædestinationis & gratiæ. Et hoc est intentum, de quo ipse gloriatur, quòd suum concludat institutum. Sic enim ait in prædicto illo §. *Porrò ut universim quoad hactenus dicta, quasi minorem quandam propositionem subsumamus, unde nostrum institutum concludamus. Quæ auxilia, & dona confert. Deus in tempore propter aliquem bonum usum liberi arbitrij antecedentem: & quæ peccata permittit, aut quam pœnam aliam infligit propter malum arbitrij usum antecedentem: eadem ex æternitate conferre, permittere, aut infligere statuit propter eundem bonum, aut malum usum prævisum futurum, ex hypothesi quòd hunc vel illum ordinem rerum condere vellet.*

105. Sed expressiùs videamus quomodo suum concludat intentum: sic per illam subsumptam minorem propositionem: & aperiamus sub qua majori propositione illam subsumat minorem, ad suum concludendum institutum. Major est ista Deus de facto tribuit dona gratiæ propter bonum usum antecedentem, sicut propter meritum secundum pietatem; sed quæcunque dona gratiæ Deus tribuit propter bonum usum antecedentem sub conditione prævisum, eadem statuit ex æternitate tribuere propter eundem bonum usum antecedentem sub conditione prævisum: ergo de facto Deus dat dona suæ gratiæ omnibus quibus de facto illa dat, propter bonum usum antecedentem sub conditione prævisum, sicut propter meritum secundùm pietatem. Majorem illam sæpè in concordia expressit potissimè disput. 10. cum ait, quod facienti quod in se est, Deus ex certa lege dat prima dona gratiæ: imo immediatè ante illam minorem subsumptam, majorem illam collocavit, dum dixit propter eleemosynas, & opera bona moraliter facta solere Deum dare potiùs huic dona gratiæ, quàm alteri: ibi enim illam majorem expressit, quòd videlicet Deus de facto dat bona gratiæ propter bonum usum arbitrij antecedentem: satis ergo suum concludit intentum author iste; quòd videlicet Deus per illum bonum

Digitized by Google

num usum arbitrij antecedentem sub conditione futurum, sicut propter meritum secundum pietatem constituat homines in tali rerum ordine, in quo si ponantur, prævidentur bene operaturi: quod est ipsissimum posteriorum Pelagianorum intentum.

106. Ex dictis constat quàm consequenter prædicti authores loquantur; nec enim sibi contradicunt, ut aliqui putant. Aliud enim est aliquando se occultare, (quod sæpius invenies): aliud verò valde diversum, sibi ipsis contradicere; quod non esset, si quis attentè omnia ipsorum verba, dicta principia, & conclusiones consideret & comprehendat. Unde cum sepè affirmant Deum liberâ voluntate post illum usum sub conditione præviſum per illam mediam scientiam constituere homines in tali rerum ordine, in quo prævidentur bene usuri; & ex consequenti liberè & absque merito homines prædestinasse. Illa, his quæ modò protulerunt, contraria non sunt. Quia id sic intelligunt, quòd videlicet ideo voluntas illa divina sic constituens hominem in tali rerum ordine, in quo remanet prædestinatus, libera est & absque merito, quia videlicet ille bonus usus sub conditione præviſus meritum ex justitia, vel de condigno non est. Unde quoties in universum negant meritum, negant meritum de condigno vel ex justitia. Cæterum, quòd initia illa naturæ sint aliquid secundum pietatem Deum moventia ad sic constituendũ hominẽ: & quod propter illum bonum usum, sicut propter aliquid ad pietatem pertinens, Deus homines illos constituat in tali rerum ordine, sæpe affirmarunt, & affirmant. Et ista est illorum perfecta concordia, ex eorum propriis principiis manifestè deducta. Hic enim fuit Semipelagianorum error; nam putarunt, per hoc recidere à prioribus Pelagianis, quia in operibus naturæ meritum de justitia sive de condigno negabant, ut constat ex epistolis Prosperi & Hilarij ad S. Augustinum, & ex Cassiano collat 13. cap. 36. cum tamen per illud meritum secundum pietatem (quod respectu gratiæ in operibus naturæ constituebant) à Pelagianorum errore non recederent, ut S. P. Augustinus contra illos sæpe concludit *lib. de prædest. Sanct. precipuè cap.* 1. 2. 3. & 4. Et de hoc fuere Ecclesiam sæpe damnati, ut supra retulimus, & infra 3. libro copiosiùs demonstrabimus.

107. Venio ergo jam ad illam assertionem, quam de Christo Domino protulerunt: in qua dicunt animam ejus Sanctissimam, propter bonum usum sui arbitrij præviſum sub conditione illa si assumeretur à verbo fuisse à divino verbo assumptam,, & ad illam supremam dignitatem electam. In hac assertione non de bono usu antecedente unionem hypostaticam sub conditione præviſo in anima Christi loquitur iste author: vidit enim nullum talem fingi posse, sed de bono usu sub conditione præviſo subsequente unionem hypostaticam, ut ejus verba expressè sonant; propter quam bonum usum, sicut propter meritum secundùm pietatem, dicit animam Christi fuisse verbo unitam. Et sicut dicit fuisse illum bonum usum præviſum ex innata libertate animæ Christi, si uniretur verbo: ita concluditur ipsum sensisse, de facto animam Christi verbo unitam illum bonum usum ex sua tantùm libertate produxisse.

108. Hoc asserit author iste, ut aliqualem rationem, seu causam ob quam hæc anima Christi potiùs quam cæteræ omnes fuerit præordinata ex divina prædestinatione, ut à verbo divino assumeretur. Ipse enim semper in hac perseverat sententia, & fundamento; quòd videlicet ad salvandam libertatem creatæ voluntatis, & ad excusandum Deum ab acceptione personarum, debet aliquid boni usus ex innata libertate prævideri magis in anima quæ eligitur, quàm in illa quæ repudiatur. Unde quia in Christi Domini anima nullum bonum usum antecedentem unionem hypostaticam potuit invenire, recurrit ad bonum usum subsequentem talem unionem, præviſum sub conditione ex innata libertate talis animæ, ut sic potiùs ipsa ex illo merito secundùm pietatem præ omnibus aliis animabus eligeretur, in quibus talis bonus usus præviſus non fuit & dicit hoc pertinere ad excellentiam animæ Christi, & ejus Beatissimæ Matris; de qua etiam sermonem facit, ut ex inducta, & relata ejus propositione constat.

109. Contra hanc tamen illius sententiam firmiter tenendum est, nullum talem bonum usum sub conditione fuisse præviſum ex innata libertate animæ Christi, vel Beatissimæ Virginis. Firmiter etiam secundo tenendum hanc non esse, nec esse posse, vel excellentiam, vel laudem illarum præstantiſſimarum animarũ. Ut ab hoc ultimo incipiamus, certè huic maximè congruit, quod S. Augustinus affirmat lib. 4. ad Bonif. cap. 5. *Nusquam*, inquit, *inimici gratiæ ad eandem gratiam vehementiùs oppugnandam occultiores moliuntur insidias, quàm ubi legem laudant, quæ sine dubitatione laudanda est.* Ita & nunc dico: isti authores nunquam magis deprimunt gratiam quàm ubi laudare videntur animas Christi Domini, & Beatissimæ Virginis quæ sine dubio suprema sunt dignæ laude, sed non ficta, & illis repugnante. Animam quippe Christi Domini, & Beatissimæ Virginis dignis laudibus honoremus, earumque laudes ad Dei omnipotentis laudes referamus, à quo tum anima Christi Domini, tum anima Beatissimæ Virginis receperunt illum excellentissimum boni arbitrij usum, quem habuerunt: nec enim ex sua innata libertate illum aut habuere, aut habere potuerunt. De ipsis enim excellentissimis duabus animabus, etiam verum est illud. *Quid habes quod non accepisti?* Verum est & illud, quòd ipsas non prævidit Deus primò bene usuras arbitrio, si ad talem dignitatem eligerentur: sed si præscivit, proculdubio sua dona præscivit: præscivit enim, quod ipse erat facturus, non quod illæ; quia etsi duæ illæ sanctissimæ animæ fecerunt excellentissima illa virtutum opera, ipse Deus fecit ut ipsæ facerent; & hoc utique præscivit Deus: illum ergo bonum usum illarum duarum animarum prævidit Deus, quia illis duabus animabus, dedit ut bene uterentur in omnibus arbitrio suo. Igitur quòd talis bonus usus non sit à Deo præviſus, patet primò ex supradictis contra illam mediam scientiam jam toties expugnatam. Patet secundò ejus sententiæ impossibilitas, siquidem in anima Christi agoscit bonum usum ex innata libertate, & non ex verbo illi communicatum, & ab ipso datum patet tertiò quia meritum secundum pietatem constituit in Christi anima, ut à verbo assumatur: quod novum, & inauditum est, hoc prætermisso quòd errori Pelagianorum favet.

110. Sed in particulari sententia illa, noviter introducta & parum in fide tuta impugnatur ex S. Augustino *libro de prædestinat. sanct. cap.* 15. Ubi ex professo de hoc agens ita dicit contra posteriores Pelagianos. *Est etiam præclariſſimum lumen prædestinationis & gratiæ, ipse salvator, ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus: qui hoc ut esset, quibus tandem suis, vel operum, vel fidei præcedentibus meritis, natura humana qua in illo est, comparavit? Respondeatur quæso; ille homo, ut à verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecumque præcessit? Quid egit ante? Quid credidit? Quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Nonne faciente ac suscipiente verbo, ipse homo, ex quo esse cepit, Filius Dei unicus esse cepit? Nonne Filium Dei unicum fœmina illa gra-*

Digitized by Google

tia plena concepit ? Nonne de Spiritu Sancto, & Virgine Maria Dei Filius unicus natus est, non carnis cupiditate, sed singulari Dei munere ? nunquid metuendum fuit ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio ? An ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tantò magis erat, quantò magis peccatò servire non poterat ? Nempe ista omnia singulariter admiranda, & alia si qua ejus propria verissimè dici possunt, singulariter in illo accepit humana, hoc est nostra natura, nullis suis præcedentibus meritis. Et statim post pauca. *Ea gratia* (inquit) *fit ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus.* Quibus verbis duo expressè dicit Sanctus Doctor contra Pelagianos. Primum quòd anima Christi, seu humana natura in Christo nullis suis meritis, nullisque operibus prævisis ad tantam dignitatem, vt verbo uniretur electa fuit. Secundò quòd ex consequenti neque alij Christiani ex aliquorum suorum operum prævisione, ut Christianis essent electi sunt. Planè affirmat esse certum, & indubitatum, quòd si ex prævisis operibus non fuit natura humana verbo unita; ita nec aliquis Christianus, ut sit Christianus ex operibus electus est. Parique ratione concludit contra eosdem Pelagianos, quòd si quis ut Christianus sit, ex operibus eligitur prævisis, etiam anima Christi, ex prævisis operibus sit electa ut verbo uniretur. Quod S. Augustinus docet esse contra fidem.

111. Vidit quidem Molina hanc consequentiam Sancti Augustini evidentem: unde sicut in aliis, ita & in anima Christi ut verbo uniretur constituit aliquale meritum secundum pietatem in illo prævisò bono usu sub conditione. Quare in terminis ejus doctrina per S. August. manet impugnata, & expugnata: sic enim in forma S. Aug. contra Pelagianos concludit, *illa gratia fit ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus, quâ gratiâ ille homo ab initio suo factus est Christus;* sed homo ille ab initio absque aliqua operum prævisione factus est Christus: Ergo homo quicunque absque aliqua operum prævisione fit Christianus. Sed Molina è contra hunc in substantia formal syllogismum. Eadem gratiâ fit ab initio homo Christianus, qua ab initio ille homo factus est Christus; sed ille homo ab initio factus est Christus, ex illo bono usu innatæ libertatis sub conditione prævisò: ergo homo quicunque fit Christianus ex eodem bono usu sub conditione prævisò. Cum igitur hæc minor, & conclusio, quas Molina concedit, opponantur contradictoriè minori, & conclusioni supra relatis, fit manifestum, doctrinam Molinæ cum Pelagianis convenientem graviter à S. Augustino damnari.

112. Præterea, & illud est attentiùs considerandum, hanc Molinæ assertionem (quæ dicit prævisam fuisse animam Christi per illam præscientiam meliùs usuram suo arbitrio ex sua libertate, & ideo præ cæteris sic fuisse unitam, & ad tantam dignitatem assumptam) non solùm Semipelagianorum, sed Arrianorum fuisse fundamentum. Arrius enim etiam hac præscientia futurorum sub conditione utebatur, ad suam deffendendam perfidiam. Sic enim de illo refert Alexander Episcopus Alexandrinus ad Alexandrum Episcopum Costantinopolitanum Epistola quæ incipit est quidem propositum. *Est enim, in nostra quoque sitam potestate (uti ista Ecclesia patres prædicant) Filios Dei fieri, non aliter atque ille factus est. Scriptum namque esse : filios genui & exaltavi. At cum illis objicitur sententia, quæ deinceps sequitur : & ipsi spreverunt me; quod planè naturæ salvatoris, qui est naturâ immutabilis repugnat : tunc omni excita erga Deum pietate ac reverentia, aiunt, Deum, cum eum præscientiâ & præsentione prænovisset nentiquam ipsum aspernaturum, idcirco ex omnibus elegisse,* habetur hæc Epistola in Concilio Nicæno magno pag. 504. Impressionis Venetæ anno 1585 Attendat ergo prudens lector, quomodo eadem verba & Arrij, & Molinæ in hac parte sint. Uterque enim in terminis dicit electam fuisse animam Christi ad tantam dignitatem præ cæteris, quia Deus sua præscientiâ prænovit illam meliùs cæteris usuram suo arbitrio, si semel crearetur. Sola inter utrumque hæc nominalis differentia est, quòd Arrius dixit præsciviſse Deum Christum non reluctaturum; Molina verò, dixit Deum præsciviſse animam ejus bene usuram arbitrio suo. Simliter quod Molina dixit, *eaque ratione in tantam dignitatem potiùs quàm cateras electam fuisse,* Arrius præmisserat, *idcirco eum ex omnibus elegisse:* Nulli ergo dubium, quin uterque idem de anima Christi dicat. Ab illis minimè differt, ut visum est. Verum est, in alio differentes esse, nam Arrius divinitatem personæ Christi negabat, non autem Molina.

CAPVT XI.

Magis explicatur prædicta veritas, & aliquibus objectionibus respondetur.

113. DUAS tantum possunt prætendere responsiones, qui Molinæ deffendunt sententiam. Altera est, Sanctum Augustinum tantum negasse in citato loco aliquem prævisum usum in humana Christi natura antecedentem ipsam hypostaticam unionem, propter quem fuerit assumpta à verbo: quem bonum usum antecedentem non constituit Molina, quia tantùm admittit bonum usum sub conditione prævisum subsequentem unionem hypostaticam, si videlicet à verbo talis humana natura assumeretur.

114. Sed hæc solutio facilè refutatur. Quia licet Sanctus Augustinus citato loco principaliter negaverit aliquem bonum usum antecedentem hypostaticam unionem in tali natura humana prævisum, ob quem ipsa à verbo assumeretur: & hoc ibi principaliter intenderit (quod & verissimum est) non tamen est dubium quin omnem alium bonum usum prævisum etiam subsequentem neget in humana Christi natura ab ejus innata libertate procedentem, propter quem talis natura à verbo assumeretur: qui bonus usus non sit effectus ipsius Incarnationis. Quia Sanctus Augustinus omnem bonum usum humanitatis Christi in ipsa prævisum statuit in citato loco esse verè effectum Incarnationis: damnavit ergo omnem quemcumque bonum usum in natura illa prævisum, qui non fuerit effectus Incarnationis; & fuerit ratio, vel causa talis Incarnationis, seu hypostaticæ unionis, qualis ille bonus usus sub conditione prævisus ponitur, ut supra satis ostendimus; & verba ipsa Molinæ declarant, cum dicit electam fuisse animam Christi propter illum bonum usum sic prævisum. Præcipuè quia in tota Sancti Augustini doctrina, ut sæpe supra fuit demonstratum, nihil magis refutatur, quàm cujuscumque boni usus præscientia sive antecedentis sive consequentis gratiam; qui usus effectus gratiæ, & prædestinationis non sit, sed ex innata libertate productus sit, atque prævisus.

114. Hac de medio sublata responsione, alteram inducunt, dicentes non esse de fide, quòd anima Christi suam unionem cum verbo non meruerit. Ita dicit Franciscus Suarez 3. *p. quæst.* 2. *disput.* 10. *sect.* 3. §. *secundò.* Cæterum in hoc expressè, & contra Sancti Augustini sententiam loquitur, & contra veritatem.

Digitized by Google

tem. Quia Sanctus Doctor *de prædest. Sanct. cap.* 15. Et *de dono perseverantiæ cap. ultimo*, Et potissimè *de corr. & gratiam cap.* 11. apertis verbis docet hoc ad fidem pertinere. Verba enim Sancti Doctori sunt. *Neque enim quispiam tantâ rei hujus, & fidei cæcus est ignorantiâ, ut audeat dicere quamvis de Spiritu Sancto, & Virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene vivendo, & sine peccato bona opera faciendo meruisse, ut esset Dei Filius, resistente Evangelio &c.* Ecce Sanctus Doctor affirmat expresè nullum esse tantâ fidei cæcum ignorantiâ ut audeat dicere animam Christi meruisse suam cum verbo unionem. Videat ergo qui dicit hoc ad fidem non pertinere, an ista Sancti Augustini sententia comprehendatur. Attendat præterea quomodo Sanctus Doctor Ecclesiæ expresse dicat hujusmodi positioni Evangelium resistere.

115. Sed ad hoc respondet prædictus author sectione citata, Sanctum Augustinum prædictis locis contra Photinum loqui, & contra hæreticos alios asserentes Christum justum hominem ac Sanctum priùs extitisse, atque bonis suis operibus meruisse conjunctionem specialem cum Deo. Verùm in hoc non attendit iste author ad apertam intentionem & literam Sancti Augustini. Etenim Sanctus Doctor inductis locis nullo modo contra Photinum, & hæreticos alios negantes in Christo hypostaticam unionem disputabat, sed ex professo contra Pelagianos agebat, qui adversus fidem contendebant primam gratiam sub priori merito cadere: Ad quam hæresim confutandam, aliud sumpsit de fide principium, quod videlicet humanitas Christi nullo modo unionem cum verbo meruerit, sed quod talis unio prima gratia fuit, ex qua omne meritum in Christi humanitate processit. Et ex hoc principio de fide certo concludit, quòd sicut Christi humanitas ex nullis suis meritis, aut præviis operibus ex sua innata libertate elicitis meruit unionem cum verbo, ut fides habet, sed quod illa unio fuit prima gratia ex nullis operibus præviis, & merè gratiosè collata: ita & in alijs hominibus, humana natura nullis suis operibus præviis meruit vel fidem, vel prima dona gratiæ: quod etiam ad fidem docuit pertinere contra Pelagianos. Unde utrumque Sanctus Augustinus reputat certum secundum fidem adversùs Pelagianos: & hæc Sancti Patris sententia est veritas ipsa, sicut ergo in fide proculdubio erraret, qui diceret humanam naturam viribus suis in alijs hominibus meruisse aut mereri, fidem, vel quodlibet aliud primum gratiæ donum, ita ut tale donum gratiæ eidem detur propter bonum usum quomodolibet præviśum, sive absolutè, sive sub conditione: ita proculdubio contra fidem erraret, qui affirmaret Christi Domini humanitatem propter bonum usum prævisum meruisse, ut à verbo in unitatem personæ assumeretur. Hæc est Sancti Augustini vera doctrina, hæc est Sancti Patris intentio, & aperta litera in locis inductis.

116. Ex quo & aliud præcluditur, quod prædictus author sectione citata prætendit. Neque enim, ut ipse putat, ideo Sanctus Augustinus probat, vel supponit esse de fide humanitatem Christi non meruisse unionem ad verbum, quia prius tempore non extitit ante talem unionem: Imo ideo Sanctus Augustinus dicit id de fide esse, quia secundum fidem præsupponit nullum in tali humanitate præcessisse meritum, sive temporis prioritate, sive naturæ ante illam divinam assumptionem. Quod ex eo fit manifestum, quia S. P. Augustinus, ut ostendimus, ex professo contra Pelagianos agebat; Pelagiani autem in hoc errabant, quòd gratiam secundum præcedentia humana merita constituebant, sive illa merita tempore antecederent gratiam, sive naturâ tantùm, & causalitatis ordine: Nec enim minus est contra fidem, quòd merita antecedant gratiam prioritate tantùm naturæ, quàm si tempore ipsam antecedant. Unde constat apertè omnem talem prioritatem humanorum meritorum ante gratiam negasse S. P. Augustinum adversus Pelagianos, & rectissimè affirmasse tanquam de fide, nullo modo, nullaque prioritate sive temporis, sive naturæ meruisse Christi humanitatem, ut à verbo in unitatem personæ assumeretur.

CAPUT XII.

Refertur & refutatur prima sententia circa Christi Domini libertatem & meritum.

117. SUPPONENDUM quidem à nobis esset sicut ex fide certissimum, Christum Dominum perfectissimè meruisse, nec de hoc disputatio esset movenda, nisi necessitas urgeret circa Christi Domini meritum aliquas inauditas sententias (quæ his temporibus circumferentur) referre, non tam ut à nobis impugnentur (quippe quæ primo aspectu satis expugnatæ ostenduntur) sed ut ab omnibus evitentur. Triplici ergo viâ temporibus istis, non rectè, nec ut oportet, peregrinæ sententiæ circa Christi Domini meritum publicantur ac defenduntur: quæ licet inter se diversæ videantur, in hoc tamen concordare noscuntur, quod non rectè de Christi merito sentiant.

118. Quidam dicunt omnes in gratia confirmatos, post confirmationem necessariò & sine libertate contrarietatis in gratia perseverare: ex quo inferunt ipsos salutem consequutos fuisse sine libertate contrarietatis, & sine merito: & rursus ex hoc dederunt non opus esse de similibus confirmatis in gratia quærere, an per aliquod liberum suum meritum fuerint prædestinati. Ita Gregorius de Valentia cujus sententia supra in confutatione 32. assertionis in hoc secundo libro explicata fuit, & impugnata. Quæ licet, ut ibi prænotavimus, de Christo Domino expressam mentionem non faciat, sed tantùm de Beatissima Virgine, & alijs in gratia confirmatis: tamen illius doctrina à fortiori de Christo Domino currit, qui sine dubio ita determinatus ad bonum fuit, ut nullam libertatem contrarietatis habuerit, qua peccare posset, quia omnino impeccabilis erat. Unde si illius authoris fundamentalis ratio aliquid probat, probaret etiam non esse opus quærere an Christus Dominus salutem nostram, & gloriam sui corporis, ac sui nominis exaltationem, & similia consequutus fuerit per aliquod meritum. Quod quàm intolerabile dicta sit, nullus est qui id non videat, & quomodo latenter Christi Domino merito contradicat. Probatur & aperitur, quia ideo ille author asserit non opus esse quærere de confirmatis in gratia id, quod de alijs non confirmatis in gratia quæri solet, an videlicet suam salutem ex merito fuerint consequuti, quia confirmati in gratia, ut ait, ex eo, quòd libertatem contrarietatis non habebant, quâ peccare possent, necessariò & sine libertate contrarietatis suam salutem consequuti sunt: & propterea non est opus quærere an per suum meritum fuerint salutem assecuti. Hæc illius tota ratio, & illatio est; sed Christus Dominus nullam habuit libertatem contrarietatis, qua peccare posset, quia penitus impeccabilis fuit: ergo multò minus opus est quærere an gloriam sui corporis, & salutem nostram fuerit consequutus per merita.

119. Proculdubio, vel meritum negare vel perfectionem ipsius, aut illud aliqua ex parte minuere in illis, qui libertatem contrarietatis non habent, quo peccare possint, infinito Christi Domini merito injuriam

Digitized by Google

riam est facere: quisquis ergo putat illud aliqua ratione diminutum ex eo quòd Christus peccare non poterat, nec libertatem contrarietatis habebat Christo derogat. Quare contra sic opinantes (si qui sunt, qui vel id expresse, vel saltem implicite in suis doctrinis apponunt, vel principia, & fundamenta constituunt ex quibus id deducitur) S. P. Augustinus notanda illa verba habet lib. de prædest. sanct. cap. 15. *nunquit metuendum fuit, ne accedente ætate homo ille,* videlicet Christus, *libero peccaret arbitrio? An ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tantò magis erat, quantò magis peccato servire non poterat?* Omitto, quod supra tract. 3. cap. 49. in confutatione assertionis 32. inter alia diximus, posse peccare, defectum maximum, & infirmitatem esse arbitrij, qui propterea defectus, & infirmitas ad meritum non conducit, vel ad meriti augmentum, vel perfectionem quod & S. P. Augustinus hac brevi inducta ratione tangit.

120. Sed dices, licet libertatem aliqua ratione à Christo auferat prædictis author, sicut à cæteris in gratia confirmatis, non tamen vel in Christo, vel in eis meritum negat, quia probabile aliqui reputant, posse in Christo esse meritum sine libertate; imo & Sancto Thomæ in 3. dist. 18. quæst. 1. art. 2. ad 5. hoc nituntur adscribere: postquam enim in prima illius argumenti solutione dixit; liberum Christi arbitrium non fuisse determinatum ad unum secundum numerum, sed tantùm secundùm genus, quia determinatum erit ad bonum, ita ut malum facere non posset, statim in secunda solutione sic dicit: *Vel dicendum, quòd si etiam esset determinatum* (supple liberum ejus arbitrium) *ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potuit: tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, sive meriti, quia in illud non coactè, sed sponte tendit: & ita est actus sui Dominus.* Hæc S. Thomas ex quo loco quidam S. Thomæ adscribunt, quòd saltem reputet probabile sine libertate meritum posse consistere.

121. Ad hoc dicendum. Meritum sive in Christo Domino, sive in aliis sine vera ac propria libertate & indifferentia voluntatis stare non posse: unde qui veram libertatem à Christo aufert, convincitur quòd & meritum in Christo neget: negare autem tale meritum contra fidem sine dubio procedit. Nec in hac veritate comprobanda oportet immorari, sed supponenda sunt quæ communiter à Theologis dicuntur de merito ut sic, & de requisitis ad illud 12. quæst. 114. de merito autem Christi 3. par. quæst. 18. & 19. Quibus suppositis ad locum ex S. Thoma modò pro parte contraria inductum, respondere oportet. Ex prava enim illius intelligentia quidam in commentariis in tertiam partem Sancto Thomæ attribuit, quòd relinquat sicut probalile in illo inducto loco ex 3. sententiarum, quòd voluntas Christi tantùm fuerit libera à coactione, non autem à necessitate tollente indifferentiam, & propriam libertatem. Et quod magis est, postquam affirmat illam sententiam temuisse S. Thomam ut probabilem in sententiis, statim illam damnat sicut errorem in fide.

122. Sed author iste nec sententiam S. Thomæ consideravit, nec ad verba & literam illius articuli aspexit: unde neque S. Thomæ id debuit imputare. In primis quomodo iste author dicit S. Thomam solùm admittere in voluntate Christi libertatem ut opponitur coactioni, non autem ut opponitur determinationi necessitanti, & tollenti indifferentiam; cum in illo loco S. Thomas respectu plurimorum actuum constituat apertè veram & propriam libertatem, & indifferentiam in Christi Domini voluntate: licet enim respectu illius actus in particulari, qui est diligere Deum, potuerit author iste, minus advertens S. Thomæ id adscribere; tamen absolutè proferre, quòd S. Thomas reputaverit probabile, Christi voluntatem non esse vere liberam, & indifferentem, nullus id potuit asserere, nisi qui vel literam illius articuli non vidit, vel videre noluit.

123. Respondeo secundo, nec respectu hujus actus qui est diligere Deum, quatenus est dilectio Christi viatoris, affirmasse S. Thomam illo loco voluntatem Christi fuisse ex naturæ necessitate determinatam ad unum absque indifferentia, & libertate. Quamvis enim verba illius solutionis primâ facie id insinuare videantur, inspectis tamen quæ in articulo S. Thom. docuit expresè, & dubitatio præcluditur, & Sancti Thomæ mens, & sententia satis aperitur, Dixi loquendo de dilectione Dei quatenus erat Christi viatoris, nam amor beatificus sine dubio necessarius omnino fuit in Christo, & sine libertate. Cæterum S. Thom. non loquitur ibi de amore beatifico ut sic, sed de dilectione Christi ut viatoris, & respectu ejus determinationem & necessitatem tollentem libertatem non constituit. Primo quia in illa solutione, secunda supra relata expresè docet S. Thomas, quòd cum illa determinatione ad unum numero, videlicet ad diligendum Deum, fuit libertas *in* Christi arbitrio. Secundò quia per illud spontaneum sine coactione quod S. Thomas admittit *in illa* solutione, in eadem dicit habuisse Christum *Dominum* sui actus: sentit ergo apertè fuisse in Christo respectu illius actus veram libertatem, & indifferentiam, sine qua dominium actus intelligi in aliquo non potest. Tertiò quia in corpore illius articuli inter necessaria requisita ad meritum; secundum requisitum constituit sic dicens: *Secundum est ex comparatione agentis ad actionem, ut videlicet sit Dominus suæ actionis, aliàs per actionem suam non dignificatur ad aliquid habendum: nec laudatur; & ideo ea, quæ agunt per necessitatem naturæ, vel etiam per violentiam, non merentur.* Ecce negat meritum in duobus, in illis videlicet qui per violentiam, seu propriam coactionem operantur, & etiam in illis, qui ex necessitate naturæ cum determinatione ad unum, agunt tantùm spontaneè, & non liberè: cum ergo statim meritum in Christi voluntate constituat respectu dilectionis Dei, fit evidens, ipsum sentire, Christi arbitrium non ferri in illum actum ex necessitate naturæ, & cum determinatione naturali ad unum, spontaneè videlicet, & non liberè: sed quod liberè ferebatur in illum & cum vera indifferentia, & libertate quam explicavit per formalia verba, nominando libertatem & dominium actus.

124. Ad illud autem quod in oppositum adducitur, quia D. Thomas admittit spontaneum, & tantùm negat coactionem. Facilè respondetur, non esse novum in S. Thoma per coactionem non tantùm intelligere propriè violentiam, sed etiam necessitatem auferentem libertatem, quæ improprie seu largè dicitur coactio. Similiter nec in doctrina S. Thomæ est inusitatum nomine spontanei etiam liberum intelligere, & per oppositum aliquando sumit liberum pro spontaneo, quod libertate caret. Hujus enim extat exemplum *in quæst.* 10. *de potentia art.* 2. *ad* 5. ubi sic dicit. *Deus sua voluntate liberè amat se ipsum, licet de necessitate amet se ipsum.* Ubi sumit liberum pro spontaneo, quia Deus spontaneè se amat, non tamen cum libertate & indifferentia ad amandum, vel non amandum se ipsum. Item ibi ait. *Liberè ergo Spiritus Sanctus procedit à Patre, non tamen possibiliter, sed ex necessitate,* ubi per verbum *non tamen possibiliter* propriam libertatem negat inspiratione Spiritus Sancti, & tantùm rationem spontanei admittit. Quod clariùs ipse SS. Doctor exposuit 1. *p.* *quæst.*

Digitized by Google

quæst. 41. art. 2. potissimè in solutione ad 3. Ubi distinguit voluntatem ut naturam determinatam ad unum, & voluntatem ut indifferentem ad plura, & ut liberam, & dicit quòd Spiritus Sanctus procedit à voluntate ut natura, & non ut libera; & quod sic Deus amat se voluntate ut natura est: coactio autem non propriè dicta seu violentia etiam spontaneum tollit & non solùm id quod propriè liberum est. Cum ergo S. Thomas in illa secunda solutione negat coactionem, omnem coactionem negat, sive propriè dictam, & violentam, sive large sumptam, necessitatem videlicet & libertatem auferentem: parique ratione cum spontaneum respectu illius actus admittit in voluntate Christi, omne spontaneum, etiam ut se extendit ad liberum admittit. ut formalibus & expressis verbis ipse declarat. Et eodem modo cùm determinationem arbitrij constituit ad illum numero actum, determinationem ex natura rei constituit quoad specificationem, sed quoad exercitium libertatem admisit respectu talis objecti ut in litera illius articuli clariùs dixit, quæ libertas sufficit ad meritum: unde sensus Sancti Thomæ in illa solutione est, quòd licet Christus determinatus esset ad eligendum Deum quoad specificationem, quia tamen liber in hoc erat quoad exercitium, & non coactè seu ex necessitate, sed per liberum dominium sui actus quoad exercitium Deum diligebat, ideo in hoc habuit, & libertatem, & meritum.

CAPUT XIII.

Secunda sententia non rectè loquens de Christi merito refertur, & impugnatur.

125. ALIAM secundam sententiam ego ipse defensatam vidi Vallisoleti in Angelorum Collegio per alium Patrem ex societate anno 1595. qui dicebat, Christum Dominum nec liberum fuisse, nec meruisse per substantiam passionis & mortis, quia videlicet illa fuerat à patre præcepta, & stante tali præcepto, Christus aliud facere non poterat alias potuisset peccare, unde affirmabat Christum nec libertatem, nec meritum habuisse in volita, & acceptata morte quantùm ad substantiam; sed meruisse in aliquibus circumstantiis, quas dicebat præceptas à Patre non fuisse, sed liberè eas Christum apposuisse: inter has potissimè nominabat actus intensionem, quia enim (ut dicebat) talis intensio præcepta non fuit, meruit Christus, quia liberè voluit mortem acceptare cum tali, vel tali majori intensione. Hanc sententiam postea sub anno 1612. iidem Patres Societatis in suo Romano Collegio in publica disputatione defensarunt; eandem tenet, & difusè prosequitur Gabriel Vasquez 3. p. quæst. 19. art. 4. disp. 4. cap. 5. & alij qui illorum sequuntur doctrinam uno vel alio excepto. Hanc eandem sententiam tangit, & refert Franciscus Suarez tom. 1. p. 3. quæst. 18. sect. 3. §. *Respondetur ergo* de qua hæc vel similia verba habet. *Hæc responsio quamvis satis impugnari non possit non tamen omninò satisfacit.* Et iterum *vota ergo ista responsio divinat & sine fundamento procedit.* Minus autem, quàm par erat, prædictam responsionem notavit: Ego enim illam erroneam reputo, propter argumenta, quæ tunc cum presens essem, opposui, & modò ea fideliter repetam.

126. Primò Christus non meruit per substantiam mortis, quia præcepta fuit: Ergo non meruit formaliter per obedientiam. Patet consequentia, quia obedientia est formaliter respectu præcepti superioris. Dicere autem quòd Christus non meruit per obedientiam, qua mortem præceptam acceptavit & voluit, apertè contra Scripturam pugnat multis in locis; sufficiat notissimus ille ex Apostolo ad Philip. 2. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem: mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Ubi apertè Apostolus per obedientiam usque ad mortem dicit Christum meruisse humanitatis suæ exaltationem &c. Et præterquam quod litera est apertissima, sic intelligunt & interpretantur omnes Sancti Doctores. Videatur S. Thomas super illum locum, qui dicit, quòd si Christus non passus fuisset ex obedientia, non fuisset ita commendabilis, quia obiedientia dat meritum passionibus nostris. Ubi etiam docet, quòd humana Christi voluntas regulata fuit in omnibus secundum voluntatem paternam, secundum illud Matth. 26. *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Docet etiam, quòd convenienter introducit Apostolus in Christi passione obedientiam, quia prima prævaricatio est facta per inobedientiam Rom. 5. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obeditionem justi constituentur multi.* Quid clarius? Multi constituuntur justi, dicit Apostolus, per obedientiam unius hominis: ergo Christus per obedientiam mortis præceptæ meruit multis justitiam, sicut è contrario Adam per inobedientiam peccatores multos constituit. Quod verò Christo Domino verè & propriè fuerit à Patre præceptum impositum, infra commodiùs comprobabimus, & id modò ex locis inductis satis probatum relinquimus. Hæc igitur sit prima ratio ad condemnandam prædictam sententiam. Videantur expositores omnes super illud Apostoli, à quibus recitandis modò ob brevitatem abstineo.

127. Secunda sit (quam etiam tunc in illa disputatione proposui.) Homo in gratia constitutus meretur, per obedientiam, obediendo videlicet divinis præceptis; sed obedientia ex eo præcisè quòd sit in Christo Domino, non amittit suam virtutem, valorem, & meritum: ergo meruit Christus per obedientiam, obediendo videlicet usque ad mortem Patris præcepto. Hanc rationem cum primò ibi formarem, doctissimum quendam authorem audivi dicentem, esse Theologicam demonstrationem, quod proinde probarem discurrendo per majorem & minorem; sed doctissimis Theologis illam relinquo probandam & examinandam.

128. Tertia ratio, quæ similiter ibidem à me inducta fuit, ita se habet. De fide est Christum Dominum per mortem meruisse; sed non est de fide, imo nec certum, quòd Christus voluerit majori intentione mori, quàm à Patre fuerat præceptum: Ergo Christi meritum non debet reduci ad hoc incertum fundamentum. Sicut enim de fide est Christum meruisse, ita de fide debet esse certum & stabile apud omnes fundamentum meriti. Minor est adeò certa ut sicut etiam ex Suare modò retulimus, hoc sit potius divinare, & verum Christi meritum enervare, quàm firmo & certo aliquo fundamento statuere. Hæc fuere à me proposita in substantia, quando talis responsio fuit proposita, & à me impugnata.

129. Aliam etiam quartam rationem adversùs hanc sententiam vide in prædicto Francisco Suarez ubi supra, quæ omittitur, quia ad primam modò inductam reducitur. Propter has igitur rationes, (quæ sine dubio sufficiunt ut à multiplicitate abstineamus) damnanda est graviter illa sententia, nec nominanda, sed totaliter à scholis in perpetuum rejicienda. Omitto, quòd juxta illud dictum Christi Joan. 14. *sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.* Videtur dicendum, quòd ita obedivit, & mortem acceptavit, & in tanta intentione, sicut à patre præceptum fuerat &

Digitized by Google

prædeterminatum. Cum enim ipse clarè dicat, quòd sicut à Patre mandatum fuit, ita fecit: quis dicat, non ita fuisse vel tali modo, vel intentione, quæ sibi à patre præcepta fuerat. Nec enim verba ista restringenda sunt ad solam actus substantiam, non ad modum vel intentionem ejus; aliàs Christus saltem quo ad modum aliter fecisset, quàm sibi à patre mandatum fuerat: Quod illi testimonio Joannis 14. modò relato minus convenit. Quod etiam testimonium cum tunc in illa publica disputatione induxissem, omnibus visum fuit, concludisse. Omitto etiam, quòd omnes aliæ circumstantiæ loci, & temporis passionis Christi in scriptura expresè à Deo constituta, & determinata traduntur. Omitto, quòd piæ aures non sustinent, quòd Christus Dominus non meruerit per substantiam passionis, sed per modum, vel circumstantias, ita ut in eodem actu, meritum respectu illius majoris intentionis collocetur non respectu passionis, & substantiæ ejus.

130. Hoc ipsum probatur ex Sancto Thoma 3. *par. quæst.* 47. *art.* 2. dicente, quòd Christus fuit ex obedientia mortuus: non ergo solùm modus mortis, nempe illa major intentio, sed ipsa mortis substantia ex obedientia, & præcepto patris fuit: hoc enim apertè Sanctus Thomas significat, cùm docet ad 2. ipsum ex obedientia mortuum, secundùm illud Joan. 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam; hoc mandatum accepi à Patre meo*, scilicet ponendi animam, & sumendi eam: nec hoc præceptum habuisse Christum. Negavit Chrysostomus homil. 59. in Joan. licet verba id significare videantur. Tantùm enim intendit, quòd non fuit necessarium, quòd Christus didisceret ex præcepto Patris se moriturum; nec ut pro nobis moreretur opus fuit Christo tale præceptum expectare, licet fuerit convenientissimum, quòd ex præcepto Patris moreretur: & ita est explicandus, & intelligendus S. Thomas cum ex Chrysostomo hæc verba habet citato loco tertiæ partis: *Ex quo, ut Chrysostomus dicit, non est intelligendum, quòd prius expectaverit audire, & opus ei fuerit discere: sed voluntarium monstravit processum, & contrarietatis ad patrem suspicionem destruxit.* Sententiæ ergo Chrysostomi, & S. Thomæ sensus integer est, quòd ut Christus pro nobis mereretur, non fuit necessarium Patris præceptum; quia etiam si illud non esset, Christus se ad mortem pro nobis traderet. Ex quo etiam deducitur, quòd posito præcepto libera sua voluntate mortuus est, & liberam suam voluntatem ostendit, nullo modo præcepto aut voluntati Patris contrarium. Non ergo aliquis ex relatis S. Chrysostomi verbis & à Sancto Thoma superiùs inductis moveatur, ad sentiendum priusquam habuerit Christus sibi à Patre impositum præceptum, voluisset pro hominibus mori: hoc enim inprimis contra subjuncta Chrysostomi verba procedit, quibus dicit. *Sed voluntarium monstravit processum, & contrarietatis ad Patrem suspicionem destruxit.* Si enim ille voluntarius processus Christi contrarietatis ad Patrem suspicionem destruxit: ergo ille voluntarius processus Christi Patris voluntatem priorem præcipientem supponebat, cui contrarius nullo modo erat. Similiter id contra expressam literam illius articuli secundi citati Sancti Thomæ esset, quod & legentibus illius articuli literam erit manifestum: quod proinde nec probatione indigere censemus. Esset præterea Scripturæ sacræ minus consonum, quæ semper docet Christum Dominum propter obedientiam fuisse mortuum: nec aliquando aliam rationem mortis ejus tradit, vel insinuat, secundum illud Joan. 10. *hoc mandatum accepi à Patre meo*, nempe ponendi animam meam: quòd à S. Thoma inducit citato art. 2. ad 1. potissimè quia Joann. 14. iterum dicit Christus loquens de sua passione, & morte *sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio*, id est non aliter, nec alio modo, nec voluntate alia, nisi quæ sequitur ad Patris mandatum, ei obediendo. Unde & Apostolus clamat ad Philip. 2. *Factus est obediens usque ad mortem: mortem autem Crucis propter quod & Deus exaltavit eum.* Quibus verbis præmium exaltationis Christi Domini merito obedientiæ adscribit, nec aliam rationem exaltationis ejus vel à longè insinuat. Cum tamen si ante Patris præceptum mori ex charitate pro hominibus voluisset, etiam ex hoc titulo præmium suæ exaltationis obtinuisset: quod & scriptura sacra, si id ita esset, aliquando traderet: Quod cum non faciat, sed semper mortuum dicat Christum ex obedientia & propter Patris præceptum; in hoc ipso nullam aliam rationem fuisse, sed obedientiam adæquatam causam fuisse mortis Christi, non obscurè tradit. Tandem citandus paulò infra in hoc capite Agatho Papa id clarè exponit, dum dicit, quòd voluntas Patris ejus, lex atque mandatum in medio cordis Christi Domini fuit. Ratio etiam id suadere videtur, quia Christi Domini voluntas, nec de suâ morte, nec de aliquo alio prior & antecedens ponenda est ad Divinam Patris voluntatem, sed post ipsam eam sequens perfectè, eidémque perfectissimè obediens.

131. Hac ergo falsâ intelligentiâ *illorum verborum* S. Chrysostomi (quæ S. Thomas *inducit art.* 2. citato) de medio sublata. Dicendum est pro ut *supra* sensum illorum verborum, & intentionem tam Chrysostomi, quàm S. Thomæ esse, non opus fuisse ut expectaret Christus, & addisceret præceptum Patris, id est, non fuisse necessarium tale Patris præceptum ut Christus pro nobis pateretur, quasi sine illo Christus mortem nullo modo voluisset; quia licet tale præceptum non esset, ipse ex maxima charitate pro nobis mori voluisset: fuit tamen convenientissimum, quòd ex obedientia moreretur, & ita fuit de facto, quòd ex præcepto & mandato Patris mortem sibi præceptam acceptare voluit. Vel secundò dicatur, sensum & intentionem S. Chrysostomi relatis verbis & S. Thomæ qui illa verba inducit esse non opus fuisse Christo expectare, & addiscere præceptum Patris, quasi aliquo tempore vitæ suæ illud expectaverit, quia ab instanti suæ incarnationis illud impositum sibi scivit, & in eodem instanti illud voluntariè ex maxima dilectione quam habebat ad Patrem acceptavit.

132. Unde sine fundamento & causa ex prædicto Chrysostomi testimonio quidam ex relatis authoribus deducunt, præceptum Patris non fuisse Christo Domino quatenus homini absolutè impositum, sicut omnibus alijs præcepta divina absolutè imponuntur, sed sub conditione si nempe ipse Christus illud acceptare voluit. Ad hoc verò suadendum inducunt exemplum de aliquibus legibus, quæ à principibus temporalibus fieri solent, quæ non obligant populum nisi ex ipsius populi acceptatione. Id autem non sensisse Chrysostomum dictum est modò, nec sustineri debet aut potest talis sententia, quia negat Patris Divinum præceptum animæ Christi Domini fuisse impositum, & ex consequenti negat in anima Christi virtutem obedientiæ & actum ac meritum illius, quod tantùm respectu præcepti superioris est, ut de se constat: Præceptum autem superioris nullum est, quod inferiorem non astringit, sed in illius pleno libertate relinquit ut faciat si placuerit, sin minus non faciat; quod etiam est satis notum. Imò ita proprium est virtuti obedientiæ respicere præceptum superioris tanquam proprium objectum suum, & ita proprium & obedientiæ reddere voluntatem hominis promptam adimplendam voluntatem præcipientis, ut quando

Digitized by Google

quando id, quod homini præcipitur, est propter se aliàs volitum etiam absque ratione præcepti (sicut accidit in prosperis, in quæ homo ex propria voluntate tendit) tunc non videtur illud implere propter præceptum, sed propter voluntatem propriam, ut S. Thomas docet 22. q. 104. art. 2. ad 3. adducens ad hoc, illud Gregorij Magni dictum verissimum, *Quòd obedientia quæ habet aliquid de suo in prosperis, est vel nulla, vel minor.* Quia tunc voluntas propriè non videtur principaliter tendere ad implendum præceptum, sed ad assequendum proprium volitum: si ergo cum absolutè res prospera homini præcipitur (quia voluntas non fertur principaliter ad implendum præceptum, sed ad assequendum proprium volitum) obedientia vel est nulla, vel minor, ut Sanctus Thomas, ex Sancto Gregorio docet; à fortiori minor, vel potius nulla obedientia erit, cum præceptum absolutè non imponitur, sed in plena libertate hominis constituitur, ut illud si voluerit acceptet, sin autem minimè cum totaliter in hoc homo suam assequatur propriam voluntatem, non autem præcipientis sub conditione illa. Planè illa obedientia nulla erit; sicut revera præceptum illud sub conditione nullum est, cum inferiorem nulla ratione astringat.

133. Igitur per hunc dicendi modum re ipsa & divinum præceptum respectu animæ Christi Domini, & virtus obedientiæ in illo actu, ac meritum ejus reipsa negatur. Quod tamen divinis literis contradicit, in quibus passim hæc de Christo Domino quatenus homo est manifestè traduntur, secundum illud Joan. 6. *Descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Unde dicebat, *non mea sed tua voluntas fiat:* & juxta prædictam sententiam venisset Christus suam facere voluntatem, ut ostensum est ex Sancto Gregorio, & D. Thoma. Item illud inductum Joan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio*, non minus hanc sententiam quàm precedentem excludit. Et enim si faciebat Christus Dominus sicut mandatum ei pater dederat; non secundùm suam, sed secundùm Patris voluntatem faciebat & si faciebat sicut mandatum dederat pater, & ipse absolutè & efficaciter mortem acceptabat; utique etiam absolutè & efficaciter ei illam Pater mandarat; & si mandatum ei Pater dederat verum mandatum, & per hoc non nisi absolutum mandatum ei erat impositum; quia illud sub conditione, ut dictum est, verum mandatum non est.

134. Præterea id constat ex illo ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Si enim factus sub lege fuit: ergo sub legis præcepto fuit, & ipse illam perfectissimè adimplevit. Nulla enim ratione verificari potest, quod ille sit sub lege cui ita lex imponitur. Si volueris, serva illam, sin autem minus non serves: hoc procul dubio sub lege non est, imò ipsa lex sub eo videtur esse cum ei subdatur, & ab illius pendeat voluntate.

135. Deinde, illud aliud inductum ad Phil. 2. hoc ipsum confirmat, *factus obediens usque ad mortem: mortem autem crucis propter quod, & Deus exaltavit illum &c.* Ubi clarè maximam Christi Domini obedientiam commendat Apostolus, quæ tamen juxta sententiam, quam impugnamus, nulla esset ratione facta, quia non esset in ordine ad præceptum superioris, nec ex superioris voluntate ad id moveretur sed ex propria, qua illi placeret, sic mori: Unde non esset ita commendabilis, si non fuisset passus ex obedientia, ut super illum locum ait Sanctus Thomas, quia obedientia dat meritum passionibus nostris. Nec rursus verè dixisset Apostolus (quod absit) ad Rom. 5. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita, & per unius obeditionem, justi constituentur multi.* Contraponit enim Christi obedientiam contra Adæ inobedientiam ut per hanc illa, & illius demeritum & reatus excluderentur, Adam autem præcepto facili sibi absolutè impositò inobediens fuit, & ex vera inobedientia peccavit: Christus verò per oppositum ex vera obedientia obediens fuit difficili præcepto quod de morte ei absolutè à patre fuerat impositum: Accedit quòd doctrina, quam impugnamus, sicut & præcedens nova est, numquam audita, nec à Sanctis Patribus aliquando vel à longè insinuata, sed ei potius omnes adversatur, quia juxta Scripturas prædictas, & alias, quæ sine dubio sunt plurimæ, semper docuerunt Christum verè ex obedientia fuisse passum, & ut adimpleret patris divinum præceptum.

136. Tandem cum anima Christi Domini fuerit creatura, eximi non debet à divino præcepto, quia justitiæ ordo postulat, ut creatura obedire debeat creatori, & ab ipso per divina præcepta moneri ad rectè operandum. Sicut enim S. Thomas 2. 2. q. 104. art. 1. Docet quòd ex ipso ordine naturali divinitùs instituto inferiora in rebus naturalibus necesse habent subjici motioni superiorum: ita etiam in rebus humanis ex ordine juris naturalis, & divini tenentur inferiores superioribus obedire; multò ergo magis ex eodem naturali jure, & divino anima Christi inferior tenebatur divinæ voluntati superiori obedire, & ex eodem naturali, & divino jure decebat habere à Deo absolutum & efficax præceptum, cui verè & propriè teneretur obedire. Et per hoc patet, non posse adduci ad propositum exemplum illud de aliquibus legibus quæ ex populi acceptatione obligant: nec enim esset rationi consonum, quòd aliquis homo, vel populus esset, qui nulli legi superioris verè & propriè subderetur: dato quòd aliqua talis lex respectu alicujus materiæ sub illa conditione esset.

137. Concludendum est ergo, verè & propriè impositum fuisse Christo Domino præceptum de morte absolutè & sine conditione illa minuente, rationem præcepti: quod præter allata scripturæ testimonia, alia id ipsum confirmant ut est illud Joan. 10. *Hoc mandatum accepi à Patre*, & cap. 15. *Patris mei præcepta servavi*: quæ testimonia S. P. August. *lib. 13. de Trinitate cap. 14.* Et super Joan. *tractatu* 79. propriè docet esse intelligenda de præceptis impositis animæ Christi Domini. Unde Agatho Papa Epistolâ relatâ in 6. Synodo actione 4. apertè docet, Christum Dominum obedisse præceptis Patris secundùm humanam voluntatem, adducens de Christo dictum illud Psalm. 39. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam*: quam Dei voluntatem, quam & faciebat Christus, ut idem Pontifex summus perpendit, statim psalmista legem appellat subdens *& legem tuam in medio cordis mei*, id est, præceptum tuum in medio cordis mei, cui propterea verè obediens Christus fuit secundum humanam voluntatem. Unum itaque è duobus contrarium scribentes concedere astringuntur, vel nullum habuisse Christum à Patre præceptum, vel si aliquod habuit illud tamen simpliciter, & absolutè ac omnino necessariam præcepisse, & nullo modo liberam. Primum apertè Scripturam Sacram in supradictis locis impugnat. Si verò secundum concedatur, nihil absurdiùs dici potest, quàm Deum aliquid præcipere, quod in libera potestate facientis non sit, sed ad illud subditus sit naturaliter determinatus.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Tertia ſententia non rectè ſentiens de merito Chriſti refertur, & impugnatur.

138. EST tertia ſententia Molinæ in concordia citatis ſupra locis, & Franciſci Suarez 3. par. loco modò in præcedentibus inducto, & aliorum recentiorum, qui per oppoſitum affirmant, Chriſtum Dominũ ideo liberum fuiſſe & meruiſſe per obedientiam paſſionis & mortis, & aliorum excelentiſſimorum operum ſuorum, quia ante omnem divinam voluntatem & ante omne præceptum per illam mediam ſcientiam præſcivit Deus, quòd ſi tale præceptum de morte animæ Chriſti imponeret, & ſi tales alias actiones ejus præfiniret, anima Chriſti id ex ſua innata libertate acceptaret: & hac poſitâ mediâ ſcientiâ voluit Deus illi mortem præcipere, & alia ejus bona opera prædeffinire: unde anima Chriſti poſtea liberè obedivit, ſicut præviſa fuerat ſub conditione obtemperatura ex libertate ſua. Sed contra hunc dicendi modum abundè ſatis diximus ſupra, & modò id notamus, quòd in apparentia videtur extollere Chriſti meritum, ſed ipſum maximè deprimit, cùm modo impoſſibili illud conſtituit: nihil enim impoſſibilius eſt, quàm illa media ſcientia in qua meritum Chriſti fundant, ut tum libro primo, tum in hoc ſecundo ſæpe fuit demonſtratum.

139. Præterea hic modus dicendi apertiùs confutatur. Vel enim præſcivit Deus per illam mediam ſcientiam animam Chriſti ita obtemperaturã præcepto Patris, ut poſſet non obtemperare: vel præſcivit ita determinatam eſſe ad obtemperandum tali præcepto, ut fieri non poſſet, ut præceptum ſtaret, & ipſe non obtemperaret: nec enim eſt dare medium ex his duobus. Si primum: ergo præſcivit Deus animam Chriſti poſſe peccare: quod nullo modo dici poteſt, quia præſcire illam poſſe inobedire, eſt præſcire illam poſſe peccare: ſi autem præſcivit eam poſſe peccare: ergo peccabilis erat anima Chriſti ſecundum quod erat unita verbo: ergo non erat Chriſtus Dominus impeccabilis: quod concedit nullo modo poteſt: certiſſimè enim Chriſtus eſt omnino impeccabilis, & eum impeccabiliem eſſe Deus præſcivit, nec oppoſitum præſcire Deus potuit. Si ſecundum, ergo præſcivit Deus illam prædeterminatam ad obediendum, & cum hac efficaci prædeterminatione ejus ſalvari libertatem. Unde hoc videtur efficaciſſimum argumentum, ad probandum cum efficaci prædeterminatione in actu primo ſalvari optimè voluntatis libertatem. Nam Chriſtus Dominus prædeterminatus fuit efficaciſſimè ad obediendum præcepto Patris, ita quòd fieri non poterat, ut ei præceptum imponetur, & innobediret: & tamen ſecundum Catholicam veritatem fuit libere in obediendo tali præcepto: ergo ſecundum veritatem optimè ſtat humana libertas cum efficaci prædeterminatione ad aliquid efficiendum.

140. Aliam quartam ſententiam poſtmodum legi in Martino Becano Societatis Theologo, *libro de lib. arb. cap. 5. quæſt. 6. 82. concluſio*, quæ magis temperatè procedit, nec enim audet dicere, quòd Chriſtus non meruerit per obedientiam: unde *ait præceptum moriendi quod Chriſto datum fuit à Deo Patre, non impedivit uſum liberi arbitrij in Chriſto, tametſi fuerit impeccabilis, ac proinde non potuerit non ſervare illud præceptum. In hoc conſentiunt omnes Catholici: tota difficultas in modo eſt explicandi. Nam duo hîc ſunt, quæ non videntur poſſe cohærere. Unum quòd Chriſtus fuerit impeccabilis, ac proinde non potuerit, non ſervare præceptum. Alterum quòd libere ſervaverit præceptum. Varij ſunt modi conciliandi: ego* (inquit) *ſic Concilio, & explico. Chriſtus non potuit non ſervare præceptum generatim loquendo, cum fuerit impeccabilis: Potuit tamen illud ſervare vel per hunc, vel per illum actum voluntatis prout voluit, & ideo fuit liber in ejus obſervatione: nam præceptum, quod illi fuit impoſitum, erat tale. Debes mori pro redemptione humani generis: potuit autem hoc facere ex variis motivis, ut ex motivo charitatis, obedientiæ, miſericordiæ, juſtitiæ; & liberum illi fuit, ut ex quocunque vellet motivo, id facere: itaque actus voluntatis, quo præceptum implevit, fuit omnino liber quo ad exercitium & ſpeciem, potuiſſet enim illum actum omittere, & per aliquem alium præceptum ſervare.* Hæc ille.

141. Hujuſmodi ſententia poterit prima facie alicui facilis & ſecura videri fundamentumque habere in eo, quod S. Thomas docet: loquens enim de Chriſto Domino docet, quòd ita erat determinatus ad bonum in genere quoad ſpecificationem, ut malum appetere non poſſet propter illius impeccabilitatem, licet liber eſſet reſpectu hujus vel alterius boni, quod appetebat.

142. At admitti non debet, quia cum præcedenti convenit in pravo fundamento, quòd videlicet non fuit liber Chriſtus Dominus ad implendum præceptum Patris ſecundùm quod à Patre erat impoſitum, ſed quòd determinatus erat ad illud præceptum ſecundùm illam rationem implendum, *non minus* quàm ad bonum ut ſic: quod ut præmiſſum eſt, *dici non* poteſt propter rationes inductas, & potiſſimè propter illud *ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*: Iſta autem ſententia manifeſtè tenet, quòd Chriſtus non ſic fecit, nec ſic acceptavit mortem ſicut Pater mandavit, ſed alio modo vel ex motivo alio quàm ei præceptum fuerit. Præterea quia etiam ſequitur, quòd Chriſtus non fuit liber quoad ſpecificationem in iſto actu, *volo non* ſecundùm quod Pater præcipit. Sed tantum quoad exercitium; conſequens falſum eſt, quia ad mortem præceptam Chriſtus non erat à natura ſua determinatus, ſicut ad bonum ut ſic, ut eſt manifeſtum: nec etiam ad mortem ſecundum quod præcepta erat, qua præceptum potius illuminabat illius intellectum, in hoc quod circa mortem determinatus ipſe non erat. Inſuper quia omnia illa motiva charitatis, obedientiæ, miſericordiæ, juſtitiæ ei à Patre propoſita ſunt, & præcepta: nec enim credendum eſt, quòd Patris præceptum fuerit ſic nudè, & in genere propoſitum, ut hic author prætendit, debes mori pro generis humani Redemptione, nihil aliud exprimendo, quia eſſet in genere, & per conſequens in confuſo intimatum tale præceptum; ſed diſtinctè, & clarè fuit propoſitum, quòd mori debebat pro Redemptione generis humani ex motivo obedientiæ, ex eo videlicet, quòd ita Pater præcipiebat, juxta illud allatum *factus eſt obediens uſque ad mortem*; & quod mori debebat ex juſtitia, ut Patri ſatisfactio de juſtitia fieret pro peccato primi parentis: & quod debebat mori ex charitate, quam tenebatur habere erga homines: exponendo propriam vitam pro æterna ſalute illorum: & quod debebat mori ex miſericordia, quam habere debebat circa miſeros, ut eos ſua morte ab æterna miſeria ſublevaret: omnia inquam iſta motiva ei repreſentata, & præcepta fuere. Unde aliquando Chriſtus Dominus ex uno, aliquando ex altero motivo mortem deſiderabat (quod nullus negabit): & tamen ipſe docet quod ſemper ſic faciebat ſicut Pater mandatum dederat: ergo motiva illa præcepta ei fuerant.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XV.

Traditur vera sententia circa Christi Domini meritum & libertatem.

143. FACILIUS est supra relatas sententias impugnare, & falsitatis convincere, quàm modum aperire, quo Christus Dominus habuit libertatem, & meritum circa ea, quæ sibi à Patre præcepta erant, qualia paupertas fuere, vita austera, mors & similia, potissima vero dilectio Dei, & alia præcepta Decalogi, ad quæ videbatur Christus ab intrinseco determinatus. Tota hæc magna difficultas in hoc consistit, quod cum Christus Dominus ab intrinseco esset impeccabilis, & sic non potuerit non obedire præcepto Patris, videtur quòd non fuerit in hoc liber. Sententia enim S. Thomæ est (quæ absque dubio tenenda est) Christum peccare non potuisse, nec in illo absolutè, & simpliciter loquendo aliquam fuisse potentiam ad peccandum. Hæc enim potentia ad peccandum est de ratione libertatis, sed defectus, & infirmitas illius, ut à S. Thoma, & ab ejus discipulis demonstratur *1. par. quæst. 19. art. 10.* Quod vel ex eo convincitur, quia in Deo est perfectissimè libertas, cui tamen omnino repugnat potentia ad peccandum. Ex quo & illud convincitur, posse dissentire Dei vocationi atque motioni in his videlicet, quæ ipse præcipit, vel quæ sunt ad salutem necessaria (nam respectu eorum, quæ sunt de consilio est alia ratio, quia illis dissentire peccatum non est sicut nec est peccatum consilia omittere) cum nihil sit aliud formaliter quàm posse peccare, ad essentiam libertatis pertinere non posse; imo nec hoc est ejus passio quarto modo fluens, licet sit signum libertatis in voluntatibus defectibilibus, ut docet apertè Sanctus Thomas *quæst. 22. de verit. art. 6. In fine corporis*, dicens, *Quod velle malum, nec est libertas, nec pars libertatis, quamvis sit quoddam libertatis signum.* Similiter ergo posse velle malum, vel posse dissentire Deo vocanti atque moventi in rebus ab ipso præceptis, nec libertas est, nec pars libertatis, sed illius signum in voluntatibus in quibus potest esse in apprehendendo, & conferendo defectus. Ex quo & aliud manifestè sequi videtur, quòd sicut Christus non potuit peccare, ita nec potuit præcepto Patris dissentire, seu illi inobedire, nec in hoc constituenda est perfectissima ejus libertas.

144. Quòd si opponas definitionem Concilij Tridentini *sess. 6. de justif. can. 4.* in quo definitur contra Lutherum, & Calvinum, quòd arbitrium à Deo motum, & excitatum ita cooperatur, quòd potest dissentire si velit: ac per consequens posse dissentire pertinet ad libertatem hominis, maximè cum Concilium ex eo quòd homo possit dissentire, statuat libertatem hominis contra Calvinum.

145. Ad hoc responderi potest primo, Concilium ibi loqui de libero hominis arbitrio defectibili, non autem de eo, quod deficere à bono non poterat: & libertatem arbitrij defectibilis explicavit per ejus notissimum signum, quod est posse dissentire Dei excitationi, atque motioni, quia id arbitrio defectibili inseparabiliter libertati ejus conjungitur tale signum: Unde per illud signum Concilium optimè sicut per quid magis notum libertatem defectibilem arbitrij explicavit. At in Christo Domino optimè ejus perfectissima libertas salvatur sine tali imperfectionis signo, quia ut ex Sancto Augustino retulimus, tantò magis voluntas Christi libera erat, quantò magis peccato servire non poterat.

146. Vel secundò dicatur, Sacrum Concilium ibi sumere, posse dissentire Deo vocanti generaliter, ita ut non solùm dicat posse dissentire Deo vocanti in rebus præceptis (quod posse dissentire ut dictum fuit peccatum est) sed etiam sumat posse dissentire Deo vocanti in rebus ad consilium pertinentibus, in quibus posse dissentire peccatum non est. Et sic pro hac parte non videtur inconveniens, quòd etiam liberum Christi Domini comprehendat arbitrium, in quo talis potentia ad sic dissentiendum potest collocari, cum illa peccatum non sit. Imo dicendum videtur, quòd sicut posse dissentire in priori acceptione, cum potentia sit ad peccandum, non est de ratione libertatis sed illius signum, ut ex Sancto Thoma dictum est: ita posse dissentire in hac secunda acceptione, pro illa parte qua tantùm includit dissentire posse consilijs, non præceptis, erit de ratione libertatis creatæ: per quam proinde Concilium Tridentinum libertatem creatam exposuit. Et quidem Concilium in illo Canone aliud habet expressè, & aliud virtualiter & implicitè seu generalitate doctrinæ. Expressè quidem loquitur de excitatione, & motione, qua Deus movet hominem, ut se præpararet ad justificationem, sicut revera se præparare tenetur: Unde posse dissentire tali excitationi libertatem dicit cum adjuncta illa imperfectione, quæ est potentia ad peccandum vel ad dissentiendum excitationi, cui consentire tenetur. Implicite autem, & generaliter, seu generalitate doctrinæ non dubium, quin etiam intendat difinire liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum qualibet excitatione, sive sit de necessarijs ad salutem & de his quæ homo facere tenetur, sive de his, quæ ad consilium pertinent, posse cuicunque tali dissentire. Unde licet id, quod expressè definit, liberum Christi arbitrium non comprehendat, non tamen dubium quin pro illa solùm parte qua potest sumi dissentire pro dissentire solis consiliis, possit voluntati Christi convenire: verum est, quòd absolutè, & simpliciter voluntati Christi illa verba Concilij non conveniunt, nec de illius voluntate prolata sunt. Cum prima acceptio relata, in qua expressè Concilium loquitur, Christo repugnat: similiter & secunda acceptio, quia generaliter utrumque includit & dissentire posse præcepto & etiam consilijs simpliciter voluntati Christi contradicit nimirum proxima parte, quam includit. Sed de vera, & adæquata S. Concilij intelligentia copiosius dicturi sumus in quarto hujus operis libro, & in nostro primo plura dicimus: nunc hoc asserimus obiter occasione libertatis, & meriti Christi Domini.

147. Hoc ergo fundato principio, quòd nulla potentia ad peccandum fuit in Christo Domino, ita formatur urgens argumentum. In Christo Domino nulla fuit potentia ad peccandum: ergo nulla fuit potentia ad inobediendum: ergo non habuit libertatem ad obediendum, vel inobediendum: ergo necessario, & sine libertate obedivit præcepto Patris: ergo obediendo non meruit; quia nec meritum potest esse sine libertate. Antecedens primum constat ex fundamento, supponitur enim, quòd nulla fuit in Christo potentia ad peccandum, sed quod ipse simpliciter, & absolutè fuit omnino impeccabilis. Prima autem consequentia probatur, quia potentia ad inobediendum est potentia ad peccandum: ergo sicut illa caruit, ita & ista! Nam si potentiam habuit ad inobediendum præcepto Patris, proculdubio potentiam habuit ad peccandum; etenim inobedire Patris præcepto, peccatum esset: Ergo potentiæ ad inobediendum præcepto Patris esset potentia ad peccandum. Secunda autem consequentia probatur, quia qui posito præcepto non habet liberam potentiam ad inobediendum, quia non habet indifferentiam ad obediendum, & inobediendum: & sic obediendo libertatem non habet, sed necessariò absolutè obedit, apposito

Digitized by Google

quòd præcepto posito pro illo tempore quo obligabat, nullam potentiam haberet ad non obediendum, vel ad non acceptandam mortem secundùm quod præcepta erat.

148. Hoc argumentum potissimè vim habet in primo instanti Incarnationis Christi, in quo secundùm veram Theologiam impositum fuit Christo à Patre præceptum moriendi pro humani generis reparatione: & tunc obligavit Christum ut acceptaret & obediret tali præcepto, & illud liberè acceptavit, & liberè obedivit, & per illam liberam obedientiam perfectissimè meruit, ut dictum est. Quod ut firmiter tenendum modò suponimus, nec probamus, quia solùm ad argumentum, quod difficultatem facit, intendimus respondere.

149. Pro hujus argumenti solutione considerare oportet primò, quòd sicut quadrupliciter loqui possumus, & debemus de libero arbitrio, primò de libero arbitrio ut sic. Secundò de licero arbitrio Dei. Tertiò de libero arbitrio Christi, & Beatorum. Quartò de libero arbitrio omnium aliorum: ita quadruplici modo proportionaliter eis indifferentia & libertas attribuenda est. Libero arbitrio ut sic, attribuenda est libertas ut sic, quæ adæquatè explicatur per hos generales actus, posse velle, & non velle; posse velle hoc vel illud. Isti enim generalis actus adæquatè explicant generalem rationem liberi arbitrij ut sic. Libero autem arbitrio Dei, quod essentialiter est determinatum ad bonum nec potest velle malum, competit indifferentia, & libertas solùm in ordine ad bonum creatum, ita quod possit velle, & non velle creatum bonum, & hoc, vel illud. Libero verò arbitrio Christi, & Beatorum, (quia ex participatione unionis hypostaticæ vel divinæ visionis, peccare non possunt aut malum velle) convenit libertas etiam in ordine ad bonum, ita ut possint velle, vel non velle hoc, vel illud bonum; libertatem enim non habent ad volendum malum, quia ista non est essentialiter libertas sed imperfectio & defectus libertatis, ut dictum est. Libero verò arbitrio omnium aliorum (quia defectibile est) competit indifferentia, & libertas ad bonum, & ad malum; ad volendum nempe vel non volendum bonum, vel malum; obediendum vel inobediendum Deo; transgrediendum, vel non transgradiendum divina mandata; consentiendum, vel dissentiendum Deo præcipienti. Quòd est clarius dicere, quòd in Deo Christo, & Angelis non est libertas contrarietatis; in arbitrio autem defectibili est libertas etiam contrarietatis.

150. Supponenda est enim communis doctrina, quòd duplex est libertas: alia quoad specificationem, alia quoad exercitium. Hæc secunda vocatur libertas contradictionis, quæ in hoc consistit, quòd quis possit hoc velle, & non velle. Illa verò prima dicitur libertas contrarietatis, vel diversitatis; & in hoc consistit quod quis possit velle, hoc vel ejus diversum, aut contrarium. Solet adhuc ab aliquibus duplex distingui libertas quoad specificationem; altera quæ est libertas contrarietatis propriè dictæ, ut explicatum est. Altera quoad specificationem quasi disparatam, quando videlicet ad consecutionem finis sunt multa media diversa, respectu quorum voluntas libera est. Sive autem distinguendæ sint expressè istæ tres libertates; sive duæ tantùm, quoad exercitium nempe, & specificationem, parum reipsa refert; quia si duas tantùm distinguamus, illa tertia, quam quoad specificationem disparatam vocant, reducitur ad illam, quæ vocatur quoad specificationem: Unde libertas quoad specificationem illa est, quæ ita vult hoc, quòd potest velle diversum vel contrarium, & oppositum. Ex quo sequitur in Deo, in Christo, & in Angelis esse non solùm libertatem quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem, qua ita volunt hoc bonum, ut diversum velle possint, licet contrarium bono velle non possint.

151. Ex quo colligitur, quàm malè Philosophetur Molina in concordia *quæst. 14. disp. 23.* dicens, quòd si voluntas simul posset eligere indifferenter vel hunc, vel contrarium actum, erit libertas quoad specificationem actus, quæ sola plenè, & perfectè libertatis rationem habet. Malè inquam philosophatur. Primò quia, vt dictum est libertas quoad specificationem actus non petit, posse velle contrarium, seu oppositum; satis est, si possit velle diversum. Secundò quia aliàs in Deo, Christo, & Angelis perfecta libertas non esset: quod dici nullo modo potest. De quo in tertio nostro Libro copiosior sermo redibit. In summa, indifferentia seu libertas proportionaliter adaptanda est juxta naturam, conditionem, seu statum liberi arbitrij: nec illa indifferentia, quæ est propria arbitrio defectibili, applicanda est arbitrio indefectibili: sive sit per essentiam indefectibile, vt est arbitrium Dei; sive per participationem, vt est arbitrium Christi, & beatorum.

152. Quod vt clarius innotescat, assignanda est legitima liberi arbitrij definito, ex qua apertè constabit, Christum Dominum acceptasse mortem sibi à Patre præceptam: hæc verò definitio talis est. Liberum arbitrium est facultas rationis, & voluntatis ad agendum, vel non agendum, ad prosequendum unum, vel aliud ex qua aliam agentis liberi arbitrij facilè possumus deducere in hunc modum. Agens liberum est, quod operatur propter finem ex cognitione indifferentiæ mediorum ad finem. Quæ definitio ipsi Deo, Christo, Angelis, & hominibus communis est. Quotiescunque ergo agens operatur ex cognitione indifferentiæ mediorum ad finem, semper liberè operatur; sed Christus Dominus mortem acceptando sibi præceptam, eam acceptavit ex cognitione, qua cognovit illam secundum se, & absolutè non esse necessarium medium ad finem, sed indifferenter se habere secundum se ad finem ad quem ipse erat determinatus: ergo liberè illam mortem acceptavit. Minor manifesta est; optimè enim cognoscebat Christus Dominus, quòd velle mortem, non erat necessarium medium secundum se, & ex sua propria natura ad finem, ad quem ipse naturaliter erat determinatus. Unde optimè cognoscebat, quòd in ordine ad talem finem, indifferenter se habebat secundum se, & ex propria natura velle mortem, vel illam non velle; & ex consequenti illam acceptavit ex cognitione talis indifferentiæ. Cum ergo cognitionem indifferentiæ illius, vel alterius medij superveniens ab extrinseco Patris præceptum auferre non potuerit, ita nec auferre potuit libertatem, qua ex tali indifferentia mortem acceptavit. Sicut enim radicem libertatis (quæ est illa cognitio indifferentiæ mediorum ad finem) præceptum nullo modo potuit auferre; ita nec formalem libertatem voluntatis Christi Domini tollere, vel impedire potuit, quæ ab illa radice essentialiter dependet. Unde semper Philosophi omnes, & Theologi pro certo supponunt, quòd ad consilium (quod præsupponit indifferentiam mediorum) semper sequitur electio seu actio libera in voluntate, ita quòd non potest non sequi præsuppositio tali consilio. De utraque autem definitione assignata, copiosè in nostro tertio Libro agentes ex professo de definitione liberi arbitrij tractabimus adversus definitionem aliam liberi arbitrij, quam Molina & sui introducunt; quæ nullo modo legitima definitio est.

153. Advertendum secundo, quòd ad investigandam à priori libertatem voluntatis Christi, illam debemus considerare ex meritis propriis & ab intrinseco in illo priori, in quo intelligimus illam etiam

ante

Digitized by Google

ante præceptum impositum: Et quia in illo priori antequam illi intelligatur præcepta mors, liberam potentiam habebat ad volendam, & nolendam mortem, quia mors non proponebatur illi, ut medium necessarium habens connexionem cum fine ad quem voluntas Christi naturaliter erat determinata, ideò absolutè, & simpliciter libertatem habebat ad volendam, vel non volendam mortem sub hac ratione, & consideratione: Vnde in voluntate christi Domini erat libertas quoad exercitium, seu libertas contradictionis, qua poterat velle, & non velle mortem. Erat etiam alia libertas quoad specificationem, respectu nempè diversorum mediorum: erat deinde libertas quoad specificationem contrarietatis qua poterat velle mortem, & ejus oppositum. Hoc igitur principium debet præsupponi sicut manifestum, & clarum; ex quo & illud etiam non obscurè deducitur, quòd cum præceptum ab extrinseco proveniens naturam voluntatis non immutet, sed nec immutare possit, necesse est asserere, quòd etiam supposito præcepto libera maneat voluntas Christi, sicut antea erat, respectu ejusdem formalis objecti, id est, respectu mortis secundùm quod non erat medium habens necessariam connexionem cum illo fine ad quem voluntas Christi erat necessariò, & naturaliter determinata. Unde etiam supposito præcepto potentiam liberam habebat anima Christi ad volendam, vel nolendam mortem secundùm quod medium necessarium absolutè non erat ad finem, ut dictum est: & sic eadem libertas, quæ priùs erat in anima Christi, mansit post impositum præceptum.

154. Advertendum tertio, quòd non est idem, habere potentiam ad volendum vel faciendum absolutè & simpliciter aliud seu oppositum illius, quod præcipitur; & habere potentiam ad inobediendum, vel transgrediendum præceptum: sunt enim istæ potentiæ diversæ. Prima namque explicat hominis libertatem; secunda exponit ejus peccabilitatem, vel potentiam ad peccandum: unde prima admittenda est in Christo Domino; secunda neganda est, sicut in ipso negatur absolutè & simpliciter potentia ad peccandum. Quare concedendum est omninò, quòd mortem quæ à Patre præcipiebatur, poterat Christus non velle, vel non acceptare simpliciter, & absolutè; in quo consistit ejus libertas: non tamen potuit præcepto inobedire, vel ipsum transgredi, vel mortem non acceptare secundum quod præcepta erat, cum hac reduplicatione; quia posse mortem, secundùm quod præcepta est, non velle, est formaliter posse inobedire, & posse transgredi præceptum, & posse peccare, ut statim clarius explicabimus.

155. Itaque in illo priori antequam intelligatur præceptum impositum Christo de ejus morte, duo erant essentialia in voluntate Christi, quæ post impositum præceptum permanserunt. Primum erat ipsius voluntas essentialiter determinata ad non peccandum, & ad non transgrediendum præceptum, quodcunque poneretur. Alterum erat, quòd libertatem habebat, & indifferentiam respectu cujuscunque objecti, quod non habebat ab intrinseco necessariam connexionem cum fine, ad quem ejus voluntas erat naturaliter determinata; quale objectum sine dubio erat mors ipsius. Hæc igitur duo, sicut ante præceptum intelliguntur essentialia voluntati Christi, ita & post impositum præceptum necessariò in ejus voluntate debent permanere: sicut ergo permanent in anima Christi supposito præcepto, quòd nullam potentiam habeat ad transgrediendũ tale præceptum, vel ad inobediendum privativè, sive contradictoriè; ita permanet illa alia indifferentia, & libertas respectu cujusque medij non necessarij ad finem: & quia superveniens præceptum multò magis illuminabat animam Christi de his duobus, & quòd potentiam non haberet ad transgrediendum præceptum sive ad peccandum; & quod mors necessariam non haberet connexionem cum fine ad quem naturaliter determinabatur, ita voluntas Christi voluit acceptare mortem, ut liberam potentiam habuerit ad nolendũ illam secundum quod necessaria non erat ad finem, licet non habuerit potentiam liberam ad illam nolendam per transgressionem, & inobedientiam contrariam, seu privativam.

156. In summa, ista quatuor sunt in voluntate Christi adinvicem componenda, & admittenda. Primũ est nullam esse in ea potentiam ad peccandum. Secundum libertatem habuisse respectu suæ mortis qua ipsam absolute potuit velle, & non velle. Tertium, impositum illi fuisse à patre verè & propriè præceptum ut pro salute mundi moreretur. Quartum & ultimum, etiam supposito præcepto liberè, & meritoriè voluisse mori, & liberè voluisse Patri obedire, liberèque voluisse mortem à Patre præceptam acceptare, cum quo quintò addendum, non potuisse præcepto Patris non obedire, nec illud transgredi.

157. Quibus positis, ad argumentum in forma respondetur. Christus Dominus non habuit absolutè, & simpliciter potentiam ad peccandum, conceditur antecedens: ergo non habuit potentiam ad inobediendum, etiam conceditur ista consequentia: ergo non habuit potentiam liberam ad obediendũ, vel inobediendũ conceditur insuper consequentia ista per regulã, quòd disjunctiva, cujus una pars est vera, tota est vera: unde benè sequitur, Christus Dominus non habuit potentiam ad inobediendum: ergo non habuit potentiam ad obediendum vel inobediendum, quia tenet à parte disjunctivæ ad totam: sed cum rursus infertur in alia consequentia: ergo non habuit Christus Dominus liberam potentiam ad obediendum, & sic liberè non obedivit, neganda consequentia est, quia tenet à tota disjunctiva ad partem, quæ illatio mala est. Non enim sequitur, quòd si Christus non habuit liberam potentiam ad obediendum, vel non obediendum, quòd non habuerit potentiam liberam ad obediendum, ut dictum est: ex impotentia enim ad inobediendum, quæ verè fuit in Christo ratione impeccabilitatis ipsius, unde concludi potest, fuisse etiam in ipso impotentiam ad obediendum? Ut enim formalissimè, & cum omni proprietate salvetur in Christo libera potentia ad obediendum, qua & de facto liberè obedivit, satis est, quòd habuerit liberam potentiam simpliciter, & absolutè ad nolendam mortem quæ præcipiebatur, & quòd eam voluerit liberè acceptare ex eo quod à Patre illi præcipiebatur.

158. Supposito ergo præcepto, voluntas Christi Domini potentiam liberam habebat absolutè, & simpliciter ad acceptandam, vel non acceptandam mortem, sicut ante præcepti impositionem eamdem liberam facultatem habebat; quia hæc libera facultas acceptandi, vel non acceptandi mortem intrinseca erat voluntati Christi, nec per præceptum ab extrinseco proveniens tolli potuit, aut minui: & ita cum accœptavit mortem, liberè acceptavit; adveniens verò præceptum hoc efficit, ut quia Christi voluntas impeccabilis erat, ei nullo modo inobediret: imò ex impeccabilitate nulla in Christo erat potentia ad illi inobediendum; nec si proprius sit sermo, hoc effecit Patris præceptum, sed ipso præsupposito Christi Domini voluntas ex impeccabilitate sua id efficit, ut nimirum semper vellet obedire mortem acceptando, & nollet mortem non acceptare, nec posset cum præcepto conjungere nolitionem, vel non acceptationem mortis. Itaque etiam supposito præcepto potentiam

Digitized by Google

tiam liberam habebat simpliciter & absolutè, seu in sensu diviso ad non acceptandam mortem : cæterum in sensu composito non habebat libertatem, seu potentiam liberam ad non acceptandam mortem ; id est, non habebat potentiam liberam ad componendum, & conjungendum ista duo simul & mortem esse præceptam, & illam non acceptare. Sicut ergo (quod sæpissimè dictum est) in omnibus alijs hominibus à Deo motis non consistit libertas in hoc, quòd in sensu composito, sæpiùs explicato, possint conjungere dissensum cũ tali Dei efficaci motione; sed in hoc eorum consistit libertas, quòd à Deo sic moti absolutè, & simpliciter, seu in sensu diviso possint habere dissensum ; ita in Christo Domino, ut manet expositum. Quare qui negant meritum, & libertatem in Christo Domino respectu præcepti Patris, nec admittunt, potuisse aliud facere simpliciter & absolutè, consequenter ad sua falsa principia loquuntur, quibus negant necessariam illam distinctionem de sensu diviso atque composito.

159. Hic autem compositus sensus modò explicatus nihil subdetrahebat à Christi Domini libertate, nec impediebat, quin liberè obediret ; & mortem ex præcepto acceptaret ; cum simpliciter & absolutè, & ab intrinseco libertatem haberet, qua & mortem acceptare, & non acceptare poterat. Quod verò occurrente Patris præcepto non posset non illi obedire, ipsumque implere, non id procedebat, quia ad obediendum absolutè necessitabatur, aut quia simpliciter aliud agere non poterat, aut quia ad id liberum facultatem non habebat, sed aliunde nempe quia impeccabilis erat, & peccare non poterat, nec in obedire poterat, conjungendo nimirum cum Patris præcepto inobedientiam : Quæ potentia ad peccandum, & inobediendum Patris præcepto libertas non est, sed defectus & carentia perfectæ libertatis, quæ propterea in tam perfecta Christi Domini libertate non erat.

160. Itaque ex alia radice, & causa proveniebat, quòd Christus Dominus præcepto Patris non posset inobedire : & ex alia valdè diversa, quòd liberè eidem præcepto obediret. Primum ex eo proveniebat, quia erat impeccabilis, nec potentiam ad peccandum seu inobediendum præcepto Patris habebat. Secundum quia mortem, quam simpliciter & absolutè sua poterat libertate non velle, voluit & acceptavit, quia sibi à Patre præcepta erat : Poterat, inquam, liberè non velle, & acceptare mortem absolutè sine defectu, & carentia rationis : illam autem non potuit recusare cum defectu, & cum carentia rationis. Aliud est enim habere realem potentiam ad habendum simpliciter, & absolutè aliquem actum ; & aliud valdè diversum habere posse actum cum defectu, & carentia rationis. Primum salvat libertatem. Secundum ostendit impeccabilitatem : unde primum in Christo Domino fuit. Secundum nullo modo.

161. Ne autem aliqui hoc appareat vel difficile, vel singulare in Christi Domini voluntate, advertat, ut in primo fundamento præmisimus, id esse commune omni voluntati impeccabili, quod frequentissimè in Sanctis Angelis invenitur. Cum enim missus fuit Raphaël Angelus ad Tobiam, & cum alij sæpè mittuntur ad aliquid hominibus dicendum, vel ad aliquid circa illos operandum, & potissimè cum Gabriel ad Sanctissimam Virginem missus est, illas actiones sine dubio effecerunt, quæ illis à Domino præceptæ erant: De quo nullus poterit dubitare. Rursus nec aliquis potest negare quin illas liberè, & cum sua libertate effecerint : denique etiam indubitatum est, quòd non poterant Deo præcipienti inobedire : Cum beati Angeli inobedire Deo, & peccare non possint. Ad Angelos verò non possunt applicare Authores cum quibus agimus aliquam ex prædictis rejectis solutionibus, dicendo quòd vel non habeant à Deo præceptum sic vel sic faciendi ; vel quòd præceptum eis imponatur cum dependentia ab eorum voluntate si illud acceptare velint ; vel quòd id faciant liberè quoad aliquam circunstantiam, non quoad substantiam actus, qui eis præcipiebatur : nullum eorum de Angelis dicent. Quod ergo de omnibus Angelis, & de omnibus liberis eorum actionibus Theologi debent admittere, quare non idem in voluntate Christi Domini pari ratione defendent.

162. Et quidem Sanctus Raphaël, vel Sanctus Gabriel, vel quotquot Sancti Angeli ex divino præcepto aliquas actiones circa creaturas exercent, vel exercuerunt ; ita liberè eas exercent, vel exercuerunt ut si in statu fuissent merendi, ex libera voluntate quia divino præcepto obedierunt, utique meruissent : quòd verò non habuerint meritum, id non fit ex defectu libertatis, sed quia totaliter sunt in termino extra viam, & extra omnem statum merendi.

163. Parique ratione, si Angelo custodi Deus præciperet, ut modò talem inspirationem mihi suggereret, quis dubitet (licet si Angelus non possit Deo inobedire) quin liberè tamen operaretur actionem illam ? hac sola ratione, quia illud objectum indifferens est, & ut indifferens per intellectum Angeli voluntati proponitur : In quo posita est radix *libertatis*, ad quam proinde formalis libertas in *actu voluntatis* dimanat. Imò hac radice libertatis ex *parte intellectus* proposita, impossibile est planè, ut nostro primo libro dedimus manifestum, formalem libertatem in voluntate non sequi : sicut impossibile est, quòd judicio indifferenter præsupposito ex parte intellectus, ad ipsum non sequatur electio, ut Aristoteles, & omnis Philosophia cum ipso demonstrat. Præceptum ergo superveniens ab extrinseco, intrinsecam & absolutam naturam voluntatis, judicij, & electionis mutare non potest, nec naturam seu potestatem libertatis, immutare.

164. Sed contra hanc doctrinam, quæ certè à priori procedit, adhuc potest aliquis instare. Primò quia sequeretur Christum Dominum non liberè acceptasse mortem secundum quod à Patre erat præcepta, sub hac videlicet reduplicatione, vel specificatione : quod tamen concedendum non videtur, quia sequeretur Christum non habuisse libertatem per obedientiam formaliter : quod supra est reprobatum. Patet, hoc quia obedientia formaliter sumitur per ordinem ad præceptum secundum quod præcipitur, & sub hac ratione, seu reduplicatione.

165. Ad quod tamen dicendum, Christum Dominum liberè acceptasse mortem secundùm quod à Patre præcipiebatur, & sic formaliter fuit liber obediendo, & per talem obedientiam meruit, ut supra manet comprobatum : Ad hanc vero libertatem firmandam sufficit, quòd mortem à Patre præceptam, quam poterat absolutè, & simpliciter nolle secundùm quod medium necessarium non erat ad finem, vellet ipse acceptare secundùm quod à Patre præcipiebatur, & ex eo quod à Patre præcipiebatur : sicut in exemplo inducto, Angelus libertatem habet in operando quod Deus præcipit, etiam secundùm quod à Deo præcipitur ; & libertatem formalem habet in illa obedientia inquantùm liberè exercet, quod sibi præcipitur & secundum quod sibi præceptum est. Licet nec Christus Dominus, nec Angelus possint inobedire præcepto Dei, ipsum transgredi, vel quod idem est, illud præceptum secundùm quod præceptum est cum hac videlicet specificatione, vel reduplicatione non acceptare. Et quidem quòd libertas vel in Christo Domino, vel in Angelis non consistat, nec consistere possit in hoc, quod est ita acceptare quod à Deo præcipitur, quòd possit non acceptare id, secundùm quod

est

Digitized by Google

est à Deo præceptum. Cum hac, ut iterum dicam, specificatione vel reduplicatione. Constat primo, quia potentia, quæ est ad non acceptandum præceptum secundùm quod præceptum est potentia ad transgrediendum præceptum, & ex consequenti est potentia ad peccandum; quæ in Christo Domino non fuit, nec est in Beatis. Secundò quia quòd non sit talis potentia ad non acceptandum præceptum, secundùm quod est præceptum, specificativè sumptum secundùm quod est præceptum, patet; quia tunc esset sensus, quòd fuit potentia in Christo ad non acceptandum præceptum ratione ipsius præcepti: sicut hæc, Christus in quantum homo est creatura, specificativè sumpta facit hunc sensum, quòd Christus sit creatura ratione humanitatis; specificat enim rationem formalem termini cui adjungitur *in quantum*, vel *secundum quod* specificativè sumptum. Certum est autem, quòd non fuit potentia in Christo ad non acceptandum præceptum ratione ipsius præcepti, ut satis constat. Quòd verò nec reduplicativè sumptum verificetur, etiam patet, quia tunc sic exponitur. Christus habuit potentiam ad non acceptandum præceptum; & quia habuit præceptum, potentiam habuit ad illud non acceptandum: utraque autem ista exponens falsa est, & potissimè illa secunda causalis, ut satis est notum. Igitur ad libertatem Christi Domini salvandam in obediendo Patris præcepto, sufficit, & requiritur, quod mortem, quam absolutè poterat non velle & non acceptare, voluerit & acceptaverit, quia à Patre præcepta fuit, licet secundùm quod præcepta erat, ob suam impeccabilitatem non posset non acceptare.

166. Notandum est enim, quòd illud, quod facit, vel supponit efficax Dei motio in his quos efficaciter movet; efficiebat in voluntate Christi, & Angelorum, qui impeccabiles sunt, impositio præcepti divini: sicut ergo in his qui efficaciter moventur à Deo ad operandum, seu volendum bonum, tria ista reperiuntur. Primò quòd infallibiliter illud volunt. Secundò quòd simpliciter, & absolutè, seu in sensu diviso possunt illud non velle. Tertiò quòd non possunt conjungere seu componere cum efficaci motione dissensum: ita in Christi Domini voluntate impositio præcepti hæc tria postulabat. Primò quòd illi infallibiliter Christus Dominus obediret. Secundò quòd absolutè, & simpliciter, sive in sensu diviso posset mortem præceptam non acceptare. Tertiò quòd non posset, quia impeccabilis erat, componere, seu conjungere cum tali præcepto inobedientiam: quod est dicere quòd non poterat inobedire. Inobedire enim sensum importat compositum; quia inobedire, alicui est inobedire, ipsumque supponit in suo proprio conceptu, sicut resistere, ut ex regula tradita à Sancto Thoma nos dixisse meminimus. Primo nostro Libro part. 2. tract. 3. agentes de sensu diviso, atque composito: unde potentia ad inobediendum in sua ratione compositionem importat: qua ratione hæc propositio potest quis inobedire, ex vi terminorum composita est: & similiter hæc, posse peccare, absolutè prolata, est composita, quia sicut peccare, est dicere, facere, vel concupiscere aliquid contra legem: posse peccare, est posse facere aliquid contra legem, unde semper legem præsupponit, & cum illa componit. Sicut ergo in his qui efficaciter à Deo moventur, non consistit libertas, nec consistere potest in hoc, quod est posse componere, & conjungere dissensum cum Dei prævia efficaci motione, ut dictum & ostensum est sæpè; sed in hoc quòd ita infallibiliter faciat aliquid, ut simpliciter, & absolutè possit illud non facere seu in sensu diviso: ita libertas Christi Domini nullo modo posita fuit in hoc, nec in illo potuit consistere quòd ita infallibiliter obediret præcepto Patris, quòd illi posset inobedire, vel cum illo conjungere seu componere dissensum, & inobedientiam; sed in hoc posita substantialiter fuit, quòd infallibiliter obediendo, & volendo mortem præceptam, eandem mortem absolutè & simpliciter, seu in sensu diviso posset non velle, non acceptare: Unde ista consequentia, Christus potuit velle, & nolle mortem suppositio Patris præcepto; ergo potuit præcepto inobedire seu peccare, nulla est, quia tenet à sensu diviso ad compositum.

167. Secundo potest opponi. Supposito præcepto Christus non potuit non acceptare mortem in sensu composito, id est, non potuit, cum præcepto conjungere istum actum: nolo mortem etiam secundùm quod non est medium necessarium ad finem: ergo non habuit libertatem ad obediendum, & non obediendum etiam negativè, ut dici solet: ergo non obedivit liberè.

168. Ad hoc dicendum primò, libertatem Christi non consistere in simul componendo hæc incompossibilia, & quia poni præceptum, & non obedire etiam negativè in voluntate Christi sunt incompossibilia; quia si illa simul posset conjungere, posset & peccare; ideo nec libertas Christi consistit, aut consistere potest in illis duobus simul conjungendis: libertas ergo Christi optimè salvatur, quia absolutè & simpliciter, seu in sensu diviso cum præcepto illo optimè stat potentia ad non acceptandam mortem, licet non possit cum præcepto conjungi nolendi actus, juxta ea quæ primo libro satis diximus agentes de vera intelligentia sensus divisi, & compositi. Secundò dicendum, quòd si sermo fiat de voluntate inefficaci, quæ & velleitas dici solet, potuit Christus optimè cum præcepto de sua morte, imò cum voluntate efficaci, & absoluta, qua voluit mori ut obediret, habere inefficacem voluntatem, qua vellet non mori secundùm quod mors nociva erat naturæ, & secundùm quod ad illam naturaliter non determinabatur. In quo valdè explicatur libertas Christi acceptando mortem. Docet enim Sanctus Thomas, Christum efficaciter voluisse mortem secundùm quod à Patre præcepta erat, & secundum alias rationes superiores: & velleitate inefficaci noluisse mortem, secundum quod nociva erat corpori, vel secundum alias rationes inferiores.

169. Et per hoc patet ad aliud argumentum, quod fieri potest in hunc modum. Si Christus supposito præcepto de facto non acceptaret mortem, de facto præcepto Patris inobediret, atque peccaret: ergo si habuit potentiam absolutè ad non acceptandam mortem, habuit potentiam ad inobediendum contrariè, & ad peccandum.

170. Ad hoc dicendum primò, quòd si Christus non acceptaret de facto mortem actu absoluto, & efficaci, ex consequenti inobediret privativè & peccaret, quia cum illa efficaci nolitione mortis non potest compati actus obedientiæ ad quem tenebatur; Unde inobediens esset formaliter: at verò ex actu inefficaci non volendi mortem, ut dixi, non tollitur voluntas efficax acceptandi mortem; & ex consequenti non sequitur inobedientia privativè. Similiter non sequitur ex potentia ad non acceptandam mortem, potentia ad inobediendum privativè, seu contrariè, sive potentia ad peccandum, ut supra habitum est; quia diversæ potentiæ sunt formaliter, respectu videlicet diversorum objectorum. Quare ex positione unius non ponitur altera: Unde licet admittatur, quòd non acceptare mortem in illo casu, inferret non obedire privativè, sive cõtrariè & inferret peccatum, tamen consequentia non tenet, quòd potentia ad non acceptandam mortem sit potentia ad peccandum, vel inobediendum privativè seu contrariè: sed solùm se-

Digitized by Google

quitur, quòd talis potentia ad non acceptandam mortem sit potentia ad aliquid quod potuit Christo non præcipi. Sicut nulla est ista consequentia. Postquam Deus præscivit me hoc operaturum, si hoc ergo non operarer, falsificaretur divina præscientia: ergo si possum hoc non operari, possum falsificare divinam præscientiam. Certè consequentia non tenet, quia ego non possum falsificare divinam scientiam, nec illa ab aliquo falsificabilis est; sed solùm sequitur, quòd sicut ego possum aliud facere ut revera possum quia liberè facio: ita potuit divina præscientia aliud præscire, ut communiter dicitur. In hac igitur consequentia, voluntas Christi Domini posito Patris præcepto potuit absolutè non velle mortem acceptare: ergo potuit illi præcepto inobedire, seu peccare, fit transitus de sensu diviso ad compositum. Antecedens enim sensum divisum importat, nimirum quòd etiam supposito præcepto esset in Christo potentia libera, qua poterat si vellet, nolle mortem; quia ista potentia benè stat cum tali præcepto, ut primo Libro tractatu de sensu diviso, & composito pleniùs, & clariùs explicavimus. In consequenti verò fit sensus compositus, quia verbum *inobedire* compositionem involvit cum eo, cui inobeditur; & sic posse inobedire in suo conceptu importat posse conjungere actum inobedientiæ cum præcepto. Sicut eadem ratione, & propter eundum defectum, nulla est assignata illa consequentia posità divinâ præscientiâ quod hoc in particulari facturus sum, possum aliud facere: ergo posità divinâ præscientiâ possum eam falsificare. Antecedens namque verissimum est, & meam ostendit libertatem; consequens autem impossibile, quia verbum *falsificare* componit: Unde posse divinam scientiam falsificare, est posse conjungere cum illa actum, quo falsificatur. Argumentari autem à sensu diviso ad compositum affirmativè, est arguere à superiori ad inferius affirmativè, sivè quod dici solet, ab amplo ad non amplum quæ illatio nulla est, ut omnes sciunt. Unde arguere à negatione potentiæ sumptæ in sensu diviso, ad potentiam sumptam in sensu composito, bona est consequentia, quia tenet à negatione superioris ad negationem inferioris: sicut etiam bona erit, arguere affirmativè à sensu composito ad divisum, juxta communes regulas. Potest autem tolli ille defectus supradictæ consequentiæ, si in antecedenti ponatur verbum importans sensum compositum, dicendo v. g. Christus Dominus potuit non acceptare mortem in sensu composito, seu quod idem est, potuit conjungere cum præcepto Patris actum nolendi mortem: ergo potuit præcepto inobedire: sed tunc sicut consequens est falsum, ita & antecedens.

171. Itaque, ut uno verbo concludamus, posse inobedire, vel posse peccare, seu quod idem est, habere potentiam ad peccandum, semper ex vi terminorum est propositio faciens sensum compositum, & non divisum; quia ut in primo dictum est ex regula S. Thomæ, cum agebamus de sensu diviso, atque composito, semper præsupponit præceptum, cui debet obedire, semperque cum illo conjungit, atque componit: unde absolutè & simpliciter neganda est in Christo potentia ad peccandum, quia semper importat, quòd sit in ipso potentia ad conjungandum actum contrarium præcepto.

172. Ad illud aliud, quod solet fieri argumentum, si posito præcepto Christus nollet mortem, inobediret: ergo si potuit nolle mortem, potuit inobedire, quia sicut se habet actus ad actum, ita potentia ad potentiam. Respondetur primò ex dictis, istud axioma debere intelligi, dummodo non committatur defectus in consequenti, qui non committitur in antecedenti: modò in antecedenti, cum sermo fit de actu ad actum, semper importatur sensus compositus. In consequenti autem cum dicitur ergo si potuit nolle mortem fit divisus, & cum dicitur potuit inobedire fit compositus. Unde si, ut dictum est, in consequenti sumitur in sensu composito, erit bona consequentia, & salvabitur, quòd sicut actus ad actum compositè se habet in antecedenti, ita potentia compositè ad potentiam compositè sumptam se habet in consequenti. Aliam etiam veram intelligentiam illius axiomatis (sicut se habet actus ad actum, ita se habet potentia ad potentiam), primo nostro libro tradidimus ex Sancto Thoma quæst. 6. de electione humana ad 19. quòd nempè prodedat de actibus adæquatis, non inadæquatis.

173. Quòd si tandem in hac materia instes, quomodo potuit esse in Christo libertas respectu dilectionis Dei, & aliorum præceptorum Decalogi, quæ habebant necessariam connexionem cum fine adquem Christi voluntas naturaliter determinabatur, & ut sic, Christi voluntati per intellectum proponebantur.

174. Ad hoc rejecta aliquorum sententia asserentium Christum in illis non meruisse merito ab omnibus rejicienda, ne quid gravius de illa dicam, dicendum est, quæstionem procedere de Christi dilectione ergo Deum, quatenus dilectio viatoris quæ Christi dilectio quatenus quomodo distinguatur ab amore ipsius beatifico, sive formaliter, sive realiter parum ad præsens refert. Videantur quæ communiter à discipulis Sancti Thomæ dicuntur in materia de Incarnatione tertia parte de hac ergo Christi dilectione erga Deum, quatenus dilectio viatoris erat, dicimus primò, ipsam per scientiam infusam regulari, & ad illam sequi. Secundò Christum Dominum naturaliter esse determinatum, & absque libertate ad diligendum Deum quoad specificationem, ita quòd libertatem non habebat ad oppositum faciendum: quæ est expressa sententia S. Thomæ *in 3. dist. 18. quæst. 1. art. 2. ad 5.* cum ait. *Vel dicendum quòd etiamsi arbitrium Christi esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest*: Quia sicut Christus peccare non potuit, ita nec potuit contrarium actum elicere dilectioni Dei quod est esse determinatum ad diligendum Deum, quoad specificationem. Dicendum tertiò Christum Dominum verè habuisse indifferentiam, & ita liberum fuisse quantùm ad exercitium dilectionis Dei; quæ indifferentia illi competebat, quatenùs viator erat, quia nullus actus est absolutè necessarius quoad exercitium in via, sed solus actus beatificus secundùm Sanctum Thomam, & veritatem, est necessarius in beatis quoad exercitium. Unde istam libertatem habuit Christus ad diligendum Deum quoad exercitium; & quia ista libertas quoad exercitium sufficientissima est ad libertatem, & meritum, ideo Christus liberè, & meritoriè Deum diligebat.

175. Itaque, ut concludam, Christus Dominus cum determinatione naturali quam habebat ad bonum, quia peccare non poterat, libertatem habebebat respectu hujus, aut illius boni: quod expressè docet Sanctus Thomas *3. par. quæst. 18. art. 4. ad 3.* Rursus respectu dilectionis Dei determinatus erat naturaliter quoad specificationem, quia contrarium facere non poterat: habuit tamen respectu dilectionis Dei libertatem quoad exercitium, quæ sufficit ad libertatem, & meritum. Cæterum respectu mortis acceptandæ, vel non acceptandæ habuit etiam libertatem quoad specificationem, ut ex supradictis fit manifestum.

176. Quod si aliquis opponat, quòd tempore quo currebat præceptum ad diligendum Deum, non poterat non diligere quoad exercitium; ad hoc respondendum erit, sicut supra responsum est ad argumentum

Digitized by Google

mentum de præcepto mortis: quòd videlicet tunc in acceptando libertatem habuit; & eandem habebat: cum ex præcepto Deum diligebat tempore quo præceptum ad talem actum in exercicio obligabat; quia licet tunc non posset in sensu compositio non diligere Deum, quia fieri non poterat, ut illud præceptum esset, & ipse non diligeret; poterat tamen absolutè & simpliciter tunc non diligere, quia etiam tunc liberam ad id potentiam habebat, ut dictum est.

CAPUT XVI.

Quid sibi Christus meruit, & quid sibi mereri non potuit, explicatur.

177. DEFENSA atque explicatâ Christi Domini libertate perfecta, stabilitoque ejus excellentissimo merito: quid sibi meruerit, & quid sibi mereri non potuit, explicamus priùs sub brevitate, ut diutius liceat postea in explicandis, quæ nobis meruit, immorari, juxta tenorem assertionum quas ex recentioribus supra retulimus. Sub brevitate dixerim, quia nec institutum id assumit, sed supponit: neque de hoc aliquid dicerem, nisi novitiæ quædam sententiæ etiam de hoc publicarent.

178. Quidam enim putantes, Christi Domini humanitatem per propriam existentiam extitisse quâ singularis præintelligitur & individua & ante unionem ad verbum, affirmant in illa sic intellecta præexistere in illo priori rationis signo potuisse esse operationem, & operationem meritoriam de potentia Dei absoluta, qua mereri potuit suam unionem ad verbum. Alij verò illud primum de ejus propria existentia admittentes, negant tamen etiam de potentia Dei absoluta talem Christi humanitatem pro illo priori signo rationis potuisse mereri. Qui authores præterea dicunt, non esse contra fidem asserere quod humanitatis Christi in illo priori signo rationis meruerit unionem ad verbum; & ex consequenti essentialem gloriam animæ suæ. Loquens autem Suares non de humanitate Christi, sed de ipso Christo asserit quod de potentia Dei absoluta valde probabile est, quòd Christus potuerit mereri suam incarnationem, Insuper ultimò affirmat probabile esse, quòd Christus de facto meruerit essentialem gloriam animę suæ.

179. Quia autem istæ sententiæ novæ sunt & falsæ. Ideò pro ipsarum confutatione dicendum primò, sed breviter, quia ad longum ista confutare non vacat. Sententia quæ dicit Christi Domini humanitatem per propriam exitisse existentiam in illo priori rationis signo ante unionem ad verbum, non solum est contra expressam S. Thomæ sententiam *3. par. quæst. 17. art. 2.* Verùm & parùm digna est sacro Incarnationis Mysterio, nec admodum consentana modo loquendi Conciliorum, ac Sanctorum Patrum. Veritas ista diffusè comprobatur à S. Thomæ discipulis tertia parte loco citato, potissimè à Magistro fratre Ioanne Vincent. relectione de gratia Christi quæst. 6. unde quia ab eo in hac parte occupata sunt meliora, illa repetere non oportet, sed ad illa considerandа lectorem invitare.

180. Dicendum secundò de potentia Dei absoluta potuit Christi humanitas de congruo mereri unionem ad verbum. Patet, quia potuit Deus ex potentia sua humanitatem illam in sua propria creata persona creando constituere, & illi dare supernaturalia gratiæ dona, quibus mereretur, ut tali ablata propria personalitate humanitas illa verbo uniretur in persona. Certè in hoc nulla aperta involuitur contradictio, ut id divinæ potentiæ denegemus.

181. Dicendum tertiò semel per possibile, vel impossibile admisso, quòd Christi Domini humanitas in illo priori rationis signo ante unionem cum verbo potuerit existere aut existeri de facto propria existentia potuit secundùm Dei absolutam potentiam mereri de congruo ut diximus, unionem ad verbum, quidquid ille modernus author affirmet. Ita dicendum videtur cum Caïetano super illum locum ex S. Thoma citatum ex tertia parte. Patet, quia tota repugnantia in hoc videtur sita, quòd humanitas absque suppositо, & persona existat; hoc verò semel admisso non apparet repugnantia, ut Deus ex sua omnipotentia humanitatem sic existentem faciat operari, & meritoriè operari. Quamvis enim secundum ordinariam potentiam natura non operetur, sed suppositum per illam; tamen si semel natura sine suppositо constituatur existere, ex Dei omnipotentia poterit optimè operari.

182. Dicendum quartò, de fide est, quòd de facto humanitas Christi nullo modo in aliquo priori meruit unionem ad verbum: hæc etiam est contra modernum illum citatum authorem. Cæterum probata jam satis à nobis relinquitur ex dictis supra, ubi & rationes illius authoris solvimus, & quomodo contra Sanctum Patrem Augustinum apertè loquatur ostendimus. Et per hoc concludimus modò relatis quæ meritum aliquod sine de potentia absoluta, sive de facto constituebant in Christi humanitate pro illo rationis signo ante unionem ad verbum.

CAPUT XVII.

Quòd Christus, etiam de potentia Dei absoluta suam Incarnationem mereri non potuit.

183. CIRCA id quod supra relatæ sententiæ de Christi merito tangunt, dicendū est primò implicatio est manifesta, quòd Christus Dominus mereri potuerit suam Incarnationē etiam de potētia Dei absoluta. Veritas ista quantùm ad hoc, quod Christus nō potuerit mereri suam Incarnationem evidentissima est. Quia evidens contradictio, si aliud dicatur, involvitur, ut etiam recentiores citati fatentur. Quia tamen dicunt, potuisse Christum de potentia absoluta Incarnationem mereri per opera subsequentia ipsam Incarnationem, ita ut ex ipsorum subsequentium operum prævisis meritis fieret ipsa Incarnatio: ideò, quod etiam hoc sit penitus impossibile duplici ratione manifestatur, ab aliis plurimis ad præsens abstinendo. Prima est tale meritum essentialiter est modis omnibus Incarnationis effectus, nec aliud intelligi potest qualibet licentiâ imaginandi concessâ: ergo necesse est, quòd à Deo prævideretur ut Incarnationis effectus: ergo impossibile fuit, quod fuerit tale meritum quòd vel à Deo prævideretur ratio, vel causa ob quam fieret talis Incarnatio: impossibile ergo fuit, quòd prævideretur à Deo ut meritum quo Christus Incarnationem suam. Primum antecedens constat ex terminis, & omnes consequentiæ tenent. Quia impossibile est omnino quòd id, quod essentialiter & modis omnibus est effectus alicujus causæ sit, vel prævideatur ut causa, vel ratio ob quam sit sua propria causa, quia jam idem respectu ejusdem, & secundum idem esset effectus & causa: quo nihil impossibilius potest imaginari.

184. Vident quidem recentiores, effectum prædestinationis non posse esse causam, vel rationem illius; nec effectum Incarnationis causam, vel rationem posse esse ipsius Incarnationis: unde sicut dicunt, bonum usum arbitrij utentis benè auxiliis gratiæ non esse effectum prædestinationis, ut supra agentes de prædestinatione ex ipsis ostendentes: ita dicunt, bo-

Digitized by Google

num usum prævisum in anima Christi non esse effectum Incarnationis, sed esse id, quod Deus requirebat in anima Christi, ut sic assumeretur à verbo. Et hoc est, quod Molina consultò dixit, animam Christi electam fuisse præ alijs ad dignitatem unionis cum verbo, quia prævidebatur benè usura arbitrio, si assumeretur: in quo jam talem bonum usum, & meritum secundum pietatem constituunt in anima Christi, & non tanquam effectum Incarnationis. Cæterùm licet isti authores possint utrunque imaginari, bonum usum arbitrij effectum non esse prædestinationis nec à Deo prædestinatum sed ex homine haberi, ut causam vel rationem ex parte hominis assignent prædestinationis: fingi tamen non potest, quod bonus usus animæ Christi non sit effectus ipsius Iucarnationis Christi, & effectus personæ Verbi Incarnati: sicut in quolibet alio homine fingi non potest, quod bonus usus arbitrij non sit effectus præsupponens ejus creationem, & generationem. Unde impossibile omnino redditur, quod bonus usus præscitus animæ Christi non sit effectus Incarnationis ipsius; & ex consequenti non potest à Deo prævideri ut ratio, vel causa meritoria antecedens ipsam Incarnationem.

185. Confirmatur & explicatur, & sit ratio secunda. Aperta repugnantia est, quod primum principium meriti sub merito cadat; sed Incarnatio Christi est primum principium omnis meriti ipsius Christi: ergo talem Incarnationem sub merito Christi cadere est aperta repugnantia. Minor est manifesta, quia in merito Christi intelligi non potest aliquod aliud primum merendi principium ante Christum ipsum, & ante ipsius Incarnationem. Video prædictos Recentiores apertè concedere non esse impossibile de potentia absoluta Dei quod primum meriti principiũ sub merito cadat: ita enim dicit prædictus modernus citatus ubi supra; unde & consequenter admittit, quod ipsa creatio, existentia ipsa, & ipsum primum gratiæ auxilium sub merito cadere possunt ex Dei omnipotentia; licet ipsa vel sint primum merendi principium, vel ad ipsum primum principium meriti præsupponantur.

186. Cæterùm quàm aperta sit ista repugnantia; & contradictio, sic ostendo. Id quod est primum merendi principium est causa meriti: ergo est ante ipsum meritum: id autem, quod sub merito cadit, essentialiter est terminus meriti, & essentialiter est post ipsum meritum, ut constat ex terminis: ergo si primum principium meriti cadit sub merito, idem secundum idem, & respectu ejusdem est causa & effectus, principium & principiatum, prius & posterius: quod est aperta contradictio. Roboratur magis præcedens ratio circa meritum quod fingitur in Christo Domino respectu Incarnationis suæ. Incarnatio Christi fuit causa efficiens meritorum ipsius: ergo merita Christi non potuerunt illam promereri. Patet consequentia, quia aliàs merita fuissent causæ efficientes Incarnationem ipsam: qui enim meretur, efficienter meretur ut sibi præmium detur: & ex consequenti ipsa Christi Incarnatio in eodem genere efficientis causæ esset causa & effectus suorum meritorum: quod implicat.

187. Nec valet dicere, Incarnationem fuisse causam efficientem physicam meritorum; & merita ipsa fuisse causam efficientem moralem Incarnationis: nec esse inconveniens secundùm has duas rationes idem respectu ejusdem esse effectum, & causam. Non inquam valet sic dicere; quia Incarnatio Christi non solùm in genere physico sed morali etiam fuit meritorum suorum causa: unde merita ipsa nec in genere physico, nec morali potuerunt prævideri ut causa, vel ratio Incarnationis Christi.

CAPUT XVIII.

Benè Christus de absoluta Dei potentia mereri potuit, sed non de facto meruit gratiam, & gloriam animæ suæ.

188. NON est dubium, potuisse Christum de potentia Dei absoluta gratiam, & gloriam animæ suæ promereri, etiam de condigno. Patet, quia potuit verbum naturam humanam sine peccato, & sine omni gratia, & gloria assumere: ergo tunc potuit illam de condigno mereri per gratiam unionis, quæ in ipso erat primum & perfectissimum merendi principium, respectu cujus quælibet alia gratia non principium esset merendi sed terminus. Quia per unionis gratiam esset tunc Christus & illius humanitas Sancta, & Deo infinitè grata: quod modò suppono. Dupliciter autem hoc posset contingere. Primò ita quòd assumeret naturam Christus cum cognitione aliqua supernaturali ex parte intellectus sive fidei, sive luminis Prophetici, sive scientiæ infusæ: in quo casu difficile non est intelligere, quòd Christus & gratiam nondum habitam, & gloriam posset mereri. Secundò assumendo verbum, *sicut ex* sua potentia poterat, naturam humanam *in naturalibus puris*, & etiam absque omni *supernaturali dono*, vel cognitione: in quo casu per *operationes in substantia* & in specie naturales, quales illæ essent, posset & gratiam, & gloriam mereri; quia operationes illæ quantùm ad modum induerent supernaturalitatem, & ex parte principij essent Deo infinitè gratæ: Unde optimè gratiam, & gloriam possent mereri: Quod alterius negotij est disputare.

189. Dicendum est secundò de facto non meruit Christus nec infusionem gratiæ, nec essentialem animæ suæ gloriam: nec oppositum est aliqua ratione probabile, quidquid ille modernus author affirmet. Communis est ista sententia inter graves antiquosque Theologos. Videantur in tertio sent. dist. 18. & Sancti Thomæ discipuli 3. par. quæst. 19. Joann. Vincent. relectione citata quæst. 5. concluſ. 2. Imò author ille, qui contrariam probabilem reputat, tales pro hac rationes format, quasi si attendat, alterius impossibilitatem manifestant.

190. Dicendum ultimò, supposita veritate quòd in instanti Incarnationis anima Christi & gratiam habuit & gloriam, & supposito quod illi debitæ erant connaturalitatis jure, non videtur fuisse possibile per quamlibet potentiam, quòd illa mereri potuerit. Ita sentio cum quibusdam gravissimis Sancti Thomæ discipulis contra modernum illum Authorem citatum. Quia videtur sine dubio Sancti Thomæ sententia *3. par. quæst. 19. art. 3.* ex cujus tantùm fundamentali ratione forsitan perfectè intellecta concluſio probanda est, aliis rationibus, quæ multiplicantur, sed non plenè satisfaciunt, omissis. Ratio talis est. Christus in nullo instanti caruit gratia, & gloria, ut est certissimum: ergo nulla ratione hoc supposito illas potuit mereri. Consequentiam probat, quia ut Christus posset mereri gratiam, & gloriam, necesse esset quod illis aliquando caruisset. Hæc ratio à Recentioribus non recipitur. Dicunt enim procedere de facto, non de Dei extraordinaria potentia, quia non reputaret impossibile, quòd simul in eodem instanti sit meritum, & præmium, ut patet de merente charitatis argumentum. Cæterùm ratio Sancti Thomæ etiam de potentia extraordinaria procedit. Reputat enim impossibile, quòd Christus potuerit illa mereri si nunquam illis caruit. Cujus rationis vis non debet fundari in incompossibilitate quam habeat meritum ut

sic

Digitized by Google

sic cum præmio ut sic. Manifestum est enim in Sancti Thomæ sententia, quòd in eodem temporis instanti est meritum augumenti gratiæ, & augumentum ipsum, quod est ejus præmium. Sed procedit efficacia rationis ex incompossibilitate quæ est inter meritum Christi respectu gloriæ habitæ in eodem instanti. Si enim Christus meruit gloriam: ergo saltem priùs naturâ debuit tale meritum præcedere præmium: ergo in illo naturæ instanti Christus debuit habere cognitionem, quæ requiritur necessariò ad meritum: Talis autem cognitio, cum antecederet visionem beatam & gloriam, deberet esse obscura necessariò. Rursùs in eodem instanti habuit gloriam & claram visionem, ut supponitur in casu: ergo simul in eodem instanti esset in anima Christi obscura, & clara cognitio Dei: & sic esset videns Deum, & non videns, quod est impossibile.

191. Sed dicunt aliqui, hanc rationem probare, vires que habere, si illa cognitio haberetur per fidem, non autem si illa cognitio haberetur per scientiam infusam, sicut de facto tunc haberetur.

192. Sed contra hoc, idem instat argumentum, si penetretur. Quia S. Thomas præsupponit in illa sua ratione id, quod ipse præmiserat *3. par. quæst.* 11. *art.* 1. Quod & verissimum est, quòd scientia infusa non est clara cognitio divinæ essentiæ, nec aliorum mysteriorum fidei ex sua intrinseca natura, sed talem claritatem præsupponit ex scientia beata, ad quam consequitur, sed in illo casu scientia infusa ipsam beatam scientiam antecederet, supponitur: ergo per illam cognosceret obscurè anima Christi divinam essentiam; & sic idem quod priùs. Haberet enim anima Christi simul obscuram, & claram Dei cognitionem: quod implicat. Et idem argumentum à fortiori currit, si ut diximus, per cognitionem tantùm naturalem anima Christi mereretur: quod fuisse possibile de potentia Dei absoluta, diximus supra. Quia illa merè naturalis cognitio magis obscura esset Dei cognitio. Hæc videtur mens, & fundamentalis ratio S. Thomæ in illa quæst. 19. articulo citato, quæ revera efficacissima est, & per illam ad omnia, quæ modernus ille author contra multiplicat, respondetur: non enim ob alias impossibilitates, quas ipse ibi impugnat sed propter istam quæ modo fuit declarata, videtur S. Thomæ ratio procedere secundùm potentiam quamlibet.

193. Sed & aliâ viâ probari potest præcedens conclusio etiam ad mentem Sancti Thomæ. Gratia, & gloria animæ Christi debita fuit ipsi Christo connaturaliter debito, ad modum cujusdam connaturalis ejus proprietatis, connaturalem habens connexionem cum hypostatica unione: ergo immediatè sequuta fuit ad gratiam unionis: ergo hoc supposito non potuit præcedere etiam prioritate naturæ aliqua libera operatio ipsam promerens. Et idem argumentum fit de gloria animæ, quæ fuit prima operatio connaturaliter, & ex debito sequuta ad hypostaticam unionem; & ex consequenti non potuit præcedere ante ipsam, etiam rationis ordine, alia libera operatio à qua penderet. Antecedens est expressa S. Thomæ sententia *3. par. quæst. 6. art. 6.* Et *quæst. 7. art.* 1. Et *in 3. dist.* 13. *per totam.* Et sine dubio est receptissima sententia ab omnibus ferè Theologis in illa distinctione 13. Consequentia autem probatur. Quia si inter animam hypostaticè Deo unitam, & ejus gratiam, & essentialem gloriam aliqua libera operatio media esset, quæ utramque illam mereretur: ergo jam nec gratia, nec animæ gloria connaturalis fuit Christo, & necessaria sed ab ejus libertate procedens: isti enim modi connaturalitatis debitæ, & libertatis opponuntur: ergo supposito, quòd illa connaturalia fuere secundùm veritatem, & Sancti Thomæ sententiam in Christo Domino, impossibile videtur, quòd illa meruerit. Et sic consonat in omnibus S. Thomæ doctrina, tum ex illa quæst. 6. 3. partis, tum ex quæst. 19. art. 2. citato. Quia enim quæstione illa 6. illud debitum connaturalitatis constituit, postea quæstione 19. Liberum meritum negavit, supposito quod in illo instanti illam habuit connaturalitatis jure.

194. Sed dices. Quomodo ista stare possunt cum his quæ docet Sanctus Thomas. *3. par. quæst. 34. art.* 3. Ubi planè dicit Christi animam sanctificatam fuisse sanctificatione adultorum, scilicet per liberum suæ voluntatis arbitrium. Si ergo sic fuit sanctificatus Christus, procul dubio, præcessit saltem naturæ prioritate libera operatio, qua se dispposuit ad illam; quæ proinde, & gratiæ posset esse meritoria, quia jam supponeret priorem gratiam unionis, quæ habitualem potuit mereri.

195. Sed ad illud respondetur, Sanctum Thomam in illa *quæst. 34. art.* 3. non dicere Christum fuisse sanctificatum sanctificatione adultorum quantùm ad hoc, quòd per proprium actum liberum se disposuerit ad suam sanctificationem, sed tantùm dicit, quòd in illo instanti justificationis habuit actum liberum, sicut dispositionem concomitantem suam sanctificationem, non antecedentem illam in aliquo genere causæ: & in hoc Christi sanctificatio dicitur fuisse adultorum, quia obtinet adultorum perfectionem: & ista videtur sententia Sancti Thomæ prædicto loco, ut etiam ejus discipuli notare solent.

CAPUT XIX.

Quid sibi Christus de facto meruit.

196. EXPEDITIS his, quæ Christus sibi non meruit: quæ sibi de facto meruit tangendo solùm aperiamus, ab aliis enim ista diffusè tractantur. Dicendum est ergo primò. Christus verè & propriè sui Corporis immortalitatem, & gloriam promeruit. Hanc reputo ad fidem pertinere. Vide quæ circa illam dicuntur à Sancti Thomæ discipulis *3. par. quæst.* 19. & à Fratre Joanne Vincentio, citata quæst. 9. conclusione 2. Exquo tamen non licet inferre, quòd meruerit Christus naturalem humanitatis suæ vitam, vel ejus conservationem. Quia naturalis vita corporis, & animæ ejus erat aliquid pertinens ad ordinem naturæ, non gratiæ: unde præsupponebatur ad gratiam, & meritum, nec sub merito cadebat. Cæterum reparatio vitæ Christi per Resurrectionem bonum naturale non fuit, sed supernaturale simpliciter; nec præsupponebatur ad merita Christi, sed fuit omnibus meritis posterius; quare rationem præmij potuit habere, & de facto habuit respectu meritorum ipsius.

197. Dicendum secundò Christus non meruit directè, & per se primo remotionem alicujus impedimenti, ut opinatur Scotus, sed primò & directè meruit ipsam sui corporis gloriam. Probatur: tum quia gloria animæ Christi nullo extrinseco impedimento detinebatur, ne redundaret in corpus, ut Christus primò, illud removeri, mereretur, Secundò quia id gratis concesso, meritum tendit directè, & per se primò ad præmium sibi proportionatum, quale erat corporis gloria, non autem ad tollendum impedimentum: sed hoc ex consequenti meretur: sicut qui meretur alicujus captivi libertatem, primò meretur; ablationem autem vinculorum, & impedimentum ex consequenti.

198. Dicendum tertiò non solum meruit Christus Dominus gloriam sui nominis claritatem, &

Digitized by Google

exaltationem, quam post mortem fuit assequutus, ut aperta fides docet, & clara Scripturæ testimonia confirmant, potissimè illud celebre ad Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum, &c.* Sed etiam meruit illum omnem honorem, omnemque suæ dignitatis manifestationem quam in vita mortali fuit assequutus sive talem honorem acceperit immediatè à Deo sive ab Angelis, sive ab hominibus, sive à qualibet alia creatura: unde meruit testimonium, quod de ipso salvatore recenter nato Angeli reddiderunt, Pastorum in præsepio visitationem, Orientalium Regum adorationem, ipsum æterni sui Patris testimonium quo in Jordane, & monte Tabor ipsum Filium dilectum prædicavit: & alia hujusmodi quæ longum esset recensere.

199. Dicendum ultimò, quòd Christus meruit regiam dignitatem, supremi capitis authoritatem, summum Sacerdotium, ac potestatem etiam judiciariam, & denique meruit omnem perfectionem & excellentiam spiritualem, & temporalem, quæ Christo potuit competere, exceptis tantùm gratia unionis, gratia habituali, essentiali animæ gloria & virtutibus, ac donis aliis infusis, quæ jure connaturalitatis, ut diximus, ad hypostaticam unionem consequebantur, & quæ habuit in eodem suæ Incarnationis instanti, propter quam utramque rationem sub merito cadere non potuerint, potissimè de potentia ordinaria, ut sermo prosens præcedit, imò de absoluta, ut diximus supra.

200. Et hoc sufficiat de illa quadragesima assertione recentiorum, qua dicebant animam Christi ob bonum usum prævisum fuisse assumptam à verbo: cujus occasione agimus de his, quæ Christus sibi potuit mereri, & de his quæ mereri sibi non potuit: nunc ergo quæ, nobis meruerit, explicamus, circa quadragesimam primam, & quadragesimam secundam assertiones recentiorum relatas supra lib. 1. par. 1. tract. 6. cap. 18. quæ de merito Christi in ordine ad nos directè procedunt.

CAPUT XX.

Meruit nobis Christus omnem nostræ prædestinationis effectum.

201. QUADRAGESIMAM primam & secundam recentiorum assertionem *supra 1. lib. par. 1. tract. 6. cap. 14.* Assertiones recentiorum, quas à principio hujus Tractatus de prædestinatione Christi Domini retulimus, & utraque modò venit examinãda, cum de merito Christi Domini respectu nostrę prædestinationis procedant. Sic enim habet 41. ipsorũ assertio, *Christus per sua merita non fuit causa prædestinationis nostræ quoad integrum illius effectum, quatenus comprehendit non solùm dona supernaturalia, sed etiam naturalia qualia sunt, nactum esse complexionem ad virtutem propensam, natum potiùs esse sub gratia atque inter Christianos eosque benè morigeratos, quàm in alio tempore, aut inter reprobos educatum:* Ita Molina (cujus doctrinam alij defensarunt) habet concordia *quæst. 23. art. 4. & 3. disput. 2. §. sit nihilominùs.* Quadragesima verò secunda assertio ita proponit. *Christus per sua merita non fuit causa prædestinationis nostræ quoad integrum supernaturalem effectum ejusdem prædestinationis: quoniam non fuit causa Incarnationis per quam effectum est, ut ipse simul esset homo & Deus.* Et post pauca. *Cum ergo inter effectus supernaturales nostræ prædestinationis primum locum teneat Christi Domini Incarnatio, merita, & Passio ipsius à quibus, aly supernaturales effectus originem habuerunt, fit ut Christus per sua merita integri supernaturalis effectus nostræ prædestinationis causa non fuerit.* Ita idem Molina in concordia *quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 2. §. 3. conc.* illum sequitur Greg. de Valentia 1. *par. quæst. 23. puncto 4. §. 6. certum est.* A quibus tamen recedit Gabr. Vasquez 1. *par. quæst. 23. disput 93. & 94.*

202. Circa examen utriusque assertionis satis lata se offert materia ad disputandum de his omnibus, quæ nobis Christus promeruit: quod tamen præsens superat institutũ: unde illa tantum sub brevitate percurrã, quæ in utraque assertione tanguntur. Et primò juxta tenorẽ 41. assertionis, an aliqua bona naturalia sint effectus prædestinationis nostræ & quæ illa sint, & dato aliqua esse nostræ prædestinationis effectus; an Christus Dominus illa nobis meruerit. Juxta tenorem verò 42. illud primò expendemus, an Christi Domini Incarnatio & Passio dici possint effectus prędestinationis nostræ. Secundò an absolutè à Theologis sit concedendum, quòd meruerit Christus nobis omnem supernaturalem effectum prædestinationis nostræ. Tertiò & ultimò, an Christus Dominus causa meritoria fuerit, non solùm totius effectus nostræ prædestinationis, sed etiam ipsius divinæ prædestinationis, dilectionis, & electionis, qua Deus nos prędestinavit, dilexit, atque elegit.

203. Quoad primum, sublatis de *medio quæstionibus*, quæ à commentatoribus *agitari solent 1. p. quæst. 23.* quæ apud eosdem *ibi videantur: breviter* dicendum est primo semel *admisso, aliqua* bona naturalia esse nostræ *prædestinationis* effectus, qui id admiserit, fateri tenetur illa naturalia bona secundùm quod sunt effectus nostræ prædestinationis, nobis Christum Dominum meruisse: unde malè audit author relatus illius 41. *assertionis* cum his, qui illum sequuntur; qui cum ex una *parte* admittat relata bona naturalia in *illa sua assertione* esse *effectus* prædestinationis nostræ, ex alia negat, illa nobis Christum meruisse, secundùm quod sunt effectus nostræ prædestinationis, affirmans non meruisse proinde Christum omnem effectum prædestinationis nostræ. Veritas ista communi consensu à Theologis recipitur, qui asserunt Christum causam esse meritoriam nostræ prædestinationis, quia causa est omnium effectuum prædestinationis nostræ; & ratio est manifesta quia cum prædestinatio secundùm S. P. Augustinum & veritatem sit præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur: si Christus non est causa omnium illorum beneficiorum Dei quibus certissimè liberantur prædestinati, procul dubio nec erit causa prædestinationis eorum. Etenim non est præparatio aliquorum tantùm beneficiorum, quibus certissimè liberantur homines, sed omnium simul talium beneficiorum præparatio est: ergo si Christus non est causa meritoria omnium simul beneficiorum, quibus certissimè liberantur homines, sed aliquorum tantùm, ipse non est causa meritoria prædestinationis hominum: hoc autem dici non potest, quia Concilia, & potissimè Tridentinum dicit Christum causam meritoriam nostræ prædestinationis esse. Præterea ille effectus prædestinationis qui secluditur à meritis Christi, est aliquid in nobis conducens ad vitam æternam; effectus enim prædestinationis in vitam æternam nos conducunt: ergo est ex Christi Domini meritis. Patet consequentia, quia omne nobis datum conducens ad vitam æternam nonnisi ex Christi meritis datur nobis. Tandem meruit Christus nobis, ut infra dicemus, quòd Deus nos prædestinarit, quòd nos dilexerit, & elegerit: ergo multò magis nobis meruit omnem in universum effectum prædestinationis nostræ. Unde admittere in

nobis

Digitized by Google

nobis aliquid, quod sit nostræ prædestinationis effectus, & illud in nobis poni, seu dari nobis sine meritis Christi, est aliquid admittere, quod valdè derogat meritis Christi.

204. Secundò dicendum, ea quæ ad naturalem hominis constitutionem spectant, & naturalem complexionem, seù temperamentum, qualia sunt creatio, naturalis hominis generatio, quod homo habeat hunc, vel illum intellectum, & voluntatem, hanc, vel illam corporis complexionem, quæ naturaliter ex parte subjecti præsupponuntur ad prædestinationem, non sunt effectus prædestinationis, nec habentur ex meritis Christi, si ad donum pertinent creationis. Veritas ista necdum est contra Authorem illius Assertionis 41. jam relatæ, verùm & contra Franc. Suarez qui *lib. 3. de prædestinationis effectibus cap. 7. in 1. parte* censet donum creationis in omnibus prædestinatis esse prædestinationis effectum non quidem secundum se, sed quatenus primum jacet fundamentum prædestinationis & electionis eorum. Probatur veritas ista ex S.P. Augustino *sermone 11. de verbis Domini libro de natura, & gratia cap. 11.* Et *epistola 105.* ac in plurimis aliis locis, quibus hoc Pelagianorum effugium, quo dicebant gratiam sine meritis nostris dari, quia erat gratia creationis, quæ sine meritis datur præcludit: potissimè epist. citata sic ait. *Abjiciatur à Christianorum cordibus ista fallacia: nam omninò non istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus, ut homines essemus; sed qua justificati sumus, ut homines justi essemus. Ista est enim gratia per Jesum Christum Dominum nostrum. Etenim Christus non pro justis ut homines conderentur, sed pro impijs mortuus est, ut justificarentur.* Ubi etiam adverte in aliquibus codicibus mendosè legi. *Etenim Christus non pro nullis &c.* In quo loco dicit, gratiam Christi, quam commendat Apostolus, non esse gratiam creationis, quantum sine dubio Apostolus commendaret, si ipsa esset effectus prædestinationis nostræ; quæ proinde gratia Christi esset ex ejus meritis habita. Rursus hanc nequaquàm expressè tradit, quòd Christus non est mortuus pro justis, ut essent; & tamen si creari, & habere esse per creationem, esset aliqua ratione prædestinationis effectus, etiam Christus mortuus erit pro justis, ut essent.

205. Deinde si donum creationis esset aliqua ratione prædestinationis effectus, primus deberet esse, & fundamentum cæterorum: ergo Pelagiani, & Semipelagiani, qui dicebant hujus non dari verè meritum ex parte nostra, etiamsi assererent, ut asserebant, dari causam primæ vocationis gratuitæ ad justificationem, non cogerentur concedere dari causam prædestinationis. Patet, consequentia, quia ut ex parte nostra detur causa prædestinationis, debet dari causa primi effectus illius: quod si prioris effectus causa non detur, etiàsi alterius concedatur, nos non possumus dici causa nostræ prædestinationis. Certũ est enim quòd aliquorũ effectuũ prædestinationis aliquo modo causa sumus; sed quia primi effectus nõ possumus esse causa, nec possumus causa esse nostræ prædestinationis. Unde si donũ creationis esset primus effectus nostræ prædestinationis, Pelagiani recurrentes ad ipsum, & asserentes hujus primi effectus prædestinationis causam ex parte nostra non dari, sed cæterorum, non possent convinci per S. Augustinum, & alios Patres, quod ex parte nostra causam ponerent prædestinationis. In hoc ipso pariter convictum est per Sanctos Patres, donum creationis non esse primum effectum, seù primum fundamentum nostræ prædestinationis, ut Franciscus Suarez tenet. Quinque enim Episcopi, inter quos Augustinus, epistolà ad Innocentium inter Augustinianas anno 95. Sic statuunt contra Pelagianos *etsi enim quadam non improbãda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus..... quia non precedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est. Alia est tamen, qua prædestinati vocamur, justificamur, & glorificamur.* Quibus Patres donum creationis sub prædestinatione minimè comprehensum esse voluerunt: quod minimè fecissent, si putarent illud effectum esse prædestinationis.

206. Probatur secundò priùs in genere causæ materialis Deus voluit condere homines, & Angelos, quàm Christum prædestinare: supponuntur ergo in illo priori homines, & Angeli creati ante Christi Domini prædestinationem: ergo cum prædestinatio hominum & Angelorum præsupponat illorum esse, & illa fuerit ordinata post prædestinationem Christi, nullo modo illorum creatio est effectus prædestinationis, nisi velint dicere, effectum aliquo modo, seù aliqua ratione esse ante causam suam, potissimè efficientem. Tandem Christus Dominus venit ad reparandum, & reficiendum genus humanum: qui autem reparat, & reficit, procul dubio jam factum supponit, quod reparat. Illud itaque, quod ex parte subjecti supponitur ad prædestinationem, effectus illius esse non potest: & sic sunt creatio, bona complexio, quæ ad hominis pertinent consistentiam.

207. Dicendum tertiò etiam creatio illorum, qui precibus, & orationibus à Deo impetrati sunt, non est effectus prædestinationis ipsorum. Hæc est contra Gabr. Vasq. *1. p. disput. 93. cap. ult.* Probatur Christus Dominus fuit prædestinatus ex prævisione peccati originalis non in confuso, sed distinctè prævisi & diffusi in omnes homines, qui ex Adam viá seminis in mundo nati sunt: nam prævisio peccati originalis in confuso in Deo ponenda non est: ergo etiam illi, qui ex precibus nati sunt, prævidebantur cum originali ante Christum prædestinatum, ut etiam distinctè, & non in confuso in illorum remedium Christus prædestinaretur: ergo à fortiori ante prædestinatum Christum creati prævidebantur: ergo ex precibus seu orationibus non est obtentum, ut Deus eos vellet creare: Patet ultima consequentia, quia illæ orationes, & preces ex meritis Christi id obtinerent; unde supponerent Christum prædestinatum ante illorum creationem: unde jam illorum creatio præsupponeret Christum prædestinatum; & sic illorum creatio & prævisio cum originali non præsupponeretur ad Christi prædestinationem, ut probatum est.

208. Illi ergo, qui in Scriptura traduntur nati ex precibus, & orationibus parentum, non sunt ex precibus illis primò à Deo creati: nec enim Deus omnium primò propter parentum orationes eos creare voluit: sed ad hunc sensum precibus obtenti sunt, quia videlicet cum Deus eos creare decrevit, simul præordinavit ut per talia media orationes nimirùm parentum, eorum jam decreta creatio impleretur in tempore, & executioni mandaretur: sicut supra diximus, docere S. Thomam aliquorum electionem & prædestinationem à Deo factam, ordinasse Deum per aliorum orationes esse implendam. Nec S. Thomas *1. par. quæst. 23. art. 8. argumento sed contra* asserit, ut quidam prætendunt, quòd Jacob creatus à Deo non sit, nisi ex orationibus Isaac Patris sui: quia in corpore illius articuli expressè docet, quòd prædestinatio quoad præordinationem divinam nullo modo juvatur precibus Sanctorum, sed solùm quoad ejus effectum: multò ergo minùs juvatur precibus Sanctorum, vel obtinetur creatio hominis, quæ est fundamentum illius præordinationis divinæ, quæ non juvatur precibus Sanctorum secundum apertam S. Thomæ sententiam: argumentum ergo illud in sed contra contrarium literæ articuli nullo modo est: Imò docet impetrasse Isaac à Deo per orationes, quòd jam decreta ejus creatio illo modo, id est, per orationes

suas

Digitized by Google

ſuas executioni mandaretur, & in tempore impleretur.

209. Quartò dicendum, aliqua eſſe bona in ſubſtantia naturalia, quæ quamvis ſecundùm ſe non ſint effectus prædeſtinationis, tamen ſecundùm quòd à Deo ordinantur, & conferunt ad ſalutem prædeſtinatorum, effectus ſunt prædeſtinationis ipſorum: & ſub hac ratione ſine dubio cadunt ſub merito Chriſti & quòd ſic conferrent ad ſalutem nobis Chriſtus promeruit v. g. quòd puer tali tempore & occaſione naſcatur & reperiatur fons & ſtatim adſint qui ipſum baptiſent, antequam moriatur; effectus eſt prædeſtinationis illius: patet enim hæc omnia eſſe occaſiones ſalutis illius: unde nativitas in tali tempore & occaſione eſt effectus prædeſtinationis ejus: & ob Chriſti Domini merita obtinetur, ut tali tempore & occaſione naſcatur. Quis enim neget mori in tali tempore, loco, & occaſione naturale eſſe! Quis etiam neget mori tali loco, tempore & occaſione à Deo ordinari in ſalutem illius hominis! Igitur talis mors ſecundùm quod ordinatur à Deo ad ſalutem illius ſub merito cadit Chriſti Domini, ſicut medium conducens ad ſalutem. Idem dicendum de bona educatione illorum ſivè à parentibus ſive ab aliis ſit, quæ efficaciter conducit ad juſtificationem ſeu perſeverantiam in bono. Talis enim bona educatio in illis effectus eſt prædeſtinationis eorum, & per merita Chriſti Domini illis conceditur pariqùe ratione natum eſſe potius ſub parentibus fidelibus, & morigeratis, quàm ſub parentibus infidelibus, licet ſecundum ſe effectus prædeſtinationis non ſit, cum plurimis reprobis id conveniat; tamen prout prædeſtinatis conducit ad eorum ſalutem, id effectus eſt prædeſtinationis ipſorum, & illis propter Chriſti Domini meritum conceſſum fuit. Unde cum Author illius 1. Aſſertionis fateatur, & quidem rectè, iſta eſſe prædeſtinationis effectus nulla ratione potuit illa à merito Chriſti Domini excludere.

210. Circa bonam indolem, aut ea, quæ ſimul cum relatis ille author effectus prædeſtionis enumerat dicendum quintò bonam indolem ſeu inclinationem & propenſionem ad virtutem non eſſe effectum prædeſtinationis, nec ex gratia Chriſti hominibus donari, ſed pertinere ad gratiam creationis, de qua dictum eſt. Probatur, quia ſi bona indoles eſſet prædeſtinationis effectus: ergo ipſa eſſet cauſa ſeu occaſio aliorum donorum, quæ nobis ex gratia Chriſti tribuuntur; quia quilibet effectus prædeſtinationis connexionem habet cum aliis effectibus prædeſtinationis: at bonam indolem non eſſe cauſam, vel occaſionem, ob quam Deus conferat dona gratiæ ſuæ, omnes Catholici pari conſenſu tuentur: Non enim Deus ideò vocat aliquem gratiâ ſuâ, quia videt ipſum vel optimo ingenio præditum, vel bonam indolem habentem, cum multos homines relinquat; alios non bonæ indolis, ſed malæ prædeſtinet. Quod S. P. Auſtinus *lib. 1. ad ſimplic. q. 2. circa finem* his verbis pronunciavit. *Non enim habeo, quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam ſalutarem, ſi ad examen hujus electionis aliqua cogitatione permitor, niſi vel majus ingenium, vel minora peccata, vel utrumque; addamus etiam, ſi placet honeſtas utileſque doctrinas.* Et ſtatim infra, *ſed cum hoc ſtatuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi eligit, ut confundat fortia, & ſtulta mundi, ut confundat ſapientes, ut eum intuens & pudore correctus, ego irrideam multos, & præ quibuſdam peccatoribus caſtiores, & præ quibuſdam piſcatoribus oratores.* Præ quibuſdam inquit peccatoribus caſtiores, ecce bonam indolem ad virtutem. Unde non debuit Author illius quartæ propoſitionis aſſerere, natum eſſe complexionem ad virtutem propenſam (quæ bona indoles eſt) eſſe effectum prædeſtinationis; quia connexionem haberet infallibilem cum aliis prædeſtinationis effectibus, & propter illam alij effectus prædeſtinationis darentur: quod procul dubio Pelagianorum continet errorem.

211. Dicendum ſexto ut ad 42. Aſſertionem illius deveniam. Chriſti Domini Incarnatio nec eſt, nec dici poteſt effectus prædeſtinationis noſtræ. Unde falſiſſima eſt ſententia illa, quam Author cum quo agimus habet in ſua 42. aſſertione relata, qua dicit Chriſti Domini Incarnationem effectum eſſe prædeſtinationis noſtræ. Probatur quia Incarnatio Chriſti Domini cauſa noſtræ prædeſtinationis eſt: ergo nullo modo eſt illius effectus. Item Incarnatio Chriſti majus eſt, & perfectius bonum quàm omnium hominum ſalus: impoſſibile ergo eſt, quòd ſit effectus ſalutis, & prædeſtinationis hominum, ſed verè illius potiùs cauſa eſt. Patet conſequentia, quia effectus ut ſic inferior, & ignobilior eſt ſua cauſa. Ex quo ſequitur, quòd nec Incarnatio Chriſti fuerit medium prædeſtinationis noſtræ, nec ut medium ordinatum fuerit in ſalutem noſtram ſicut in finem etiam proximum: quod adverſus aliquos S. Thomæ diſcipulos cum aliis rectiùs ſentientibus tenendum arbitror. Primò quia medium prædeſtinationis noſtræ eſt revera effectus talis prædeſtinationis: ergo nec fuit medium in illam ſicut in finem ordinatum. *Antecedens* conſtat, quia media relata ad intentionem *finis rationem* habent effectus illius, licet comparata *cum finis executione* habeant rationem cauſæ. Secundò Chriſti Incarnatio non eſt amata à Deo, ſeu volita, & ordinata ex efficaci intentione dandi vitam æternam prædeſtinatis; aliàs prior eſſet in divina mente hominum prædeſtinatio, quàm prædeſtinatio Chriſti & Incarnationis ejus: unde nec ſalvaretur Chriſtum eſſe primum prædeſtinatorum: ergo non fuit medium ordinatum in noſtram prædeſtinationem ſicut in finem.

212. Probatur ſecundò ſecundùm S. Thomæ ſententiam, finis non ſolùm ultimus, verùm etiam proximus eſt bonum, & optimum comparatione mediorum, quæ in ipſum ordinantur: ſi ergo Chriſti Domini Incarnatio ordinatur in noſtram prædeſtinationem ſicut in finem proximum, erit noſtra prædeſtinatio nobilior Incarnatione Chriſti: quod dici nullo modo poteſt. Antecedens patet eſt S. Doctore 2. 2. *q. 152. art. 5.* Ubi expreſsè dicit, quòd finis ſemper excedit ea, quæ ſunt ad finem: & loquitur apertè de fine proximo, ut ex litera illius articuli manifeſtè colligitur. Et clariùs *q. 5. de potent. art. 5.* ubi ſic habet. *Cum finis ſit unde ratio ſumitur, oportet finem præeminere his, quæ ſunt ad finem. Poteſt autem contingere, quòd vilior ſit terminus operationis rei nobilioris; non autem ut ſit finis intentionis &c.* Quibus verbis nullo modo admittit, rem ignobiliorem finem eſſe proximum rei perfectioris: & ratio id manifeſtat quia cum medium à fine ſumat bonitatem ſuam, præſtare debet nobilitate, & bonitate finis ſupra ipſum medium. Quod autem poſtea talis finis proximus in nobiliorem alium ultimum finem ordinetur, nihil aliud concludit, niſi quòd ille finis ultimus præſtet ipſo fine proximo. Ex quo tamen non evitatur, quòd in prima comparatione, qua medium comparatur cum ſuo proximo fine à quo ſuam ſumit bonitatem, non debeat ſemper finis præſtare ſimpliciter, & abſolutè tali medio. Unde propter hanc rationem non debuerunt diſcipuli aliqui S. Thomæ ſentire, poſſe rem nobiliorem ordinari in ignobiliorem ſicut in finem proximum. Concludendum eſt ergo, quòd ſicut Chriſti Domini Incarnatio, cùm manifeſtè ſit nobilior hominum prædeſtinatione & ſalute, illius non poteſt eſſe effectus, ita ratione eadem nec illius eſt medium, ſed totius talis prædeſtinationis eſt perfectiſſima cauſa.

213. Dicen

Digitized by Google

213. Dicendum est tertiò. Quamvis Christus mereri non potuerit suam prædestinationem, Incarnationem, vitam, passionem, excellentissimaque sua virtutum opera; quia ista omnia vel fuerint prima, & radicalia principia merendi; vel fuerint merita ipsa, quæ proinde sub merito priori Christi cadere non potuerunt, ut supra cap. præcedenti declaravimus; meruit tamen omnem supernaturalem effectum prædestinationis nostræ, & ita absolutè & simpliciter à Theologo est concedendum. Unde assertio illa 42. supra relata, quæ sub hoc prætextu, quod Christus non meruit sibi Incarnationem, affirmat ipsum non meruisse omnem effectum supernaturalem nostræ prædestinationis, falsissima est, nec sustinenda: In duobus enim graviter errat Primò quia dicit Christi Incarnationem effectum esse prædestinationis nostræ; quod nullo modo concedi posse, diximus supra. Secundò quia ex hoc falso principio infert Christum non meruisse omnem effectum supernaturalem prædestinationis nostræ: quod nullo modo potest admitti. Non ergo debuit paralogizare prędestinationé author sic arguendo; Christus non meruit Incarnationem suam; sed illa fuit supernaturalis effectus prædestinationis nostræ: ergo non meruit omnem effectum nostræ prædestinationis, sed sic debuit rectè concludere; Christi Incarnatio non fuit effectus nostræ prædestinationis sed illius causa: ergo licet Christus non meruit, ex hoc tantùm non sequitur, quòd non meruerit omnem effectum supernaturalem nostræ prædestinationis.

214. Unde concludamus & nos duo. Primum, non meruisse nobis Christum ea bona extrinseca, quæ sunt causa prædestinationis nostræ, qualia sunt ejus Incarnatio, & Passio, & cætera nunc relata. Secundum, omnem in vniversum supernaturalem effectum sive intrinsecum, sive extrinsecum prædestinationis nostræ Christum nobis promeruisse. Quod enim illa bona, quæ fuerunt extrinsecæ prædestinationis nostræ, nobis non meruit, constat ex supradictis: qua enim ratione sibi illa mereri non potuit, nec nobis potuit ea promereri. Quod autem omnem alium effectum supernaturalem prædestinationis nostræ sivè in nobis receptum, sivè quomodolibet extrinsecum, meruerit nobis, veritas est indubita. Itaque meruit in universum nobis Christus justificantem gratiam, perseverantiam, merita nostra omnia, gloriam, peccatorum remissionem, & omnium in universum pœnarum condemnationem, fidem, spem, & omnes dispositiones ad gratiam, sivè remotas, & imperfectas, sivè ultimas, atque propinquas. Meruit etiam omnia auxilia sivè prævenientia, sive subsequentia, sivè in nobis sint, sivè extrinsecè coadjuvent ad salutem nostram, qualia sunt prævenientis gratiæ auxilia, miracula, Evangelij prædicatio, orationes Sanctorum, & similia. Unde meruit orationem qua Stephanus Pauli conversionem impetravit, & qua B. Monica Magni Filij sui Augustini salutem obtinuit. Ac tandem omnia in universum bona, quæ rationem inducunt mediorum ad nostram salutem. Omnia illa nobis promeruit.

215. Scio Theologos aliquos, ut Capreolum, negasse Christum meruisse nobis fidem, spem, ac auxilia prævenientia, & dispositiones omnes ad gratiam sivè remotas, sivè propinquas. Alios autem ut Ferr. Ruard. Japert denegasse Christi merita omnia prævenientia ipsam justificantem gratiam, præter ultimam dispositionem. Alios negasse auxilia extrinseca nobis ex Christi meritis dari: qui omnes consequenter negant Christum fuisse meritoriam causam nostræ prædestinationis; si enim non meruit omnes prædestinationis effectus, nec ipsam necessariam prædestinationem promeruit.

216. Cæterum ut verum fatear, authores isti in hoc audiendi nullo modo sunt: præclarissimis enim Christi meritis, & ipsorum infinito valori non minimum detrahunt, loquunturque contra omnem ferè Theologorum sententiam, & expressiùs contra S. Thomam *in 3. dist. 10. quæst. 3. Et 3. par. quæst. 24 art. 4.* Imò quòd magis est ad mentem Apostoli, & S. Concilij Tridentini loqui non videntur. Quod ad longum comprobarem per singula discurrendo, sed omitto, quia diffusè à Scholasticis traduntur *in 3. sent.* ubi supra & à S. Thomæ discipulis *3. part. quæst. 19. & 24.* & à Mag. Joann. Vincent. ex professo *relect. de gratia Christi quæst. 5 & 7.* diffusè satis. Quod autem illorum sententia non sit ad mentem Apostoli patet ex illo testimonio ad Ephes. 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo.* Quod de omni spirituali dono nobis ad salutem concesso manifestè procedit. De quo videatur S. P. Augustinus *lib. de dono persever. cap. 7.* Item Apostolus ad Rom. 8. vocationem numerat pro primo nostræ prædestinationis effectu. *Quos prædestinavit,* inquit, *hos & vocavit.* Et 2. ad Timoth. 1. Hanc vocationem dicit nobis donari per Christum *qui nos liberavit, & vocavit vocatione sua Sancta, non secundùm opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu:* Ergo vocationem, quæ est effectus prædestinationis habemus ex meritis Christi; sed ista vocatio includit omnia prævenientia auxilia, ut patet ex Concil. Tridentin. *Sess. 6. cap. 5* Ergo omnia prævenientia auxilia habemus ex meritis, verba Concilij sunt. *Declarat præterea Sancta Synodus ipsius justificationis exordium in adultis à Deo per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse: hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum meritis existentibus vocantur.* Ubi duo simul expressè traduntur. Primum vocationem idem esse, quòd prævenientem gratiam, ut modò dicebamus. Secundù quòd illam vocationem, & prævenientem gratiam habemus per Christum, ubi ly per, denotat apertè causam meritoriam.

217. Eandem veritatem, quòd videlicet omnia auxilia prævenientis gratiæ, & omnes dispositiones ad illam, dantur nobis ex meritis Christi, docuerunt antea Concil. Melevit. *can. 4. & 5.* Arausc. 2. *can. 5. 6. 7. 19. 22. 24.* Innocent. *Epist. 1. ad Concil. Melevit. quæ est 26. ejusdem, & 93. inter Epistolas S. Augustini* Cælestinus primus *Epist. decret. ad Episcopos Galliæ.* Ubi vocant gratiam Christi, omnem gratiam necessariam ad salutem; sub qua gratia evidentissimè comprehendunt omnem prævenientem gratiam: imò de illa præcipuè loquuntur; quam Christi ideò appellabant, quia nobis per ejus merita datur. In quo prædicta omnia Concilia, & Pontifices summi approbando, confirmant Sancti Augustini sententiam *lib. 2. de prædest. Sanct. cap. 2.* Et *lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 9.* Et in multis aliis locis sæpè, potissimè per totum librum de gratia Christi contra Pelagium, & Celestium: in quibus semper docet, quòd omne initium justificationis nostræ nobis datur per Christi gratiam, & meritum. Alia plurima omittuntur, quia ista efficaciter convincunt, omnibus debere esse indubitatam & certam sententiam, omnia prævenientis gratiæ auxilia, omnesque ad illam quomodolibet dispositiones, ac denique omnem in universum effectum nostræ prædestinationis nobis meruisse Christum Dominum.

218. Ex quo etiam & illud concluditur, meruisse nobis Christum, ut Deus ab æterno disponeret omnem effectum nostræ prædestinationis nobis conferre: qui enim alicui meretur omnem prædestinationis effectum, utique & meretur, quod Deus ab

Digitized by Google

æterno disponat, talem effectum illi conferre, & ratio est, quia ita Deus dat alicui effectum prædestinationis in tempore, sicut ab æterno disposuit illum ei dare: si ergo in tempore omnem effectum dat hominibus ex meritis Christi; ita ex meritis ipsius illum hominibus dare ab æterno disposuit.

CAPUT XXI.

Quòd Christus meruerit nobis prædestinationem nostram.

219. EX dictis fit manifestum, meruisse nobis Christum nostram prædestinationem, & ita simpliciter, & absolutè esse dicendum. Qui enim alicui meretur omnem suæ prædestinationis effectum, utique & prædestinationem illi meretur, ut communiter docent Theologi *in 3.d.10. 1.p. q.23.& 3.p.q.* 24. Cum enim nihil sit aliud prædestinatio quàm ordo taliũ mediorum, & effectuum in mente divina præexistens; qui omnem talem effectũ meretur, procul dubio meretur & prædestinationem ipsam: unde S. Th. *3.p. q.* 24. *art.* 4. in terminis hanc docet veritatem, cùm ait, quòd loquendo de Christi prædestinatione, non quantùm ad actum prædestinandi, sed quantùm ad terminum; Christi prædestinatio est causa prædestinationis, ibi enim potissimè de causa meritoria loquitur: & docet, quòd Christi prædestinatio quantùm ad terminum causa meritoria est prædestinationis nostræ, quod est clarius dicere, quòd terminus prædestinationis Christi causa est meritoria termini nostræ prædestinationis: Terminus autem prædestinationis Christi, & bonum, ad quod Christus in quantum homo est prædestinatus, est quòd simul esset filius Dei naturalis ex unionis gratia, ut ex S. Thoma *3. par. q.* 24. *art.* 3. dictum est supra. Unde idem est dicere, quòd prædestinatio Christi quantùm ad terminum sit causa nostræ prædestinationis, & dicere quòd Christus prædestinatus filius Dei naturalis ex unionis gratia sit causa nostræ prædestinationis, id est totius effectus & termini prædestinationis nostræ. Et hac ratione intelliguntur S. Thomæ discipuli, cum dicunt, in hac quæst. pro eodem reputari, Christi prædestinationem esse causam nostræ prædestinationis, & Christum esse causam nostræ prædestinationis. Loquuntur enim de Christi prædestinatione quantùm ad terminum ejus, non quantùm ad actum, quo Christus est prædestinatus.

220. Ut autem hæc S. Thomæ doctrina perfectiùs intelligatur, distinguendum est primò de prædestinatione sive Christi sive nostra quantùm ad essentialem, & formalem actum prædestinationis, quæ in actu divini intellectus practici consistit; & de divina dilectione, & electione, quæ sunt actus divinæ voluntatis inter se ratione distincti præsuppositi ad ipsam formalem, & essentialem prædestinationem. Et quidem præsens quæstio de ipsa formali prædestinatione procedit, ita ut licet dicatur, Christum non fuisse causam meritoriam divinæ erga nos dilectionis & electionis, salvari posset quòd fuerit Christus meritoria causa nostræ prædestinationis.

221. Præterea de ipsa formali prædestinatione adhuc tripliciter oportet distinguere. Primo modo de ipso actu prædestinandi secundùm se, & secundùm entitatem suam. Secundò de ipso actu non secundùm se, aut secundùm suam entitatem, sed secundùm quod ad Christum terminatur, vel ad Christum, & ad nos. Tertio & ultimò de effectu adæquato ipsius prædestinationis, seu de termino illius. Rursus distinguendum est de vera & propria causa, & de ratione movente absque causalitate tamen propria: ac tandem distinguere oportet de omni causalitatis genere finalis, efficientis, formalis.

222. Quibus præsuppositis, dicendum est primò, loquendo de ipso prædestinationis actu secundùm se, & secundùm entitatem suam, nullo modo Christi prædestinatio causa est, aut ratio prædestinationis nostræ. Hæc est S. Thomæ expressa sententia *3.p.q.* 23. *art.*4. & est patentissima, quia eodem actu Deus Christum, & nos prædestinavit: ergo loquendo de illo actu secundùm se, impossibile est, quòd fuerit sui ipsius causa: ergo impossibile est, quòd Christi prædestinatio quantùm ad actum, sive actus prædestinationis Christi sit causa prædestinationis nostræ quantùm ad actum. Patet, quia ille actus secundùm se, & secundùm suam entitatem est divina essentia, cui repugnat aliquo modo causam habere; & eadem ratione illi repugnat sub hac consideratione habere rationem propter quam sit ille actus sic secundùm se, & secundùm suam entitatem consideratus. Et idem omnino manet probatum, loquendo de ipso actu dilectionis, seu electionis secundùm se consideratо.

223. Dicendum secundò loquendo de actu, *non* secundùm se, aut entitatem suam; sed secundùm quod terminatur ad Christum, & ad nos, sic Christi prædestinatio non potuit esse vera, & propria causa; ob quam ille actus terminaretur ad nos. Probatur ex S. Thoma *3. par. citato loco tum in corpore, tum solutione ad* 2. & ex S. Thomæ doctrina *convincitur* ratione duplici, altera generali, & *speciali seu particulari*: alia generali quidem, quia secundùm S. Thomam & veritatem unus & idem actus sub una ratione nequit esse vera & propria causa sui ipsius ut stat sub ratione alia. Hoc enim docet expressè S. Thomas 3. par. loco modo relato & *1. par. q.* 19. *art.* 5. & etiam *2. contra gent. cap.* 10. & alibi sæpè: ergo unus & idem prædestinationis actus secundùm quod terminatur ad Christum non potest esse vera & propria causa sui ipsius, etiam secundùm quod ad nos terminatur. Vide quomodo hanc generalem doctrinam S. Thomas citatis locis probat, atque confirmat; quæ à nobis modò ut certissima supponitur. Ratione autem particulari id ostenditur, quia, ut docet S. Th. *1. p. q.* 19. *art.*5. & alibi sæpè divinæ voluntati, cum sit omnium causa prima, repugnat, quòd ab aliqua alia causa moveatur ad aliquid volendum, quod respectu divinæ voluntatis sit vera & propria causa: ergo nec Christi prædestinatio, nec Christus ipse potuit esse vera & propria causa, vel in genere causæ formalis vel meritoriæ, vel in quolibet alio causarum genere movẽs divinã voluntatẽ, ut nos prædestinaret: & idem omninò dicendum de actu dilectionis, & electionis divinæ erga nos, quod vel à nulla propria causa potuit moveri, ut ad nos terminaretur.

224. Dicendum tertiò, loquendo de eodem prædestinationis actu non secundùm entitatem suam; sed secundùm respectum quo nos respicit, & ad nos terminatur, fuit Christus Dominus, & ejus meritum formalis ratio, ut ille actus divinæ prædestinationis ad nos terminaretur, ita ut ob Christi merita, sicut propter rationem meritoriam Deus homines prædestinaverit. Veritas ista copiosiùs in sequentibus confirmabitur; cum manifestabimus meruisse nobis Christum, Dei erga nos efficacem dilectionem, & electionem. Et nunc breviter comprobatur. Primò ex Apostolo ad Ephes. 1. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*; sed quòd Deus nos prædestinaret, & ad nos ejus divina prædestinatio terminaretur; suprema benedictio fuit: ergo & ista secundùm Apostolum fuit nobis data in Christo, sicut in merente ipsam. Illud enim verbum in Christo, ut dicemus statim, rationem meritoriam designat. Id ipsum magis in specie videtur expressè dicere Apostolus eodem primo cap. ad Ephes. cum ait.

Digitized by Google

ait. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum.* Illa enim particula, per, rationem, qua reducitur ad causam meritoriam, designat apertè secundum Sanctorum doctrinam. Et colligitur ex Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 3. 4. 5. & 6.* Nomine autem prædestinationis, ut constat ex contextu, comprehendit Apostolus omnia media prædestinationis nostræ, & omnem effectum illius, qui sub nullius alterius, quàm sub Christi meritis cadere potuit. Et quamvis hoc sufficeret, ut diximus, ad verificandum quòd Christus nobis, promeruerit omnem nostram prædestinationem; si tamen intentio Apostoli, & contextus consideretur, etiam sub meritis Christi constituit ipsum actum prædestinantis Dei, secundùm quod ad nos terminabatur, docens, quòd ex meritis Christi voluit Deus non prædestinare. Et quòd ista sit Apostoli intentio, patet, quia præmiserat, quòd in Christo nos Deus elegit ante mundi constitutionem: Quæ verba sonant, quòd actus divinæ voluntatis ideò nos elegit, quia Christus id nobis meruit. Unde Sanctus Thomas super illum locum docuit tam divinam electionem, quàm prædestinationem ante constitutionem mundi nobis per Christum fuisse concessam. An verò fuerit Christi meritum prima, & præcipua ratio ob quam Deus nos prædestinaverit, dicemus inferiùs, ubi omnia magis aperientur, & difficultates solventur.

CAPUT XXII.

Meruit nobis Christus, quòd Pater æternus nos diligeret, atque ad gloriam eligeret.

225. VT autem ad primum omnium divinæ voluntatis actum ascendamus, dicendum est. Meruit nobis Christus absolutè dilectionem efficacem, qua nos Deus in vitam æternam dilexit: ac meruit electionem, qua nos Deus absolutè elegit ad gloriam. Itaque meruit quòd ille actus divinæ voluntatis ad nos terminaretur. Dico absolutè, quia an Christus nobis meruerit electionem cõparativam, ita ut meruerit, ut isti eligerentur, & non alij, dicetur inferius. Nunc enim solùm de dilectione, & electione agimus, quatenùs dicit absolutam electionem istius ad gloriam, quæ solet vocari electio quoad absolutum, non quoad respectivum: quod clariùs apparet in actu dilectionis, in quo non exprimitur unius præ alio dilectio; quia dilectio quid absolutum importat. Probatur ex illo Joan. 17. *Dilexisti eos, sicut & me dilexisti.* Super quem locum Sanctus Pater Augustinus, & Sanctus Hieronymus *lib. 2. contra Jovenian.* notant verbum *sicut*, sumi pro verbo *quia* ita ut sensus sit. Dilexisti eos, quia me dilexisti. Ratio huic sententiæ Sancti Hieronymi, & Sancti Augustini maximè suffragatur, nam Pater dilexit Christum, non utcunque, sed ut nostrum Redemptorem, & quatenùs pro nobis satisfecit, & nobis meruit: ergo dilexit eum ut merentem nobis ipsam sui Patris dilectionem: & sic verificatur quòd ideò Pater dilexit nos, quia filium Redemptorem nostrum dilexit, nobis merentem talem dilectionem paternam.

226. Idem probatur ex illo 2. ad Timoth. 1. *Vocatione sua Sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia.* Ubi secundùm quod Sanctus Thomas exponit, divinam electionem, seu prædestinationem vocat Paulus propositum & gratiam nobis in Christo ab æterno concessam, adducens ad hoc propositum illud, elegit nos in ipso, id est in Christo ante mundi constitutionem. Præterea quòd divina electio ex meritis Christi ad nos fuerit terminata, docet expressiùs idem Apostolus ad Ephes. 1. cum ait. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti, & immaculati.* Ubi sine dubio loquitur de efficaci divina electione, qua ante ipsorum prævisa opera eos elegit ad gloriam, in qua perfecti sunt sancti & immaculati: & docet hanc electionem ante mundi constitutionem fuisse ex meritis Christi: hoc enim sonat illud verbum *in ipso*, ut Sanctus Thomas non obscurè docet ad illum locum sic dicens. *Benedixit nos non nostris meritis, sed ex gratiâ Christi: sicut elegit nos, & gratis à massa perditionis separando, præordinavit nos in ipso, id est, per Christum Joann. 15. non vos me elegistis, sed ego elegi vos &c.* Et hoc ante mundi constitutionem. Quòd diffusiùs exponit super cap. 15. Joann. ad illa verba *non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, ubi clariùs electionem æternam Apostolorum Christo Domino tribuit. Quamvis enim *in ipso* denotet secundùm aliquorum explicationem finalem causam, & exemplarem (fuit enim Christus, & finalis, & exemplaris ratio divinæ dilectionis, & electionis, quatenùs ad nos terminabatur) commodiùs tamen, & magis ad Apostoli, & Sanctorum Patrum mentem, affirmandum est, etiam rationem meritoriam, imò potissimè hanc ibi Apostolum intellexisse. Quòd enim verbum *in ipso* denotet meritoriam rationem declarant ejusdem Apostoli verba, quibus statim subjungit. *In quo habemus redemptionem.* Ubi apertissimè de ratione merente fit sermo; sicut cum inferiùs ait. *In quo nos sorte vocati sumus*; & infra *in quo, & vos credentes signati estis* similiter 2. *ad Timoth. 1.* ait *secundùm gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu*, ubi apertè verbum *in Christo* sonat meritum. Quibus in locis nulli potest dubium esse, quin de Christo nobis merente Apostolus loquatur. Igitur meruit nobis talem divinam dilectionem, & electionem, & ut ad nos terminaretur promeruit, quia dicit, elegit nos in ipso: Sicut ergo in aliis locis particula *in ipso* meritum importat, ut manet ostensum: ita in hoc testimonio ex mente Apostoli rationem meritoriam importare videtur.

227. Præterea ratione probatur. Christi merita fuerunt prævisa à Deo antequam in particulari homines prædestinaret, eligeret, & efficaciter diligeret: ergo ex meritis Christi fuerunt prædestinati, electi, atque dilecti. Antecedens supponitur, quia id testimonia supra inducta, satis declarant, & Theologi communiter fatentur, cum dicunt, Christum prædestinatum, & electum fuisse à Deo ut caput, & fontem omnis gratiæ, & benedictionis in omnibus hominibus diffundendæ. Consequentia probatur, quia merita Christi prævisa sufficientissima erant, ad merendum omnem talem prædestinatorum electionem, & dilectionem.

228. Sed dices, hanc gratiam electionis esse gratiam increatam, & ex consequenti nullam posse illius dari meritoriam. Ad hoc respondetur, nullam posse illius dari causam veram, & propriam, ut dictum est, benè tamen illius posse dari rationem meritoriam ex parte personæ habentis meritum infinitum, quale fuit meritum Christi prævisum. Si enim potuit Christus mereri ob infinitatem meriti sui, quòd persona Patris, vel Spiritus Sancti humanitatem sumeret, si ad id merita sua ordinasset, ut communiter Theologi dicunt; quare non multò magis potuit nobis mereri, quòd divina voluntas nos ad gloriam efficaciter eligeret, atque diligeret? Certè nulla apparet causa, quare hoc excellentissimo Christi merito denegetur.

229. Dices forsan non ordinasse Christum ad id meritum suum, ut relinqueret locum divinæ voluntati Patris, ad hoc ut gratuitò, & ex misericordia homines

Digitized by Google

mines prædestinaret, & eligeret secundùm propositum, & beneplacitum suæ voluntatis : quòd sæpè Scriptura sacra testatur : quæ tamen gratuita Patris electio, atque dilectio videtur auferri, si semel dicatur illam electionem, & dilectionem fuisse ex Christi meritis.

230. Ad hoc dicendum, quòd si reverà gratuita divinæ voluntatis prædestinatio, electio, & dilectio circa homines tolleretur, impediretur, aut diminueretur ex tali merito Christi, nec Christus illud meritum ad id ordinasset, nec tale meritum esset constituendum. Cæterùm cum neque in minimo talis Dei gratuita omninò hominum prædestinatio, & electio, atque dilectio diminuatur ex tali Christi merito, ut communiter Theologi 3.par.quæst.19.& 24. ostendunt (quod modò supponimus) potiùs ex hac parte, efficax pro hac veritate sumimus argumentum, quòd tale meritum sit Christo tribuendum. Certè in sacris litteris hæc duo simul inveniuntur prædicata. Alterum, quod divina voluntas merè gratuitò homines prædestinavit, elegit, atque dilexit. Alterum verò, quod homines in Christo, & per Christum sunt à Deo prædestinati, electi, atque dilecti : non ergo sunt adinvicem ista duo separanda, nec ex alterius concessione, aliud debet negari, sed utrumque simul conjungi, affirmari, atque prædicari. Quia, ut breviter dicam, ut divina voluntas summa cum proprietate dicatur maximè gratuitò homines prædestinare, & ad gloriam eligere, sufficit quod id homini nulla ratione debeatur, sed totum contrarium, attenta saltem originali culpa qua prævidetur astrictus. Similiter, & in alio, summa Dei gratia in tali hominū prædestinatione, & electione resplendet, quod voluerit Deus indignis hominibus dare Christum Redemptorem & salvatorem talia suprema bona illis promerentem. Ac tandem tertiò hoc divinæ voluntatis gratiosissimam prædestinationem & electionem commendat, quòd licet illa fuerit ex Christi meritis ; tamen quòd Christus illa merita voluerit applicare ut homines diligerentur, eligerentur, ac prædestinarentur, si primam hujus radicem attingamus, fuit divina voluntas : ideò enim humana Christi voluntas illa merita applicabat, quia à divina voluntate monebatur, & applicabatur, ut sic illa applicaret : qua ratione semper divina voluntas constituitur prima, & præcipua causa ; per quam solam rationem optimè salvatur id, quod salvandum est ; nihil præter divinam bonitatem posse esse, non solùm causam, sed neque primam, & principalem rationem moventem Deum ad aliquid efficiendum, seu volendum.

231. Quæ omnia, ut clariùs explicent, aliqui dicunt, quòd quamvis non meruerit Christus quòd isti in particulari eligerentur ad gloriam & isti in particulari ab illa excluderentur; meruit tamen, quòd aliqui efficaciter ad gloriam eligerentur, illi nimirum, quibus divina voluntas vellet efficaciter merita Christi prævisi applicare. Diximus, sic aliquos sentire, ut priùs eorum fundamenta assignaremus, nostram postea sententiam clariùs exposituri. Igitur prædicti authores, aliàs non ignobiles, sic philosophantur, quòd videlicet in primo signo prædestinationis prædestinaverit Deus Christum : & in secundo rationis signo viderit Deus Christum jam applicantem merita sua, ut aliqui essent prædestinati : & sic in tertio signo Deus libera sua voluntate hos & non illos in particulari elegerit. Unde in hac sententia, quòd aliqui quasi in confuso fuerint à Deo prædestinati & electi, ex meritis Christi Domini fuit : quòd verò isti, & non alij in particulari electi fuerint, id ex Christi Domini meritis non haberi, dicunt, sed ex simplici, ac libera Dei voluntate : & si intelligunt, quod in conclusione præmisimus, meruisse Christum Dominum electis eorum electionem absolutè id est quod aliqui quasi in confuso electi sint : & per hanc sententiam sic explicatam (ut putant) quæ inse videntur contraria perfectè intelliguntur & concordantur.

232. Primò namque, per hoc Scriptura Sacra rectè intelligitur, quæ ex una parte docet, prædestinationem, & electionem hominum ad gloriam fuisse ex meritis Christi Domini, ut ex Apostolo dictum est supra. Et ex alia parte affirmat, prædestinatos datos fuisse Christo à Patre gratuito ut habetur Joann. 17. adjuncta interpretatione Chrysostomi *humilia 60. in. Joann.* & S. P. Augustini *Tractatu 106.* in Joann. hæc verò duo prima facie minus cohærere videntur. Si enim prædestinati sunt gratis dati Christo à Patre : non ergo ipse meruit, ut de rigore justitiæ (tale enim fuit meritum Christi) quod prædestinati sibi à Patre darentur : non ergo illi fuerunt Christo gratis à Patre dati. Hæc tamen duo authores prædictæ sententiæ ita concordant, quod ideo dicatur Christus, nostram meruisse prædestinationem, & electionem ; quia meruit, quod aliqui à Deo prædestinarentur, & eligerentur ad gloriam. Et hoc docent testimonia primo loco inducta, ideo verò prædestinati, & electi dicuntur gratis dati Christo à Patre ; quia quod isti in particulari sint electi, & non isti, non ex Christi meritis, sed ex simplici ac libera, seu gratuita *Patris* voluntate processit. Unde omnes electi, & *prædestinati* sunt gratis Christo dati à Patre; *quia illos in particulari*, & non alios voluit Pater prædestinare, & Christo dare : & illis, & non aliis voluit merita Christi quo ad executionem applicare efficaciter. Et hoc dicunt, ut aiunt, testimonia secundo loco inducta. Imò non solùm in diversis Scripturæ testimoniis utrumque affirmatur, sed in uno eodemque loco Apostolus utrumque simul constituit, dum ad Ephesios 1. simul prædestinationem, & electionem nostram Christi meritis tribuit, & beneplacito divinæ voluntatis ratione modò inducta.

233. Præterea, per hanc sententiam, & conclusionem sic explicatam, optimè explicatur, ut arbitrantur, quomodo totum gravissimum negotium prædestinationis, & electionis hominum non in humanam, sed in divinam voluntatem primùm reducatur, & revera revocandum est : & quomodo divina voluntas prima, & principalis causa sit, quare isti electi sint & prædestinati, & non alij.

234. Insuper, perfecta Sancti Thomæ, ut aiunt, aperitur sententia *3. par. quæst. 24. art. 4.* dum agens, quomodo Christi prædestinatio sit causa nostræ prædestinations, docet, quòd Christi prædestinatio, quantùm ad terminum, seu ipse Christus prædestinatus (quod idem est) est causa nostra prædestinationis, quantùm etiam ad terminum, seu effectum omnem, in quem nostra prædestinatio ordinatur, & ad quem terminatur: hoc enim ideò dixit, quia cum loqueretur propriè de causa respectu solùm effectus prædestinationis illam constituit, non respectu actus divinæ voluntatis, etiam ut terminatur ad effectum, ut patet ex solutione ad secundum, in qua apertè negavit, quòd Christus fuerit causa, quod prædestinati sint electi à Deo, affirmans quod id solùm fuit ex beneplacito divinæ voluntatis: in quo etiam apertè docuit, quod hujus, quod est Deum nos prædestinasse, ex simplici Dei voluntate fuit dependens: illa autem quæ fiunt ex simplici Dei voluntate, secundùm Sancti Thomæ manifestam doctrinam, nec aliam causam, nec aliam rationem priorem motivam habent, nisi solam divinam voluntatem ita volentem; cum tamen ipse Sanctus Doctor in aliis locis, potissimè supra primum caput ad Ephesios, ut dictum est supra, manifestè dicat, meruisse nobis Christum

Digitized by Google

Christum nostram prædestinationem, & electionem. Quæ cum sibi contraria videantur, per supradictam conclusionem, sic explicatam ad invicem cohærent, & concordantur: cum enim docet ex simplici Dei voluntate fuisse nostram electionem, & prædestinationem, loquitur de electione nostra, & prædestinatione in particulari, quatenus videlicet ita hujus fuit electio, & prædestinatio, quod non fuit alterius; hoc enim ex simplici tantùm Dei voluntate fuit dependens. Cum autem alibi docet, meruisse nobis Christum nostram prædestinationem, & electionem, loquitur de prædestinatione nostra, & electione, quasi in confuso, seu in genere, ita ut meruerit nostram prædestinationem, & electionem quoad absolutum importatum per ipsam; non autem quantùm ad electionem comparativam horum in particulari præ aliis.

235. Tandem per conclusionem sic ab eis intellectam & explicatam, ut opinantur, intelligitur satis quomodo divina voluntas antequam homines prædestinaret; priùs ratione elegerit & prædestinaverit Christum, ut omnium aliorum Redemptorem: & quomodo in illo priori præviderit Christum merentem, ut supposito, quòd divina providentia non ordinabat omnes in universum homines salvari, & prædestinari, aliqui tamen essent prædestinati, in quibus excellentissimum ejus meritum sortiretur effectum. Satis etiam intelligitur, quomodo in illo priori non fuerint prævisa Christi merita nec in particulari à divina voluntate applicata ad hoc, quòd isti in particulari prædestinarentur, & non isti alij; sed quòd talis in particulari comparativa electio horum, & non istorum ex sola simplici Dei voluntate fuerit dependens, quæ potiùs hos quàm illos voluit prædestinare & eis meritum Christi Domini applicare.

236. Quod & hoc exemplo declarant, si enim esset egregius aliquis miles, qui præclara omnia sua merita regi offerret, ut alicui ex servis suis aliquod magnum tribueret præmium, nullum ex servis specialiter nominando; in isto casu licet electio, & nominatio hujus servi, & non alterius ex simplici regis voluntate penderet; nihilominus verè diceretur voluisse regem illi bene facere propter merita militis. Aliud simile proferunt exemplum, quod nos supra agentes de peccato originali exposuimus, quòd nempè licet peccatum originale fuerit sufficiens causa, ut qui reprobantur, reprobati maneant. Tamen non potuit esse causa, ut isti potiùs excluderentur, quàm alij, licet id ex simplici Dei voluntate fuerit factum. Sic applicant ad meritum Christi exemplum utrumque, ut illud causa fuerit metitoria, quòd aliqui eligerentur, & prædestinarentur, non autem quod isti in particulari, & non isti eligerentur. Totum autem Authorum sic sentientium fundamentum, illud unicum est, quia aliàs minùs intelligere possunt, quomodo ex una parte sit electio, & prædestinatio nostra ex simplici Dei voluntate dependens, & ex alia ex meritis Christi Domini; quod utrumque in scriptura, & Patribus vident affirmari, quæ tamen duo per illum dicendi modum putant optimé cohærere.

237. At ut verum fatear, hæc illorum sententia nunquam placuit, nec hoc modo intelligimus, quod in præcedenti conclusione statuimus, meruisse nobis Christum nostram electionem, & prædestinationem quoad absolutum in ipsa importatum, sed in illo sensu potiùs intelligimus, quod nobis meruit electionem nostram in particulari, id est, istorum electionem, & prædestinationem quoad absolutum, quod in ipsa continetur, sicut ibi exemplo de dilectione explicatum est abstrahendo, an etiam ex meritis Christi fuerit electio comparativa horum, & non istorum. Dicendum enim putamus, meruisse Christum Dominum, quod isti in particulari electi, & prædestinati sint, & cum hoc optimè salvari, quod electi, & prædestinati fuerint Christo dati à Patre; & quod istorum prædestinatio, & electio ex simplici Dei voluntate fuerint primo & per se, ut statim manifestabimus.

238. Unde sit nostra ultima conclusio in hac materia. Meruit Christus Dominus nostram electionem & prædestinationem, non in confuso, seu in genere, seu quòd aliqui ut sic sint electi, & prædestinati, sed verè meruit electionem nostram & prædestinationem in particulari, ut isti videlicet præ aliis à Deo fuerint electi, & prædestinati. Hoc imprimis nobis non obscurè colligi, imò tradi videtur ex suprà inductis Apostoli testimoniis, ut est illud ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti.* Et rursus. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum.* 2. ad Timoth. 1. *Vocavit nos vocatione sua Sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis ante tempora secularia.* Ubi Apostolus electionem nostram ad gloriam, & voluntatem illam, qua Deus efficaciter voluit nos eligere & prædestinare, meritis Christi attribuit. Elegit inquam nos, ait Apostolus in Christo: quod verbum *nos*, certè non confusam, sed particularem eorum electionem significat, qui in particulari electi sunt. Nam mereri quasi in confuso, quòd aliqui sint electi, & prædestinati, non est verè mereri istis qui sunt electi, & prædestinati, eorum electionem, & prædestinationem: ex vi enim illius meriti, quod ponitur in genere, seu in confuso respectu aliquorum, non magis sunt electi, & prædestinati Petrus, & Paulus & cæteri prædestinati quàm Judas, & Pelagius, & cæteri reprobi, ut est manifestum. Unde non verificaretur Apostoli dictum, *elegit nos*, nos, inquam, in particulari elegit in Christo, & per Christum. Præterea si Christus meruit tantùm in confuso quòd aliqui essent electi, & prædestinati; nullus planè electorum in particulari Christo Domino deberet electionem, & prædestinationem suam, seu quod à Patre æterno in particulari esset electus, & prædestinatus: quod etiam in exemplis ab illa sententia allatis videre est apertè. Etenim in exemplo militis certum est, quòd ille qui in particulari à rege est electus ad obtinendum præmium, in particulari non debet militi quòd sit electus, nec magis debet militi, quàm alius; cum miles æqualiter illis duobus merita sua applicaverit. Similiter, quia originale peccatum æqualiter inest & illi, qui reprobus fuit, & illi qui est prædestinatus; quòd in particulari iste fuerit reprobus, & non alius ex originali peccato nullo modo provenit, sed ex simplici Dei voluntate, quæ existentibus illis duobus æqualibus in originali, istum pro sua voluntate libera voluit misericorditer eligere; & illum pro sua justitia punire. Sic ergo in casu, licet quòd aliqui sint prædestinati & electi, ex meritis Christi ponatur: quia tamen non eliguntur aliqui sic in confuso, & in genere; sed eliguntur, & prædestinantur in particulari isti præ aliis, qui relinquuntur; & ista particularis horum electio non fit in illa sententia ex meritis Christi, non videtur salvari, quòd electorum prædestinatio sit ex Christi meritis, ut tradit Apostolus: nec isti in particulari electi magis deberent meritis Christi quantùm ad suam particularem electionem, quàm alij, qui electi non sunt: siquidem meritum Christi ex vi sua illis æqualiter applicatum fuit, ut vel isti, vel illi eligerentur à Patre.

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

Meruisse nobis Christum, quòd æternus Pater nos diligeret, & ad gloriam eligeret, amplius ostenditur.

239. DEINDE clamat Apostolus, quòd Deus in Christo nos benedixit omni benedictione in cœlestibus; sed quòd isti, qui prædestinati sunt, fuerint electi in particulari præ aliis, fuit sine dubio prima benedictio, qua illis æternus Pater benedixit (quod à nullo poterit negari): ergo hanc in particulari benedictionem primam, fontem, & originem omnium aliarum benedictionum habuerunt electi, & prædestinati à Deo in Christo, & per Christum Dominum.

240. Id etiam apparet satis apertè tradi à Sancto Ambrosio in allata superiùs authoritate supra illud citatum Apostoli, *elegit nos in ipso*, qui refertur in glosa ordinaria ad illum locum, ubi sic ait. *Omne enim donum gratiæ Dei in Christo est, & si quis spreto Christo benedici se à Deo putet, errare se sciat:* Ergo cum omne donum gratiæ secundùm Ambrosium habeant electi à Deo per Christum: & illud primum, quod est à Deo electos, & prædestinatos fuisse, secundum eundem habent omnes electi & prædestinati in Christo, & per Christum. Etenim illud primum radix est omnium aliorum, quod etiam omnium primò electi à Deo habent per Christum: Non enim multùm deberent electi & prædestinati Christo, si illam primam electionem ad gloriam, & prædestinationem, quæ initium est omnis gratiæ illis collatæ, non haberent ex meritis Christi.

241. Ex Sancto Thoma autem supra manet probatum, & amplius ex solutione argumentorum erit manifestum, non nisi in Christo, & per Christum habere istos electos in particulari, quòd præ aliis à Deo fuerint electi, & prædestinati. Unde aliqui ex Recentioribus modò ita adhærent huic veritati ut dicant, oppositum esse censurâ dignum, & piarum aurium offensivum: à qua tamen censurâ nos ad præsens abstinemus, nec putamus ita rigidè qualificandum. Sat est dicere, hanc, quam defendimus, & veriorem esse, & Scripturæ, Sanctisque Doctoribus magis conformem.

242. Ad argumenta ergo priùs in genere dicendum, quòd jam supra manet ostensum. Quòd si revera per hoc, quòd dicitur electos & prædestinatos hos fuisse in particulari præ aliis, Tolleretur, vel impediretur aliquo modo, ipsos fuisse Christo datos à Patre, vel prædestinationem illorum non pendere ex simplici Dei voluntate, id meritis Christi tribuendum non esset: Verùm quia optimè hæc duo cohærent, nec ut unum defendamus, quod in Scriptura apertè traditur alterum negandum est, quod ex eadem scriptura non obscurè colligitur, ut dictum est. Et quidem, ut cum omni proprietate salvetur electionem, & prædestinationem hominum fuisse merè gratuitam respectu ipsorum, id primò clarè ostendit, quia ipsis nullo modo debita erat, seu potiùs attentâ illorum miseriâ, qua in peccato originali detinebantur, erat potiùs indebita. Secundò quia ex mera Dei libertate, & simplici ejus voluntate fuit, Christum Dominum prædestinare ut caput omnium prædestinatorum, per quem omnes alios prædestinavit: Quod in omnium sententia certissimum est.

243. Quòd verò salvetur, prædestinatos esse Christo à Patre datos; etiamsi illi fuerint electi, & prædestinati in particulari ex meritis Christi; constat ex ratione illa superiùs allata; Quia, eadem divina voluntas, quæ voluit hos eligere & prædestinare, Christi voluntatem movebat, ut pro illis, & non pro aliis sua merita vellet efficaciter applicare: & sic de facto illos ex ijsdem meritis Christi elegit, & prædestinavit. Erit hoc manifestum, si in negotio prædestinationis tria rationis instantia distinguamus. In primo rationis signo Deus primò Christum prædestinavit ut caput, & ut primum omnium prædestinatorum; & quòd hoc fuerit ex simplici Dei voluntate indubitatum est. Cum autem in illo primo signo sit Christus prædestinatus ut caput, & ut primum prædestinatorum, in eodem signo ex eadem simplici Dei voluntate fuit, aliquos in confuso debere esse prędestinatos: Unde hoc, Christum prædestinatum esse, ut caput, & ut primum prædestinatorum aliquorum, fuit in illo primo signo ex simplici Dei voluntate, non ex meritis Christi. Unde verum non est, quod oppositа suadebat sententia, aliquos esse prædestinatos in confuso, fuisse ex meritis Christi: Imò ut probatum est, sicut non fuit, nec potuit esse ex meritis Christi, quòd ipse fuerit prædestinatus ut caput cæterorum prædestinatorum, & ut primus eorum: ita non fuerit ex meritis Christi. In secundo autem signo rationis, voluit divina voluntas hos potiùs quàm illos eligere & prædestinare, movendo voluntatem Christi, ut pro istis potiùs quàm pro aliis efficaciter sua merita applicaret. In tertiò autem signo illos in particulari ex meritis Christi de facto elegit, seu prædestinavit. *Vel si placet*, solùm duo constituantur *rationis signa, & post* illud primum jam explicatum, dicatur in secundo *divinam* voluntatem movere, voluntatem Christi, ad applicanda pro istis merita sua; quos proinde ex ijsdem Christi meritis elegit, & prædestinavit. Et sic semper sicut ex prima radice ex simplici voluntate Dei fit electio, & prædestinatio, quia ideò hos, & non illos elegit, & prædestinavit, quia pro eis, & non pro aliis Christus sua merita applicavit, ita divina voluntate volente, & ad id Christi voluntatem applicante: Igitur de primo ad ultimum, ideò isti prædestinati sunt, quia id ita voluit simplex voluntas divina.

244. Et ita concordantur illa duo, quæ ex scriptura habentur, prædestinationem nempe hominum ex simplici Dei voluntate fuisse, & etiam ex meritis Christi Domini. Et eadem prorsùs ratione optimè salvatur, prædestinatos fuisse istos, & non alios ex meritis Christi, & ipsi fuisse datos à Patre; Nam omnium primò, quia illos, & non alios voluit divina voluntas eligere, ad id applicabat voluntatem Christi ut sua pro illis merita applicaret; & sic gratuitò Christo fuerunt isti potius quam alij à Patre dati. Unde patet legitima intelligentia illius loci Joann. 17. *Tui erant, & mihi eos dedisti*, quam habet Sanctus Thomas ad illum locum, & mihi eos dedisti, *quod antea de eis mecum, & in me prædestinati opere implesti, faciendo, ut mihi adhærerent.* Per quod magis præcedens nostra sententia confirmatur. Notentur Sancti Thomæ verba, *mecum, & in me prædestinati, hos mihi complendo opere dedisti.* Quos ergo in particulari Christo, opere & in executione Pater dedit, hos ab æterno cum Christo & per Christum in particulari prædestinavit. Unde argumentum, quod ex isto testimonio à Thomistis opponitur, nullum prorsus est, cum potiùs ex eodem secundùm apertam Sancti Thomæ expositionem nostra fundetur doctrina.

245. Ad aliud, quod objicitur ex Sancto Thoma 3. *par. quæst.* 24. *art.* 4. dicendum, nihil prorsùs obstare, quia ibi, ut etiam argumentum supponit, agit Sanctissimus Præceptor de vera & propria causa, quæ non potest esse, nec respectu actus divinæ voluntatis secundùm se, nec etiam ut terminatur ad objectum, ut dictum est supra. Unde solùm fuit vera, & propria causa Christus Dominus per sua merita totius effectus

Digitized by Google

effectus prædestinationis opere ipso complendi, ut ibi tradit idem Doctor Sanctus. Ad aliud quod ibi dicit, actus prædestinationis ex sola Dei simplici voluntate pendere, non ex alio motivo, vel causa, dicendum, primò illud de ipso actu divinæ prædestinationis secundùm se intelligi. Secundò etiam potest intelligi de actu prædestinationis, prout terminatus fuit, ad hos potiùs quàm alios prædestinandum: originaliter enim & primò & per se ex simplici Dei voluntate fuit tantùm dependens modo explicato; quia enim voluit Deus sua simplici voluntate, hos, & non illos prædestinare; ideò voluntatem Christi applicavit, ut sua merita pro istis, non pro aliis offerret, licet de facto illi ex meritis Christi prædestinati fuerint. Quod hoc exemplo potest commodè explicari. Si enim Dominus quidam vellet, huic potiùs servo quàm alteri aliquod donum dare; vellet tamen quòd unigenitus suus filius id ab eo peteret; & filium, ut peteret, moveret, salvaretur primò quòd illud donum primò, & originaliter ex mera Domini voluntate reciperet servus ille: salvaretur etiam secundò, quòd de facto illud non reciperet nisi per filium. Sic ergo in præsenti dicendum est, prout non semel manet expositum. Et sic patet ad ultimum, quod ex ratione procedebat. Et hæc sint satis breviter dicta de Christi Domini prædestinatione, nam plura in suis propriis locis videantur.

CAPUT XXIV.

Christi passio, & crux ab æterno fuit à Dei voluntate disposita atque præparata.

246. POST Christi Domini prædestinationem, & meritum, de quibus dictum est modò, occasione 39. 40. 41. & 42. Assertionum, quadragesima tertia authorum, cum quibus agimus, venit ad præsens examinanda, quam Lovanij (ut ex insigni illa Academia retulimus libro 1. part. 1. tract. 6. cap. 14.) Recentiores evulgarunt sub his verbis. *Christi Passionem & Crucem non fuisse æternâ Dei voluntate præordinatam atque ut in tempore suo eveniret absolutè dispositam, sed ex præscientia tantùm Iudaicæ malitiæ prævisam, atque permissam: Deum alioquin, si Christum absolutè crucifigi voluisset peccati crucifigentium debere esse Authorem.* Hanc assertionem Lovanij Authores, cum quibus ista tractamus, publicarunt, ut defenderent aliam priorem à seipsis evulgatam; & à Lovaniensi Schola meritò reprehensam, ut apertè constat ex prima censura Scholæ illius asserti 24. Et ex justificatione ejusdem Academiæ cap. incipiente ad Apologiam Assertionis 24. Cum enim primò, ij Authores in suis prælectionibus inter alias plures, & hanc sub his verbis tradidissent. *Martyria, & afflictiones Sanctorum, quas patiuntur ab impiis, sunt excellentissima remedia salutis ipsorum: ergo & hæc ante omnem prævisionem erant prædestinata: hoc est falsum, quia Deus non est Author peccati.* Et huic assertioni per Lovanienses Doctores fuisset responsum, quòd si vera essent, quæ in prædicta Assertione continebantur; dicendum etiam esset, quòd non potuerit Deus absolutâ voluntate Christi præordinare mortem atque Passionem, nisi peccati crucifigentium etiam Author agnosceretur. Authores prædicti id, quod pro magno inconvenienti à Lovaniensium Academia opponebatur; nullum reputantes, & ad sua principia consequenter loquentes, id apertis verbis concesserunt, ut ex Assertione modò relata fit manifestum. In his ergo Assertionibus (ut illam suam universalem defendant quòd videlicet media salutis nostræ non sint absolutè à divina voluntate & prædestinatione præparata, & ut ita evenirent disposita ante boni usus præscientiam) consequenter affirmant, non solùm aliorum Sanctorum Martyria, quæ potissima sunt salutis ipsorum media; verùm Christi Domini Passionem, & crucem, quæ præstantissima causa fuit, est, erit salutis omnium, non fuisse à divina voluntate absolutè volitam, atque dispositam, sed, post crucifigentium perfidiam, & abominandam malitiam, prælcitam tantùm atque permissam, ne illius maximi peccati Deum constituant Authorem. Intelligere enim non valent, quomodo, si Deus absolutè voluit ante crucifigentium previsam malitiam, Christi Domini Passionem & crucem, peccati illorum Author non constituatur Itaque in forma sic argumentantes ita videntur concludere. Deus non potest esse peccati Author: ergo non potest velle absoluta voluntate, nedum aliorum Sanctorum Martyria, sed nec Christi Domini Passionem, & mortem; sed tantùm ista omnia permisit, suppositâ præscientiâ malitiæ Tyrannorum, & crucifigentium Christum Dominum: & sic nulla media salutis nostræ sunt à divina voluntate absolutè volita, & præparata ante præscientiam usus arbitrij. Ad hanc enim ultimam consequentiam tenendam, atque fundandam, omnia nunc relata ordinant tanquam ad finem.

247. Quia vero Agentes supra de prædestinatione ostendimus manifeste, firmiter esse tenendum omnia media salutis nostræ esse à divina voluntate, & prædestinatione, ut ita evenirent, efficaciter præparata. & absolutâ voluntate Dei dispositâ ante quamlibet arbitrij usus præscientiam; nunc ostendere tantùm oportet in particulari, Sanctorum Martyria, & potissimè Christi Domini Passionem non permissam ex præscientia Tyrannorum, & crucifigentium malitia, sed efficaciter à divina voluntate volitam fuisse atque præparatam, ante quamlibet prævisam aliorum malitiam. Hæc per hoc aliquo modo Deum peccati, sive malitiæ Tyrannorum, sive crucifigentium constitui Authorem, ut recentiores satis inconsideratè opinantur; Quia enim inter bonum, & malum distinguere non valent, omnia confundentes quibusdam sophismatibus; veritatem obscurant.

248. Sed imprimis illud advertimus, recentiores in hoc sicut & in aliis, illius Fausti Regiensis damnatam sequi sententiam, & male potiùs cum ipso, quàm cum Sancti Thomæ, & aliorum Sanctorum Doctorum convenire doctrina. Faustus enim ille *lib. 2. cap. 3.* de gratia & hum. ment. arb. loquens de innocentibus illis infantibus, qui Bethleem pro Domino fuere occisi, ita habet. *Hanc itaque parvulorum interfectionem non dispositio Dei, sed impietas ordinavit inimici.* Et rursus. *Non eos*, inquit, *prædestinatio morti addixit, sed causæ occasio consecravit.* Quibus verbis de ipsis quidem Infantibus expressè, de aliis autem Martyribus, & de Christi Domini Passione implicitè, ratione prorsus eadem affirmat illorum omnium Passionem, & mortem à divina voluntate non fuisse dispositam, sed dispositam tantùm à Tyrannis, & à Deo, prævisâ illorum malitiâ, fuisse tantùm permissam.

249. Illud etiam advertimus secundo, prædictos recentiores nec in hoc, ut sine fundamento publicant, à Calvini recedere sententia; imo ejus partes in hoc plurimum adjuvare, putantes, quod si Deus absolutè disposuit Christi mortem, & aliorum Martyrum Passiones (quod contra Pelagianos est affirmandum) statim deliramenta sequuntur Calvini dicentis, Deum Authorem esse peccati crucifigentium Christum, & illos ad Christum crucifigendum incitasse. Quod sequi, nullus affirmare potest, nisi etiam delirans cum Calvino voluerit convenire. Hæc enim est timendum, quod si Fausti damnatum errorem damnamus, cum

Digitized by Google

cum Calvino necesse sit convenire: non, inquam, est timendum, quod si Pelagianorum damnatas sententias refellimus asserentium, Christi Passionem à Deo non esse dispositam, sed permissam; statim error sequatur Calvini dicentis, Deum peccati crucifigentium esse authorem. An nulla alia in his materiis restat via, nisi erronea Pelagianorum aut Calvinistarum? An ex erroris unius damnatione, necesse est alium errorem amplecti? Nulla ne est media via secura, atque Catholica, quam teneamus, non declinantes ad dexteram, neque ad sinistram? Est planè quia inter utrumque istum errorem, & Calvinistarum, & Pelagianorum, Catholica procedit veritas; dum contra Pelagianos docet, Christi Passionem; & mortem, & aliorum Sanctorum Martyria à divina voluntate absolutè esse dispositа; & contra Calvinistas tenet nullo modo inde sequi, Deum peccati alicujus esse authorem, vel peccatores illos ad crucifigendum Christum incitasse. Imò qui contendunt, id sequi, ipsi sunt, qui Calvinistarum approbant illationem, & consequentiam, in qua Calvinus ipse erravit. Hæc enim in hac parte Calvini fuit consequentia. Si Deus absolutè ordinavit Christi Passionem & crucem, fuit peccati crucifigentium author, & illos ad crucifigendum Christum incitavit; sed Deus absolutè ordinavit Christi Passionem & crucem: ergo peccati crucifigentium fuit author, & illos ad crucifigendum Christum incitavit. In quo syllogismo, ut patet concludit Calvinus hæresim manifestam, quam intulit ex prædicta majori; nam in minori non erravit, quia illa minor, quòd videlicet Deus absolutè ordinavit Christi Passionem & mortem, de fide est contra Pelagianos. Igitur necesse fuit quod in majori illa erraverit; quia pessimè dixit, quod si Deus absolutè ordinavit Christi Passionem, peccati crucifigentium fuerit author. Erravit ergo Calvinus in illa majori, & in conclusione; cujus conclusionis error fundatur in majori illa. Qui ergo modo dicunt, atque contendunt, illam majorem esse veram, sicut in terminis recentiores affirmant in hac assertione sua 43. quam impugnamus, quid aliud faciunt, quàm principium erroris Calvini fundare? Quid aliud agunt, quàm illationem, & consequentiam Calvini, ex illo pravo deductam principio confirmare. Quid aliud dicunt, nisi quod Calvinus non erravit in illa majori? Quod est adjuvare Calvinum in potissimo sui erroris fundamento.

250. Quod ut appareat evidentius, constituam in forma syllogismum alium, in quo Pelagiani errarunt, in hac parte, qui talis est. Si Deus absoluta sua voluntate ordinavit Christi Passionem & crucem, peccati crucifigentium fuit author; sed non potest Deus alicujus peccati esse author: ergo non potuit absoluta voluntate Christi Passionem & crucem ordinare. In quo etiam syllogismo error concluditur, non ex minori, quia minor de fide est, quòd videlicet Deus non est author peccati: ergo ex majori illa relata, ex qua tanquam ex fundamentali principio utrique diversam minorem Catholicam subsumentes, conclusionem hæreticam concluserunt. Et sic Calvinistæ, & Pelagiani, licet in conclusione sint oppositi, ut ex syllogismis modò formatis constat, tamen in illa majori conveniunt, & in illatione quæ ex ipsa desumitur. Et hac ratione diximus quod sententia Fausti Semipelagiani, & aliorum, qui illius loquuntur sententiam, cum Calvino consentit, & ejus partes adjuvat, & illius approbat pessimam illationem: & cum ipso Calvino in illo erroneo principio, quod totius sui erroris in hac parte est initium, convenit manifestè.

251. Contra utrosque autem Catholica veritas mediam viam tenens, hac utitur demonstratione utriusque erroris confutativâ, atque destructivâ Et absoluta Dei voluntate, qua ordinavit Christi Passionem, & crucem, nullo modo sequitur, quod peccati crucifigentium fuerit author; sed Deus absoluta voluntate ordinavit Christi Passionem, & mortem: ergo nullo modo peccati crucifigentium fuit author. In qua demonstratione, conclusio, major & minor habentur ex fide; & per illam majorem evertitur illa alia major, quæ fuit omnium errorum principium; & per minorem destruitur error Pelagianorum; & per conclusionem damnatur hæresis Calvinistarum.

CAPUT XXV.

Quòd Christi Domini passio fuerit à Deo absolutè volita probatur ex Patribus.

252. FIRMITER ergo tenendum, & nullatenus dubitandum, Christi Domini Passionem, & crucem à divina fuisse voluntate absolute volitam, atque dispositam: hanc enim veritatem, quæ (ut dictum est) errores evertit Pelagianorum, & Calvinistarum, Patres docent aperte. Leo magnus ita *in serm. 9. de Passione* affirmat. *Sacramentum Dominicæ Passionis in salutem generis humani, ante tempora æterna dispositum.* Et *in salvandis enim hominibus per Crucem Christi communis erat voluntas Patris, & Filij, communeque consilium, nec ulla poterat ratione turbari, quod ante æterna sæcula, & misericorditer erat dispositum, & incommutabiliter præfinitum* Et ser. 16. *Cum ergo omnia* (ait) *quæ in Christum Judaica admisit impietas, tanto ante prædicta sint, ut non tam de futuris quàm de præsentibus Propheticus sit sermo contextus: quid aliud nobis, quàm sempiternarum dispositionum, Dei immutabilis ordo reseratur, apud quem & discernanda jam diu dicata, & futura jam facta sunt?* Quibus in locis apertissimè docet Christi Domini Passionem, & crucem à divina voluntate esse volitam, ab æterno incommutabiliter dispositam. Quam æternam & incommutabilem dispositionem Dei probat Pontifex summus ex illo act. 4. *Convenerunt ..... facere quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri.*

253. Sanctus etiam Pater Augustinus tract. 119. in Joan. sic ait. *Quis potest, quæ facit, ita disponere, quomodo disposuit homo iste, quæ passus est? Sed homo est mediator Dei & hominum; homo de quo prædictum legitur, & homo est, & quis cognoscet eum? Quoniã homines per quos hæc fiebant videbant hominẽ, sed non cognoscebant Deum. Homo namque apparebat, qui Deus latebat: patiebatur hæc omnia, qui apparebat, & idem ipse disponebat hæc omnia: qui latebat.* Ecce S. P. Augustinus semel atque iterum docet Christi Domini Passionem & crucem ab ipso Christo, in quantùm Deus erat esse dispositam. Similia multa tum ex Sancto Augustino, tum ex Hieronymo, Ambrosio, Gregorio, Chrysostomo ex locis in quibus ex professo de Passione Domini loquuntur, inducere possem nisi timerem in re adeò nota, & clara apud Patres, nimis immorari, & in longum abire. Unde unum tantùm inducam Sanctum Thomam, qui Sanctorum Patrum fuit semper sequutus doctrinam.

254. Sanctus ergo Thomas *3. par. quæst. 47. art. 3.* manifestè probat, Christi Passionem & crucem fuisse à Deo volitam & æternaliter dispositam: ibi enim agens quomodo Pater æternus Christum morti tradidit, non tantùm pro ratione assignat, quod eum à persequentibus non protexit, vel mori permisit, sed etiam quia ei patiendi voluntatem per charitatem

Digitized by Google

charitatem inspiravit; & quia æterna sua voluntate Christi Passionem ad humani generis liberationem prædestinavit. Ex hoc testimonio convincitur, Leonardum Lessum malè divinas provenientes inspirationes negasse in anima Christi, de quo nec agendum putamus, conclusionem nostram D. Thomas probat ex illo Isaï 53. *Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum* & ex illo *Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* Ex quibus testimoniis probat Doctor Sanctus, voluisse Deum atque disposuisse æternâ sua voluntate Christi Passionem, & crucem; sicut Leo Magnus idem, ex illo alio act. 4. probaverat priùs.

255. Unde mirandum est maximè, quod recentiores isti Theologi, suam singularem sententiam (sed cum Fausto communem) qua contendunt adversus Patres, non fuisse Christi Passionem à divina voluntate volitam, & præparatam, sed permissam tantum: laborent in litera Sancti Thomæ illius citati articuli fundare, inducentes pro se rationes duas in illo articulo positas, & aliam priorem & principalem in illo articulo primo loco expressam, dissimulantes, seu omittentes; quod animi est sanè parùm candidi, & veritatem non sanè quærentis. Sanctus enim Thomas hanc rationem, quam ipsi omittunt, sicut omnium aliarum fundamentalem & primam, primo loco, ut dixi, constituit, docens æternum Patrem Christum morti tradidisse, quia æterna sua voluntate Christi Passionem ad humani generis liberationem præordinaverat, quam veritatem ex Scriptura sacra comprobavit. Quid clariùs, vel quid apertius pro antiqua Sanctorum Patrum doctrina, & contra hanc Recentiorum potuit Sanctus Doctor exprimere.

256. Dicent fortè, se tantùm inducere Sanctum Thomam ad probandum ex ipso, sufficere, ut æternus Pater dicatur filium percutere, vel morti tradere, quod illius mortem permiserit, & illum à persecutoribus non protexerit; nec oportere ad ista verificanda, quod Pater æternus illius voluerit Passionem, & mortem: quod & sic potuerunt in doctrina Sancti Thomæ fundare: Quia Sanctus Doctor quæst. citata art. 1. docet expressè, illud Joann. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego ponam*, verificari de Christo Domino, quia cum potuisset ipse mortem suam impedire, eam tamen impedire noluit: ergo secundùm Sanctum Thomam, ut verificetur, quòd æternus Pater morti tradiderit filium, sufficit quòd mortem illius non impedierit, cum posset, sed illum tantum mori permiserit.

257. Ad quod dicendum primò, quòd loquendo de humana Christi voluntate id concessit Sanctus Thomas in illo art. 1. citato, ob quam rationem dixit in illo expressè, humanam Christi voluntatem fuisse suæ occisionis causam indirectam, quia videlicet illam cum posset, non prohibuit. At verò loquens in art. 3. citato non de humana Christi voluntate, sed de voluntate Dei, non solùm docet, fuisse hoc modo indirectam causam Passionis Christi, sed expressè affirmat fuisse illius causam directam, in quantùm Passionem ipsius ab æterno disposuit. Unde contra apertam Sancti Thomæ sententiam testimonium quærunt in art. 1. ad negandam expressam doctrinam in art. 3. cum de alia & alia voluntate; & de alia, & alia causa, directa, vel indirecta in utroque loquatur.

258. Dicendum est secundò, quòd in illo articulo primo Sanctus Thomas illud ex professo tractabat; an Christus fuerit occisus à seipso. Unde de causa occidente, vel de actione occisionis sermo erat. Quare & docuit, quòd persecutores directè ipsum occiderunt, ipse autem Christus indirectè suæ occisionis fuit causa, in quantùm videlicet, cum illam prohibere posset, non prohibuit. At verò agens in art. 3. citato de divina voluntate, quomodo videlicet tradiderit Christum Passioni, docet, quòd hoc verificatur primò, quia Deus ejus Passionem ab æterno decrevit, & præordinavit: per quem modum divina voluntas non causa indirecta, sed directissima fuit Passionis Christi. Docet secundò quod ex ratione alia, dicitur Deus, Christum Passioni tradidisse, quia ei patiendi voluntatem per charitatem inspiravit: Quo etiam modo non indirecta, sed prima & directa causa fuit Passionis Christi: sicut ipsa humana voluntas, hoc etiam modo proxima causa fuit directè volens Passionem ejus. Docet tertio quod & alio modo fuit divina voluntas causa Passionis Christi, quia videlicet eum à persecutoribus non protexit, sed illum ipsis exposuit. Ubi notandum circa illum secundum modum, quod licet secundùm Sanctum Thomam, & veritatem, humana Christi voluntas occisionis suæ activè sumpta fuerit tantùm causa indirecta, ut in primo articulo modo citato docuit; tamen Passionis suæ non solùm fuit causa indirecta, sed causa directè illam volens, atque desiderans ut Patris obediret præcepto, ut expressè in illo articulo tertio docet.

CAPUT XXVI.

Christi Domini Passionem fuisse à Deo absolutè volitam rationibus ostenditur.

259. SUNT etiam pro hac veritate ex divina Theologia rationes, imo ex scriptura: Act. enim 4. dicitur *Convenerunt..... facere quæ manus tua, & Consilium tuum decreverunt fieri:* Decrevit ergo Deus, voluit, atque disposuit fieri omnia, quæ in Passione Christi sunt facta: ergo decrevit, & voluit Passionem ipsam: Non ergo tantum permisit, ut Recentiorum tenet sententia. Certè etsi nullus alius esset scripturæ locus præter istum modo citatum, vel ille solus sufficere deberet ad totaliter rejiciendam sententiam, quam improbamus; cum potissimè Leo Primus ex illo, ut diximus cap. præcedenti, apertè convincat, Christi Domini Passionem, & Crucem æterna fuisse voluntate dispositam, & præparatam. Circa quod testimonium, & illud expositores observant, illud non dicere decrevisse Deum facere, quæ persecutores adversus ipsum fecerunt; quia illorum actionem malam Deus nullo modo decrevit, seu disposuit; sed tantùm voluisse, atque disposuisse Christi Passionem bonam, quæ importatur illo verbo *decrevit fieri.*

260. Præterea, si Christi Passio non fuit à divina voluntate absolutè volita, æternoque ejus decreto præordinata, atque disposita: Ergo non voluit absolutè per filij sui mortem humanum genus liberare: hoc autem dici non potest: ergo nec illud aliud. Patet sequela, quia ad salvandum, quod Deus absolutè voluerit humanum genus per filij sui mortem redimere, non sufficit, quod illam tantùm ipse permiserit, suppositâ præscientiâ Judaïcæ perfidiæ: Probatur, quia permittere aliquid, non est ipsum velle; permittit enim Deus peccata, quæ tamen non vult: Ergo ex eo solùm quod Deus permiserit Judæis occidere Christum, non salvatur quod absolutè voluerit per mortem Christi mundum liberare.

261. Insuper, Scriptura sacra docet, quod Pater æternus percussit Christum; quod posuit in eo iniquitates omnium nostrum; quod voluit conterere eum in infirmitate, sed hæc omnia non verè ac propriè salvantur, si tantùm dicatur, quod ideo percussit, quia percuti permisit, vel quia illum à persecutoribus non protexit: Ergo ideo dicitur, quod percussit, quia ut percuteretur, ipse voluit. Minor patet, quia si

Digitized by Google

permittere tantùm quod Christus percutiatur, sufficit ad salvandum quod Pater illum percussit : Ergo pari ratione cum permisit Deus Judæos, & à Diabolo & à se stimulatos adversus Christum illum persequi, hæc permissio sufficiet, ut dici possit, quod Deus illos stimularit, & incitarit adversus Christum : cum ergo tali permissione positâ hoc nullo modo sequatur, etiam sola permissione percutiendi, non sequitur, quod Deus Christum percusserit, igitur ad salvandum quod Deus Christum percusserit, ut expressè docet scriptura, dicendum est, quod illum percuti voluit, atque disposuit ; Potissimè, quia ita Sanctus Thomas illa testimonia exposuit propriè & ut sonant, ut supra manet declaratum : Unde ad permissionem non est recurrendum.

262. Præterea, si Deus non potuit absolutè velle atque disponere Christi mortem, nisi peccati Crucifigentium Author existeret : ergo nec ipse Christus potuit ex obedientia velle pati, nisi simul voluerit, quod Judæi illum occiderent ; & ex consequenti non potuit velle Passionem suam, nisi simul voluerit Crucifigentium peccatum ; sed peccatum Crucifigentium, ipse velle nulla ratione potuit : Ergo nullo modo potuit velle ex obedientia mori. Quod expressè contradicit illi. Isai. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Sicut ergo omnes fateri tenentur, quòd voluit Christus pati, ut Patri suo obediret, absque eo quòd voluerit malam Crucifigentium actionem : Ita optimè salvatur, quòd voluerit absolutè æternus Pater Christi Passionem, & Crucem, absque eo quòd voluerit pessimam Crucifigentium actionem.

263. Concludendum est ergo, quòd supposito hominum lapsu, Deus absolutè, & efficaciter voluit Christum pati, & ejus Passionem præordinavit in generis humani liberationem ; quod propositum, ut impleret, Judæorum malitiam permisit : sicut absolutè voluit Joseph in Ægypto exaltare ad populorum sustentationem : & ut hoc suum impleret propositum ; fratrum peccatum & venditionem permisit. Similiter, ut etiam ad Martyres veniamus, absolutâ suâ voluntate voluit Deus, atque disposuit aliquos esse Martyres, & Christo in Passione conformes, ac ut propter ipsum specialis cruciatus, tormentaque paterentur, & fortiter tollerarent ; sed ad hanc implendam circa illos suæ gratiæ largitionem, malitiam Tyrannorum permisit : quam nec permitteret, nisi inde, illud magnum bonum patientiæ Martyrum, quod intendebat, educeret, ut vera, & communis est Theologorum sententia.

CAPUT XXVII.

Respondetur argumentis in oppositum.

264. Sed Recentiores cuidam sophistico adhærent argumento, ut sententiam suam defendant ; quod & tale est. Quando in eodem motu, actio est malâ, & ex consequenti non est à Deo ; etiam Passio separabiliter illi actioni conjuncta esse à Deo non potest ; quia Passio non aliter efficitur nec est ab agente, nisi per actionem ; quare si actio tunc non est à Deo ; nec Passio quæ per illam infertur, & quæ cum illo actione conjuncta est in eodem motu, erit à Deo.

265. Sed huic argumento communis, verissimaque est solutio, non solum à Scholasticis recepta, verùm à Sanctis Patribus antiquitùs tradita, qui perpetuò docuerunt, passionem, quæ consequitur ad actionem malam, posse esse bonam ; & ex consequenti bonam Passionem à Deo esse volitam, actionem autem malam tantùm permissam. Hoc in primis docuit Leo Primus, qui citatis locis præcipuè ser. 16. postquam docuit Christi Passionem, & Crucem à Deo fuisse volitam, atque dispositam : mox quasi Calvini solvens argumentum, & omnium aliorum, qui putant inde sequi, quòd Deus peccatum Crucifigentium voluerit, aut illorum malam actionem, ita ait. *Nunquid iniquitas persequentium Christum, ex Dei est orta consilio ? & illud facinus, quod omni majus est scelere, manus divina præparationis armavit. Non hoc planè de summa justitia sentiendum est ; quia multùm diversum, multùmque contrarium est, id quod in malignitate Judæorum est præcognitum, & quod in Christi est Passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi : nec de uno extitit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia Redemptoris. Non enim has impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit, nec præsciendo, quod faciendum esset, coëgit ut fieret, cum tamen ad hoc carnem susceperisset, ut fieret.* Quibus verbis apertè distinguit. Leo Magnus de actione pessima, atque sacrilega à Deo non volita, sed tantum permissa ; & de Passione Christi optimè à Deo volita atque disposita, docens apertè, quòd utraque non ex eodem spiritu, nec ex eodem procedit principio. Cujus sententiam sequens Sanctus Thomas illam clarè confirmat, atque manifestat *3. par. quæst. 47. citata art. 3. ap 3.* In quo loco aliis verbis idem Recentiorum argumentum constituit & eidem sic respondet. *Ad tertium dicendum, quòd eadem actio diversimodè judicatur in bono, vel in malo, secundùm quod ex diversa radice procedit. Pater enim tradidit Christum, & ipse semetipsum ex charitate & ideò laudantur. Judas autem tradidit ipsum ex cupiditate, Judæi autem ex invidia, Pilatus ex timore mundano, quo timuit Cæsarem, & ideò ipsi vituperantur.* In his verbis Sanctus Thomas non solùm de Passione, sed de actione tradendi Christum in mortem loquitur, affirmans quòd eadem actio tradendi secundùm quod ex diverso procedebat principio, erat bona, vel mala ; à Deo volita, vel non volita.

266. Sed dices, hunc Sancti Thomæ locum minùs benè ad propositum adduci, quia non loquitur de eadem numero, actione, & de Passione illi inseparabiliter conjuncta, sicut præsens procedit quæstio ; sed loquitur de diversis actionibus tradendi Christum in mortem ab invicem distinctis, quæ à diversis procedunt principiis.

267. Ad hoc dicendum, substantialem solutionem in hoc consistere, quòd illa actio tradendi Christum in mortem secundùm quod à Deo procedit ex ejus eximia charitate, bona est ; & similiter Passio secundùm quod illi bonæ actioni correspondet, & sequitur ad illam, bona est.

268. Ex quo in forma ad argumentum respondetur primò, quòd licet Passio conjuncta actioni malæ, secundùm quod ex tali prima actione consequitur, & illam involuit, bona non sit, nec à Deo volita, sed tantùm permissa : tamen Passio Christi secundùm quod correspondebat actioni bonæ, quâ Pater ex magna charitate disposuit, ipsum morti tradere, bona fuit, & à Deo efficaciter volita atque disposita.

269. Respondetur secundò, optimè stare quòd Deus voluerit Passionem, non tamen malam actionem ad quam consequuta est : solùm enim permisit talem actionem ; & hoc tantùm sequitur. Quod adeò verum est, ut etiam id Recentiores fateantur ; dicunt enim, quòd potest esse actio moraliter mala, & à Deo non volita sed permissa ; Passio verò potest esse bona, & à Deo volita ! Quod tali exemplo declarant. Si enim aliquis injustè alium occidat, ejus malam actionem Deus non vult, sed permittit : potest autem (ut aiunt) velle, ut interfectus patiatur talem mortem ob

sua

Digitized by Google

ſua delicta, eâque de cauſa talem actionem malam permittere. Sic dicit Molina (quem ſicut in aliis ita in hoc Recentiores ſequuntur) in concordia loco ſupra citato. Si ergo jam fatentur, quòd poteſt Deus velle, quòd aliquis homo mortem patiatur, permittendo quòd alius injuſtè illum interficiat: quomodo vel hac ſuâ ſententiâ non convincuntur, potuiſſe optimè Deum velle, quòd Chriſtus innocens ob humani generis reparationem pateretur; & ad hoc permiſiſſe quòd Judæi ipſum injuſtè occiderent? Certè ipſi videant, à ſeipſis argumentum in quo confidebant apertè ſolutum. Et ratio eſt, quia optimè ſtare poteſt, quòd Paſſio bona ſit conjuncta actioni malæ, & ad ipſam ſequatur; nec eſt neceſſe quòd qui vult illam Paſſionem, velit actionem malam cui conjungitur, ſed ſatis eſt, quòd talem malam actionem permittat. Unde rectè Card. Bellarminus dicit lib. 2. de amiſſ. grat. & ſtat. peccat. cap. 11. *Reſpondeo. In malis operibus ſæpè accidit, ut actio ſit mala, & Paſſio bona. Venditio enim Patriarchæ Ioſeph, & occiſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſi conſiderentur ex parte agentium, id eſt vendentium, & occidentium, ſcelera erant graviſſima: ſi ex parte patientium, videlicet Ioſeph, & Chriſti æquo animo ferentium venditionem, vel mortem, opera erant ſummæ patientiæ, ac per hoc erant valdè bona. Deus ergo voluit, ac prædefinivit opera iſta virtutum, quæ in Paſſione conſiſtunt, cum voluit, ac prædefinivit, ut Ioſeph venderetur, & Chriſtus occideretur. Opera autem mala vendentium Ioſeph, & occidentium Chriſtum, non voluit, nec prædefinivit, ſed præſcivit, & permiſit, ut multi Sancti Patres ſupra citati docent, & in ijs Auguſtinus, Proſper, Fulgent. qui accuratiùs de his rebus diſſeruerunt.*

270. Confirmantur, & explicantur hæc omnia. Dictum eſt enim ſupra, quòd eadem actio peccati ſecundùm quod ab homine procedit, peccatum eſt, habens conjunctam, & inſeparabilem malitiam: ſecundùm autem quod à Deo cauſatur, peccatum non eſt, nec ut ſic habet malitiam; quia Deus vult & cauſat illam actionem, præcisè quatenus actio & entitas eſt. Sic ex Sancto Thoma definivimus ſupra hoc ſecundo libro agentes de modo, quo Deus prædefinit actionem, quæ eſt in peccato, quatenùs actio eſt: ergo à fortiori actio tradendi Chriſtum, & ejus Paſſio ſecundùm quod à Deo procedit & ex ejus magna charitate, bona eſt, & à Deo volita, atque cauſata: & hoc eſt primum, quod dici debet: ſimiliter fuit volita Paſſio ipſius ſequta ex mala actione Crucifigentium; & hoc eſt ſecundum: Non fuit autem peſſima illa actio volita, ſed tantùm permiſſa; hoc eſt tertium & hæc tria concedenda omninò videntur.

271. Sed dices, poteſt-ne hoc quartum concedi, quòd videlicet fuerit à Deo volita Chriſti Domini Paſſio ſecundùm quod ex mala Judæorum actione procedebat, cum hac ſpecificatione, vel reduplicatione expreſſa.

272. Ad hoc dicendum, id quidem poſſe concedi, dummodo dicatur, fuiſſe volitam Paſſionem Chriſti ſecundùm quod ſequebatur ex mala Iudæorum & Crucifigentium actione à Deo tantùm permiſſa, ita ut Paſſio ſecundum illam ſpecificationem, ſeu reduplicationem expoſitam, involvat actionem malam illorum ſolùm à Deo permiſſam. Quod eſt clariùs dicere, voluiſſe Deum Chriſti Domini Paſſionem, ut ſequtam ex mala actione Iudæorum permiſſa. Et ſicut vult Deus & cauſat actionem, quæ eſt in peccato; & permittit quòd malitia ſequatur ad actionem illam, ſecundum quod ab homine fit; ita in hoc caſu vult Deus, & cauſat Paſſionem Chriſti, permittendo quòd perſecutores illam injuſtè cauſent. Imò ut idem omninò caſus ſit: eadem numero actio, qua Crucifigentes, injuſtè Chriſtum interficiebant, ſecundum quod ab illis procedebat, iniquiſſima erat, atque injuſta, & à Deo permiſſa tantum; ſecundum quod à Deo procedebat, juſta erat, & ſancta, ab ipſo abſolutè volita atque diſpoſita. Et de hac numero actione, variata formaliter in bonum, vel in malum, ſecundùm quod à diverſo principio bono, vel malo procedebat, intelligo etiam procedere doctrinam Sancti Thomæ in illo articulo tertio citato ſolutione ad tertium, conformiter ad ejuſdem Sancti Doctoris doctrinam de entitate ejuſdem numero actionis, quæ eſt in peccato, per reſpectum ad diverſa principia, ut ſupra abundè monſtravimus.

CAPUT XXVIII.

Quòd etiamſi aliquibus ſufficientia auxilia non darentur, ſalvatur tamen quòd Chriſtus ſit omnium in univerſum Redemptor.

273. AD totius hujus doctrinæ de merito Chriſti complementum, aliud oportet aperire, quod ij Authores reputant evidens, & pro magno opponunt, quod ſi aliquibus auxilium ſufficiens denegaretur, Chriſtus univerſorum Redemptor non eſſet: quod licet ſupra tactum fuerit; hîc ſub brevitate videamus, quænam ſit conſequentia ſeu illatio iſta. Si omnibus non dantur ſufficientia gratiæ auxilia ad ſalutem neceſſaria, Chriſtus non erit omnium Redemptor, quam reputant ij Authores evidentem: Unde ut ſalvent Chriſtum omnium in univerſum eſſe Redemptorem, affirmant, omnibus in univerſum dari à Deo auxilia gratiæ ad ſalutem neceſſaria. Quare ipſorum ſententia eſt. *Deus voluit dare Chriſtum in Redemptorem pro omnibus nullo excepto. Ergo omnibus præparavit ſufficientia remedia per Chriſtum; quia eatenus eſt Chriſtus omnium Redemptor, quatenùs per ipſum dantur omnibus ſufficientia auxilia, quibus reſurgent à peccatis; niſi enim darentur ſufficientia, verus non eſſet Redemptor; quia nec quoad ſufficientiam, nec quoad efficaciam Redemptor eſſet.* Ita publicaverunt Lovanij prædicti Authores, ut retulimus ſupra libro 1. part. 1. tract. 6. cap 18.

274. In hac parte de antecedente à nobis agendum non eſt, ſed de illatione: nec enim modò diſputare intendimus, an Deus omnibus in univerſum, nullo excepto, det auxilium gratiæ generale, quod ſolet vocari ſufficiens; & an illud infallibiliter conferat omnibus bene facientibus quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus: Iſtæ enim difficultates infra in quarto hujus operis libro accuratiùs, & diligentiùs erunt explicandæ, juxta tenorem Aſſertionum, quas ex Recentioribus in illum librum tranſmiſimus. De illatione ergo ſecundùm quod præſens poſtulat materia, tantùm tractabimus: utrum videlicet ſequatur, Chriſtum non eſſe in univerſum omnium Redemptorem, ſi omnibus auxilium ſufficiens non detur, juxta ſenſum illorum modò traditum, & explicatum. Hanc difficultatem jam ſupra hoc ſecundo libro in examine illius Aſſertionis, an parvuli omnes habeant ſufficiens ſalutis remedium, ex parte tetigimus: Unde ſicut ibi oſtendimus, nullam eſſe illationem, & conſequentiam, qua infertur, Chriſtum Dominum non eſſe omnium parvulorum Redemptorem, ſi aliqui parvuli ſufficiens ſibi applicatum remedium non habeant; Ita, & nunc univerſaliter dicimus, nullo modo ſequi, Chriſtum omnium Redemptorem non eſſe, ſi aliquibus negetur gratiæ auxilium generale, quod ſolet dici ſufficiens ad ſalutem. Itaque quidquid ſit de antecedenti, an omnes nullo excepto tale auxilium habeant, vel non habeant; quod, ut diximus, infra declarabimus, hoc tamen certum eſt, quòd licet aliqui-

Digitized by Google

bus tale auxilium non detur, nullo modo sequitur, Christum omnium Redemptorem non esse: Imò optimè salvatur, quòd omnium in universum Redemptor sit, etsi aliquibus generale salutis auxilium denegetur.

275. Primò, quia, ut supra agentes de parvulorum prædestinatione & reprobatione ex Sancto Prospero ostendimus; illatio illa fuit olim Semipelagianorum argumentum contra Sancti Augustini veram doctrinam, ut constat ex Sancto Prospero *in respons. ad 9. cap. Gallorum.* Sic enim illi sententiæ Sancti Augustini opponebant. *Quòd non pro totius mundi Redemptione salvator fuerit crucifixus.* Quam objectionem ex duplici sententia Sancti Augustini deducebant. Primò ex prædestinatione aliquorum secundum propositum. Secundò, ex eo (ut quarto libro explicabimus) quòd Sanctus Augustinus dicebat, supernaturale gratiæ auxilium aliquibus non dari. Sicut enim ex primo capite deducebant non fuisse Christum Crucifixum pro omnibus quoad efficaciam. Etiam ex isto secundo capite inferebant, nec pro omnibus fuisse mortuum quoad sufficientiam. Cui objectioni Sanctus Prosper, ubi supra, ita respondet (& verba sunt attendenda) *Cum itaque rectissimè dicatur salvator pro totius mundi Redemptione Crucifixus propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem; potest tamen dici pro his tantùm Crucifixus, quibus mors ipsius profuit.* Quibus verbis docet quoad efficaciam pro his tantùm mortuum fuisse Christum, quibus mors Christi profuit qui sunt prædestinati: quoad sufficientiam autem docet etiam Christum mortuum fuisse pro Redemptione totius mundi; reddensque hujus rationem non dicit. Ideò pro omnibus fuisse mortuum, quia omnibus dat gratiæ sufficientia auxilia; sed quia suscepit pro omnibus humanam naturam in primo parente deperditam. Et explicans magis hanc rationem *in sent. sententiæ* ait. *Qui dicit quod non pro totius mundi Redemptione Salvator sit Crucifixus, non ad sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem.* Idem fuisse argumentum Vincentij contra doctrinam Sancti Augustini refert idem Sanctus Prosper *in respons. 1. ad objectiones Vincentianas*; ubi & illud respondet Sanctus Prosper. *Quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi Redemptio est totius mundi.* Quibus verbis, manifestè dicit, ideò meritò dici quòd Christus mortuus pro omnibus fuerit, quia quantùm ad virtutem, & potentiam; Passionis ejus virtutem superabundantem habet ad universum mundum salvandum. Unde ipse Sanctus Prosper (ut quarto libro ostendemus, palam docet non omnibus de facto dare Deum gratiæ auxilia aliqua, ut patet ex *responsione ad 4. objectionem Gallorum*, & *in sent. 4.* ubi sic habet. *Item qui dicit, quòd non omnes vocentur ad gratiam; si de his loquitur, quibus Christus annunciatus non est, reprehendi non debet, quia scimus quidem in omnes fines terræ Evangelium destinatum, sed non putamus jam in omnibus terræ finibus prædicatum. Nec possumus dicere, quòd ibi sit gratia vocatio, ubi matris Ecclesiæ adhuc nulla est generatio.* Cum inquam, tam apertè Sanctus Prosper doceat non omnibus dari auxilium sufficiens: quod & prosâ contra ingratos, & alibi cum Sancto Augustino docet ut infra citato loco monstrabimus, inconcussè tamen fatetur pro omnibus Christum Dominum fuisse mortuum, propter rationem allatam, & alias quæ sequuntur.

276. Sed & Sanctus Thomas idem omnino docet 3. par. quæst. 1. art. 4. in corpore. *Dicendum*, inquit, *quod certum est, Christum venisse in hunc mundum non solùm ad delendum illud peccatum, quod traductum est originaliter in posteros; sed etiam ad deletionem omnium peccatorum, quæ postmodum superaddita sunt. Non quòd omnia deleantur (quod est proter defectum hominum, qui Christo non inhærent, secundùm illud Joann. 3. Venit lux in mundum: (& dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem:) sed quia ipse exhibuit, quod sufficiens fuit ad omnium peccatorum deletionem.* Ecce, ut Sanctus Thomas ostendat, Christum pro omnibus peccatis satisfeciisse quoad sufficientiam, non docet quòd omnibus hominibus sufficiens gratiæ auxilium de facto conferat: sed sicut Sanctus Prosper fecit, ita Sanctissimus Præceptor docet, ideo sufficienter pro omnibus peccatis satisfeciisse, illaque sufficienter deleviisse; quia exhibuit ipse, quod sufficiens fuit ad omnium peccatorum deletionem, nimirum Passionem suam. Idem dicit eadem *3. par. quæst. 49. art. 1. ad 3.* dicens quòd Christus sua Passione nos à peccatis liberavit causaliter, id est, instituens causam nostræ liberationis, ex qua possint quæcunque peccata quandocumque remitti, vel præterita, vel præsentia, vel futura.

277. Igitur, ut Christus cum omni proprietate dicatur omnium in universum Salvator, atque Redemptor quoad sufficientiam, satis est, quòd virtutem sufficientem habeat ad omnes salvandos: & quòd pro omnibus nullo excepto, salutis remedia instituerit: & quòd omnibus in universum possit Christus illa salutis sufficientia remedia dare: & quòd omnibus talia auxilia, & remedia sufficientia per Christum sint exposita, & parata. Nemini autem durum appareat, quòd jam hîc insinuemus, non dari omnibus generalia auxilia ad salutem, nec sententiam præcipitet, quousque nostram sententiam ex professo circa hoc expenderit; visis enim omnibus, tunc poterit formare judicium. Timeo namque cum Sancto Augustino, & Prospero, ne dum prætextu pietatis, omnibus contendimus dari gratiæ generalia auxilia, ipsa ponamus naturæ debita. Et quidem argumentum de parvulis decedentibus absque auxilio gratiæ illis sufficienter applicato, quo triumphavit Augustinus, magnum est, & quid in hac causa tenendum sit, satis apertè demonstrat. Sed sunt rationes aliæ plures à Sanctis Patribus habitæ, quæ commodiùs & accuratiùs in quarto libro, in quo hujus difficultatis propria sedes est, inducentur.

278. Ecce Deo movente, atque adjuvante persolvitur jam dimidiam hujus operis partem in his duobus libris, quibus 43. Assertiones Recentiorum circa divinam scientiam, providentiam, prædefinitiones, & prædestinationem tam adultorum, quam parvulorum, ac Christi Domini, qui omnium illorum est caput, & finis: secundùm quod Dominus dedit, examinatas reliquimus quas prudenti Lectori Theologo examinandas committimus; dum interim alias, quæ circa concursum Dei naturalem ad naturæ opera, & circa concursum gratiæ ad opera pietatis versantur, examinare properamus. Dabit enim Dominus suæ gratiæ largitate, ut quàm primùm duos alios libros; alterum pro naturali concursu Dei; alterum pro adjutorio efficacis gratiæ compleamus. Simul enim integrum opus, plurimis & gravissimis disputationibus apud hanc Sanctam Sedem cum multis ex Patribus Societatis occupati atque detenti, perficere, ac consummare non potuimus.

Finis Libri Secundi.

Digitized by Google

INDEX RERVM
QUÆ CONTINENTVR IN SECUNDA PARTE THOMI PRIMI.

Primus numerus denotat paginam: ſecundus columnam.

ABEL.

DEUS noluit impedire Caïn, ne occideret fratrem ſuum, ut fieret honor Abel juſti. pag. 271. columna 1.

ABJVRARE.

Dei potentiam abjurare æſtimantur, qui contendunt per ejus efficaciam quâ nos ad benè agendum movet, tolli aut lædi noſtram libertatem. 118. 1.

ABSIT.

Abſit aſſerere, parvulos reprobari propter aliena tantum demerita. 50. 1.

Abſit peccatum originale eſſe in parvulis, tantùm alienum demeritum. Ibid.

ABSVRDVM.

Abſurdum intollerabile eſt, ponere in Deo tres ſcientias. 232. 2. vide *Impoſſibile.*

ACADEMIÆ.

Academiæ inſignes, quæ pro prædeterminatione & gratiâ efficaci ſtant. 102. 2. & 140. 1. quatuor in orbe florentiſſimæ. 103. 1.

Academia Lovanienſis graviſſima & in Sanctis Patribus fundatiſſima. 287. 2. decreta ejus de ſcientia media, ibid. & 288. 1. hæc doctiſſima Schola intulit quod ſi conſenſus liberi arbitrij, habeat infallibilem connexionem cum temperamento naturali, non eſt liber ſed naturalis. 245. 1.

Academia Pariſienſis antiquiſſima & florentiſſima quid docuerit in materia de prædeſtinatione & de ſcientia media, 288, 2.

Academia Salmanticenſis, & Quacenſis quid ſenſerint de ſcientia media. Ibidem.

ACTIO.

Actionem malam prædefinivit Deus quatenus actio eſt & quoad entitatem, nec propterea dici poteſt cauſa peccati. 99. 1. & 125. 1.

Actio quæ conſilium præſupponit & ad illud ſequitur non poteſt non eſſe libera, 121. 1. & 140. 2. vide. *Determinatio, Prædeterminatio Prædefinitio.*

ACTVS.

Ad omnem actum liberum divinæ voluntatis non requiritur realis mutatio ex parte creaturæ, ſed ſufficit quod creatura habeat aliquam rationem volibilis, vel abſolutè vel ſub conditione, ut actum illum terminet. 265. 1. & 2.

Actus determinatus non poteſt cognoſci in cauſa indeterminata niſi falsò cognoſcatur. 292. 1.

Actus morales boni prædefiniuntur à Deo, ut media ad fines. 123. 1.

Omnis actus voluntatis importat conjunctionem cum objecto volito; & tamen non facit ſenſum compoſitum. 167. 2.

Actum eſſe humanum eſt eſſe liberum. 106. 1. quinam requirantur ut voluntas de novo incipiat aliquid velle. 186. 2.

ADAM.

Adamo peccante nos cum illo peccavimus. 15. 1. & ſicut ille ita & nos fuimus vulnerati. Idid.

Nullo modo neceſſaria eſt ſcientia media ad determinandam hanc quæſtionem; an ſi Adam non peccaſſet Chriſtus Veniſſet? 292. 1.

ADJVTORIVM.

Adjutorium ſufficiens & adjutorium efficax explicantur ex S. Auguſtino. 123. 1. In primo parente erat adjutorium ſufficiens quo perſeverare poterat, & quod eſt adjutorium ſine quo, ſed non adjutorium quo perſeveraret. Ibid. vide *Auxilium Gratia.*

ÆQVIVOCATIO.

Æquivocatio periculoſa circa ſuppoſitionem antecedentem & conſequentem. 128. 2.

Æquivocationem nullam commiſſit Concilium Tridentinum, ſumendo Verbum (*Poteſt*) aliquando in ſenſu diviſo, aliquando in ſenſu compoſito quia loquitur reſpectu diverſorum. 196. 1.

ÆTERNITAS.

Eſt duratio ſimplex infinita, indiviſibilis & tota ſimul, 331. 2. & 335. 1. & 339. 2. & ſeq. correſpondet tota toti tempori præterito, præſenti & futuro, & tota ſingulis ejus partibus, differentiis & punctis. 335. 1. & 340. 1. nihil eſt illi futurum. Ibid. & ſeq. nullam dicit cauſalitatem reſpectu futurorum, ſed ſolum continentiam. 349. 1.

Deus ex altitudine ſuæ æternitatis omne tempus videt ſimul, 329. 1. & omnes creaturas venientes per tempus ſimul in æternitate intuetur ſecundùm proprias earum exiſtentias. Ibid.

Præſentia rerum in æternitate eſt ratio à priori per quam Deus certò futura intuetur in ſeipſis. 345. 1.

Ex reali coexiſtentia rerum ad æternitatem, conſequitur manifeſtè illarum certa cognitio & viſio intuitiva. 341. 1.

Impoſſibilis eſt modus, quo res creatæ, ita dicuntur eſſe in æternitate præſentes, ut priùs per anticipationem

Digitized by Google

pationem habeant in illa proprium esse extra suas causas, quam sint illud habituræ in seipsis vel in tempore. 332. 2. & 345. 2.

Res creatas non esse ab æterno, aut æternas, aut in æternitate tanquam in propria mensura fide Catholicâ credendum est. 336. 2. unde ex eo quòd sint realiter præsentes in æternitate, non sequitur quod sint æternæ vel ab æterno. 332. 1.

Cum dicuntur res creatæ; coexistere æternitati nihil aliud importatur quàm illas esse in sua propria temporis duratione, quę in æternitate continetur. Ibid.

Non ideo præcisè res creatæ cœxistunt æternitati, quia continentur in ente per essentiam, sed solùm quia æternitas continet illarum durationes. 334. 2.

Neque existunt in æternitate tantùm secundùm esse cognitum vel secundùm veritatem objectivam. Sed secundum realem existentiam. 335. 1. & si coexistant Deo in æternitate, non coexistunt tamen inter se sibi ipsis, quia non coexistunt Deo in mensura ipsis rebus proportionata & adæquata. 345. & seq. Ideo solum futura habent esse in æternitate, quia sunt illud habitura in tempore 332. 2. nulla res potest Deo coexistere in æternitate, nisi Deus eam velit vel permittat. 293. 2.

Lumine rationis demonstratur Deum ex æternitate suâ omnia futura contingentia cognoscere antequam fiant. 295. 2.

Tripliciter formari possunt propositiones de existentia futurorum ad æternitatem. 346. 2.

Quando dicitur. *Futurum existit in æternitate: Ergo existit*: arguitur à superiori ad inferius affirmativè, & nulla est consequentia 347. 2. vide, *Futurum. Contingens. Scientia media, Propositio.*

ÆVVM.

Mensurat substantiam Angeli, non ejus cognitionem. 348. 1. vide *Angelus.*

AGENS.

Deus est agens intrinsecum & extrinsecum, 139. 2. propter quinque rationes dicitur agens intrinsecum. Ibidem.

Contra violentiam agentis creati statuitur influentia Dei, quæ violentiam non infert. Ibid. vide *Deus. Libertas. Causa. Voluntas.*

AGERE.

Agere ex necessitate naturæ, est agere secundùm ultimum potentiæ. 74. 1.

ALEXANDER.

Alexander Alexandriæ Episcopus testatur Arianos usos fuisse scientiâ mediâ, ad defendendos suos errores, 211. 2.

Alexander Alensis optimè explicat Sanctum Anselmum. 133. 2.

AMBROSIVS.

Sancti Ambrosij dictum notandum, quod *Deus quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* 114. 1. ejus mors. 46. 1.

AMOR.

Amore charitatis Deus amat reprobum existentem in gratia. 262. 1. & 264. 1.

ANGELVS.

Duodecim legiones Angelorum daturus erat ex decreto Pater æternus Christo Domino si illas petiisset. 262. 1. & 268. 1. & 277. 1.

Angelorum Ævum & tempus discretum, in æternitate, ut est duratio infinita, comprehenduntur. 331. 2.

Cognitiones, quas Angelus habet de creaturis mensurantur tempore discreto. 348. 1.

Angeli non possunt certò cognoscere futura contingentia. 313. 2. non mensurantur æternitate. Ibid.

Non ineptè diceretur Deum præscire Angelos futuros, quia futuri sunt. 325. 2.

ANIMA.

Anima humana est tota in toto corpore & tota in singulis partibus ejus. 335. 1.

Anima sanatur per virtutes Cardinales & Morales. 48. 2.

Corporis ad animam subjectio erat ex justitia originali & non naturalis. 35. 1.

Anima à Deo quæsita non potest ipsum non quærere, & tamen liberè quærit, 150. 2.

S. ANSELMVS.

S. Anselmus, S. Augustini discipulus. 132. 2. & 134. 2. prædefinitiones Dei respectu hominum & humanarum operationum prædicat. 100. 1. prædefinitiones sæculorum ex Apostolo, dicit esse prædefinitionem hominum. Ibid. ejus nomine aliqui periculosam doctrinam mundo proponunt à Sancto tamen alienam. 132. 2. docuit necessitatem ex suppositione antecedente, non lædere libertatem. 132. & 133. tradit regulam de futurorum præscientia. 134. 1. aurea ejus verba notanda. Ibid. mirabiliter explicat libertatem cohærere cum efficacia divinæ voluntatis. Ibid. notat eos qui totam efficaciam tribuunt libero arbitrio, & gratiæ sufficientiam solùm. 136. 1.

ANTICHRISTVS.

Hæc propositio, *Antichristus existit*; est falsa absolutè, sed si addatur, *in æternitate*, abstrahit à tempore præsenti & est vera. 346. 1. & 2.

Hæc *Deus scivit Antichristum futurum*, est necessaria ex suppositione, & absolutè libera; neque est de præterito, nisi solùm apparenter. 351. 2. vide *Propositio, Futurum*, &c.

APOSTOLVS.

S. Paulus Apostolus non ex congruo temperamento sed efficaciâ divinæ virtutis, conversus fuit, vocatio ejus efficacissima, est vocatio secundum Dei propositum. 284. 2.

Apostolus Paulus passim tradit prædifinitiones divinas, divinamque prædestinationem. 92. 2. argumento famosiori, contra divinas prædefinitiones respondet. 95. & 96. & 119. 2. quatuor solutiones ejusdem argumenti. Ibidem.

Apostoli Pauli verba hæc. *Iudicium ex uno in condemnationem*, explicantur. 51. 2.

Sanctus Petrus Apostolus respondet Simoni Mago circa præscientiam futurorum. 325. 1. libertatem arbitrij contra eundem defendit, & prædefinitiones divinas astruxit. 96. 2. solutio ejusdem Apostoli valde notanda. 97. 1. Tria elisit, alia tria concludens. Ibidem.

APPETIBILE.

Est objectum voluntatis, ut est sub apprehensione. 83. 2.

APPETITVS.

Appetitus inordinati superantes rationem, quare magis in uno homine, quam in alio insurgunt, cum omnes æqualiter contraxerint peccatum originale? 37. 1.

APPREHENSIO.

Apprehensio simplex intellectus, non est respectu potentiæ liberæ, sed respectu voluntatis ut naturæ. 187. 1.

ARBITRIVM.

Liberum Arbitrium non fuit extinctum, sed læsum per peccatum originale. 1. per tot. quantùm juvet hujus læsionis intelligentia, ad rectè differendum de justificatione, gratia, prædestinatione, reprobatione ibidem. non fuit tantùm spoliatum donis gratuitis, sed

Digitized by Google

ſed verè in naturalibus læſum. 11. 2. attenuatum & ad tria inclinatum. 27. 2.

Si arbitrium ſit ſuæ determinationis principium ponuntur duo prima principia, ſicut ponebant Manichæi. 122. 1.

Idem actus liberi arbitrij, dicitur aſſenſus per reſpectum ad gratiam excitantem, & cooperatio per reſpectum ad gratiam adjuvantem. 184. 1.

Arbitrium poſita illuminatione & inſpiratione Spiritus Sancti, non poteſt ſe movere ad juſtitiam ſine gratia Dei adjuvante. 185. 1. innatum eſt illi poſſe diſſentire cuicumque inſpirationi & excitationi, ſi ei placuerit. 173. 1. per hoc quod conſentiat Deo vocanti, non amittit potentiam quam habet ad diſſentiendum. 174. 2. poteſt conjungere diſſenſum ſuum cum Deo vocante & excitante ad conſenſum: ſed non cum ſuo conſenſu ibidem. Quomodo efficaciter adjutum retineat potentiam ad non conſentiendum. 184. per tot. Arbitrium liberum de medio tollunt, qui negant præmotionem Dei efficacem 68. 1. id explicatur pulchra comparatione de horologio. ibid.

Arbitrium etiam ſanum, quale fuit in primo parente ante peccatum non poteſt eſſe primum ſuæ determinationis principium. 57. 1. quòd homo benè utatur libero arbitrio ex Deo eſt, tanquam ex cauſa quæ efficaciter & antecedenter hoc facit. 135. 2.

Arbitrium non poteſt ſe movere, niſi prius à Deo moveatur in ſenſu compoſito, id eſt, non poteſt, hæc duo conjungere, quod ſe moveat, à Deo non motum. 68. 1.

ARGVMENTVM.

Argumenta S. Auguſtini ad probandum ignorantiam & infirmitatem non eſſe primordia naturæ conditæ, ſed naturæ vitiatæ. 21. 22. & ſequentibus.

Argumenta varia ex SS. Patribus græcis & latinis deſumpta ad negandas divinas prædefinitiones, proponuntur. 107. & 108.

Argumentum recentiorum contra præmotionem Phyſicam, quòd, videlicet, tollat libertatem; fuit antiquiſſimum Pelagianorum fundamentum. à SS. Patribus Conciliis, & ſummis Pontificibus comminutum & contritum. 68. 1. & 117. 2. illi reſpondet Apoſtolus. 96. 2.

Argumenta proponuntur quibus aliqui conantur probare contingentiam & libertatem eſſe reducendam in humanam voluntatem, tanquam in primam radicem. 64. & 65. ſolvuntur. ibid.

Argumenta quæ fiunt contra divinas prædefinitiones, pugnant contra ipſos ſuos auctores. 122. 2.

Referuntur argumenta quæ videntur probare futura non eſſe præſentia in æternitate ſecundùm proprias exiſtentias. 330. & 231. Potiſſima argumenta quibus utuntur negantes divinas prædefinitiones ſunt hæc, quod lædatur arbitrium, quod deſtruatur gratia ſufficiens, & quod Deus ſit author peccati. 110. 1.

ARISTOTELES.

Ariſtoteles excuſatur ab errore circa præſcientiam futurorum contingentium. 296. 2. benè dixit contingens de ſe determinatum ad unum non eſſe contingens. 325. 2. idque demonſtrat. 243. 2. tradidit diſtinctionem ſenſus compoſiti & diviſi, quando dixit *potentia ſimul eſt ad utrumque oppoſitorum* (in quo eſt ſenſus diviſus) *ſed non oppoſita ſimul* (in quo eſt ſenſus compoſitus.) 161. 2.

ARTICVLVS.

Articulus pariſienſis damnans tanquam errorem ſententiam aſſerentem, falſum eſſe quod omnia ſint à deo præordinata, quia ſi ſic determinata eſſent omnium periret libertas. 119. 2. & 140. 1.

ASPECTVS.

Aſpectui divino ſubduntur quæ per totum tempus aguntur 338. 2. Vide *Conſpectus, Intuitus, Æternitas.*

ATHANASIVS.

Sanctus Athanaſius ſtat pro ſenſu compoſito & diviſo & pro prædeterminatione divina. 152. 1.

AVCTOR.

Auctor operis tripartiti impugnatur. 7. 2. & 17. 2. & ſequentibus. Duo notanda dicit quæ contra ipſum auctorem militant. 270. 1. Auctores qui de gratia Dei non rectè ſentiunt. 45. 1.

Auctores ſcientiæ mediæ convincuntur Deum tribuere ſolum poſſe, hominem autem velle & operari. 63. per totam.

S. AVGVSTINVS.

Magnus poſt Paulum Apoſtolum gratiæ deffenſor. 47. 1. & 294. 2. ejus doctrina per ſummos Pontifices & per Eccleſiam non ſemel approbata ibid. & 8. 2. & 131. 1. à qua recedere tutum non eſt. 8. 2. talis eſt in materia de gratia quod qui illam relinquunt cum Pelagio neceſſe ſit convenire. 294. 2.

S. Auguſtini Doctoris eximij laus magna, quòd ſententiam quam ante hæreſim Pelagij tenuit, poſtea efficaciter impugnavit. 273. 1. contra ejus mentem falsò & cum magna tanti Doctoris injuria dicunt aliqui, ipſum favere contendentibus peccatum originale poſt baptiſmum radi tantùm vel non imputari, & non totaliter tolli. 47. & 48. per tot. Tria dicit notanda in q. 2. ad Simplicianum. 280. 2. Item ſeptem dicit in eadem. q. quæ retractata ſunt in lib. cont. Pelagianos ibid.

Sanctus Auguſtinus perpetuus eſt in neganda ſcientia media. 214. 2. illam ſemper in Semipelagianis damnat. 217. 2. admittit præſcientiam conditionatam quæ ſupponat decretum divinum 216. 2. illam verò quæ dicitur illud antecedere ſemper impugnat ibid. & 222. 1. non ſolum quatenus ponitur cauſa prædeſtinationis vel reprobationis, ſed maximè quatenus ponitur certa ante decretum Dei. 223. 1. vocationi quæ iis temporibus congrua dicitur contradicit & admittit congruam ſolùm ex Deo & efficacem independenter ab humana voluntate. ibid. 2.

S. Auguſtinus mutavit ſententiam qua dixerat Chriſtum noluiſſe prædicare ſuum Evangelium illis, quos nec verbis, nec miraculis ſuis credituros præſciebat. 272. 2. Cuidam quærenti per quas rimas inter tot præſidia innocentiæ peccatum fuit ingreſſum? Reſpondet *quid quæris latentem rimam, cum apertiſſimam habeat Ianuam.* 43. 1.

AVXILIVM.

Auxilium ſufficiens & efficax realiter diſtinguntur. 189. 1.

Habenti auxilium ſufficiens, nihil deeſt ex parte potentiæ, ſed ſolum ex parte applicationis. 123. 2. quod aliquis non habeat auxilium efficax, poſito ſufficienti, ejus culpa eſt, quia reſiſtit. 124. 1. Deus dando ſufficiens offert efficax, & dat, niſi homo reſiſtat. ibidem. Auxilium efficax nulli debetur, nec ullus poteſt illud mereri. ibid. Quomodo in iis quietari debeat intellectus. ibid. Auxilium eminenter ſufficiens & formaliter efficax. 184. 2.

Auxilium efficax propter hominis indignitatem & demeritum denegatur 276. 1. quibus datur miſericorditer datur, quibus negatur juſto judicio non datur ibid. Vide *Gratia, Adiutorium.*

AXIOMA.

Axioma commune quod naturalia in dæmonibus manſerunt integra poſt caſum. 4. 2.

Hoc axioma, *ſicut ſe habet actus ad actum, ita potentia ad potentiam* dupliciter limitari debet 194. 1.

Digitized by Google

Index Rerum.

Axioma tritum, *ſecunda cauſa mota movet, & non mota non movet* 122. 1.

Axioma tritiſſimum, *parvus error in principio fit magnus in fine.* 154. 1.

AZORIVS.

Joannes Azorius quomodo explicat peccatum Adæ fuiſſe poſteris voluntarium. 2. 2.

BAPTISMVS.

In baptiſmo delentur omnia peccata. 48. qui ad gratiam baptiſmi aſſerit poſſe aliquem per ſolum liberum arbitrium pervenire; negat liberum arbitrium fuiſſe per peccatum originale infirmatum. 49. 1.

Baptiſmi forma, falſa eſſet, ſi parvuli eſſent tantum denominatione extrinſecâ peccatores. 50. 2.

BASOLIS.

Baſolis Scoti diſcipulus ſtat pro prædeterminatione decretorum Dei contra ſcientiam mediam. 318. 1. & 2.

BEATVS.

Beati non ſunt deffectibiles, nec peccabiles. 53. 1. habent velleitates ſeu volitiones conditionatas, ſine triſtitia tamen. 266. 1.

BEATITVDO.

Beatitudini præmium promiſit Deus omnibus ſub conditione quod legem ſervarent. 262. 2.

Deus vult beatitudinem reprobo exiſtenti in gratia, etiam voluntate formali, ſed conditionatâ, ſcilicet ſi permanſerit in gratia. 264. 1.

BECANVS.

Quid ſentiat de radice libertatis. 82. 2. ejus argumenta debilia & nullius ſubſiſtentiæ. 83. 2. imponit Doctoribus Catholicis falſam intelligentiam de ſenſu compoſito & diviſo. 164. 2. & hanc diſtinctionem eo modo quo Calvinus explicat, ut illam reddat odioſam. 165. 1.

BELLARMINVS.

Cardinalis Bellarminus dicit hæreticam eſſe ſententiam quæ promittit parvulis ſine baptiſmo vitam æternam naturalem fœlicem. 54. 1.

BENEFICIVM.

Beneficium Dei maximè commendatur, ſi eripiat infantem in gratia à communibus periculis vitæ. 220. 1.

BERNARDVS.

S. Bernardus agnovit ſenſum compoſitum & diviſum. 148. 1.

BONVM.

Totius boni fons & origo divina voluntas. 213. 1.

Bonum rationis poſt peccatum homo facere non poteſt, ſicut in puris naturalibus poſſet. 28. 2.

Tria bona naturalia numerantur. 34. 1.

BRVTVM.

Bruta ideo abſolutâ neceſſitate moventur, quia voluntas Dei antecedens ſic vult quod moveantur juxta propriam naturam. 145. 2. non poſſunt moveri motione morali. 187. 1.

CAIETANVS.

Inter Cajetanum & Scotum difficultas de decreto producendi Antichriſtum reſoluitur. 165. per tot. & ſeq. quæ eſt ejus mens de vulneratione hominis lapſi facta per peccatum originale 41. 2. & ſeq.

CALVINVS.

Calvinus voce admittit & in pravo ſenſu diſtinctionem ſenſus compoſiti & diviſi, re autem illam negat. 153. & 154. illam venenavit malè intelligendo. 164. 2. negavit gratiam moraliter excitantem & objectivè attrahentem. 180. 1. poſuit indeliberatam excitationem quam Deus facit in nobis ſine nobis liberè, ſed ſolùm ſpontè & ſubitò concurrentibus. ibid. poſuit etiam liberum arbitrium extinctum quoad libertatem per peccatum originale. ibid. & 181. 2. non admittit auxilium ſufficiens ſed tantum efficax. ibid. negat gratiam verè adjuvantem, ne cogatur admittere liberum arbitrium quod adjuvetur ibid. 2. in quinque punctis hæretica comprehenditur ejus ſententia circa gratiam & liberum arbitrium. 181. 1. & ex hoc ſequuntur multi errores. ibid. in quo à Pelagianis differat, & in quo cum illis conveniat. ibid. Nullas admittebat motiones morales vel excitationes. 191. 1.

CANON.

Canones in quibus Concilium Tridentinum, verum divinæ, gratiæ adjutorium ſtatuendo errores extremos Pelagianorum & Calviniſtarum damnat. 189. 2.

Canon. 4. ſeſſionis 6. Concilij Trid. de juſtificatione, explicatur. 171. 1. & ſequētibus. Et fuſius 190. & 191. propoſitio hæc in eo contenta, *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum &c.* non importat ſenſum compoſitum, ſed diviſum. 171. 1. & 185. 2. debet dici ſimpliciter diviſa & ſecundum quid compoſita. 172. 2. & ſic ſemper traditur à Sacro Concilio. 175. 1. & 2. accipere illam propoſitionem *in* ſenſu compoſito, eſt dicere motionem Dei, prout ex Deo eſt eſſe inefficacem: quòd eſt contra Concilij mentem & litteram. 178. 2. ſi non *intelligeretur* de motione Dei efficaci, nihil definiret *Concilium* contra Calvinum 177. 1. Debet illa *propoſitio dici* ſimpliciter diviſa. 172. 2. & 173. quomodo ſit vera ibid. aliud eſt dicere liberum arbitrium poteſt diſſentire Deo vocanti & excitanti: & aliud Deo moventi. ibid. 2. primum dicit Concilium, ſed non ſecundum. ibid. & 174. 1. ſex notanda circa hunc canonem. 190. 2.

CAPREOLVS.

Capreolus ſemper negavit pronitatem ad malum eſſe naturalem homini, ſi in puris naturalibus conderetur. 40. 2. quid intelligat per ſimultatem potentiæ & potentiam ſimultatis 162. per tot.

CASSIANVS.

Fuit Semipelagianus. 28. 2. Dogma ejus de peccato originali. ibid.

CASVALE.

Caſuale reſpectu hominis à Deo volitum & prædefinitum eſſe oſtenditur. 105. 1.

CAVSA.

Sicut prima cauſa eſt prior ſecundâ; ita in ſua cauſalitate prior exiſtit. 322. 1. Nulla cauſa creata etiam voluntas habet ita effectum in ſua poteſtate, ut à primâ non dependeat; ſicut in eſſendo, ita & in cauſando. 68. 1.

Cauſæ ſecundæ repugnat eſſe primum liberum, vel primam radicem ſuæ contingentiæ. 74. 1. quæ movet mota, ſi moveatur motu ſimpliciter neceſſario, & non libero; neceſſariò etiam & non liberè movet. ibid. 2.

Cauſa contingens ſe habet ad oppoſita ex propriis meritis & ſecundum ſe. 315. 2. de ratione cauſæ liberæ eſt, quod poſita ſub quibuſcunque conditionibus poſſit non operari. 249. 1. unde definitur quæ præ requiſitis omnibus ad agendum etiam motione Dei efficaci, poteſt non agere, ſcilicet in ſenſu diviſo. 166. 2. Hæc definitio cauſæ liberæ, triplicem poteſt habere ſenſum, unum verum & duo falſa. ibid.

Quod cauſa in ſuo influxu non dependeat, de ratione primi liberi eſt, & contra rationem ſecundi. 139. 2.

Cauſa prima boni ex Deo; cauſa prima mali ex nobis. 113. 1. & 276. 1.

Qui cognoſcit cauſam ex qua certiſſimè procedit effectus, certò in illa cognoſcit effectum. 298. 2.

Cauſa ab eo habet operari, à quo habet eſſe. 105. 2.

Cauſa

Digitized by Google

Index Rerum.

Causa contingens duplex, alia contingens necessaria, alia contingens libera. 59. 1. Deus non potest dici causa contingens, est tamen prima radix contingentiæ & libertatis. 60. 2. Hoc probatur ratione fundamentali. ibid. estque Deus prima causa non solum substantiæ actus, sed etiam modi, conditionis & libertatis. 67. 1. & 69. 1.

Causa secunda non est nec potest esse prima radix contingentiæ. 60. 1. est tamen ejus ratio formalis, & proxima defectibilis. 65. 1. & 2. Hoc ipso quod secunda est, movet ut mota, & dependet à prima essentialiter. 61. 1.

Ex causa prima necessaria sequitur effectus necessarius, cum duplici limitatione. 66. 1. per secundam necessariam operatur effectus necessarios; & per contingentem, contingentes. ibid.

Idem est causam esse in actu respectu alicujus, & esse inclinatam & determinatam ad illud producendum. 301. 2.

Quando duæ causæ simul ad contraria tendunt, inferior cædit superiori & potentiori, & non è contra. 76. 2.

Demonstratio Theologica, aperta, ostensiva, palmaria, quâ probatur omnem influxum causæ secundæ esse verè physicè & efficienter à causa prima. 234. 2. Vide, *Deus. Voluntas. Principium.*

CEILA.

Quomodo intelligendum sit illud, quod viri Ceilæ tradidissent David Saüli, si ipse Saül descendisset. 269. 1.

CELESTIVS.

Celestius & similes hæretici dicebant parvulos debere baptizari, ut intrarent in regnum Cœlorum, non verò ad abluendam maculam peccati originalis. 45. 1.

CERTITVDO.

Certitudo moralis se tenens ex parte objecti, non repugnat divinæ cognitioni 259. 1.

Certitudinis prima ratio est in aliquod divinum decretum necessariò reducenda. 293. 2.

Certitudo divinæ scientiæ & veritas minimè tollit contingentiam & libertatem. 326. 2. Ridiculum est recurrere ad temperamentum & congruitatem loci, temporis, &c. ad fundandam certitudinem divinæ scientiæ. 246. 1.

Certitudo cognitionis divinæ circa futura contingentia, non sumitur primò, & originaliter ex reali illorum coexistentiâ in æternitate, sed ex decreto divinæ voluntatis. 311. 1. & 341. 1. Vide *Cognitio, Æternitas, Futurum.*

CHRISOSTOMVS.

S. Chrisostomum nihil dixisse contra divinas prædefinitiones ostenditur. 113. 1.

Agnovit distinctionem sensus divisi & compositi. 150. 1.

CHRISTVS.

Ad Christum nemo venit, nisi cui fuerit datum à divinâ electione. 273. Christus qua ratione de seipso dixit. *Filius à se non potest quidquam.* 105. 2. Usus est dialectica. 154. 2. ejus humanitas non fuit peccabilis aut defectibilis 33. 1. necesse fuit ipsum pati, quia id scriptum erat, & tamen passus est liberè. 132. 2. ejus mors divini Consilij statuto decreta fuit 309.

Christus certò præscivit eos, qui, & quando, & in quibus locis erant in eum crediturí si eis prædicatum esset Evangelium. 262. 1. præscivit etiam non credituros præscientiâ quæ supponit quidem decretum, non electionis, sed quo statuit non dare ut crederent. 216. 2.

Velle efficaciter mori, & velle non mori conditionatè; non fuit contrarietas voluntatum in Christo. 266. 2. & 276. 2. Deus decrevit efficaciter Christum Dominum pro redemptione generis humani passurum. 268. 1.

CICERO.

In quo miserè erravit & reprehenditur à Sancto Augustino. 238. 1.

CLEMENS.

De libris recognitionum Sancti Clementis quid sentiendum. 97. 2.

Clemens VIII. scientiam mediam appellavit humanum inventum ad accomodandum in apparentia omnia. 289. 2.

COGNITIO.

Cognitio facit rem esse, in esse cognito, objectivè præsentem. 335. 2.

Cognitio comprehensiva Patris æterni, quâ generat verbum, est intuitiva verbi. 344. 2.

Cognitio divina distinguitur in intelligentiam, Sapientiam & Scientiam 252. 1. non accipitur â rebus. 312. 1. & 344. 2. Mensuratur æternitate. 340. 2. & 312. 2. per ordinem ad creaturas, ut sunt in æternitate, dicitur scientia præsentium, per ordinem verò ad res, ut sunt in seipsis nobis futuræ, dicitur præscientia. 328. 2. utramque denominationem accipit respectu diversæ mensuræ. 329. 1.

Quod divina Cognitio accipiat certitudinem etiam moralem & quoad terminationem ab objecto creato, absurdum est & impossibile. 324. 2.

Infinita perfectio divinæ cognitionis se extendit ad omnia cognoscibilia 341. 1. Quomodo nostro modo intelligendi fiat totum negotiũ cognitionis futurorũ contingentium in Deo 311. 1. Efficax determinatio divinæ voluntatis reddit cognitionem divinam futurorum certam, quia per illam certò sunt futura: coexistentia verò in æternitate, reddit illam certam, quatenùs præsentialiter videntur à Deo in suis propriis existentiis. 341. 2. 311. 1. Vide *Æternitas, Futurum, Intellectus, Intellectio, Deus.*

COMPARATIO.

Pulchra comparatio inter abstinentiam à cibo & peccatum originale ad causandum languorem in substantia hominis. 24. 1.

COMPLEMENTVM.

Complementum est præstantius re quam complet quando magis participat de actu, ut ostenditur exemplis. 71. 1.

CONCILIVM.

Concilia plura damnant peccatum originale esse in nobis solam denominationem extrinsecam. 50. 2.

Concilia multa & summi Pontifices graviter increpant Pelagianos eo quod dixerint per auxilium Dei efficax negari liberum arbitrium. 66. 2.

Concilium magnum Ephesinum admittit prædefinitiones æternas. 93. 1.

Concilium Senonense quomodo intelligi debeat, quando dicit auxilium attrahentis Dei non esse tale cui non possit resisti. 169. 1. & 2.

Concilium Colonienſe expressis terminis utitur distinctione sensus compositi & divisi. 148. 2.

Concilium Arausicanum. 2. Damnat post peccatum originale, illæsam liberi arbitrij libertatem mansisse. 27. & sequentibus. Fuit celebratum contra Semipelagianos. ibid.

CONCILIVM TRIDENTINVM.

Docet hominem per peccatum originale non solùm fuisse spoliatum Sanctitate & justitiâ originali, sed etiam esse attenuatum & inclinatum. 25. c. 1. Damnat Pelagianorum, Lutheranorum & Calvini-

 starum

Digitized by Google

ſtarum diverſam de peccato originali opinionem & ſtatuit Catholicam. ibid. Docet quod liberum arbitrium à Deo motum & excitatum ſemper cooperatur aſſentiendo & quod impoſſibile eſt quod ſic motum & excitatum ad conſenſum, non conſentiat 191 2. & tamen damnat conſequens hæreticum Calvini, quòd ſcilicet motio Dei efficax, non relinquat in libero arbitrio libertatem. ibid. Non dicit lib. arb. poſſe diſſentire Deo moventi, ſed ſolùm Deo excitanti, atque vocanti. 193. 1. explicantur ſpecialiter hæc verba Concilij. *Diſſentire poteſt ſi velit.* 194. 2.

Concilium Tridentinum ſenſum compoſitum tradit 148. 2. & ſtatuendo gratiam Dei prævenientem, adjuvantem & moventem, errores omnes Pelagianorum, Semipelagianorum, Lutheranorum & Calviniſtarum ſimul deſtruxit. 182. 2. & 189. 1. arbitrium non ſolùm eſſe prævenienter excitatum, ſed & prævenienter motum & adjutum ut convertatur aſſeruit. ibid. potiſſimè contra Lutherum, Calvinum & ſequaces ordinat totam ſeſſionem ſextam tam in capitibus, quàm in regulis fidei 179. 1. Vide *Dictum, Differētia.*

CONCVPISCENTIA.

Concupiſcentia eſt materiale peccati originalis. 18. 1. & ſeq. eſt fomes peccati & rebellio contra rationem. ibid. 2. & 32. 2. in ſtatu naturæ puræ eſſet concupiſcentia naturalis, ſed non contra rationem. ibid. Quid ſit concupiſcentiam tranſcendere limites rationis. 19. 2. Quomodo dicatur peccatum. 27. 1. Quid ſit in infidelibus. 48. 1.

Concupiſcentiam contra rationem homo non haberet ſi in puris naturalibus conderetur. 11. 1. & 38. 1.

CONCVRSVS.

Concurſus Dei indifferens & indeterminatus idem eſt ac non concurſus. 63. 2. Per illius poſitionem, non ſalvatur Deum dare *velle & operari.* Sed tantum dare, *poſſe.* ibid. 1. determinari non poteſt à cauſâ ſecundâ ibid. 2. ſi ab illa determinaretur, prima cauſa non eſſet prima radix contingentiæ, multaque fierent præter Dei voluntatem & intentionem. 64. 1.

Concurſum ſimultaneum non negaret Pelagius quia ſuo dogmati non contradicebat. 235. 2.

Aliud eſt quod concurſus divinus determinetur in cauſis ſecundis (videlicet à Deo) & aliud eſt quod determinetur ab ipſis cauſis ſecundis. primum enim verum eſt, ſecundum falſum. 64. 1.

Quod divinus concurſus ſit accomodabilis & proportionatus omnibus cauſis ſecundis juxta earum naturam: ex efficacia & virtute divinæ voluntatis provenit. 72. 1.

Ex concurſu Dei indifferenti ſequitur Deum eſſe cauſam malorum, ſicut & bonorum: niſi fiat diſtinctio inter actionem vel entitatem actionis, & defectum ſeu malitiam. 126. 1. & 2. Vide, *Cauſa, Deus Gratia.*

CONFIRMATVS.

Confirmati in gratia ita ſunt à Deo efficaciter præventi ut ſub quacunque conditione, temporis, temperamenti, &c. ponantur; ſemper infallibiliter & liberè benè operentur. 247. 1.

CONSILIVM.

Primum Conſilium ex Deo nobis eſt. 302. 2. conſentire importat in ſua actione conjunctionem cum determinatione Conſilij. 167. 2.

CONSPECTVS.

Conſpectui divino aſtare præterita, præſentia, & futura: eſt ea Deo per realem præſentiam coexiſtere. 337. 1. Vide *Æternitas.*

CONTINGENS.

Contingens & poſſibile idem ſunt. 57. 1. dupliciter ſumitur. ibid. 2. eſt illud quod ex ſuâ naturâ ſe habet ad utrumque; ad eſſe & non eſſe. 58 1. alia trimembris ejus diviſio. ibid. variæ aliæ diviſiones. ibid. Contingens dialecticè, phyſicè & moraliter in materia de libertate notandum. 58. 1. & 2.

Contingens generaliter dialecticè ſumptum, idem eſt ac liberum. 59 1. Vide *Deus Æternitas, Futurum.*

CONTINGENTIA.

Contingentia cauſarum in rebus inanimatis ex imperfectione & defectu eſt. 59. 1. in voluntate verò, ex ejus perfectione provenit. ibid. 2.

Contingentia eſt eminenter in Deo. 75. 1.

CONTRADICTIO.

Contradictiones mulæ ſequerentur ſi Deo agente ex neceſſitate naturæ ad extra, daretur libertas in creaturis. 73. 2.

Variæ contradictiones inter aſſertores ſcientiæ mediæ, circa inventionem ejus, quidditatem, exiſtentiam, modum, nomen, objectum &c. 228. & 229.

CONVERSIO.

Ad converſionem duplex auxilium neceſſarium, excitans & adjuvans. 276. 2.

Efficacia converſionis non fundatur in congrua vocatione aut ſcientia media, ſed in potentia & efficacia virtutis Dei. 242. 1.

Deus ſolus habet Dominium ſuper *humanas* voluntates ut eas ſalva illarum libertate *efficaciter* quocunque voluerit convertat. 211. 1. Vide *Dominium.*

Converſio admirabilis cujuſdem philoſophi in Concilio Nicæno. 169. 1. non ex temperamento, ſed virtute divinâ facta eſt. 246. 1.

Converſio S. Pauli ſi bitanea & inſtantanea. 186. 1. Vide *Apoſtolus. Exemplum.*

CONVITIVM.

Antiqua convitia quæ à Juliano & ſequacibus Sancto Aug. objiciebantur, à Conciliis & Summis Pontificibus contrita. 131. 1.

CORPVS.

Corpus Chriſti Domini eſt totum in tota hoſtia & totum in qualibet ejus parte etiam minima. 335. 1.

CVLPA.

Culpa quæ non lædit naturam avertens à Deo authore naturæ voce tantum culpa nominatur. 47. 1.

CYRILLVS.

Sanctus Cyrilles numerat inter errores Arrianorum quod Deus non habeat providentiam de minimis rebus. 115. 2. Sine fundamento, S. Cyrillo adſcribitur ſcientia media. 278. 1.

Idemque probatur de pluribus Sanctis. ibid. Vide *SS. Patres.*

DAVID.

Voluit Deus in poteſtate Davidis ponere Saülem inimicum, ut eſſet exemplum hominibus, de dilectione inimicorum. 278. 2.

DECRETVM.

Decretum liberum divinæ voluntatis eſt primum principium omnis futuritionis abſolutæ & conditionatæ, etiam ab humana voluntate pendentis. 250. 1.

Differentia inter decretum quo Deus vult bonum & decretum quo permittit malum. 293. 2. & ſeq.

Decreta Dei in quadruplici differentia. 260. 1. dantur aliqua reſpectu futurorum conditionatorum quæ numquam erunt. ibid. 2. varia ſcripturæ teſtimonia id probantia. 261. & ſeq.

Decreta futurorum quæ non erunt, ſunt in Deo, non ex voluntate adimplendi illa, ſed ex voluntate manifeſtandi ſuam bonitatem, juſtitiam &c. 266. 2. dantur decreta abſoluta ex parte actus & conditionata ex parte objecti, non ſolùm eminenter, ſed etiam formaliter. 263. & 264. & propter hoc dicuntur conditionalia. ibid. non ſunt in Deo in infinitum multipli-

Digitized by Google

multiplicanda, respectu omnium combinationum, quæ in infinitum procedunt: sed ea debemus recipere quæ in scriptura traduntur. 263. 2.

Sufficit unum decretum eminentissimum in Deo ponere, quo decrevit circa infinitas combinationes inutiles nihil statuere. 262. 2. & 263.

Ab eodem decreto Dei provenit quòd homo velit hoc, & quod possit non velle, vel velle aliud. 137. 1.

Decretum Dei de re futura dicit respectum rationis ad illam ut producendam priùs ratione, quàm sit extra causas producta. 316. 2.

Decretum absolutum non convertendi Tyrios, & decretum conditionatum illos convertendi, si illis prædicaretur Evangelium non opponuntur, quia non sunt de eodem objecto. 276. 2.

Ante decretum Dei, nullum contingens futurum quâlibet adhibitâ conditione est certò futurum. 219. 1.

DEFECTVS.

Defectus privativi perfectionis debitæ in esse, in moralibus actibus, nullo modo reduci possunt in Deum tanquam in primam radicem: benè tamen privationes naturales & defectus negativi. 66. 1.

DEVS.

Deus semper laudandus. 8. 2. impossibilia non jubet. 9. 1. licet creasset hominem cum ignorantia & infirmitate non propterea esset culpandus. ibid. & 22. 2. & 23. 2. & 31. 1. non fuit conveniens ut conderet hominem in puris naturalibus. 29. 1. creavit hominem præcepti capacem & cum tanta scientia, ut rebus omnibus nomen congruentissimè imponeret. 33. 2. si resuscitaret hominem mortuum in peccato originali vel actuali, peccatum non attribueretur ei. Sed vel primo parenti, vel illi qui illud comiserat. 43. 2. benè tamen si hominem in pecccato crearet. ibid. quia est summa bonitas ipsi repugnat velle peccatum 293. 2.

Deus est causa prima, non mediata, sed immediatissima cuilibet effectui. 65. 2. ita est primum determinans, sicut primum movens, & ita repugnat ei ab alio determinari, sicut ei repugnat ab alio moveri. 64. 1. per idæas est causa rerum. 99. 1. omnibus dat gratiam, nisi iis qui impedimentum apponunt. 96. 1. aliter vult causas necessarias operari, aliter liberas. 97. 2. movendo, applicando & determinando liberum arbitrium creatum, facit ut operetur. 67. 1.

Deus habet nunc potentiam creandi mundum & non creandi sicut illam habebat ante creationem. 163. 2. In eo est potentia realis & physica non producendi Antichristum, etiam supposito quod decreverit efficaciter ipsum producere. 165. & 166.

Deus vult omnes homines salvos fieri. est dicere facit Sanctos velle ex D. Anselmo. 35. 1.

Supposito quod Deus voluit aliquid, potest absolutè, sive in sensu diviso, illud non velle, sed non in sensu composito. 165. 2. intimiùs est voluntati nostræ, quàm ipsa intima sit sibi ipsi. 139. 2. non potest desinere velle, aut voluisse volitum, nec mutari de volente in non volentem 142. 1. si vellet hominem necessariò & non liberè operari, necessariò operaretur, necessitate conditionatâ & ex suppositione, quod Deus ita vellet: non verò necessitate absolutâ. 143. 1. veriùs videtur quòd illa necessitas esset absolutâ. ibid. 2.

Ex eo quod sit in Deo potentia faciendi contrarium ejus quod vult, non sequitur ipsum esse mutabilem. 166. 1.

Deus dirigit omnia, providet, & gubernat, secundum Sanctos Patres, sine scientia media. 247.

Deus potest sua omnipotentia movere voluntatem creatam ad actum necessarium si vult; ita quòd voluntas tunc absque libertate moveatur. 74. 1. quomodo id fieri possit. 84. c. 2. quod non solum det nobis possibilitatem volendi, sed etiam quod faciat nos hoc vel illud velle, in lumine rationis & Scripturâ Sacrâ apertissimum est. 62. 1. contendere quod creatum arbitrium ut salvetur ejus libertas, est prima radix suæ contingentiæ, est velle ipsum esse æquale Deo, in eo quod proprium Dei est. 67. 1.

Deus non habet curam de bobus quomodo intelligendum. 111. 2.

Deus si ex necessitate naturæ operaretur ad extra, nulla salvaretur in effectibus libertas vel contingentia. 72. & seq. tripliciter intelligi potest quòd Deus operetur ex necessitate vel ex determinatione naturæ. 72. 2. si ageret ex necessitate naturæ nunc stantibus causis liberis, istæ essent tantùm in potentia liberæ; in exercitio autem, impedirentur ab actuali libertate, per divinam motionem. 78. 2. & 86. per tot. Deus quia scivit hoc esse futurum, ita erit & non è converso. 35. 1. non cognoscit futura in comprehensione voluntatis creatæ, nec in ipsis rebus, nec in decreto quo vult concurrere ad producendum futurum. 238. 2. & licet infinito excessu comprehendat humanam voluntatem non potest tamen in illa cognoscere certum quod certum non est. 237. 2.

Deum confiteri, & negare ipsum præscium futurorum apertissima insania est. 237. 2. eodem modo cognoscit res esse nobis futuras, quo cognoscit illas esse sibi præsentes. 343. 1.

DIABOLVS.

Non appetivit æqualitatem cum Deo sed aliquam similitudinem. 241. 1.

DIALECTICVS.

Quid intelligant dialectici per propositionem facientem sensum compositum, quid per modalem compositam & modalem divisam. 154. 2.

Dialecticum principium receptissimum. *Propositio conditionalis vera, est necessaria, falsa, est impossibilis.* 251. 1.

DICTIO.

Dictio *si* in propositione conditionali dupliciter sumitur aliquando illativè, ex vi consequentiæ, aliquando concomitanter 251. 1. Vide *Propositio Conditionalis.*

DICTVM.

Triplex dictum quo explicatur, quandonam Concilium Trid. in materia de gratia & libero arbitrio loquatur in sensu composito vel in sensu diviso. 195. 2. Vide *Concilium Trid.*

DIFFERENTIA.

Differentia inter prædestinationem & reprobationem parvulorum intollerabilis. 51. 1.

Differentia inter interpretes canonis. 4. sess. 6. de justificatione Conc. Trid. in quo consistat. 177. 1.

DISSENTIRE.

An & quomodò dissentire importet compositio & distinguatur à resistere, abjicere, vel etiam à consentire & assentire 167. per totam & 170. & seq. non ita propriè respicit efficaciter moventem; sed magis propriè suadentem & incitantem attendit. 170. 1.

Ad dissentiendum non est necessarius actus contrariè oppositus. V. g. actus odij non est necessarius ad dissentiendum amori, sed sufficit non velle amare. 168. 1.

Posse dissentire non respicit consensum jam elicitè nec componit cum illo. 171. 1. potest sumi in sensu componente cum Deo vocante & excitante; sed non cum Deo movente & adjuvante. 172. 1. & ideo cum motione Dei efficaci facit sensum divisum. Ibid.

Digitized by Google

Index Rerum.

DISTINCTIO.

Solemnis distinctio de sensu diviso & composito quomodo intelligenda. 144. 2. antiqua est & necessaria; cum dialectica Phylosophia, & Thelogia congenita. 146. 1. Concilia illam honorant ibid. & 148. 2. sine illa libertas arbitrij, cum infallibilitate Dei salvari non potest. ibid. 2. nec multa scripturæ loca explicari. 147. & 148. illam docent SS. Patres, sub nomine necessitatis absolutæ & conditionatæ. 149. 1. probatur ex S. Aug. ibid. 2. & seq. citantur Scholastici qui hanc celebrem distinctionem ut neeessariam receperunt. 151. per tot. Magnam his temporibus patitur contradictionem. 153. & seq. diversimodè & sæpè male intelligitur a quibusdam recentioribus, ibid. illam piè invenerunt Sancti, ut conciliarent libertatem cum gratia præveniente. 157. 1.

Distinctio valde necessaria inter actionem vel entitatem actionis peccaminosæ, & malitiam, vel deformitatem quæ est peccatum, ut teneatur via media inter errores oppositos 125. & seq.

Distinctio notanda, *præmotio tollit libertatem Ciceronianam & Pelagianam. Concedo: libertatem Christianam Catholicam: nego* explicatur. 140. 1.

DOCTRINA.

Doctrinam quæ docet liberum arbitrium reddere gratiam sufficientem omnibus collatam, efficacem per bonum usum: peccato originali detrahere, ex multiplici capite ostenditur. 53. 1. & 2. tota substantia doctrinæ quæ his temporibus magna contentione defenditur; ab Origene tradita est. 330. 1. qui illum sequuntur tria advertere debuerant antequam præcipitarent sententiam. Ibidem.

Pelagianum esset dicere solam exteriorem legem atque doctrinam sufficere ad conversionem. 271. 2.

DOGMA.

Dogma primorum Pelagianorum. 31. 1.

Totum dogma Pelagij est quod Deus det nobis posse, non autem faciat nos velle, & operari. 61. 2. vide *Pelagius Pelagiani.*

DOMINIVM.

Dominium voluntatis creatæ in actum suum, præsupponit præoperationem seu præviam motionem causæ primæ. 67. 2. Deus solus habet dominium in hominum voluntates, ita ut solus possit eas interius efficaciter movere 150. 2.

DYONISIVS.

Sanctus Dyonisius quomodo intelligendus quando dicit naturalia mansisse integra post peccatum. 34. 2. & seq. rationes in divinâ mente præexistentes effectivas & prædeterminativas rerum constituit. 88. 2. & 98. 1.

S. Dyonisij scripta defenduntur. 98. 1. & 2. ostenditur ipsum docuisse, in Deo esse rerum omnium & bonorum prædefinitionem & prædeterminationem. 99. 1.

EFFECTVS.

Effectus non potest intelligi in seipso determinatus; nisi intelligatur produci à causa priùs naturâ & causalitate ad ipsum producendum determinata. 301. 1.

Actuale esse effectus, vel est in seipso, vel in sua causa determinata & non indifferenti. 302. 1.

Effectus divinæ voluntatis à nullâ causâ secundâ impediri potest 60. 2.

Effectus contingens physicè, dicit respectum ad causam defectibilem physicam. 59. 1. contingens verò moraliter in sua ratione importat ordinem ad causam moralem defectibilem. Ibid. alius est contingens naturalis, alius contingens liber. Ibid. alius est absolutè futurus, & alius conditionatus. Ibid.

EFFICACIA.

Efficacia divinæ voluntatis, & motionis non est in nostra potestate, sed ponit in nostra potestate actum ad quem movet. 145. 2. est omninò necessaria, ut voluntas creata liberè agat, & ex illa hoc provenit. 138. 1. est prima radix contingentiæ & libertatis creatæ. 72. 1. & 137. 2. illâ mutatâ mutatur humana libertas. 78. 1.

Impugnatur opinio quæ constituit efficaciam divinæ gratiæ in contemperata vocatione secundùm quòd homo majori vel minori tentatione afficitur. 249. & seq. vide *Libertas Contingentia.*

ELECTIO.

Consensus & electio quomodo distinguantur quando unum tantùm est medium quod placet. 167. 2.

Quicquid habet aliquo modo rationem entis, sive naturalis sive moralis, sive supernaturalis, est à divinâ voluntate prædefinitum. 104. & 105. nihil fit quod non sit à Deo volitum in particulari, vel permissum. Ibid.

EPISTOLA.

Epistola ad Demetriadem, quæ incipit. *Cum splendidissimè.* Sancti Prosperi est, & non sancti Ambrosij. 46. 1.

ERROR.

Maximus error affirmare Deum *præscire aliquid* boni esse ex hominibus ante divinam *voluntatem illud* tribuentem. 213. 1.

Errores exorti circa fidem occasionem dederunt Sanctis Patribus, ut ea quæ sunt fidei, majori cum circumspectione traderent. 280. 1.

ESSE.

Esse actuale rei, est esse existentiæ ipsius. 338. 2. esse rerum in tempore, & esse illarum in æternitate, non est duplex, sed unum & idem esse. 345. 12. quod fuit non potest non fuisse. 351. 1.

Esse scitum à Deo & esse prædestinatum, an sint separabilia à re scita & à prædestinato. 197. 2.

ESSENTIA.

Essentia divina est tota in toto universo & tota in qualibet ejus parte. 335. 1. habet rationem speciei intelligibilis. 342. 2. & 344. 1.

EVANGELIVM.

Evangelij prædicatio per Christum facta iis, qui crediturí erant, supponebat præscientiam; & hæc electionem eorum qui crederent, & quibus Evangelium prædicaretur. 222. 1.

Sicut qui credunt Evangelio meritò laudantur, quamvis datum sit eis ut credant: ita qui non credunt, meritò vituperantur, quia ex se resistunt. 275. 1.

EVENTVS.

Eventus rei non potest intelligi, nisi secundùm realem existentiam. 339. 2.

EXCITATIO INTERIOR.

Excitatio interior quæ non facit credere, non recedit à lege atque doctrina exteriori. 222. 2.

EXCVSATIO.

Recentiorum excusatio dicentium hominem esse primum determinans suam actionem, & tamen non esse primum liberum antiqua est, & à sancto Thoma in terminis refutata. 106. 1.

Excusationes auctorum scientiæ mediæ refelluntur. 214. 1.

EXECVTIO.

Executio determinationis æternæ divinæ voluntatis facta est in initio temporis. 337. 1.

EXEMPLVM.

Exempla quibus ostenditur indignè de Deo sentire, qui prædestinationem per scientiam mediam explicant

Digitized by Google

cant. 293. 1. quatuor exempla ad explicandum ex sancto Thoma quomodo peccatum originale non sit solum removens prohibens: sed vera causa inordinatæ dispositionis in natura lapsa. 57. 2. & seq.

Exempla quibus clarissimè explicatur Deum esse causam actionis quæ est in peccato non tamen ipsius peccati. 126. 1.

Exemplum de sole ex D. Thoma inductum, explicatur. 65. 2.

Exempla explicantia propositiones modales, & sensum compositum atque divisum. 151. 1. & 165. 2.

Exemplum evidens, *Sicut non bene sequitur*, materia prima habens unam formam, potest sibi conjungere aliam, ergo potest conjungere in se unam formam cum alia: *Ita non sequitur*, liberum arbitrium à Deo efficaciter motum potest sibi conjungere dissensum; ergo potest illum conjungere cum Deo efficaciter movente; quia in his propositionibus, antecedens facit sensum divisum, & consequens facit sensum compositum. 176. 1.

Exemplum efficaciæ divinæ voluntatis in dicto Spiridionis Episcopi alloquentis quemdam Phylosophum 169. 1. vide *Conversio*.

EXISTENTIA.

Facere ad existentias terminatur. 337. 1. Vide. *Esse Æternitas*.

EZECHIAS.

Circa Ezechiæ mortem Deus duo cognovit. 259. 1.

FALLACIA.

Quid sit fallacia compositionis & divisionis ex Sancto Thoma 151. 1. & 163. 1.

FAVSTVS.

Faustus Pelagianus docuit, ideo Deum præscire futura, quia futura sunt. 329. 2. & hoc ex Pelagio & Origene sumpsit. 329. 2.

FIDES.

Fidei nostræ aliquod falsum subesse non potest. 307. 1.

Initium fidei est donum Dei. 281. 1.

In definitione fidei, verba in proprio sensu sunt explicanda; nisi sequatur inconveniens. 17. 1.

Fides Catholica tenet hominem justificatum non posse in justitia perseverare, sine speciali Dei auxilio 148. 2. in sensu diviso potest. Ibid.

Fides semper docuit parvulos ex Adam procedentes seminali propagatione verè peccatores esse & formaliter, inimicos Dei, & Filios iræ. 50. 1.

Secundùm fidem datur in Deo talis voluntas cui non potest homo resistere. 94. 2. quomodo id intelligatur. Ibid.

Piorum fides habet, efficacissimam esse Dei voluntatem ad faciendum quod voluerit circa hominum voluntates. 284. 2.

Fides non minùs meritoria est, quàm sit demeritoria inconstantia in fide. 270. 2.

FIGMENTVM.

Figmentum est, dicere quòd Deus cognoscit bonum usum liberi arbitrij in veritate objectiva. 254. 1.

FILIVS.

Filij Dei perfecti sunt in patria ubi perfectè ex illo nascuntur, & hi peccare non possunt. 148. 1

FINIS.

Qui finem efficaciter præparat, & media efficaciter præparare debet. 120. 1. & qui vult eum efficaciter liberè, virtualiter liberè vult media. 188. 1.

De fine quoad specificationem, non datur consilium. 186. 1.

FOMES.

Fomes peccati quid sit. 43. 1.

FORMA.

Formę reales actu inhærentes inseparabiliter complent & satiant totam capacitatem subjecti. 197. 2. quomodo intelligatur quod formæ inseparabiles, non patiuntur distinctionem sensus compositi & divisi ibid. 1.

FRVSTRA.

Frustra est potentia quæ non reducitur in actum, explicatur quatuor modis. 199. per totam.

FVLGENTIVS.

S. Fulgentius auctor libri Hypognosticon. 28. 1. admittit sensum compositum & divisum. 150. 2. est etiam auctor libri de fide, ad Petrum. 150. 2.

FVNDAMENTVM.

Fundamentum singulare in materia de concordia liberi arbitrij cum gratia efficaci, est hæc propositio Sancti Thomæ. *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni quod voluntas ad id non moveatur.* 175. 2.

Fundamentum, efficaciæ divinæ motionis valde inimicum; quod, hominem posse liberè motioni dissentiri sit ipsum conjungere posse dissensum contrarium cum motione efficaci. 157. 2.

Fundamentum totale novæ doctrinæ contra gratiam efficacem est scientia media. 200. 1. & 210. 2.

FVTVRITIO.

Futuritio rerum est cognoscibilis à Deo & verè cognoscitur. 343. 1.

FVTVRVM.

Nullum est futurum respectu Dei. 303. 1. & 335. 2.

Futura antequam fiant, jam à Deo facta sunt. 337. 2. existunt in se ab æterno non in ordine ad tempus præsens, sed in ordine ad æternitatem. Ibid. 1. non habent respectu Dei contingentiam sed præsentialitatem. 338. 2. ideo futura sunt quia Deus vult esse futura. Ergo ideo futura sunt quia Deus scit esse futura 322. 1. duo habent quando in tempore producuntur. 350. 1. si Deus voluisset nihil futurum esset. 297. 1.

Futura in æternitate præsentia sunt objectum secundarium cognitionis divinæ. 310. 2.

Futurum prædestinatur à Deo & præordinatur futurum, & tamen est liberè futurum. 135. & 136.

Futura sunt in duplici differentia respectu prædestinationis, alia veluti effectus, alia veluti subjectum 227. 2. nullum est determinatè futurum, nisi hoc habeat à sempiterna causa quæ est voluntas Dei. 122. 2. & 238. 1.

FVTVRVM CONTINGENS.

Futurum contingens ideo est absolutè futurum, quia Deus vult vel permittit ut sit futurum. 219. 1. ideo est conditionatè futurum, quia Deus vult, vel permittit, quod positâ tali conditione sit futurum. Ibid. & 240. 1.

Futura contingentia absoluta non cognoscuntur à Deo ante decretum absolutum; nec conditionata, ante conditionatum. 217. 2.

In rationibus idealibus ut determinatis per decretum, Deus cognoscit certò futura contingentia. 314. 2.

Futurum sub conditione posita conditione transit in absolutum. 224. 2. & 225. 1 & 253. 2.

Elucidatur sententia S. Thomæ de cognitione divina futurorum contingentium. 309. 310. 311. & 312. & seq.

Nullum futurum contingens ante decretum divinum habet veritatem objectivam, qua certò possit terminare divinam cognitionem. 300. 1. qui hanc veritatem objectivam defendunt antè decretum di-

Digitized by Google

vinæ voluntatis, convincuntur per Aristotelem negare libertatem. ibid. 2. imò & omnem providentiam circa talia futura negent, necesse est. ibid.

Futura contingentia cognoscuntur à Deo certò tripliciter, scilicet in ipso Deo ut in causa determinatâ per decretum, in causis proximis, ut primæ subordinatis; & in seipsis ut æternitati coexistunt. 309. 2.

FVTVRVM CONDITIONATVM.

Ad explicandam cognitionem Dei futurorum conditionalium recurrendum est semper ad decretum, quo Deus voluit talia futura, si tales conditiones adhiberentur. In quo veritatem futurorum Deus cognoscit. 249. 1.

Futura conditionata sunt in triplici differentia. 263. 2. aliquod exprimitur in scriptura de quo Deus non habuit decretum ut illud. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus.* 264. 2.

Quæ non habent necessariam connexionem, nisi ex suppositione liberæ voluntatis Dei, cognoscuntur à Deo per scientiam liberam. 254. 2. sicut & illa quæ in scriptura traduntur & revelantur futura, si aliquæ apponerentur conditiones; ut ista, *Sy in Tyro & Sydone factæ fuissent &c. & si percussisses septies, percussisses usque &c.* ibidem.

Futurum conditionatum in ratione scibilis non est medium inter possibile & futurum absolutum, sed reducitur ad unum vel ad alterum illorum. 290. 1.

Futura conditionata quæ non supponunt decretum ad quatuor capita reducuntur. 264. 2. conditionatorum quæ sunt intrinsecè mala, non datur in Deo decretum ea causandi, sed ea permittendi tantùm. 266. 1.

Futura conditionata de conditione numquam ponenda, non sunt merè possibilia; quia supponunt decretum quo futura sunt, & ideo non cognoscuntur tantum ut possibilia; sed ut certò futura si poneretur conditio. 256. per tot. non cognoscuntur per scientiam naturalem. 257. cognitio quâ cognoscuntur reducitur ad scientiam visionis. 258. 1.

Defensores gratiæ & scientiæ mediæ impugnatores, certam in Deo futurorum etiam conditionatorum cognitionem semper confitentur. 251. 1.

Non est dicendum Deum cognoscere aliqua futura conditionata conjecturaliter. 269. 1. sed si in propositione conditionali de futuro bona sit consequentia, illud certò cognoscitur à Deo futurum; si consequentia sit mala, illud cognoscitur à Deo certò non futurum: hæc est regula certissima. 259. 2.

Futurum necessarium etiam conditionatum est futurum ante omne decretum. 219. 2. cognoscitur à Deo per simplicem intelligentiam. 253. 2. si sit necessarium ex vi illationis, ut istud, *si Petrus currat movebitur*: certò cognoscitur à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ, si verò sit certum ex vi determinationis divinæ voluntatis, ut istud, *si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes converterentur*: cognoscitur certò à Deo scientia visionis. 290. 2. nullum tamen futurum contingens subditur certæ cognitioni secundùm se & ex propriis meritis, sed solùm prout est in causa determinata. 315. & 316.

GASPAR.

Gaspar Ram Professor dignissimus & veræ & antiquæ doctrinæ deffensor Zelantissimus. 336. 2. versatissimus in materia de auxiliis. 264. 1.

GENTES.

Gentium futuram pœnitentiam cognovit Christus in efficacia gratiæ. 273. 1.

GRAMMATICVS.

Grammatici Dialecticam horrent quia per illam cavillationes & sophismata suorum argumentorum deteguntur. 154. 2.

GRATIA.

Gratia perficit naturam & non destruit. 33. 1.

Qui secundum merita humana gratiam Dei dari contendit, non rectè de peccato originali sentit. 45. 2. si facienti quod in se est solis naturæ viribus gratia infallibiliter datur, sequitur non esse peccatum originale. 49. 1. quod gratiam Dei non habeamus, ex defectu nostro est quia impedimentum ponimus. 120. 2. & 124. 1. Gratia adjuvans & excitans realiter distinguntur sicut res à re. 188. 1. & seq. adjuvans veras vires efficaces tribuit voluntati ad actum liberum. ibidem. Est à solo Deo, & verum divinum auxilium. ibid. utraque est gratia præveniens ex Concilio Trid. 183. 1. Quomodo gratia excitans dici possit auxilium efficax. 184. 2. gratia adjuvans propriè & absolutè dicitur gratia Dei & gratia Christi. 185. 1. gratia excitans quomodo fiat, ad quod requiruntur octo. 186. & 187.

Prima causa collationis gratiæ est ex Deo, defectus verò gratiæ prima causa est ex nobis. 275. 1. Gratia antecedens quæ ex D. Augustino facit humanam voluntatem indefectibiliter, insuperabiliter, & indeclinabiliter operari, nullo modo lædit libertatem 130. 2. & seq.

Gratia efficax hoc facit quod cum *liberum arbitrium* possit dissentire, possit resistere, *& cum Deo excitante dissensum conjungere, non dissentiat, non resistat*, & talem dissensum non conjungat. 193. 2.

Non est distinguendum quod est ex gratia, ab eo quod est ex libero arbitrio, cum idem possit ex utroque esse. 224. 1. Gratia moraliter tantùm & objectivè movens non potest dici auxilium sufficiens. 179. 1. nullus tàm stultus umquam fuit, qui negaret gratiam tantùm moraliter prævenientem, non lædere aut impedire liberum arbitrium. ibid. 2.

Disputatio damnabilis ex Concilio Carthaginensi quæ dicit tolli liberum arbitrium per gratiam efficacem prævenientem 117. 2.

GRATIANVS.

Gratianus admittit distinctionem necessitatis in absolutam & conditionatam, & distinctionem sensus compositi & divisi. 149. 1.

GREGORIVS.

Sanctus Gregorius agnovit sensum compositum & divisum 150. 1.

Sanctus Gregorius Nissenus de infantibus qui præmaturè arripiuntur; tria notanda dicit. 278. 1.

HABILITAS.

Habilitas ad malum 20. 1.

Diminutio habilitatis ad bonum, pœna est hominis lapsi. 30. 1.

HÆRESIS.

Pelagianæ hæresis exordium. 46. 1.

Hæresis Lutheri & Calvini est, quod Deus prædefiniat peccatum 124. 2.

HÆRETICI.

Hæretici libidine contradicendi, nituntur vigorem Dialecticæ destruere, 152. 1. & 154. 1. maximè doctrinam de necessitate consequentiæ, & consequentis. ibid. nolunt esse subjecti Deo, ejusque potenti virtuti. 179. 2.

HENRIQVEZ.

Henricus Henriquez dicit hanc esse veram. S. Thomæ sententiam quod stante præmotione Dei efficaci, implicat in sensu composito liberum arbitrium non converti: & tamen liberè convertitur. 151. 2.

HILARIVS.

S. Hilarius expressè affirmat Semipelagianos usos fuisse scientia media. 212. 1. & 220. 2.

Digitized by Google

Index Rerum.

HOMO.

Homo cum sit ex nihilo essentialiter defectibilis est. 95. 2. non potest conqueri quod à Deo non conservetur, nec si permittatur cadere in peccatum. ibid. in statu innocentiæ erat mortalis. 199. 1. cum nequeat esse primum liberum, ita indiget antecedente voluntate Dei & ejus efficaciâ, ut si illa defecerit, numquam liberè operetur 138. 2. & qui dicunt oppositum, liberum arbitrium non defendunt, sed destruunt. ibid.

Non est de fide primum hominem fuisse in gratia justificante supernaturali creatum. 5. 2. magis tamen conforme est fidei & dictis Sanctorum Patrum, ibidem. gratiam gratum facientem, illum habuisse ante peccatum, certum est de fide: sicut & ipsum fuisse in justitia originali creatum. ibid. si non peccasset numquam moreretur. 6. 1. Homo si in puris naturalibus conderetur, utpotè ex contrariis compositus, per mortem dissolueretur. 7. 2. & 32. 1. crearetur perfectus in quantitate, & ratione & scientiâ. 39. 2. posset ad breve tempus, sed non diu, omnem legem naturalem implere. 7. 2. & cum auxilio extraordinario, ordinis tamen naturalis, posset usque in finem in bono rationis perseverare; & totam legem etiam collectivè implere. 8. 2. & diligere Deum ut authorem naturæ super omnia. 14. 1. licet esset in puris naturalibus conditus, esset tamen ad imaginem & similitudinem Dei. 25. 1. propriis viribus, cum generali concursu Dei posset vincere quamcumque gravem tentationem. 32. 2. quæ omnia non potest in statu naturæ lapsæ sine auxilio gratiæ. 7. 2.

Naturale est homini ut rationalis est, ut appetitus concupiscibilis feratur in delectabile, secundùm ordinem rationis. 42. 2.

Homo sine sua culpa damnari non potest. 8. 2. deterior est in natura lapsa, etiam seclusâ culpâ, quàm esset in puris naturalibus conditus. 11. 2. & 13. 1. & 16. 1. & seq.

Homo per peccatum originale verè aversus est à bono incommutabili. 14. 2. Quomodo dicatur inclinatus ad peccandum ex peccato originali. 15. 1. & quid sit esse inclinatum. 26. 2.

Homo si potest sine Deo suam actionem inchoare, poterit & illam sine Deo consummare. 106. 2.

Homo si dicatur primum principium suæ actionis liberæ convincitur esse primum simpliciter, & in sua essentia, ab alio independens. Ibid.

Homo *descendens ab Hierusalem in Iericho* exponitur ex SS. Patribus de Adamo, & de genere humano. 29. 2. & 42. 2. & 48. 1. & 2.

Homo recipiens per consensum liberum inspirationem, ideo eam sic liberè recipere vult, quia gratiâ adjuvante movetur & adjuvatur ut sic illam liberè recipiat. 175. 1.

Homo est liber in sensu composito, quia actualem suam libertatem, componit cum efficaci Dei motione. 198. 1.

HVMILITAS.

Qui anchoram humilitatis non tenuit, miserè naufragium fecit. 297. 1.

HYERONIMVS.

S. Hyeronimus dicit Pelagianos facere liberum arbitrium æquale Deo, quod superbiam diaboli videtur excedere. 241. 1.

Locus difficilis sancti Hyeronimi de providentia Dei exponitur 115. per tot.

Ex eodem S. Hyeronimo ostenditur eos negare libertatem, qui negant causam primam præmoventem. 118. 1.

IDEA.

Ideæ divinæ sunt cognitæ & termini cognitionis in Deo. 342. 2. Post determinationem divinæ voluntatis, ideæ sunt exemplaria & similitudines cujuscunque futuri liberi. 318. 1. illas non determinat coexistentia rerum in æternitate, sed hoc facit decretum divinæ voluntatis. 312. 1.

Idea divina non determinatur ad representandum aliquid vel illud causandum ex aliquo objecto creato, sed ex proposito divinæ voluntatis. 236. 2. representat futurum contingens post decretum Dei, non antè. 185. 1.

Futura non ideo futura sunt, quia per ideas repræsentantur, sed ideo repræsentantur, quia ut futura, in divinâ causalitate continentur, 344. 1.

Qui negat ideas esse in Deo, infidelis est, quia negat Filium esse. 101. 1.

IGNORANTIA.

Ignorantia antecedens tollit voluntarium. 144. 1.

Ignorantia non est natura hominis instituti, sed pœna damnati. 21. 1. & seq. magnum ignorantiæ & infirmitatis malum ex peccato. Ibid. 2.

Ignorantia & infirmitas non sunt primordia naturæ sed pœnæ peccati. 31. 1. & 45. 2.

Ignorantia ex peccato, non est puræ negationis, sed pravæ dispositionis. 39. 1.

ILLVMINATIO.

Illuminatio duplex, altera objectivè alliciens, altera effectivè transmutans voluntatem. 113. 1. hæc soli Deo propria est, ibid.

IMMENSITAS.

Immensitas respicit solùm locum præsentem & non futurum. 345. 1. differentiæ multæ inter immensitatem respectu locorum, & æternitatem respectu temporis. Ibid.

IMPLICATIO.

Implicatio est ponere scientiam inter naturalem & liberam mediam. 230. 2.

IMPOSSIBILE.

Impossibile est illud quod ex se est determinatum ad non esse. 58. 1.

Impossibile est, poni judicium indifferens in intellectu, & non poni libertatem in voluntate. 81. 1.

Ex impossibili sequitur quodlibet. 333. 1.

Impossibili posito, quòd essent causæ liberæ ut sunt, & quòd Deus ageret ex necessitate naturæ ad extra, daretur tantùm libertas potentialis in creaturis, & nullus esset effectus liber. 73. 2. & seq. sicut si Deus agens ex necessitate naturæ, non operaretur secundùm ultimum potentiæ (quæ duo sunt incompossilia) 74. 2.

Incompossibilia sunt hæc duo, Deus efficaciter movet liberum arbitrium, & liberum arbitrium non movetur. 193. 1. & 2.

INCOMPOSSIBILITAS.

Incompossibilitas apparens futurorum contingentium, quę ex duplici capite oriri videtur, scilicet ex efficacia divinæ voluntatis, & certitudine scientiæ Dei: ex utroque eodem capite cóciliatur, statuitur, firmatur, ac deducitur futurorum contingentia & libertas. 248. 2.

INCARNATIO.

Incarnatio Christi Domini ad gloriam Dei ut ad finem ordinatur. 227. 1. Deus voluit illam ut finem perficientem omnia, naturalia & supernaturalia. Ibid. 2.

Decretum Incarnationis præcedit in genere causæ finalis præscientiam peccati; sed non in genere causæ quasi materialis & occasionalis. 226. 2. & 227. 2.

Digitized by Google

Index Rerum.

INCLINATIO.

Inclinatio naturalis ad virtutem diminuta & læsa manſit in homine per peccatum originale. 14. 2. & 15. 2. Quomodo fiat hæc diminutio 18. 1. & ſeq. & 26. 2. & 30 1.

INDETERMINATIO.

Indeterminatio cauſarum futurorum contingentium non poteſt impedire certam de illis divinam cognitionem & quare. 341. 1.

INDIFFERENTIA.

Indifferentia ex parte objecti eſt radix formalis libertatis. 80. 2. & ſeq.

Indifferentiâ rationis circa aliquod objectum poſitâ ex parte intellectus, de potentia Dei abſoluta fieri non poteſt, quod actus voluntatis qui ad illam ſequitur, non ſit liber. 181.

INDIVIDVVM.

Individua corruptibilia ſecundariò & minus principaliter & propter aliud ſunt à Deo prædefinita & præordinata. 117. 1.

INNOCENTIVS.

Innocentius primus definivit parvulos ſine baptiſmo decedentes non habere vitam perpetuam, & docentes oppoſitum baptiſmum annullare. 52. 2.

INTEGRITAS.

Duplex integritas fuit in primo parente. 12. 1. Item triplex naturæ humanæ integritas ex Caïetano explicatur. 42. 2.

INTELLECTVS.

Intellectus eſt vera cauſa ſive ratio à priori voluntatis, & quoad actum primum, & quoad actum ſecundum. 83. 2.

Intellectus divinus producit res quoad exercitium in virtute divinæ voluntatis. 69. 2. hæc illatio optima eſt, ideo intellectus divinus producit res, quia habet adjunctam voluntatem. 71. 2.

Intellectus divinus ſemper actu cognoſcens, actu cognoſcat, neceſſe eſt, quod ſibi offertur, eo modo quo eſt ſibi præſens 242. ejus infinitas habet cognoſcere omnem certam & infallibilem veritatem 299. 1. Intellectus divinus etiam practicus non poteſt eſſe prima radix libertatis, ſed hæc eſt efficacia divinæ voluntatis. 68. 2. & 106. 1.

Hæc duo ſunt incompatibilia, quod intellectus repræſentet unum voluntati, & quod voluntas appetat aliud. 82. 1.

INTELLIGENTIA.

Munus naturale intelligentiæ in quibuſdam majus, ut ſcilicet magis objectivè & exteriùs moveantur à prædicationibus & miraculis. 274. 2.

INTENTIO,

Intentio nequam per oculum deſignatur. 95. 2.

INTVITIO. VEL INTVITVS.

Aſſignatur Deo univerſalis modus cognoſcendi bona & mala, per intuitionem eorum exiſtentium in æternitate. 313. 1.

Intuitus divinus ſimplex fertur in omnia prout unumquodque, eſt in ſuo tempore. 339. 1.

Fuit ab æterno cognoſcens res omnes, ut ſibi præſentes. 340. 2. & 342. 2.

Aliud eſt Deum habere rationes rerum ſibi præſentes, & aliud intuitum divinum ferri in ſibi realiter præſentia. Ibid.

Primum enim denotat præſentiam tantùm objectivam, & ſecundum præſentiam realem & actualem. Ibid.

JOANNNES.

S. Joannis teſtimonium quo dicitur, *qui natus eſt ex Deo non poteſt peccare, &c.* Quadrupliciter exponitur. 148. 1. & 149. 2. & ſequentibus.

IRENÆVS.

S. Irenæus nihil omninò dicit contra prædefinitiones divinas, etſi contra illas citetur. 112. 1. imo & efficaciam gratiæ & divinam cauſalitatem prædicat ibid. 2. per ſuadelam intelligit gratiam effectivè operantem, & efficaciter trahentem ibid.

JUDEI.

Judæi ex malitia magis excæcati quam Tyrij & Sydonij 275. 1. propter majorem obdurationem, malitiam; & ingratitudinem ſeipſos magis indignos reddiderunt, quàm Gentiles ut converterentur. Ibid. 2. propter quod juſtè reprehenduntur comparatione Tyriorum. ibidem. & ſequentibus.

IVGVM.

Jugum grave non imponeretur hominibus niſi eſſet peccatum. 24. 2.

IVLIANVS.

Julianus apoſtata blaſphemavit, Deum invido animo eieciſſe primum hominem de paradiſo terreſtri; ne comedens lignum vitæ viveret in æternum. 178. 1.

IVSTIFICATIO.

Juſtificationis exordium ſumi ab illuminatione & inſpiratione qua Deus cor hominis tangit docet Concilium Trident. 184. 1. Valde notandum quod Authores qui apertè fatentur hominem eſſe primam cauſam ſuæ liberæ determinationis, *concedere reformident* ipſum eſſe initium ejuſdem *ſuæ determinationis*: ex hoc enim ſequeretur, *ipſum eſſe ſuæ juſtificationis principium.* 62. 1.

JVSTINVS.

S. Juſtinus diminutè & *truncatè* adducitur à negantibus divinas prædefinitiones. 112. 1. liber 146. quæſtionum non eſt ejus. Ibid.

LAYNEZ.

P. Laynez primus *divulgavit* ſcientiam mediam & doctrinam in eâ *fundatam.* 203. 1. fatetur Deum non cognoſcere certò, *ſed tantùm conjecturaliter* futura conditionata. 237. 2.

LEO.

Leo magnus prædefinitiones divinas multis in locis explicat. 100. 1. & 2. diſtinctionem ſenſus compoſiti & diviſi tradit. 151. 1.

LESSIVS.

Scientiæ mediæ acerrimus defenſor. 201. 1.

LIBELLVS.

Quidam libellus intitulatus memoriale Theologicum, docet ſcientiam mediam inter ſcientiam viſionis & ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, eſſe ſapientiam illam de qua loquitur Apoſtolus, quando exclamat. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, &c.* 204. 1. ſed hoc contra communem Scholaſticorum ſententiam. Ibid.

LIBERTAS.

Libertas non conſiſtit nec conſiſtere poteſt in hoc, quod poſſit conjungere contrarium diſſenſum, cum voluntate, vel motione Dei efficaci præveniente. 158. 1. duo enim illa ſunt inconjungibilia & incompoſſibilia. Ibid.

Admonemur libertatis noſtræ cum dicitur nobis, *Convertimini ad me &c.* 185. 1. & 2.

Libertas eſt perfectio ſimpliciter, non verò contingentia. 74. 2.

Divina libertas non poteſt eſſe exemplar imitabile à noſtrâ libertatè in eo quod eſt illi ſingulariſſimum, videlicet per ſeipſam abſque alio determinante ſe determinare. 241. 2. Vnde libertas creata non poteſt eſſe prima radix actuum liberorum, in ſuo genere. Ibid. neque conſiſtit in hoc quod ſe ſola ſuam determinationem incipiat. 234. 1. & hoc velle defendere, eſt liberum arbitrium præcipitare. Ibidem.

Digitized by Google

Index Rerum.

Libertas secunda per scientiam mediam aufertur ab eo cui convenit, & prima tribuitur ei cui repugnat, & sic ambæ everruntur. 141. 1.

Mirabile est quod aliqui negant prædeterminationem physicam à Deo provenientem, tanquam destructivam libertatis, & admittant prædeterminationem physicam ortam ex temperamento naturali, quâ posità non stet liberum arbitrium non consentire: nec videant hanc, nostram magis tollere libertatem, quàm illam. 245. 1.

Salvatur humana libertas cum efficacia antecedente divinæ voluntatis, quia efficax Dei voluntas antecedens vult utrumque. 77. 2.

Quare difficile est ex Sanctis Patribus libertatem humanam conciliare cum efficacia gratiæ & prædeterminationis, & prædestinationis. 84. 1.

Qui dicunt causam secundam liberam, esse primam radicem libertatis, quæ invenitur in actionibus humanis, omnem ordinem & subordinationem causarum secundarum ad primam evertunt; nec defendunt liberum arbitrium, sed præcipitant. 61. 2. hoc est proximum duplici errori. 138. 2. dicere Deum dare velle & operari, quia creat libertatem in homine & Angelo; est dicere divinæ voluntatis causalitatem sistere in creatione, & tribuere solùm possibilitatem, vel facultatem liberi arbitrij, non verò libertatem actualem. 62. 2.

Libertas in voluntate dimanat inseparabiliter ex indifferentiâ rationis. 83. 2. illa quæ est in operationibus creatis, reducitur tota in voluntatem creatam ut causam proximam, & tota in voluntatem Dei ut in primam radicem. 79. 1.

Malè aliqui putant efficacem Dei prædefinitionem idem esse, ac necessitatem tollentem humanam libertatem. 109. 1.

Libertatis concordia cum gratiâ efficaci, vel diviná motione, in substantia consistit in hoc, quod Deus moveat unumquodque secundùm conditionem suæ naturæ, & sit causa non solum actionis, sed modi illius. 121. 1. & 132. 1. unde ea quæ fiunt liberè, ideo liberè fiunt, quia Deus vult efficaciter ea fieri liberè ex D. Thoma. Ibid.

Lumen naturale utrumque ostendit, videlicet & Deum esse primam causam efficacem, omniaque movere, & nos habere libertatem, licet modum conciliationis non ostendat. 138. 2.

Tria de libertate docet S. Thomas notatu digna. 211.

LOCVS.

Locus realis est. 337. 2. omnia quæ sunt in loco, in eo sunt secundùm reales existentias. Ibid. exponitur locus scripturæ *Væ tibi corrozaim væ tibi &c.* Et verus sensus illius traditur. 270. & seq. & 272. & sequentibus.

Locus medius non erit post judicium inter cœlum & infernum. 53. 1.

LVTHERVS.

Stultissimè docuit liberum arbitrium se habere merè passivè, & ut inanime quoddam, in negotio justificationis. 190. 2.

MACHINA.

Machina magna fundatur in scientiâ mediâ adversus divinam causalitatem & gratiam. 234. 1.

MAGISTER.

Magister sententiarum explicat sensum compositum & divisum Thomistarum. 152. 1. & 155. 1. & 162. 1. apertè docuit hominem per peccatum originale non solum fuisse gratuitis spoliatum, sed etiam in naturalibus læsum. 42. 2.

MALVM.

Mala ex peccato provenientia enumerantur ex S. Augustino 22. 2. duo mala pœnæ sive pœnalia omni peccanti. 20. 2.

MANICHÆVS.

Ponebat naturam hominis determinatam ad malum. 31. 1. & 40. 2.

MARSILIVS.

Cavendus est in eo quod dicit Parisiis notatam fuisse sententiam defendentem coexistentiam rerum in æternitate, secundum proprias reales existentias. 339. 2.

MASSILIENSES.

Intelligere non valebant quomodo futura contingentia, Deo in æternitate præsentia coexistunt. 351. 1.

MATERIA.

Materia seu potentialitas est radix proxima corruptionis & contingentiæ. 66. 1.

MERITVM.

Meritum hominis non est absque libera Dei ordinatione. 254. 2.

MODESTIA,

Quorundam authorum modestia in explicando modo quo Deus cognoscit futura contingentia. 297. 1.

MOLINA.

P. Molina asserit se invenisse scientiam mediam. 285. 1. & se esse primum concordiæ libertatis cum gratia per scientiam mediam inventorem. 221. & 228. 2. doctrina ejus de hac scientia expenditur. 201. & seq. negat causalitatem quæ voluntas Dei est respectu futuri contingentis & liberi. 201. 1. de novitate doctrinæ gloriatur. 228. 2. duo videtur intendere dum incompossibilia proponit. 237. 2. asserit modum quo Suarez vult futura contingentia cognosci per scientiam mediam tollere libertatem. 230. 1. ejus sententia circa læsionem liberi arbitrij per peccatum originale. 1. 2. & 30. 2. & 49. 2. quid de parvulorum damnatione sentiat. 51. 1. sex ejus assertiones. 2. 1. quam differentiam admittat inter hominem lapsum, & hominem in puris naturalis creatum. 35. 2. octo assertiones ejusdem circa eandem materiam. 44. 1. & seq. verba ejus summâ attentione considerandæ. Ibid. rationes ejus discutiuntur. 44. & 45. quid de peccato originali sentiat. 46. & 47. promittit parvulis extra Regnum cœlorum vitam fœlicem perpetuam. 51. 1. & 52. 1. & seq. eodem modo explicat sensum compositum quo Thomistæ. 164. 1. primus divulgator illius sententiæ quæ dicit auxilium Dei esse efficax ex effectu, & quia liberum arbitrium vult. 178. 1. Videtur negare divinas prædifinitiones etiam post scientiam mediam. 89. 1. quâ veritate dicat prædifinitiones & prædeterminationes nullum habere fundamentum in scripturis, Patribus & Conciliis. 103. 2.

MORS.

Mors non ponitur vulnus naturæ, quia in statu naturæ puræ esset homini connaturalis. 32. 1.

MOTIO.

Motio Dei prævia adeò est necessaria ut impossibile sit voluntatem creatam exire in actum sine illa. 240. 2.

Rationes quibus ostenditur quod si motio quâ Deus movet voluntatem creatam ad operationem mutaretur de libera in necessariam, etiam operatio voluntatis creatæ fieret necessaria, expenduntur. 76. 77. & seq.

Motio moralis omnium prima consistit in primo judicio rationis, quo intellectus proponit vluntati finem hic & nunc esse liberè volendum. 187. 2.

Motionem moralem & excitationem potest liberum arbitrium abjicere, eique resistere, nec umquam

Digitized by Google

illi consentiet, sine alia gratia adjuvante. 192. 1. & 2. semper illi resistit nisi fortiùs adjuvetur. ibid. cum adjuvatur efficaciter non amittit potentiam ad illam abjiciendam. ibid. & sequentib. cum efficaci Dei motione optimè stat potentia liberi arbitrij, ad dissentiendum Deo vocanti & excitanti. 193. 1.

Motio Dei efficax quæ movet liberum arbitrium duo includit, scilicet excitationem, seu inspirationem, & motionem efficienter moventem. 170. 1.

Motionem Dei esse inefficacem reputat impossibile S. Thomas. 175. 2.

Motio quoad specificationem duplex. 187. 1. moralis movet suadendo & alliciendo. ibid. 2. moralis excitatio priùs naturâ est, quàm vera & efficax Dei motio. ibid.

MOTVS.

Motus primò primi in infidelibus semper sunt voluntarij in sua causa, scilicet in peccato originali. 245. 2.

Motus primò primi sunt absolutè necessarij, quia præveniunt, judicium rationis quod est radix libertatis. ibid.

Motus concupiscentiæ etiam vehementiores posset homo in statu naturæ puræ refrænare, & superare sine speciali gratiæ auxilio. 13. 1. quatuor modis considerari possunt. ibidem. 2. quomodo sint materiale peccati originalis. ibid.

MVTATVS.

Mutato priori mutatur semper posterius quod ab illo essentialiter dependet. 78. 1.

NATVRA.

Natura nostra per peccatum primi hominis corrupta, depravata, vulnerata, inclinata, attenuata. 2. 2. & 10. 2. & 13. 1. quatuor ejus vulnera. 32. 1. tripliciter intelligi potest naturam nostram non esse deteriorem nunc quàm si in puris naturalibus condita fuisset; si tamen culpam originalem detrahamus. 3. 1.

NATVRALE.

Nihil homini naturale potest esse perversum. 31. 1

Naturalia, vel status naturæ purę, quomodo intelligantur. 11. 2. & seq.

Naturalia homini debita dupliciter consideranda. 29. 2.

NECESSARIVM.

Necessarium quid. 57. 2. non benè definitur illud quod semper erit. ibid. In bona Consequentia *si antecedens est necessarium, ita & Consequens.* 353. 2.

NECESSARIO.

Determinatè & necessariò idem sonant quando dicitur, quòd propositio de futuro contingenti est determinatè vera. 291. 2.

NECESSE.

Necesse est ut veniant scandala, quomodo intelligatur. 149. 1.

Si Deus prævidit hominem operaturum, necesse est, in sensu composito ipsum operari propter certitudinem providentiæ, & tamen liberè operatur. 157.

NECESSITAS.

Necessitas antecedens triplex est ex D. Anselmo. 134. 2.

Necessitas antecedens quæ tollit libertatem, illa est quæ antecedit divinum velle 133. 2. antecedens ex natura rei & absoluta, tollit libertatem; non verò necessitas orta ex suppositione antecedente. ibid.

Necessitas absoluta & conditionata, quæ sit. 140. 2. & 141. 2. antecedens & consequens quid sit. 127. 1. & 2.

Necessitas suppositionis antecedentis, non est necessitas simpliciter, nec tollit libertatem. 131. 2.

Necessitas infallibilitatis & certitudinis non est necessitas coactionis aut tollens libertatem. 131. 2. nec absoluta, sed conditionalis. 132. 1.

Necessitas consequentis & necessitas antecedens divinæ voluntatis omninò diversæ sunt & oppositæ. 141. 2.

Necessitas consequentiæ quomodo accipiatur in materia de gratia & libertate. 142. 2.

Necessitas immutabilitatis indefectibilis est, licet absolutè & simpliciter libera. ibid.

Necessitas in sensu composito non est sola necessitas consequens, sed verè antecedens hominis operationem, sive libertatem in materiâ prædestinationis, & prædeterminationis. 156. 1.

Necessitas in sensu composito, conditionata, ex suppositione, infallibilitatis & consequentiæ idem sonant. 147. 2. & 156. 2. hanc non lædere libertatem apertè tradit S. Augustinus. 149. 1.

Necessitatis intrinsecæ & extrinsecæ distinctio ex S. Thoma. 139. 2. Vide *Propositio.*

NEGATIO.

Sicut à negatione actus ad negationem potentiæ non valet consequentia; ita à negatione auxilij efficacis dantis actum, non valet consequentia ad negationem auxilij sufficientis dantis tantum posse. 123. 2.

NOTITIA.

Quando in materia de Trinitate *verbum dicitur* generari ex notitiâ intuitivâ, ipsius *filij, propositio* sumitur quasi materialiter. 320. 1. *notitia intuitiva* præsupponit in aliquo instanti *rationis existens objectum* quod intuetur. ibid.

OBIECTVM.

Objectum scibile debet *esse* certum, determinatum & necessarium. 236. 2. & 242. 2. quod ponitur esse objectum scientiæ mediæ est omninò incertum & fallibile. 239. 1. non est futurum sed confingitur futurum. 240. 1.

Objectum creatum *non est principium* divinæ cognitionis, nec *ipsi tribuit certitudinem.* 307. 1.

OMISSIO.

Omissionem semper antecedit humanus actus, qui omissionis culpabilis causa est. 96. 1.

OMNIPOTENTIA.

Divinæ omnipotentiæ facillimum est, facere volentes liberè ex priùs nolentibus. 72. 1.

OPERATIO.

Operationes liberæ sunt in nostra potestate, non tamen ita ut per hoc excludatur dependentia essentialis illarum à causâ primâ 79. 2. sunt magis in potestate Dei quàm in nostrâ. ibid.

OPVS.

Opus tripartitum Suaris impugnatur. 227. 1. falsò citat Cajetanum de modo quo Deus cognoscit futura contingentia in sententia S. Thomæ. 312. 2. Vide *Auctor.*

OPVSCVLVM.

Opusculum de præscientia & prædestinatione à recentioribus citatum, non est S. Thomæ. 228. 1.

ORATIO.

Orationis Christi efficacia significatur decreto Dei. 268. 1.

ORDO.

Essentialis ordo qui est inter intellectum & voluntatem permutari non potest. 81. 1.

ORIGENES.

Origenes Magister Pelagij & fons Arrianorum. 114. 2. malè exponit authoritates scripturæ, in quibus dicitur Deum dare nobis velle & operari. 61. 2. non est admittendus, nec nominandus, sed potiùs damnandus cum causa liberi arbitrij agitur & prædefinitionum Dei, vel prædeterminationum, 110. 2. erroris occasionem

Digitized by Google

occasionem Pelagio præbuit. 324. 1. & 329. 2. damnatus ut hæreticus in persona Pelagij. 230. 1.

ORIGINALIS IVSTITIA.

Justitia originalis fuit donum gratuitum divinitùs datum. 6. 1. à gratia justificante sicut à prima radice procedebat. ibid. & 7. 1. in quo tanquam in subjecto erat? ibid. quid sit? & ejus principalis effectus? ibid. 2. an sit donum supernaturale vel naturale? 6. 2. & seq. multa egregia attulit primo homini. 21. 1.

Originalis justitiæ privatio quid includat. 35. 2. dupliciter considerari potest, sicut & privatio gratiæ. 50. 1.

PAPA.

Papa non potest in sensu composito errare definiendo res fidei. 151. 1. & 164. 2.

PARVVLVS.

Parvuli sine baptismo decedentes nullam pœnam sensus, sed solùm pœnam damni habebunt; de qua non tristabuntur. 55. 1. verè tamen dicuntur perire, damnari, ire in æternam damnationem &c. 56. 1. non habent se in reliquis, sicut si in puris naturalibus conditi morerentur quicquid dicant recentiores. 51. 1.

Parvuli qui sunt in Lymbo, ibi post diem judicij manebunt. 53. 1. habebunt cognitionem & amorem imperfectum Dei, & aliquale gaudium. 55. 1. numquam Pelagiani dixerunt parvulos sine baptismo decedentes habere extra Regnum Cœlorum vitam supernaturalem; sed solum naturalem. 53. 2. & 54.

PATRES.

SS. Patres prædefinitiones æternas ac certas divinæ voluntatis tradunt, suscipiunt & venerantur. 96. & seq. quando dicunt Deum præscire futura, quia futura sunt, loquuntur de præscientiâ peccatorum. 326. 1. optimè conciliarunt libertatem cum gratia sine scientiâ mediâ. 294. 1. Patres Græci, quos in patrocinium suum trahunt, negantes prædefinitiones Dei, olim à Pelagianis & Semipelagianis objiciebantur. SS. Aug. Prospero, Hylario &c. & illos, isti secundùm propriam intelligentiam explicarunt. 100. 1. & 2. illos explicat etiam S. Thomas asserens eos negare tantùm prædeterminationes imponentes necessitatem. 111. 2. & 117. 2. Vide *Sanctus.*

PECCATOR.

Nullus est aut esse potest peccator quem Deus convertere non possit. 241. 2. imo & diabolum potest suâ omnipotentiâ ad se liberè convertere. ibid.

PECCATVM.

An in sententia S. Thomæ peccatum consistat in merâ privatione. 36. 1. & 43. 2. non est purum removens prohibens. 36. 1. inclinat ad bonum commutabile, non habitualiter, sed virtualiter. 43. 2.

Peccatum Deus permittit, ut inde bonum aliquod eliciat. 293. 2. volitio illud permittendi, tria includit. ibid.

Peccati permissio est à deo volita in ordine ad Christi prædestinationem. 227. 2.

PECCATVM ORIGINALE.

Peccatum originale non in sola privatione, sed etiam in inclinatione ad actum consistit. 17. 1. & 2. inhæret essentiæ animæ & inclinat potentias, & per priùs voluntatem ad peccandum. Ibid. primò respicit essentiam animæ & secundò potentias, 34. 1. macula ejus in quo verè consistat. 36. 1. inseparabiliter conjungitur cum infirmitate in naturâ. 23. avertit à Deo non solùm ut authore supernaturali, sed etiam ut authore naturali. 31. 1. respectu quorum fuit tantùm removens prohibens. 10. 2. & quomodo. 36. 2. & seq. quomodo dicatur peccatum alienum. 50. 2.

Asserere peccatum originale non esse culpam, sed tantum pœnam error est ab Ecclesiâ perpetuò damnatus. 56. 1.

Ex confessione peccati originalis clarè convincitur gratiam Dei non dari secundum merita nostra. 45. 2.

In duobus errabat circa peccatum originale Pelagius. 24. 1. & 2. ejus fundamentum ad illud negandum destruitur. 23. 2. proloquium commune Theologorum de peccato originali. 29. 1.

Pœnæ peccati originalis aliæ corporales, aliæ spirituales. 38. 2.

Cum Pelagio convenit, qui peccatum originale dicit aliena tantùm demerita, & non propria demerita cujuscunque. 50. 1.

PELAGIANI.

Pelagiani acuti, & ideo contra illos acutum divina providentia destinavit S. Augustinum. 229. 1.

Quare olim condemnatam Pelagianorum hæresim, iterum Concilium Trid. confutavit. 189. 1.

Pelagianorum unicum ac singulare argumentum, ut gratiam negarent, fuit quod destruitur liberum arbitrium si à Deo moveatur ac determinetur. 66. 2.

PERSEVERARE.

Impossibile est quod homo in gratia perseveret, sine auxilio efficaci perseverantiæ. explicatur. 149. 1. & 2. Hæc propositio, *justificatus sine speciali Dei auxilio non potest perseverare*; sumenda est in sensu composito. 196. 1.

PERSVADERE.

Persuadere apud Sanctum Augustinum, idem est ac efficere & efficaciter movere. 283. 2. & 321. 1.

Suadet Deus per inspirationes moraliter invitantes: persuadet verò per efficacem & verè efficientem motionem. ibid.

PETITIO.

Petitio principij est dicere quod Deus videt voluntatem homini consensuram vocationi, quia est consensura. 239. 2.

PETRVS.

Petrus de Rivo docuit futura contingentia numquam habere determinatam veritatem, & tamen certò cognosci à Deo. 306. 2.

Ejus sententia; quòd scilicet omnis suppositio antecedens tollit libertatem, damnata est. 137. 2. & 140. 1.

POSSIBILE.

Possibili posito in esse non sequitur inconveniens, quomodo intelligendum. 198. 2.

POTENTIA.

Potentiæ rationales se habent ad opposita, non simul sed divisim habenda. 194. 1.

Per potentiam divinam fieri non potest, ut voluntas efficax non impleatur. 158. 1.

Potentia non potest ut causa principalis ferri extra latitudinem sui objecti. 80. 2.

Sicut se habet potentia ad potentiam, ita actus ad actum. 81. 1.

POTEST.

Verbum *potest* in scriptura sumitur in sensu diviso. 146. 1. aliquando etiam in sensu composito. 147. 2.

PRÆDEFINIRE.

Prædefinire quoad ipsam vocem est certò statuere, vel determinare aliquid antequam eveniat de facto. 87. 1.

Quædam sunt principaliter à Deo prædefinita & ex principali intentione; quædam verò secundariò, 228. 1.

PRÆDEFINITIO.

Prædefinitio divinæ voluntatis quid sit. 87. & seq. importat actum interiorem quo aliquid determinatur antequam

Digitized by Google

antequam fiat. Ibid. 2. est non solùm actus voluntatis sed maximè intellectus. 88. quomodo distinguatur à prædestinatione. 87. 2.

Rota prima & magistralis totius libertatis creatæ est divina prædefinitio. 121. 2.

Prædefinitio voluntatis est circa finem, prædefinitio verò intellectus, seu providentiæ dicit necessariò ordinem mediorum ad finem. 88. 1. ad formalem prædefinitionis rationem pertinet quod antecedat eventus productionem, æternamque ejus præscientiam & causarum per quas debet produci applicationem. Ibid. & omnem usum libertatis humanæ. 92. 1.

Prædefinitio & prædestinatio solis nominibus differunt. 92. 2.

Triplex prædefinitio seu prædeterminatio, prima Manichæi & Calvini, & tollit libertatem. Secunda Pelagij expectans voluntatem, & tollens Dei causalitatem. Tertia media, quæ libertatem & causalitatem Dei simul conservat & defendit. 120 2.

Quod de prædefinitionibus Dei sentiunt Molina & Suarez efficaciter impugnatur. 92. per tot. non prædefinitio sed postdefinitio dici debet prædefinitio Dei, quam admittunt assertores scientiæ mediæ. Ibid. 2. & 98. 2.

Prædefinitiones esse, voce quidam confitentur, sed re negant 89. 2. & seq.

Prædefinitio vera & propria, prima & radix omnium est actus divini intellectus, supponens actum divinæ voluntatis absolutum ex quo oiginatur. 103. 2. datur de mediis sicut & de fine. 104. 1.

Prædefinitio divina non est in nostra potestate, bene tamen actus prædefinitus. 120. 2. hoc optimè explicat. S. Aug. contra Pelag. 121. 1.

Qui negant prædefinitiones, imponunt S. Clementi Papæ. 13. 2. & ideas divinas negare convincuntur. 100. & 101.

PRÆDEITINATIO.

Prædestinatio est primus actus liber divinæ voluntatis. 226. 2.

Prædestinati sunt à Deo principaliter & propter se & primariò prædefiniti & præordinati. 117. 1.

PRÆDETERMINATIO.

Prædeterminatio physica sæpius repetita habetur ex. SS. Dyonisio. Athanasio & Thoma. 99. 2. & 101. 1.

Modus connaturalis operandi libertatis creatæ optimè salvatur, imò & statuitur per prædestinationem Dei physicam 121. 2. quomodo causetur libertas per prædefinitionem & prædeterminationem terminis omninò æquivalentibus multoties tradiderunt. SS. Patres. 103. 1.

Prædeterminatio quantumvis efficax, non potest necessitare voluntatem, quamdiù supponit indifferentiam judicij ex parte objecti. 81. 2. sicut nec Deus id potest nisi impediat illam indifferentiam ibid. & 82. 2.

Prædeterminatio divinæ voluntatis antecedens prædeterminationem voluntatis creatæ recipitur & deffenditur à Scotistis. 102. 2. latius patet quam prædefinitio. 87. & 88. duplex est, æterna, & temporalis ibid.

Negantes prædeterminationem, cum legunt in Scriptura vel in Sanctis Patribus, aliquid favens libertati, statim inferunt voluntatem Dei vel ejus causalitatem, non esse efficacem: quasi sacra Scriptura & SS. Patres utrumque non assererent. 114. 1.

Utrumque testamentum plenum est nominibus significantibus prædeterminationes, prædefinitiones &c. 93. 1.

PRÆDICATIA.

Auditâ Apostolorum prædicatione Tyrij & Sydones ad fidem conversi sunt. 271. 2.

Ideò Christus Dominus præscivit Tyrios & Sydonios conversuros si apud eos facta fuisset prædicatio Verbi Dei; quia decreverat se daturum illis auxilium efficax, & hoc certò sciebat. 272. 1. & quia ita decreverat illos convertere: si eis prædicaret. 222. 1. illos tamen noluit convertere nec illis prædicare, obalta suæ prædicationis mysteria. 272. 2.

Pelagianum esset asserere externam prædicationem, vel miraculorum patrationem habere efficaciam ad convertendum peccatorem. 255. 1. Vide. *Conversio. Peccator.*

PRÆSCIENTIA ET PRÆSCIRE.

Præscientia futurorum antecedens consilium divinæ voluntatis, est cum notabili præjudicio ejusdem divinæ voluntatis consilij. 216. 1.

Præscientia Dei respectu futuri duplex. 218. 1. absoluta sequitur decretum absolutum: & conditionata sequitur propositum de objecto conditionato. 214. 2.

Præscientia conditonata antecedens decretum Dei inimica est divinæ causalitati & divinæ *voluntati*, definienti contraria. 91. 1.

Nullo modo concedi potest quod *Deus præscivit* liberum arbitrium cooperaturum quia *cooperaturum* est. Sed è contrà ideo cooperaturū est, quia Deus præscivit. 318. & seq. cōtraria opinio est Fausti hæresis Pelagianæ defensoris. Ibid. loquendo de præscientiâ puræ speculativâ & intuitivâ concedi posset cum Origene, Deum præscire futura, quia futura sunt. Tunc enim particula *quia* non dicit causalitatem, sed conditionem sine quâ non. 320. 2. & ita explicandi sunt SS. Patres illud dicentes. 322. 2. & seq.

In præscientiâ futurorum conditionatâ, duo sunt semper distinguenda, scilicet quod sit; & quod sit certa ante decretum Dei: primum admittunt S. Aug. & S. Thomas: secundum verò damnant. 226. 1.

Præscientia futurorum nullo modo lædit eorum libertatem. 349. 2.

PRÆSENS ET PRÆSENTIA.

Rem esse objectivè præsentem non potest dicere ordinem futuri ad præteritum, quia semper dicit ab intrinseco ordinem præsentis objectivè cogniti ad præsentem cognoscentem. 339. 2.

Præsentia cognitorum, in esse tantum objectivo; non sufficit ad scientiam visionis sed requiritur coexistentia in esse reali & actuali. 339. 2. Vide. *Æternitas, Intuitus, Scientia.*

PRINCIPIVM.

Principia licet minima appareant; tamen quia principia sunt virtute magna judicari debent. 154. 2.

In vili principio tota scientiæ mediæ machina fundatur. 291. 2. Vide. *Scientia media.*

PROPHÆTIA.

Prophætiæ comminatoriæ, quomodo habeant veritatem. 259. 1.

PROPOSITIO.

Propositio objecti omninò necessaria, ut Deus moveat voluntatem. 85. & 86. propositio æternæ veritatis, *Ignis est à natura determinatus ad unum.* 143. 2.

Tres propositiones in materia de prædestinatione & gratia, debet semper præ oculis habere, qui vult medium tenere, inter hæreses Pelagianam, Lutheranam & Calvinianam. 159. 1.

Propositiones de præsenti vel præterito sunt determinatè veræ vel falsæ, etiam ante omne decretum. 303. 2. lex contradictoriarum non est quod una sit deter-

Digitized by Google

determinatè vera & altera determinatè falsa ; sed solum indeterminatè, ita quod si una sit vera determinatè, altera sit determinatè falsa. 206. 1.

Propositio absolutè & simpliciter necessaria duplex. 351. 1. quomodo istæ sint necessariæ. *Deus scivit Adam peccaturum, Antichristum venturum, Christum passurum, &c.* 351. 2. scilicet ex præsuppositione immutabilitatis divinæ scientiæ. 352. 1. non sunt de præterito nisi apparenter, sed revera sunt de præsenti.

PROPOSITIO MODALIS.

Propositio modalis duplex alteracomposita, altera divisa. 159. 1. & 2. prima de re, secũda de dicto appellatur. Ibid. modalis cõposita tunc est quando duæ formæ vel duo actus ; quorum unus se tenet ex parte subjecti, & alius ex parte prædicati, componuntur, & in eodem subjecto simul conjunguntur. 155. 2. & 161. 1. & 162. 2. tunc est divisa quando separantur, non à subjecto, sed inter se. Ibid.

Propositiones modales fusè explicantur. 159. 1. & 2. quid sit possibilis, quid necessaria ibid. & seq. Exempla quibus hæc valdè necessaria aperiuntur. 160. 1.

Propositio modalis quomodo reducenda ad suam de inesse. 198. 2.

Hæc modalis. *Liberum arbitrium consentiens gratiæ efficaci potest dissentire ; est divisa & vera.* 194. 2. si addatur, *dum consentit ;* est composita & falsa. 195. 1.

Neganda iterumque neganda est hæc. *Homo non habet libertatem in sensu composito.* 198. 1.

Hæc propositio, *Efficaci divinæ voluntati liberum arbitrium potest resistere ;* est composita ex terminis. 168. diversimodè formari potest. Ibid. quomodo sit vera. Ibid. & seq. hæc est absolutè vera : *Posita Dei efficaci voluntate potest liberum arbitrium dissentire.* Ibid.

Istæ modales sunt æquivalentes. *Impossibile est* non simpliciter, sed ex suppositione, *liberum arbitrium esse à Deo motum ad assentiendum, Deo vocanti, & quod dissentiat : & liberum arbitrium à Deo motum ad assentiendum Deo vocanti, non potest dissentire in sensu composito.* 174. 1. Sicut & istæ duæ *Homo potest conjungere dissensum contrarium, cum voluntate efficaci Dei qua vult hominem consentire : & potest homo dissentire in sensu composito.* 158. 2. & utraque est falsissima. Ibid.

Hæ duæ propositiones sunt valde diversæ. *Præsuppositа Dei motione efficaci ad consensum potest homo dissentire : & posita motione Dei efficaci potest homo cum illa conjungere dissensum.* 158. 2.

Hæc propositio *Res quæ est, necesse est esse* : non facit sensum compositum, bene tamen ista : *Res dum est, necesse est esse* ; & hæc est vera. 155. 1. & 159. 2. & 164. 1.

Quænam propositiones ex vi propriâ faciant sensum compositum & quænam divisum. 167. 1.

Hæc est verissima : *Liberum arbitrium à Deo efficaciter motum potest dissentire* : quia facit sensum, quod liberum arbitrium retinet potentiam ad dissentiendum. 164. 2.

Hæc, *suppositione facta gratiæ efficaci liberum arbitrium non potest non operari :* absolutè neganda est, quia absolutè prolata importat sensum divisum. 140. 1. Vide *Libertas. Sensus. Prædeterminatio.*

PROPOSITIO DE FVTVRO.

Sicut numerus ut sic est indifferens ad par vel impar, ita propositio de futuro contingenti ad verum vel falsum. 304. 1. Esto nullum sit instans reale in quo propositio de futuro contingenti non sit vera vel falsa est ; tamen instans rationis ante decretum Dei in quo nec vera, nec falsa est ibid.

Hoc disjunctum, *Antichristus erit vel non erit,* est verum confusè & disjunctivè, ante decretum Dei, sed non determinatè. 304. 2. hæc autem *Antichristus erit,* est vera ab æterno ; non ex propriis meritis, sed ex vi decreti voluntatis divinæ ibid.

Totalis significatio hujus propositionis *Antichristus erit* ante decretum Dei est, quòd Antichristus erit, vel non erit ; secundùm quod Deus disposuerit 291. 2.

Propositiones de futuro contingenti in signo rationis antecedente decretum Dei sunt propositiones propriè & significantes, non sunt tamen determinatè veræ aut falsæ. 291. 2.

Vocare propositionem aliquam de futuro contingenti & dicere illam esse determinatam ad unam, vel aliam contradictionis partem ; est simul implicatoria dicere. 291. 1.

Si propositio de futuro contingenti esset determinatè vera aut falsa ; non esset de contingenti sed necessaria, quia quod est determinatum naturâ suâ ad unam partem, est necessarium & non contingens, & hæc est ratio fundamentalis. Ibid.

Propositiones de futuro contingenti ante decretum, non sunt revera contradictoriæ, sed tantùm materialiter & in apparentia. 305. 1.

Hæc propositio, idem est Deum cognoscere futura in causa infallibili quæ est essentia divina ut idea ; & ea cognoscere in seipsis ; triplicem potest habere sensum. 343. 2.

PROPOSITIO CONDITIONATIS.

Quædam propositiones conditionales ex se disparatæ habent veritatem conjecturalem ex voluntate seu inclinatione humanâ, & ex decreto divino infallibilem illationem sortiuntur. 286. 1. & 2.

Hæc conditionalis est vera, *si in bona consequentia antecedens est in mea potestate, consequens erit in mea potestate,* non tamen è converso ; quia bonè potest fieri quod antecedens non sit in mea potestate & tamen ponat in mea potestate consequens. 142. 2. illustratur hoc exemplis ibidem. Hæc etiam vera est, *si causæ secundæ existunt, sicut modò sunt & objecta eis proponantur, ut modò proponuntur sub indifferentia, licet Deus ageret ex necessitate naturæ, effectus causarum contingentium essent contingentes & liberi.* 86. 1.

Propositio conditionalis fundata in divina promissione est infallibilis. 251. 2.

Ad veritatem propositionis conditionalis sufficit quod conditio sit vel causa, vel effectus ; vel tantùm conditio sine qua non, consequentis. 251. 2. Vide *Conditio, Suppositio.*

PROVIDENTIA.

Providentia, prædefinitio & præordinatio in Deo idem sunt ex D. Thoma. 116. 2.

Providentia divina est causa contingentiæ rerum, licet non sit prima radix. 68. 2. non est nisi prædefiniens. 116. 1.

Contra Majestatem & infinitatem divinæ providentiæ est, tribuere illi quòd observet & expectet quid factura sit creatura, si ponatur in talibus circunstantiis antequam aliquid decernat. 292. 2.

QVÆSTIO.

Præcipua quæstio inter Pelagianos & Catholicos erat, quòd illi constituebant præscientiam futurorum certam antè propositum divinæ voluntatis, Catholici verò, post. 213. 1.

QVANTITAS.

Quantitas est extensa per seipsam. 346. 1. sub-

Digitized by Google

ſtantia verò corporalis, eſt extenſa per quantitatem. 347. 1.

QVASI.

Gemina hujus particulæ explicatio. 329. 2. & 337. .

QVATVOR.

Quatuor pertinent ad modum agendi libertatis, & alia quatuor ad modum agendi cauſæ naturalis. 121. 2.

Quatuor propoſitiones diſtinguendę nec ad invicem confundendæ. 175. 2.

QVIA.

Particula *quia* ſæpè in Scripturis denotat cauſam tantùm conſequentiæ, ſive ſignum & effectum, & non cauſam in eſſendo. 321. 1. & etiam idem denotat apud ſanctos Patres. 325. 2.

RATIO.

Ratio ſuperior naturaliter poteſt refrænare inferiorem niſi ſit læſa per peccatum. 9. 1. & 31. 2.

REBELLIO.

Duplex rebellio in natura humana. 11. 1.

RECENTIORES.

Quidam recentiores in multis conveniunt cu Pelagio & Semipelagianis in doctrinâ. 182. 2. quorundam ſententia convenit in aliquo cum doctrinâ Calvini, ratione, & fine diverſis. Ibid. 1.

Recentiores volentes gratiam ſeu providentiam eſſe tantùm comitem vel ſubſequentem voluntatem hominis; quàm ſint SS. Patribus & Scholaſticis contradicentes. 156. & 157.

REGVLA.

Quinque regulæ ad veram intelligentiam ſenſus diviſi & compoſiti in materiâ de ſcientiâ Dei de providentiâ & de prædeſtinatione &c. 160. & ſeq. fuſa harum regularum explicatio. Ibid.

Aliæ quinque regulæ ad dignoſcendum quomodo futura cognoſcantur à Deo. 252. & ſeq.

Regula famoſa dialecticorum quod contradictoria non poſſint eſſe ſimul vera. 307. 1.

Regula alia ſpecialis de ſenſu diviſo & compoſito obſervanda. 193. 2.

Regula generalis Theologorum, quod ad omnia illa ſe extendit divina prædefinitio, ad quæ ſe extendit cauſalitas Dei. 101. 1.

Regula certa juris quòd generi derogatur per ſpeciem, & quòd in generali conceſſione non veniunt illa, quæ in particulari negata ſunt. 141. 2.

RELATIO.

Relationes rationis quæ ſequuntur ad Dei operationem procedentem ſecundum modum intelligendi ad exteriores effectus, dicuntur de Deo ex tempore; ut relatio Creatoris, Domini, & Salvatoris. 340. 2.

Relatio rationis ſive denominatio conſequens operationem divini intellectus, quæ manet in operante dicitur eſſe ab æterno. 340. 2.

REPRÆSENTATIO.

Idearum repræſentatio non cauſat futurionem ſed eam præſupponit ut per divinam cauſalitatem efficiendam. 344. 1. omnis repræſentatio in Deo vel eſſentiæ divinæ ante determinationem divinæ voluntatis eſt ſimpliciter neceſſaria. 308. 2.

REPROBATIO.

In reprobatione parvulorum non ſolum agitur de donis gratuitis amittendis, ſed de punitione peccati originalis, per pœnam damni. 51. 1.

RESISTERE.

Reſiſtere in propria ſignificatione ſumptum quid efficiat. 171. 1.

Poſſe reſiſtere importat ſenſum compoſitum cum eo cui reſiſtitur. 193. 1. non eſt in homine potentia, ut Deo efficaciter moventi reſiſtat, nec in hoc conſiſtit libertas. 194. 1.

RVARDVS TAPERT.

Inſignis Lovanienſis Scholæ Doctor. 288. 1.

Ponit duas propoſitiones circa mala & miſerias naturæ humanæ. 4. 1. divinas prædefinitiones ac prædeterminationes ſapientiſſimè defendit. 102. 2.

SALAZAR.

Aſſerit peccatum originale non aliis quam ipſi Adamo voluntarium fuiſſe. 2. 2.

SANCTITAS.

Aliud eſt eſſe creatum in Sanctitate, & juſtitiâ; & aliud in eâ eſſe conſtitutum. 5. 2.

SANCTVS.

Sancti Patres ſoluunt præcipuam objectionem Pelagianorum dicentium tolli liberum arbitrium, ſi à Deo moveatur & determinetur. 66. 2. affirmant Deum omnia, regere, gubernare, definire &c. nulla facta mentione ſcientiæ mediæ. 92. 2.

Sancti palam dicunt nihil eſſe Deo futurum. 336. 1. nullus adducitur qui expreſsè ſcientiam mediam docuerit. 277. 1. in nullo Sanctorum invenitur quòd ideo Deus voluit hoc eſſe, quia *hoc futurum eſt* 323. 1.

Sancti Doctores & Scholaſtici per determinationem divinæ voluntatis, ſemper prædeterminationem intellexerunt. 317. 2. admittunt ideo res futuras quia Deus præſcivit. 323. 1. quando utuntur nomine præſcientiæ loquuntur de præſcientiâ quæ ſupponit divinæ voluntatis decretum: & quæ præcedit ſolùm creationem factam in tempore. 277. 2.

SAPIENTIA.

Sapientia eſt ſcientia, ſed habet aliquid ſupra alias ſcientias. 252. 2. dicitur in Deo ſapientia reſpectu attributorum ipſius, & ſcientia reſpectu creaturarum. Ibid.

SAVL.

Regnum Saülis figura fuit æterni Regni Chriſti. 261. 2.

SCIBILE.

Non minùs repugnat Deum certò ſcire quæ non ſunt ſcibilia, quàm repugnet illum facere quæ non ſunt factibilia. 300. 1.

SCIENTIA.

De ratione ſcientiæ ut ſic, eſt certitudo quæ haberi non poteſt de re incerta. 307. 1. aliquando ſumitur lato modo pro cognitione ſpeculativa, ut cùm dicitur quòd Deus habet ſcientiam, ideſt, *Cognitionem Speculativam* de ſeipſo. 253. 1.

Scientia ex propriis meritis neceſſaria, eſt niſi ſupponat libertatem. 323. 1.

SCIENTIA DEI.

Scientia Dei ſtrictè ſumpta adæquatè dividitur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: ſive naturalem, & ſcientiam viſionis: ſive liberam. 253. 1.

Prima præcedit decretum, ſecunda illud ſupponit, & eſt cauſa rerum. Ibid.

Scientia Dei ex propriis meritis habet menſurari æternitate. 342. 1. Scientia Dei eſt cauſa rerum, ut habet actum voluntatis annexum. 319. 1.

Per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, non poteſt Deus cognoſcere quid voluntas ſua ſit volitura. 257. 2. cognoſcit tamen per illam quod liberum arbitrium ſub quibuſcunque conditionibus poſitum abſque prævia Dei motione numquam operabitur. 259. 1. hæc ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſimpliciter neceſſaria eſt. 144. 1.

Scientia Dei libera certa eſſe non poteſt, niſi præceſſerint

Digitized by Google

cesserint divinæ prædefinitiones. 122. 2. Scientiâ simplicis intelligentiæ est causa rerum per modum dirigentis & in actu primo. 319. 2.

Scientia visionis propriè non est, nisi quatenus videt res in aliqua temporis differentia existentes. 258. 2.

Quid sit scientia approbationis secundùm quam oportet multa loca SS. Patrum intelligere. 324. 1.

Scientia quâ Deus cognoscit futura in suo decreto est libera. 314. 2.

Si res non haberent proprias existentias in æternitate scientia Dei non esset intuitiva, nec scientia visionis respectu illarum. 344. 2.

SCIENTIA MEDIA.

Quid sit scientia media? 110. 2. quodnam ejus essentiale objectum? ibid. ejus authores vel assertores enumerantur. 200. & 209. 2. ejus finis. 202. 1. novitas nominis, & tempus quo cæpit divulgari. 203. 1. scriptum de hac scientia Romæ oblatum. 202. 2. in triplici casu potest hæc scientia confingi. 204. 1. illam adscribunt ejus auctores SS. Patribus. 206. & 207. & seq. & etiam Scholasticis. 209. 1. rationibus illam probare conantur. ibid. 2.

Scientiæ mediæ non meminerunt antiqui Scholastici. 284. 2.

Scientia media est impossibilis. 220. 2. & 293. 2. est contrà authoritatem scripturæ & dicta SS Patrum. 224. 1. si daretur esset omninò necessaria in Deo quia antecederet omnem libertatem, & tamen supponitur esse libera. En magna contradictio. 231. 2. videtur damnata in Semipelagianis eo quod certa constituebatur in Deo ante propositum divinæ voluntatis. 212. 2. ex potissimis ejus defensoribus ostenditur illius impossibilitas. 243. 2.

Mirabile est quod assertores scientiæ mediæ dicunt non esse in Dei potestate aliud per illam scire quàm scivit: esse tamen in potestate hominis facere quod Deus per illam aliud sciat. 231. 2.

Ex positione scientiæ mediæ sequuntur multa inconvenientia. Primò nullum aliud Dei auxilium esse necessarium ad perseverandum, quàm sufficiens omnibus commune. 246. 2. Secundò non fuisse in potestate libera Dei, quòd si verbum assumeret naturam humanam, v. g. non invitaretur ad nuptias. 231. 2. Tertiò verbum divinum generari, non ex cognitione Patris omninò necessariâ, sed partim liberâ. 232. 1. Quartò quòd productio verbi divini penderet ab aliquo contingenti. ibid. 2. Quintò quòd futuritio actus liberi, atque adeò aliqua creatura sit à Deo independens 233. 2. Sextò quòd Deus acciperet cognitionem à creaturis. 235. 2. Septimò libertatem divinæ scientiæ ortum habere, non ex indifferentia, quæ in Deo sit; sed ex indifferentia & libertate quæ in creatura est. 236. 2.

Scientia media ponitur merè speculativa. 233. 1. tollit libertatem. 235. 1. & 240. & à Deo certam futurorum contingentium cognitionem. 236. 2.

Datâ scientiâ mediâ eminenter, sive datâ cognitione eminentiali futurorum antecedente decretum Dei: sequuntur eadem inconvenientia, quæ sequerentur positâ scientiâ mediâ formali. 249. 1. & 2.

SCIRE.

Verbum *scivit* & *scit* respectu Dei sunt idem. 352. 2.

SCOTUS.

Scotus divinæ voluntatis æternam & absolutam prædefinitionem & prædeterminationem, ante omnem præscientiam futuri eventus tuetur, propter quod à Molinâ ut liberi arbitrij destructor impugnatur. 101. 2. & 102. 1. & 285. 2. de scientiâ verò mediâ, sub nomine præscientiæ, dicit quod simul tollit à Deo causalitatem & cognitionem. 240. 1. docet quod si Adam non peccasset Christus venisset in carne impassibili. 262. 2. Scoto falsò aliqui attribuunt sententiam de scientiâ mediâ. 285. 1. & 2. ipsum reprehendit Palatio, sed malè. 297. 1. & 2. citantur loca in quibus Scotus stat pro prædeterminatione divinæ voluntatis contra scientiam mediam. 317. & sequentibus.

Scotus dicit quod antecedenter ad omnipotentiam Dei, non est objectum intelligibile, nisi tantùm in esse possibili. 306. 1. falsissimum est Thomistas accepisse à Scoto sententiam de cognitione futurorum in determinatione divinæ voluntatis ut aliqui asserunt. 313. 2.

Scotus non dicit contrarium hujus propositionis: *Necessitas consequentia non ladit Libertatem.* 144. 1. explicat sensum divisum & compositum eodem modo quo S. Thomas. 163. 2.

SCRIPTVRA.

Scriptura sacra tradit expresè divinæ voluntatis prædefinitiones, seclusâ præscientiâ mediâ. 92. 1. & seq. Quomodo intelligendus sit Scripturæ locus: *Non est volentis neque currentis.* ibid. qui locus efficassimus est ad probandas prædefinitiones Dei. 93. 1. & 2. pulchra ejusdem loci expositio: ibid. & 120. 1. & 136. 1. evasiones eorum qui malè interpretantur hunc locum refutat Sanctus Augustinus. 94. 1. in illo duas solutiones tradit Apostolus argumento negantium prædefinitiones. 120. 2.

Explicatur alius Scripturæ locus scilicet. *Voluntati ejus quis Resistet.* 94. 2. de qua voluntate id intelligatur. 95. 1.

Exponitur alius Scripturæ locus. *O Homo tu quis es, qui sic Respondeas Deo?* 95. 1. & 2.

Scripturæ loca quibus probant scientiam mediam ejus assertores, referuntur. 204. 1. & 2.

Familiare est Scripturæ, ut Deus per illam revelet tanquam futurum quod certò futurum non est; sed ex dispositione causarum proximarum futurum esset, nisi per altiorem causam impediretur. 268. 2.

Scripturæ varia loca, alia in sensu diviso, alia in sensu composito explicanda. 147. per tot. Vide. *Locus Sensus.*

SEMIPELAGIANI.

Semipelagiani fraudulenter humanam naturam laudabant, existimantes non esse per peccatum originale in naturalibus læsam. 28. 2. contendebant frustra esse Sanctis hominibus laborandum, nec orationibus insistendum, si ex incommutabili proposito Dei, ante mundi constitutionem ponantur electi. 337. 1. totam suam pravam doctrinam adscribebant Sancto Augustino, attribuendo illi scientiam mediam sub nomine præscientiæ. 215. 1.

SENSVS.

Quid sit transire de sensu diviso ad sensum compositum, & è converso. 159. 1. quis verè & propriè sit sensus divisus & sensus compositus, clariùs explicatur. 161. 2. sensus divisus est superior ad sensum compositum & latiùs patet. 160. 2. eodem modo licet argumentari à sensu diviso ad sensum compositum, vel è contra, quo à superiori ad inferius, vel è contra, & non aliter. ibidem.

Quamvis verum sit quod liberum arbitrium motum & excitatum non potest dissentire in sensu composito, non tamen sequitur hominem non habere libertatem in sensu composito; imò contrarium infertur. 198. 1.

SENTENTIA.

Notanda sententia Synodi septimæ. 100. 2. damnata

Digitized by Google

nata est ab Ecclesia sententia, quæ præter vitam æternam, quam Beati habent per Christum in regno cœlorum; aliam parvulis non in Christo renatis per baptismum, tribuit. 54. 2. & seq.

Sententia Pelagianorum & Semipelagianorum dicentium quòd : *Necessitas ex suppositione divinæ voluntatis antecedente humanam voluntatem tollit ejus libertatem.* 137. 1.

Sententia Calvinistarum quòd *voluntas Dei efficax antecedens hominum voluntates tollat libertatem :* damnata est. ibid.

SIXTVS.

Sixtus quartus Summus Pontifex illationem, quâ aliqui inferunt quòd in bonâ consequentiâ, consequens non est liberum quando antecedens non est in nostra potestate, damnavit. 43. 1.

SOCIETAS.

Societatis Jesu Sapientissimi Doctores piè defendunt prædefinitiones, & prædeterminationes Dei; recedentes in hoc à communi aliorum ejusdem Societatis novâ opinione. 103. 1.

SOLVTIO.

Quædam solutiones argumentorum valdè notandæ & memoriter retinendæ. 61. 1.

SPIRITVS SANCTVS.

Sine Spiritus Sancti inspiratione atque adjutorio, non posse homines credere, sperare, diligere & pœnitere ut oportet, ostenditur. 188. 2.

STAPLETONIVS.

Optimè redarguit Calvinum ex eo quod corrumpit Scripturam Sacram. 205. 2.

STATVS.

Status innocentiæ, naturæ integræ, & justitiæ originalis unus est sub ratione diversa. 9. 1.

Sex status sub quibus considerari potest natura humana. ibidem.

Statui hominis lapsi quæ sint propria. 2. in eo facilia potest homo, sed non difficilia. 22. 2.

Status naturæ puræ, est status rationi consonus. 42. 1.

STOICI.

Negarunt causarum naturalium contingentiam. 59. 2.

SVAREZ.

Suarez dicit modum quo Molina vult futura cognosci per scientiam mediam esse impossibilem. 230. 1. aliquando docet decreta Dei prædeterminantia tollere libertatem, aliquando docet oppositum. 265. 2.

SVPPOSITIO.

Suppositio efficax ex decreto Dei absoluto libertatem non impedit. 263. 1. nec antecedens proveniens ex voluntate Dei, quia est causa actionis liberæ & modi ipsius. 145. 1. imò ex suppositione gratiæ vel voluntatis Dei efficaciter antecedentis cooperationem liberi arbitrij infallibiliter sequitur quòd liberum arbitrium liberè operetur. 131. 1. & 138. & 139. & sequentibus.

Doctores tria explicare intendunt per necessitatem ex suppositione & consequentiæ. 142. 2.

Suppositio antecedens & consequens quadrupliciter accipitur & explicatur. 129. per tot.

SYRIA.

Syriæ destructio dicitur futura in Scriptura Sacra, quia Deus per decretum sic disposuerat, ut si terra percuteretur à Rege, Syria devastaretur. 160. 2.

TEMPERAMENTVM.

Temperamentum vel humorum proportio, ex quâ juxta aliquos voluntas infallibiliter operatur; omninò destruit libertatem. 245. per tot. Vide *Voluntas.*

TEMPVS.

Temporis definitor Deus est. 99. 2.

Tempus præsens est quid reale. 337. 2. præteritum & futurum sunt differentiæ durationis; sed non loci. 345. 2. quædam sunt contradictoria in ordine ad tempus ut *Antichristus erit, Antichristus non erit,* quæ non sunt contradictoria in ordine ad æternitatem. 346. 1.

Quod in tempore Deus rectè facit, jam fuisse dicitur in Æternitate. 337. 2.

Ea est temporum miseria & doctrinæ libertas, ut etiam contra id quod manifestum apparet; aliud extortis explicationibus intelligi posse dicatur. 227. 1.

THEODORETVS.

Non est audiendus in materia de prædefinitionibus quia Origenem est sequutus. 111. 1.

THEOLOGVS.

Novi Theologi retunduntur argumento ex Suare desumpto. 115. 2.

Theologi alio modo, & alio modo Philosophi debent loqui de futuro contingenti. 243. 2.

THEOLOGIA.

Theologia & Metaphysica specialiter & propriè sapientiæ vocantur. 204. 2.

THEOPHILACTVS.

Prædefinitiones & prædeterminationes efficaces & infallibiles admittit. 113. 1.

THESES.

Theses duasi defensæ. 47. 1. indignum est *in re* gravi theses juvenum in medium afferre, hoc enim non juvat. 287. 2. juvenes in Thesibus sæpè contra proprios præsidentes ostentatione ingenij plura non vera defendunt. ibid.

S. THOMAS.

S. Thomas ut Sanctus Doctor alios Sanctos doctores benè intellexit. 322. 2. Quare magis insistat in probando certitudinem divinæ cognitionis circa futura; ex coexistentiâ ipsorum in æternitate, quàm ex decreto divinæ voluntatis; cùm ex utroque capite probetur. 341. 2. & seq.

Reprehendit scientiam mediam, & qualitatis notâ gravissimâ taxat. 223. 2. referuntur ejus loca in quibus illam scientiam reprobat ut falsam & impossibilem. ibid. & sequentibus. docet futurum contingens certo cognosci non posse ante decretum Dei. 224. 2. & seq. infert manifestè perfectionem libertatis, ex voluntate Dei absolutâ & efficaci. 119. 1.

In Sancto Thoma ista reperiuntur evidenter. Quod Deus prædeterminat ad actionem quæ est in peccato, quatenus actio & entitas est, quod est causa illius influens agenti, esse, posse, & agere, quod oppositum sentire, est proximum duplici errori, & quod hinc nullo modo sequatur Deum esse causam peccati. 125. 1.

Aliqui S. Thomæ attribuunt scientiam mediam & tunc repugnantia loquuntur. 314. 1. & 320. 1.

S. Thomæ sententiæ, litteræ & intentioni sæpè fit violentia ab auctoribus novæ doctrinæ. 116. 1.

S. Thomas majori cum vi proponit sibi argumentum, quo dicitur determinationem Dei in causa secundâ liberâ, evertere libertatem : quàm faciant recentiores prædeterminationis physicæ adversarij, illudque perfectissimè soluit. 67. 1. & 2. & 119. 1. mirabili ordine ostendit à quibus pendeat contingentia seu libertas effectuum creatorum ascendendo gradatim ad divinam voluntatem. 69. 1. totus in explicandis & defendendis divinis prædefinitionibus versatur. 100. 2. 101. & seq.

S. Thomas perpetuus est in fundanda, defendenda & explicanda distinctione de necessitate absolutâ & condi

Digitized by Google

conditionatâ, & de ſenſu compoſito & diviſo. 151. 1. regulam celebrem tradit in hac materia. 162. 2. & 167. 1. & 2. quæ regula ſola ſequenda eſt ad dignoſcendam propoſitionem modalem & compoſitam, & diviſam. 168. 2. ſoluit argumenta, quibus in eadem materiâ, multi his temporibus convincuntur. 163. 1. tria argumenta ita efficacia ſibi opponit contra contingentiam & libertatem, ut ſtrictè omnia quæ modò in infinitum multiplicantur, contineant. 348. 1. DUM illa tria ſoluit, omnia arma inimicorum gratiæ conterit. Ibid.

S. Thomæ expreſſa ſententia eſt, non ſolùm peccatum actuale, ſed etiam originale nociuiſſe homini in naturalibus. 34. 2. quomodo intelligendus quando dicit in peccato originali non eſſe converſionem habitualem ad indebitum finem. 36. 2.

Loca S. Thomæ ex quibus Molina & alij inferunt quòd ablatâ juſtitiâ originali per peccatum, vel denegatâ homini in puris naturalibus conſtituto, eadem eſſet infirmitas, ignorantia & concupiſcentia atque rebellio. 4. 1. verba S. Thomæ notanda. 30. 1.

THOMISTÆ.

Diverſimodè ratiocinantur circa hanc propoſitionem: ſi DEUS ageret ex neceſſitate naturæ nulla eſſet libertas in effectibus creatis. 75 per tot. & ſeqq.

TRACTATVS.

Tractatus de prædeſtinatione DEI, qui citatur à recentioribus tanquam S. Auguſtini, non eſt ejus, ſed ſuſpecti authoris. 149. 1.

TRACTIO.

Tractio antecedens quâ homo liberè vult, conſentit, venit, &c. ex S. Auguſtino explicatur. 131. 2.

VANITAS.

Vanitati Phyloſophorum tribuitur quòd libertatem creatam in cauſas ſecundas ultimatè reducunt. 60. 1.

VELLE.

Velle quod aliquid fiat abſolutè, & velle quòd contrarium fieret ſi poneretur talis conditio, non opponuntur. 266. 2.

VELLEITAS.

Velleitates ſunt in duplici genere. 266. 2.

VERBVM.

Per duo verba duos extremos errores Pelagij & Calvini damnat Concilium Trident. 190. 2.

VERBVM DIVINVM.

Verbum divinum procedere ex aliquo contingenti, concedendum non eſt. 232. 2. malè concedit Albertinus verbum divinum procedere ex cognitione futurorum contingentium. 233. 1.

VERITAS.

Veritas conditionalis regulatur per abſolutam quam ſupponit. 234. 2.

veritas objectiva futurorum contingentium intellecta ante decretum divinum non eſt contingens, ſed neceſſaria. 301. 2. & ſeq. impugnatur efficaciter. Ibid. illam habent futura contingentia poſt decretum DEI, ſed non ante. 302. 2.

Nullum eſt inſtans reale temporis in quo futura contingentia non habeant determinatam veritatem, quâ certò cognoſcantur à DEO. 306. 2.

Res ſecundùm hoc habent veritatem, ſecundùm quòd habent eſſe. 302. 1.

Nulla eſt veritas certa quam DEUS non cognoſcat ſemper certiſſimè. 303. 1.

Veritas à S. Auguſtino perpetuò publicata & defenſa contra Pelagianos, quòd *voluntas Dei, vel gratia, vel ſuppoſitio præveniens & antecedens nullo modo tollit libertatem, ſed conſervat, perficit, &c.* 129. 1.

Veritas patitur calumnias; ſed ſemper eas expugnat & vincit. 263. 1.

VERVM.

Quomodo verum & falſum comparentur ſano & ægro. 203. 2.

VIA.

Nulla efficacior via negandi libertatem quam negare divinæ voluntatis prædefinitionem & efficaciam. 122.

VIOLENTIA.

Nulla eſt violentia in creaturis ex motu quo à DEO moventur quomodocunque ab illo moveantur. 84. 2.

VIRTVS.

Cum vitiis virtutes habitare non poſſunt. 48. 2.

VITA.

Vita DEI eſt viſio DEI. 54. 1.

VOCATIO.

Nihil congruentius aptari poteſt humanæ voluntati quam vocatio ex DEO efficax. 282. 1. per gratiam efficacem homines redduntur idonei efficaciter, ut vocationi obediant. Ibid. 2. nec habet homo in ſua poteſtate ut ſibi congruam vocationem faciat. Ibid.

Dicere quod voluntas creata infallibiliter ſe determinat ex congrua vocatione pendente ex cauſis naturalibus, ſcilicet ex loco, tempore, temperamento &c. eſt fatalem inducere neceſſitatem. 242. 2. & 245. 2.

Vocatio alta & ſecreta quâ DEUS ad ſe corda convertit. 149. 2.

Vocatio congrua cui aſſentimur Chriſtum ſequendo, non eſt in noſtra poteſtate. 137. 2.

VOLITIO.

Volitio ſecuta ex ſimplici aprehenſione finis, non eſt libera ſed indeliberata. 186. 1. & in ſolum DEUM refunditur. Ibidem.

Iſta volitio DEI: *Volo omnes homines ſalvos fieri* eſt de objecto conditionato. 262. 1.

VOLVNTAS.

Voluntas per indeliberatam finis volitionem, benè diſponitur ad acceptandam moralem motionem, ad liberè operandum. 187. 2. quando vult habet potentiam ad volendum & nolendum: & in hoc eſt libera. 163. 2. nihil omnino poteſt velle niſi ſub ratione boni & convenientis. 82. 2. licet libera, poteſt tamen reſpectu alicujus moveri ut natura. 79. 1. nec propterea tunc eſt propriè inſtrumentum, ſed verè cauſa principalis & vitalis ſuæ actionis. Ibid.

Impoſſibile eſt quod voluntas feratur neceſſariò & non liberè in objectum cum indifferentiâ propoſitum per rationem. 80. 2. & quod feratur in incognitum. Ibid. & 82. 1. & quòd non feratur neceſſariò in objectum ſine indifferentiâ, id eſt, cum omnimodâ bonitate propoſitum. Ibid. eſſentialis dependentia liberæ voluntatis, ex cognitione deſumitur. 81. 1. voluntatem cogi nihil aliud eſt quam illam velle aliquid contra propriam ſuam inclinationem. 82. non poſt neceſſitari, niſi mediante objecto repræſentato. 84. 2. & ſeq.

Voluntatem extrahi ex ſuo connaturali modo dupliciter intelligi poteſt. 85. 1. quando dicitur quòd ſola ſe determinat, intelligitur excluſio alterius cauſæ extrinſecæ creatæ cogentis & neceſſitantis. 136. 2. voluntas creata facit duas neceſſitates. Ibid. à nullo nec etiam à DEO cogi poteſt, aut violentiam pati, quoad actum elicitum. 78. 2. & 80. 2. & 84. 2.

VOLVNTAS DIVINA.

Divina voluntas ita eſt prima & univerſaliſſima cauſa, ut ſit magis proxima & immediata cuicunque

Digitized by Google

effectui causarum secundarum, quàm sint ipsæ causæ proximæ. 298. 2. causas contingentes pro effectibus contingentibus aptat & præparat. 60. 1. & 69. 1. est primum principium omnium quoad exercitium, 69. 2. tripliciter comparatur ad divinum intellectum in rerum productione. Ibid. illumque movet, determinat & applicat. Ibid. Tria de voluntate Dei valde notanda. Ibidem. est magis causa rerum simpliciter loquendo quàm sit intellectus divinus. 70. 2. & 71. 1. licet intellectus sit magis causa rerum quoad specificationem, non tamen quoad exercitium. 71. 2. quatenùs voluntas divina habet adjunctam libertatem, est prima radix contingentiæ & libertatis. 71. 2. & seq.

Voluntas Dei antecedens est velleitas. 105. 1. non potest intellectus divinus cognoscere in quam partem inclinanda sit divina voluntas, vel quid determinatè sit volitura, in signo rationis antecedente ejus decretum: quia tunc voluntas divina, concipitur ut indifferens. 308. 1. & 2. quidquid ad extra vult divina voluntas, liberè vult. Ibid. ante determinationem ejus nihil potest esse determinatè futurum. 263. 1.

VOLVNTAS HVMANA.

Cogitationes voluntatis humanæ, & omnes ejus operationes certò cognoscit Deus in sua voluntate, & in illarum causa. 310.

Coactio in humana voluntate semper neganda, quia contraria libertati. 114. 1.

VOX.

Voces quædam quæ ex propriâ suâ ratione significant, vel involvunt compositionem cum altero, 166. aliæ voces quæ non involvunt hanc compositionem explicantur. 168. 2.

VSVS.

Usus futurus liberi arbitrij cognoscitur certò à Deo in sua causa, id est, in efficacia auxilij, vel voluntatis divinæ. 254. 1.

VVLNERATIO.

Vulneratio naturæ humanæ triplex ex Caietano. 41. 1.

Vulneratio & spoliatio factæ per peccatum originale in natura humana distinguuntur. 29.

VVLNVS.

Quatuor vulnera hominis lapsi. 9. 2. Quæ non solùm cuilibet per peccatum actuale, sed etiam per peccatum originale, toti naturæ infliguntur, 11. 1. hæc vulnera sunt ignorantia, malitia, infirmitas & concupiscentia. Ibid. & 16. 1. & 17. 2. vulnus naturæ & impedimentum positivum, est pronitas ad malum. 35. 1.

ZVMEL.

Insignis defensor doctrinæ S. Thomæ. 75. 1. & 307. 2. impugnat scientiam mediam. 286. 2. & 307. 2.

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA

NOTABILIA QVÆ IN HAC SECVNDA PARTE TOMI PRIMI CONTINENTVR.

Pagina.	*Columna.*	*Linea.*	*Creatum.*	*Emendatum.*
7.	1.	33.	naturatæ	naturæ.
8.	2.	14.	quia S. P.	quia à S. P.
16.	1.	5.	habet	haberet.
23.	2.	7.	tracturi	tractaturi.
24.	2.	43.	non quod &c.	non quod volo bonum hoc ago ſed quod odi malum.
26.	1.			
ibid.		15.	condemnat	concludit.
ibid.	2.	12.	damnat	determinat.
30.	2.	16.	in mortalitate	immortalitate.
32.	1.	60.	negant	dicit
37.	1.	67.	libero	libro.
43.	1.	50.	appoſitis	oppoſitis.
61.	2.	34.	captivantem	captivans.
69.	2.	27.	perjudicium	præjudicium.
72.	2.	31.	in electum	intellectum.
84.	2.	19.	effectus	in effectibus.
86.	2.	5.	multiplicetur	multipliciter
123.	2.	65.	ſecanda	ſecunda.
130.	1.	7.	ideo non operatur.	non ideo non operatur.
147.	1.	61.	ſicut	ſunt.
174.	2.	60.	operet	oportet. (ſupra poſitũ.
195.	2.	65.	motum ſupra excitatũ	motum & excitatum
196.	1.	51.	poſſe	poteſt.
207.	1.	19.	componentur	componente.
208.	2.	35.	onderentur	conderentur.
211.	1.	15.	particulari	particularis.
212.	2.	36.	ſuperori	ſuperioris.
214.	2.	1.	divina	divinæ.
ibid.	ibid.	2.	Sancto	Sancti.
216.	1.	18.	perſeveranti	perſeverantiæ.
237.	1.	29.	conſilio	conſilij.
243.	1.	20.	Ergo in	Ergo ſi in.
261.	1.	4.	Patrem	partem.
262.	2.	44.	decretorum	decretum.
267.	1.	41.	etiam ſi non ſi	etiam ſi non ſit.
268.	2.	24.	prædefinitæ	prædefinita.
277.	1.	40.	moriens	morieris.
290.	2.	ultima	aliquis aut,	aut qui.
301.	2.	3.	.....	quæ ſunt de præſenti.
ibid.	ibid.	46.	determinati	determinari.
316.	2.	33.	determinatis(creaturas	determinatas. (cauſas.
319.	1.	50.	educandum extra ſuas	educendam extra ſuas
321.	1.	70.	illum	illorum.
328.	2.	27.	humanarum	humanorum.
329.	2.	54.	abſoluiè	abſolutè.
330.	2.	32.	eſt deo eſt	ex deo eſt.
335.	1.	7.	eum	enim.
336.	1.	69.	æternitatis.	æternitas.
339.	2.	67.	tempore	tempora.
342.	2.	32.	æterni	æternitate.
344.	1.	1.	conardo	Conrado.
346.	2.	17.	ſuppoſitio	ſuppoſito.
348.	1.	36.	triplicer	tripliciter.
ibid.	ibid.	37.	coachæreat	cohæreat.
ibid.	2.	69.	intento	intentio.
			ſuma	ſumma.

Digitized by Google

effectui causarum secundarum, quàm sint ipsæ causæ proximæ. 298. 2. causas contingentes pro effectibus contingentibus aptat & præparat. 60. 1. & 69. 1. est primum principium omnium quoad exercitium, 69. 2. tripliciter comparatur ad divinum intellectum in rerum productione. Ibid. illumque movet, determinat & applicat. Ibid. Tria de voluntate Dei valde notanda. Ibidem. est magis causa rerum simpli loquendo quàm sit intellectus divinus. 70. 1. licet intellectus sit magis causa rerum cificationem, non tamen quoad exercit quatenùs voluntas divina habet adj tem, est prima radix contingentiæ 2. & seq.

Voluntas Dei antecedens e non potest intellectus divin partem inclinanda sit divi terminatè sit volitura, i ejus decretum: quia t ut indifferens. 30° vult divina volun tionem ejus n 263. 1.

Vv

Cog operat & i

quia contraria li

Voce nifica 1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google